

THEOLOGIA PROPHETICA

EXHIBENS

I. RHETORICAM *Ecclesiasticam*,

in qua proponitur ars concionandi, & illustratur promptuario concionum locupletissimo.

II. POLITIAM ECCLESIASTICAM.

Accedit

THEOLOGIA ACROAMATICA,

Studio

JOHANNIS-HENRICI ALSTEDIJ.

Cum Indice capitum, rerum & verborum.

HANOVIÆ

Sumptibus CONRADI EIFRIDI.

M. DC. XXII.

1. Corinth. 12. v. 4. 13.

Distinctiones autem donorum sunt, sed idem Spiritus: Et distinctiones ministeriorum sunt, sed idem Dominus. Et distinctiones operationum sunt, sed idem est Deus efficiens ea omnia in omnibus. Vnicuique vero datur declaratio Spiritus ad vtilitatem. Nam huic quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij vero sermo notitiæ per eundē Spirituum. Alteri vero fides per eundem Spiritum: alij vero donum sanationum per eundem Spiritum: alij vero operatio virtutum, alij vero prophetia, alij vero discretio Spiritum. Alteri vero genera linguarum, alij vero interpretatio linguarum. Sed omnia hæc efficit vnus ille & idem Spiritus, distribuens priuatim illa singulis sicut vult. Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa, omnia vero illa membra corporis, quod vnicum est, multa sunt, sed vnum sunt corpus: ita & Christus.

VIRO GENEROSO

CVNRADO A TANN

PATRONO BENEVOLENTISSIMO.

MIRETVR *aliquis, Generoſe Domine, quid ſit, quod in hac miſerabili orbis Chriſtiani perturbatione animum ad ſcribendum appello. Hoc, inquam, aliquis miretur, ſi mei inſtituti cauſas ignoret: quas vbi expoſuero, non item aliquis miretur: Aggreſſus ſum ante aliquot annos certa methodo comprehendere totum ſacroſanctæ Theologiæ ſyſtema: & bonam ipſius partem, non ſine labore ac vigilijs, abſolui. Qui labor tametſi apud omnes non omne tulit punctum: non tamen fuit inanis in Domino. Certum enim mihi eſt, nonnullos, qua docentes, qua diſcentes, nonnullum fructum ex methodica iſta rerum diuinarum diſpoſitione reportaſſe. Exiſtimaui ergo mihi faciendum, vt extremam ſacræ iſti encyclopediæ manum imponerem, & quidem hoc tempore imponerem. Verendum enim mihi erat magnopere,*

vt si hanc hyemem è manibus dimitterem, halcyonia, quæ hactenus per DEI gratiam experior, eriperentur, adeoque imperfectum relinquere necesse haberem, quod vt perficeretur tum mea promissa, tum amicorum monita, tum denique multorum commoda exigebant. Hos vero quidquid est laboris, Vir Generose, inclytissimo tuo nomini nuncupare volui, vt extaret ex me ad memoriam posterorum aliquod ingentium tuorum in me beneficiorum, & meæ in te qualiscunque obseruantiæ monumentum.

Nam quia calamum nunc appendo satur, ita vt emissa jam mea encyclopædia, & methodo Theologiæ plene tractata, deinceps nihil cogitem scribere in publicum, sed totum vitæ tempus in meditatione & exercitatione perennis sapientiæ, quæ in Scripturis continetur, traducere; volui hunc vltimum ingenij mei fœtum patrono meo non vltimo inscribere.

Quod quidem eo feci libentius, quia videor mihi in promptuario concionum ea complexus esse, quibus grauis tua ætas æque ac mea stata possit præparari ad vitam illam cœlestem, quæ nobis in hac militia proposita est meta & brauium, atque adeo regula omnium nostrarum actionum.

Accipe itaque, Vir Generose munus, quod magnum est effectu offerentis, & rerum, quas continet, effectu longe maximum.

Ita

lta te ſoſpitet in his turbis ILLE, *qui turbat turbantes, & turbata ſolus reſtituit. Scribebam Kalendis Martijs. Anno Meſſiæ regis æterni.* 1622.

T. G.

vnice colens

Johan. Henr. Alſtedius.

PRÆFATIO.

POstremus hic labor, Christiane lector, mihi nõ postremum facessit negotium in system. theol. ad finem perducẽdo. Nam si tempus, quo hæc elucubraui, spectes, illud proculdubio est longe difficillimum, & merito accensendum illis, quę requirunt threnos, non atramentum. Deinde si varietatem exemplorũ, quibus ars concionandi fuit illustranda, expendas, Herculei laboris fuit sic omnia arctare, vt vltimus hic tomus mole sua superiores non excederet. Deniq; si paucitatem eorũ, qui politiam ecclesiasticam & theologiam acroamaticam tractarunt, consideres, vix vnus & alter fuerunt, quorum authoritate pro clypeo, tractatione pro norma vti potuerimus. Veniam itaque dabis, si quando non satis exasciata tibi videbor scripsisse, & de ratione instituti, deque vsu huius opellæ me breuiter verba facientem patienter feres. Atque vt hinc ordiar, in *Rhetorica ecclesiastica* tradenda non satis recte versari mihi videntur, qui præcepta præceptis accumulant, de exemplis cõcionum ne quicquã soliciti. Existimaui ergo me recte facturum, si artem augustissimam methodo

thodo præceptorum & regularum perfecta explicarem, & præcepta atque regulas sufficienti exemplorum varietate illustrarem, idque non sine methodo. Quam quidem methodum volui seruire profectui docentis & discentis partim in schola, partim in ecclesia. Incepi siquidem ab elementis & rudimentis theologiæ, & pergendo ad altiora in sacris Bibliis substiti. Hinc mihi natæ sunt quatuor classes concionum, hoc modo. *In prima classe* sunt cõciones pertinentes ad librum naturæ: quas persequitur *caput 23.* Rhetoricæ ecclesiasticæ. *In secunda classe* sunt cõciones Catecheticæ. *capite 24.* comprehensæ. *In tertia classe* sunt conciones locorum communium, *capite 25.* pertractatæ. *In quarta classe* sunt concionestextuales, per totum Scripturæ corpus: puta dominicales, nuptiales, funebres, consolatoriæ, typicæ, festales, allegoricæ, dogmaticæ, inuectiuæ, & similes: quas comprehendi *capite 26.* quod non ab re potest dici *Thesaurus Biblicus.* Atque hæc est Rhetorica ecclesiastica. Hanc excipit *Politia ecclesiastica*, de ordine externo in ecclesia recte instituendo vel restituendo. In hac tradenda non licuit mihi esse prolixior: quia ritus ecclesiastici apud varios sunt varii. Satis igitur habui summa genera perstringere, ad quæ possunt particulares circumstantiæ huius vel illius ecclesiæ referri, si mediocris adhibeatur diligentia. Ad extremum *Acroamatica* potius delineanda, quam tractanda

standa fuit ob varietatem materiæ. Nam si de officio singulorum auditorum, puta patrum familias, matrum familias, liberorum, herorũ, seruorum, coniugum, agricolarum, opificum, mercatorum, magistratuum, subditorum, typographorum, professorũ, aduocatorum, & similiũ scribere aggressus fuissem, integram obseruationum syluam congerere necesse habuissem. Quam quidem diligentiam nimiam futuram fuisse facile intelligent, qui ex generalibus præceptis & regulis cuilibet politiæ ecclesiasticæ applicatis fœcundissimam obseruationum practicarum messem oriri perspectum habent. Videamus iam vsum huius laboris, qui quidem est geminus. Nam præcepta & regulæ sunt faces intelligentiæ & bases reminiscentiæ: promtuarium vero concionũ est insigne praxis ecclesiasticæ adiumentum. Quid enim? Si concio sit habenda, candidatus ministerii, vel etiam minister non vsquequaque exercitatus, imo etiam exercitatus, potest recurrere ad quatuor nostras classes, & inde sumere non tantum materiã, sed etiam formam concionis sacræ, hoc modo: Cõciones pertinentes ad librum naturæ seu theologiã naturalem, item Catecheticæ & locorum communium, ita sunt comparatæ, vt ad varios textus applicari possint. Conciones dominicales, funebres, & similes facile inuenientur, si habeamus textum. v. g. si velis habere concionem dominicalem Dominica

prima

prima Aduentus, quære caput 21. *Matthæi*: si concionem funebrem, quære textum aptum, vt est emblema illud Iobi *cap. 19.* Neque vero est, quod conqueraris de breuitate concionum, quas per totum scripturæ corpus exhibemus. Nam etsi plenæ dispositiones non semper occurrunt, sed fere archetypi concionum: tamen emphasis vocabulorum, & rotunditas distinctionum facit, vt breuissimæ etiam notæ, à nobis nude recitatæ, possint esse materia concionum ampliſſima. Induxeramus quidem in animum, omnes scripturæ libros eadem methodo explicare & applicare, qua in Psalmis vsi fuimus. Sed labor ille nimis excreuisset. Quæ ipsa quoque causa est, quod plenam scripturæ explicationem, qua singula Bibliorum capita philologice, logice, & denique theologice, idque tum theorice, tum practice, enarrare decreueramus, hic non proposuerimus. Quo labore an alius possit esset fructuosior, ego sane ignoro. Velim itaque, vt aliquis in hunc talem laborem incumbat, & singula scripturæ capita scholiis philologicis, analysi Logica, quæstionibus denique theologicis tum theoreticis tum practicis illustret, hancque lampadam sibi à nobis traditam, alijs præferat.

)?( )?(IN-

INDEX CAPITVM, LOCORVM COMMVNIVM ATQVE CONCIONVM IN THEOLOGIA PROPHETICA CONTENTORVM; ET PRIMO

In parte I. exhibente Rhetoricam Ecclesiasticam.

CAP. *I. De fine Theologiæ propheticæ* PAG. 1.
II. De subiecto Theolog propheticæ 5
III. De fine Rhethoricæ Ecclesiasticæ 7
IV. De subiecto Rhethoricæ Ecclesiasticæ 9
V. De Inuentione Thematis 11
VI. De Inuentione argumentorum generali 15
VII. De Inuentione argumentorum speciali 23
VIII. De Praxi inuentionis Ecclesiasticæ 33
IX. De affectionibus dispositionis Ecclesiasticæ 36
X. De speciebus dispositionis Ecclesiasticæ 37
XI. De accessu ad tractationem textus 39
XII. De exordio Concionis 41
XIII. De Propositione Concionis 47
XIV. De argumentosa tractatione propositionis 50
XV. De vsu propositionis Ecclesiasticæ 52
XVI. De Applicatione 60
XVII. De peroratione Concionis 62
XVIII. De recessu à tractatione textus 64. vbi etiam exemplum dispositionis textualis 65. dogmaticæ. 71
XIX. De elocutione Ecclesiastica 79
XX. De Impressione Concionis 81
XXI. De promulgatione Concionis 82
XXII. De officio Ecclesiastæ post Concionem 85

CAPITVM.

XXIII. De Concionibus pertinentibus ad Theologiam Naturalem, siue ad lectionem libri naturæ 87. *vbi traditur*

IN CLASSE I.

Conc. I. *De ascensione mentis in Deum per scalas rerum creatarum* 90
II. *Gradus primus Scalæ ascensionis in Deum ex consideratione hominis* 91
III. *Ex consideratione mundi* 96
IV. *Terræ* 101
V. *Aquarum* 106
VI. *Aeris* 109
VII. *Ignis* 113
VIII. *Cœli* 116
IX. *Animæ rationalis* 120
X. *Angelorum* 124

Cap. XXIV. De Concionibus Catecheticis 128. *vbi traditur*

IN CLASSE II.

Conc. I. *Cur Catechesis in pretio sit habenda, & quomodo discenda atque vsurpanda* 132
II. *Primus symboli articulus* 134
III. *Secundus* 139
IV. *Tertius* 142
V. *Quartus* 145
VI. *Quintus* 149
VII. *Sextus* 151
VIII. *Septimus* 153
IX. *Octauus* 156
X. *Nonus* 159
XI. *Decimus* 161
XII. *Vndecimus* 163
XIII. *Duodecimus* 166
XIV. *Præfatio Decalogi* 169
XV. *Primum Decalogi præceptum* 171
XVI. *Secundum* 176
XVII. *Tertium* 178
XVIII. *Quartum* 182
XIX. *Quintum* 185
XX. *Sextum* 187. XXI. *septimum* 189. XXII. *Octauum* 191
XXIII. *Nonum* 193. XXIV. *Decimum* 194

XXV. *Præfatio orationis Dominicæ.* 196
XXVI. *Prima petitio orationis Dominicæ* 198
XXVII. *Secunda* 199
XXVIII. *Tertia* 201
XXIX. *Quarta* 201
XXX. *Quinta* 204
XXXI. *Sexta* 206
XXXII. *Septima* 208
XXXIII. *Homilia super Institutionem baptismi* 209
XXXIV. *Institutio Sacræ Cœnæ* 211
XXXV. *Potestas Clauium ex Matth.* 18. 214

CAP. XXV. De Concionibus Locorum Communium 217. *& prim.*

IN CLASSE III.

LOCVS *I.* *De Theologia* 213
II. *De Cognitio Dei* 218
III. *De Scriptura sacra* 231
IV. *De Deo* 232
V. *De Christo seruatore* 257
VI. *De Spiritu sancto* 261
VII. *De Operibus Dei in genere* 262
VIII. *De Decretis Dei* 263
IX. *De Creatione* 264
X. *De Angelis* 266
XI. *De Homine* 269
XII. *De Prouidentia Dei* 271
XIII. *De Peccato & pœna ipsius* 273
XIV. *De Libero arbitrio* 276
XV. *De Lege* 278
XVI. *De quatuor ordinibus vitæ humanæ* 280
XVII. *De prædestinatione* 281
XVIII. *De Vocatione ad salutem* 285
XIX. *De Fide saluifica* 286
XX. *De Iustificatione* 289
XXI. *De Sanctificatione* 291
XXII. *De Pœnitentia* 293
XXIII. *De Libertate Christiana* 297
XXIV. *De Bonis operibus in genere* 299
XXV. *De Spe* 300

XXVI. De charitate adeoque de cultu Dei. 301
XXVII. De Tolerantia Crucis. 302
XXVIII. De Precatione. 303
XXIX. De Juramento. 307
XXX. De Votis. 308
XXXI. De Scandalo. 308
XXXII. De Euangelio. 309
XXXIII. De Fœdere. 311
XXXIV. De Ecclesia. 313
XXXV. De Ministris Ecclesiæ. 314
XXXVI. De Disciplina Ecclesiæ. 316
XXXVII. De Sacramentis in genere. 317
XXXVIII. De Sacramentis V.T. 319
XXXIX. De Baptismo. 320
XL. De Sacra Cœna. 323
XLI. De Communione Sanctorum. 328
XLII. De Vltimo Judicio. 329
XLIII. De Resurrectione Carnis. 330
XLIV. De Vita & Morte æterna. 331

CAP. XXVI. De Concionibus per totum Scripturæ corpus 335. & primo

IN CLASSE IV.

I. Concio præliminaris in S Biblia. 337
II. Regulæ XXVI. in lectione SS. literarum obseruandæ. 338
III. Versus memoriales de numero & ordine liberorum Biblicorum. 339.
IV. Oeconomia & veluti Catena SS. Bibliorum. 339
V. Chronologia V.T estamenti. 341. Noui Testamenti. 349

Deinde

CONC. I. In Genesin, memoriale & œconomia Geneseos. 351
II. In Exodum. 375
III. In Leuiticum. 391
IV. In Numeros. 400
V. In Deuteronomium. 406
VI. In Josuam. 411
VII. In librum Judicum. 418
VIII. In librum Ruth. 424
IX. In librum I. Samuelis. 425
X. In librum II. Samuelis. 431

XI. In librum I. Regum. 435
XII. In librum II. Regum. 440
XIII. In librum I. Chronicorum. 444
XIV. In librum II. Chronicorum. 447
XV. In Esdram. 451
XVI. In Nehemiam. 453
XVII. In Estheram. 455
XVIII. In Iobum. 456
XIX. In Psalmos. 461
XX. In Prouerbia. 522
XXI. In Ecclesiasten. 526
XXII. In Canticum Canticorum 529
XXIII. In Esaiam. 531
XXIV. In Ieremiam. 541
XXV. In Threnos Ieremiæ. 541
XXVI. In Ezechielem. 541
XXVII. In Danielem. 556
XXVIII. In Hoseam. 559
XXIX. In Ioelem. 562
XXX. In Amosum. 563
XXXI. In Obadiam. 564
XXXII. In Ionam. 565
XXXIII. In Mickam. 568
XXXIV. In Nahumum. 570
XXXV. In Habacucum. 571
XXXVI. In Zephaniam. 572
XXXVII. In Haggæum. 573
XXXVIII. In Zachariam. 574
XXXIX. In Malachiam. 576

IN LIBROS APOCRYPHOS MEMORIAL. ET OECONOMIÆ.

I. Libri Iudithæ. 581
II. Libri Sapientiæ. ibid.
III. Tobiæ. 582
IV. Ecclesiastici siue Sirachi. 51
V. Baruchi. 583
VI. Maccabæorum. ib.
VII. Estheræ librum. 587
VIII. Adjectionum Estheræ. 585
IX. Adjectionum in Danielem. 585

CON-

CAPITVM.

CONCIONES IN NOVVM TESTAMENTVM.

I. *In Matthæum.* 587
II. *In Marcum.* 657
III. *In Lucam.* 670
IV. *In Iohannem.* 725
V. *In Acta Apostolorum.* 762
VI. *In Epist. ad Romanos.* 773
VII. *In I. Epist. ad Corinthios.* 782
VIII. *In II. Epist. ad Corinthios* 791
IX. *In Epist. ad Galatas.* 794
X. *In Epist. ad Ephesios.* 798
XI. *In Epist. ad Philippenses.* 801
XII. *In Epist. ad Colossenses.* 804
XIII. *In I. Epist. ad Thessalonicenses.* 806
XIV. *In II ad Thessalonicenses.* 808
XV. *In I. Epistol. ad Timotheum.* 809
XVI. *In II. Epist. ad Timotheum.* 812
XVII. *In Epist. ad Titum.* 814
XVIII. *In Epist. ad Philemonem.* 816
XIX. *In Epist. ad Hebræos.* 817
XX. *In Epist. Iacobi.* 826
XXI. *In I. Epist. Petri.* 830
XXII. *In II. Epist Petri.* 834
XXIII. *In I. II. & III. Epist. Iohannis.* 835
XXIV. *In Epist. Iudæ.* 841
XXV. *In Apocalypsin.* 842
Tabula Mnemonica super vniuersa Biblia. 864
Summa singulorum librorum Biblicorum breuissimis elogijs comprehensa. 902
Sciagraphia Rhetoricæ Ecclesiasticæ. 905

IN PATRE II.

Exhibente politiam Ecclesiasticam.

CAP. I. *De fine Politiæ Ecclesiasticæ.* 907
II. *De subiecto Politiæ Ecclesiasticæ.* 908
III. *De personis Ecclesiasticis.* 914
IV. *De rebus politiæ Ecclesiasticæ.* 920

V. De

V. De forma politiæ Ecclesiasticæ. 924
VI. De officio pastorum circa conseruationem politiæ Sacræ. 928
VII. De officio presbyterorum & diaconorum circa conseruationem politiæ Ecclesiasticæ. 938
VIII. De officio œconomi bonorum Ecclesiasticorum, cantoris & aditui, circa conseruationem politiæ Ecclesiasticæ. 942
IX. De amplificatione politiæ Ecclesiasticæ. 943
X. De Politiæ Ecclesiasticæ restitutione in integrum. 949
XI. De Politia Ecclesiastica speciali. 952
Typus Theologiæ Ecclesiasticæ. 953. Peroratio ibid.

THEOLOGIÆ ACROAMATICÆ.

CAP. I. De fine Theologiæ Acroamaticæ. 974
II. De subjecto Theologiæ Acroamaticæ. 977
III. De Officio Auditoris respectu Concionum. 978
IV. De Officio Auditoris respectu Politiæ Ecclesiasticæ. 979
V. De Theologia Acroamatica speciali. 981
Typus Theologiæ Acroamaticæ & Peroratio. 982
Peroratio Theologiæ vniuersæ. 983

FINIS HVIVS INDICIS.

THEOLOGIÆ PROPHETICÆ PARS PRIMA,

EXHIBENS

RHETORICAM ECCLESIASTICAM.

CAPVT I.

De fine Theologiæ Propheticæ.

PRÆCEPTA.

THEOLOGIA *Prophetica est prudentia enarrans officium doctoris ecclesiæ.*

Eius partes tres sunt prima de fine; secunda de subiecto; tertia de mediis.

Finis theologiæ propheticæ est internus, vel externus.

Finis internus est tradere præcepta & regulas de officio doctoris ecclesiæ.

Finis externus est vltimus, vel subordinatus.

Finis vltimus est gloria Dei & salus hominum æterna.

Finis subordinatus est Ecclesiæ particularis bona constitutio, & legitima administratio.

REGVLÆ.

I. Prophetica est doctrina sacra recte prophetiam, hoc est, munus ecclesiasticum exercendi.

Theologia prophetica cur sic dicta?

Vox *Propheta* duobus modis sumitur in lingua Græca. Et primo quidem in angustiore significatione sæpius accipitur; & tum προφήτης est, qui prædicit futura. Vide 1. *Corinth.* 12. *vers.* 28. & *Ephes.* 4. *vers.* 11. Deinde προφήτης in latiore sensu est idem, quod anustes & interpres sacrorum:

rum: ita vt προφήτης significet idem, quod ὑποφήτης; & προφητεύω idem quod ὑποφητεύω. Iam vero ὑποφήτης est interpres diuinorum, & ὑποφητεύειν est fungi munere interpretis rerum diuinarum. Unde *Stephanus in thesauro* recte annotat, in voce προφήτης præpositionem πρὸ locum prepositionis ὑπὸ occupare, & esse προφήτης hoc modo idem quod ὑποφήτης. Quo pertinet, quod Budæus tradit, ὑποφήτης pro προφήτης alicubi accipi. Similiter προφητεύω apud veteres sæpe sequitur eam significationem nominis προφήτου, quam nunc attulimus. Quæ ista significatio etiam in nouo testamento occurrit. Sic enim Paulus 1. *Corinth. capite* 12. *versiculo primo.* Διώκετε τὴν ἀγάπην, ζηλοῦτε δὲ τὰ πνευματικὰ μᾶλλον δὲ ἵνα προφητεύητε: *Sectamini charitatem, ambite spiritualia: magis tamen vt prophetetis.* Et *versu* 3. ὁ δὲ προφητεύων, ἀνθρώποις λαλεῖ οἰκοδομὴν καὶ παράκλησιν καὶ παραμυθίαν: *Qui autem prophetat, hominibus loquitur ædificationem, & exhortationem, & consolationem.* Ex quo posteriore loco satis apparet, προφητεύειν de eo qui sacra scripta interpretatur seu enarrat, in illo etiam priore esse dictum. Sic etiam nomen προφητεία, cum prædictionem futurorum in stricta significatione notet, seu vaticinationem, aut etiam vaticinium (vt *Mat. ca. decimotertio* καὶ ἀναπληροῦται ἐπ' αὐτοῖς ἡ προφητεία Ἡσαΐου ἡ λέγουσα) de hac quoque rerum sacrarum enarratione seu interpretatione dicitur ab eodem apostolo non semel: vt *Rom. ca. duodecimo, versiculo sexto.* Habentes autem diuersa dona pro gratia, quæ nobis data est, siue prophetiam, *pro proportione fidei.* Et 1. *Thess.* 5. προφητείας μὴ ἐξουθενεῖτε. Eundem in modum ὁ προφητικὸς duo notat: videlicet eum, qui pertinet vel ad prædictionem futurorum, vel ad sacrorum enarrationem. Posterior significatio hic à nobis attenditur, ita vt *Prophetica* sit doctrina monstrans rationem bene exercendi propheriam, id est, interpretationem rerum diuinarum: sub qua per synecdochen etiam comprehendimus politiam ecclesiasticam, quatenus quidem illa pertinet ad officium prophetæ id est, ecclesiæ doctoris. Atque hæc quidem de nomenclatura hujus libri dicta sunto.

An detur theologia prophetica?

II. Theologiam propheticam esse necessariam & videm docetur partim ratione, partim authoritate.

Quemadmodum Oeconomica explicat officium boni patrisfamilias, Politica boni principis familias: ita necesse est, vt detur aliqua doctrina, quæ explicet officium antistitis ecclesiæ. Hic enim æque indiget institutione aliqua, quomodo præesse debeat societati sibi concreditæ atque priores illi. Imo magis indiget

humano-

huiusmodi institutione. Nam committitur illi prouincia valde nobilis, si vel dignitate illam metiamur, vel vtilitate. Dignitas ex eo constat, quod propheti eſt eximium Dei donum, & veluti domina, quæ altioribus vehitur quadrigis, quam reliquæ artes & facultates. Quid enim? Annon vir propheta, id eſt doctor eccleſiæ, eſt legatus Dei ad electum & dilectum ipſius populum? Annon eſt os populi ad Deum? Dignitati huic multiplex respondet vtilitas. Nam propheta fidelis eccleſiam colligendo & numerum electorum complet, & lupos à caula Domini arcet. Prophetia inſuper eſt partim diuina illa flexanima, qua mentes hominum repugnantes ab impia & immani vita ad Chriſtianam fidem & reſipiſcentiam traducuntur; partim ſacra politica, quæ docet rationem fundandi, conſeruandi, amplificandi & curandi eccleſiam. Vnde ſi quæratur, quæ facultas excellat vnam ex omnibus, prophetiæ certe palma danda eſt. Quanto vero res quæque illuſtrior eſt, tanto diligentius excolenda eſt præceptorum varietate & copia. Iccirco cum animaduerterem hanc materiam ab aliis quidem præteriri, ab aliis vero leui brachio attingi, viſum mihi fuit faciendum, vt illam ſub methodi Logicæ incudem reuocarem, & diuina fauente clementia ſic tractarem, vt duos illos, graues ſane & arduos locos, vnum de ratione concionandi, alterum de modo politiæ eccleſiaſticæ, omnes tum docentes tum diſcentes plene poſſent intelligere.

III. Theologia Prophetica tradi debet methodo analytica.

Qua methodo ſit tradenda Prophetica?

Theologia eſt habitus partim theoreticus, partim practicus. Oportet itaque vt quidquid ibi eſt theoreticum, tradatur methodo ſynthetica, quæ à ſubiecto progreditur ad principia & proprietates: quidquid autem eſt practicum, comprehendatur methodo analytica, cuius lex eſt, vt à fine auſpicemur, indeque ad ſubiectum & media pergamus.

IV. Finis theologiæ propheticæ quatuor veluti gradibus conſtat.

Quis finis propoſitus ſit theologiæ prophetica?

Principio ſe offert *finis internus*, *ſiue proximus*; qui eſt tradere modum bene conſtituendi & adminiſtrandi eccleſiam. Hic eſt finis

internus; quia in potestate artificis continetur. Est proximus; quia adæquatus & reciprocus. Deinde est *finis externus subordinatus*, qui continetur in duobus: puta in legitima constitutione ecclesiæ particularis, & legitima illius administratione: vnde Prophetica est partim κτιστικὴ, *constitutrix*, quantum attinet ad fundationem ecclesiæ; partim διατηρητικὴ, *administratrix*, quantum ad Ecclesiæ conseruationem, amplificationem & curationem. Vnde quatuor officia antistitis ecclesiæ emergunt: videlicet ecclesiam recte fundare, fundatam conseruare, conseruatam amplificare, & corruptam instaurare siue curare. Quæ tametsi non semper in vno eodemque ecclesiæ corpore concurrunt (accidit enim, vt aliquis vocetur ad ecclesiam non fundatam, sed conseruandam, vel amplificandam, vel curandam) oportet tamen nihilominus antistitem ecclesiæ scire, quomodo per omnes numeros debeat implere sui nominis mensuram: qui fieri potest, vt vocetur ad ecclesiam vel conseruandam & amplificandam, vel ad illam fundandam, aut etiam curandam seu reparandam. Cæterum hic agitur de ecclesia particulari, hoc est, de hoc vel illo cœtu sacro, qui certo in loco, certo tempore, colligitur & pascitur: non vero de ecclesia catholica, cuius cura & administratio non est penes hominem mortalem, sed penes regem æternum, Jesum Christum, & sanctum ejus Spiritum. Tertio sequitur finis *externus vlterior*, qui est salus hominum electorum. Nam quia euangelium est potentia Dei ad salutem cuiuis credenti. *Roman.* 1. & vero antistes ecclesiæ annunciat euangelium, oportet vt hunc sibi finem proponat, quem Deus in annuntiatione euangelii intendit. Quarto est finis *simpliciter vltimus*, videlicet gloria Dei. Deus enim seruos suos mittit ad vocandum electos, vt illi gustent & videant quam bonus & suauis sit, indeque permoueantur ad nomen ipsius laudandum, vt constat ex omnibus & singulis libris sacrarum scripturarum. Ex his videre est quomodo fines theologiæ propheticæ cohæreant. Nimirum oportet hanc theologiæ partem docere & discere, vt ex præceptis & regulis methodice traditis pateat ratio constituendi & administrandi

ecclesiam; idque ad salutem populi Deo dilecti & ab ipso
electi, itemque ad nominis diuini
gloriam.

CAP.

CAP. II.

De subjecto Theologiæ Prophetica.

PRÆCEPTA.

SVbjectum Theologiæ Propheticæ est triplex; videlicet informationis, tractationis, & operationis.

Subjectum informationis est antistes Ecclesiæ: in quo requiruntur bona partim naturalia, videlicet bonitas ingenij, memoria & vocis, item sana & recta corporis constitutio: partim acquisita, puta doctrina, integritas vitæ, eloquentia, fortitudo spiritualis & authoritas temperata humanitate.

Subjectum tractationis est modus ædificandi Ecclesiam.

Subjectum operationis totale est Ecclesiæ cœtus integer, partiale est quilibet auditor.

REGVLÆ.

I. Dona, quæ requiruntur in antistite Ecclesiæ, sunt alia naturalia, alia acquisita. *Quæ requirantur in antistite Ecclesiæ?*

Dona naturalia rursus sunt animi, vel corporis. *In animo* requiritur bonitas ingenij & fidelitas memoriæ. *In corpore* requiritur vocis concinnitas, & sana rectaque corporis constitutio, quæ non parum authoritatis conciliat Ecclesiastæ. *Dona acquisita* sunt quinque potissimum: videlicet *doctrina*, eaque partim Theologica, partim Philosophica; *integritas vitæ, morumque sanctitas*; *eloquentia*, *fortitudo spiritualis*, & *authoritas*. De quibus sic habet plenius. *Principio* vt in omnibus studijs ars præsupponit aliquid naturæ: ita etiam in hoc augustissimo & difficillimo munere aliquid naturæ præexigitur. Nam si v.g. destituaris voce bona, vel omni memoria, fieri non potest vt populum Dei recte pascas. Oportet itaque vt futurus Ecclesiastes habeat dona naturæ, si non excellenter, saltem mediocriter. *Deinde* dona acquisita pro tribus animæ facultatibus, nempe intellectiua, concupiscibili & irascibili sic habent. *In facultate intellectiua*, quam Græci vocant τὸ λογικὸν, requiruntur hæc tria; sapientia, prudentia & eloquentia. Primo *sapientia* requiritur eaque duplex: vna diuina & cœlestis altera humana & terrena. *Sapientia diuina* & cœlestis est recta & solida intelligentia & scientia rerum diuinarum in sacris literis patefactarum: quæ comparatur ardenti precatione, frequenti scripturæ lectione & meditatione, denique præceptorum Theologicorum cognitione & exercitatione. *Sapientia* humana & terrena est posita in linguarum, præsertim cardinalium, & totius propemodum philosophiæ frugali cognitione. Deinde requiritur *prudentia Theologica* seu spiritualis, id est, notitia ve-

titia vera & certa recte administrandi τὸ ἐκκλησιαστικόν, pro ratione temporum, locorum & personarum. Hæc vero partim ex sacris literis hauritur, partim experientia & exercitatione rerum Ecclesiasticarum acquiritur. Tertio exigitur *eloquentia spiritualis*, quæ facit vt antistes Ecclesiæ res vtiles & salutares possit populo persuadere. *In concupiscibili animæ parte*, quæ Græcis appellatur τὸ ἐπιθυμητικόν, sunt octo requisita. 1. *Amor erga Deum & homines.* 2. *Amor erga virtutes*, & contra odium peccatorum: vt nempe Ecclesiastes habeat cor purum & vacuum non tantum à viris, præsertim mundanis & externis, sed etiam ab omni suspicione specieque criminum, quibus Ecclesia offendi possit. 3. *Zelus spiritualis*, hoc est, desiderium gloriæ Dei & salutis hominum, quo fit, vt non suum, sed Dei & Christi Domini sui honorem & lucrum, & auditorum suorum æternam salutem toto pectore quærat. 4. *Contemtus mundi*, hoc est, voluptatum, honorum & diuitiarum, quatenus quidem ista tria ponuntur in vitio. 5. *Misericordia*, erga ignaros, afflictos, & personas miserabiles 6. *Mansuetudo*, adeoque tolerantia infirmorum, insciorum, aberrantium & lapsorum. 7. *Fidelitas in munere*, piaque solicitudo: vt nempe faciat officium diligenter & libenter. 8. *Gaudium* è felici, & *dolor* ex infelici successu. *In irascibili facultate*, quæ Græcis dicitur τὸ θυμικόν, quinque ista requiruntur. 1. *Spes & fiducia*, labores non fore inanes in Domino. 2. *Timor Dei.* 3. *Fortitudo spiritualis*, deoque magnanimitas, & constantia; Fortitudo quæ virtutes faciunt, vt Ecclesiastes animo excelso, erecto, inconcusso & imperterrito aduersus Satanæ, mundi & carnis, tum blandimenta, tum terriculamenta pugnet, & simul omnia aduersa, quæ ipsi propter Euangelium accidunt, patienter ferat. 4. Παῤῥησία, *Libertas loquendi.* 5. *Authoritas spiritualis*; quæ exigit, vt Ecclesiastes honestam famam & existimationem, tum apud suos, tum apud exteros habeat, ob rectam officij sui functionem, vitæque integritatem & innocentiam. Horum porro donorum conseruatrices sunt *pura conscientia, & animi humilitas*, quæ, teste Augustino, est prima, secunda & tertia virtus in Christianismo. Atque hæc est idea boni pastoris Ecclesiæ, hoc speculum antistitis rerum diuinarum, hic Lydius lapis, ad quem virtus tum viri, tum officij, exigi debet in pastore constituendo, vel constituto.

Quid tradat Theologia Prophetica

II. Theologia Prophetica debet tradere omne id, quod ad Ecclesiastici muneris functionem pertinet.

Sunt, qui objectum Theologiæ Propheticæ constituunt sacras conciones. Verum hoc objectum est angustius: quia Ecclesiastes non solum concionari debet, sed etiam politiæ Ecclesiasticæ accuratam habere rationem. Proprium itaque & adæquatum hujus facultatis objectum est modus

modus ædificandi, hoc est, bene constituendi & administrandi Ecclesiam. In hoc enim modo explicando & tractando vniuersa hæc facultas occupatur. Huc omnia sua præcepta dirigit tanquam ad centrum. Nec quidquam hic est homogeneum, nisi quod certo quodam respectu ad hunc modum ædificandi Ecclesiam referri potest.

III. Difficultas muneris Ecclesiastici inter alia pendet à diuersitate hominum. *Quã difficile sit munus Ecclesiastis?*

Plurima sunt, quæ arduam reddunt & difficilem prouinciam Ecclesiasticam: pura hostes, aduersus quos pugnandum est; pericula, & persecutiones, quibus expositus est pius Ecclesiastes; innumeræ curæ, quas singulis prope momentis pro salute animarum suscipere & sustinere oportet. Huc accedunt diuersæ & variæ hominum naturæ, ingenia & mores, quibus Ecclesiasten oportet se accommodare, ita vt cum Apostolo omnibus fiat omnia. Necesse igitur est, vt bonus Pastor non solum Ecclesiam sibi concreditam sed etiam omnes & singulos auditores suos pernoscat, illisque συγκαβαίνειν discat. Quod quam difficile sit nonnisi experti norunt.

CAP. III.

De fine Rhetoricæ Ecclesiasticæ.

PRÆCEPTA.

MEdia, per quæ Theologia Prophetica finem in subiectum introducit, sunt duo: Rhetorica & politia Ecclesiastica.

Rhetorica Ecclesiastica tradit modum bene concionandi in Ecclesia.

Estque generalis, vel specialis.

Rhetorica Ecclesiastica generalis tradit modum bene concionandi in genere.

Ejus partes sunt tres: prima de fine, secunda de subiecto, tertia de medijs.

Finis Rhetoricæ Ecclesiasticæ est internus, vel externus.

Finis internus est tradere modum populariter docendi res diuinas.

Finis externus est vltimus, vel subordinatus.

Finis vltimus est, partim illustrare gloriam Dei, partim æternam hominum salutem promouere.

Finis subordinatus est persuadere fidem & religionem Christianam perspicue docendo res sacras, suauiter delectando, & acriter flectendo.

REGVLÆ.

An detur rethorica Ecclesiastica, & an sit necessaria & vtilis?

I. Rhetorica Ecclesiastica explicat artificium bene concionandi? & proinde valde est necessaria.

Concio sacra non est opus naturale, sed vel acquisitum, vel infusum. Datur itaque artificium concionandi, quod vel per diuinam inspirationem, vel per præceptorum institutionem, vel per experientiam ab homine acquiritur. Ex quo efficitur, dari facultatem aliquam, quæ hoc ipsum artificium methodice tradat, certasque regulas præscribat, secundum quas concio sacra possit componi, haberi & judicari. Vnde porro colligitur necessitas & vtilitas hujus ipsius facultatis. Quemadmodum enim orator politicus, siue ille in schola versetur, siue in foro, indiget methodo eloquentiæ, siue præceptis & regulis oratoriæ politicæ: ita orator Ecclesiasticus Rhethoricæ Ecclesiasticæ subsidio, vel præsidio, carere non potest. Neque valet, quod objicitur, concionari esse opus Spiritus Sancti, Apostolos non fuisse instructos arte Rhetorica, & denique naturam hic esse satis. Nam quod attinet ad primam objectionem, Spiritus Sanctus aut immediate dictat ea, quæ pertinent ad concionem sacram, aut mediate, mediante scilicet nostro studio. Deinde ab extraordinario ad ordinarium non valet consequentia. Jam vero habitus concionandi extraordinarie Apostolis, vt & Prophetis, à Deo fuit infusus. Denique natura consideratur vel ordinarie & communiter, vel extraordinarie & heroice: Priori modo ars est dux certior quam natura: & naturalis potentia ordinarie in actum facile & sine errore traduci non potest, nisi per regulas artis juuetur. Posteriori modo naturæ dona sunt rara: & proinde non sunt in regulam & consequentiam trahenda.

Tripartitus finis cujusvis concionis.

II. Tripartitus finis debet esse propositus concionatori: vt nimirum doceat, delectet, flectat siue moueat.

Nimirum omnes inuentionis, dispositionis, elocutionis & actionis vires huc conuertet concionator, vt auditores suos sol de doceat, Spiritualiter delectet, atque acriter flectat. E quibus primum est debitum, secundum honorarium, tertium necessarium. *Primum* requirit acumen oratoris, secundum lenitatem, tertium vim & acrimoniam. Docendo itaque efficiet concionator, vt res sacræ solide intelligantur. *Quia enim dicit, cum docere vult, quamdiu non intelligitur, nondum se existimet dixisse, quod vult ei, quem vult docere. Quia etsi dixit, quod ipse intelligit, nondum tamen illi dixisse putandus est, a quo intellectus non est*: vt sunt verba

Aug.

Augustini lib. 4. de doctrina Christiana cap. 12. Quare nisi hoc præstet Ecclesiastes, vt solide ac neruose doceat, & perspicue intelligatur, cætera omnia erunt frustra. Nemo enim delectatur aut mouetur ijs, quæ non intelligit. Vnde docere necessitatis esse dicunt. Sic Paulus se docuisse testatur *Actor. 20. vers. 20. 26.* cum senioribus Ephesinis dicit, se nihil subterfugisse quo minus ipsis annuntiaret omne consilium Dei. *Deinde* requiritur in concione jucunditas quædam & gratia, non quæ in nani verborum sono, aut calamistrato dicendi genere aures tantum titillet, sed qua doctrinam saluberrimam & jucundissimam eo sermonis genere proponat, quo corda suauissime tingantur & imbuantur, indeque lætitia spirituali perfundantur. Multum enim refert, vt concionator hoc efficiat apud suos auditores, vt illi cum Jeremia dicere possint: *Verbum tuum fuit mihi in gaudium, & in lætitiam cordis mei. Flexio denique* in eo consistit, vt concionator animos auditorum inducat ad solicitudinem consequendæ salutis, ad dolorem & contritionem propter admissa peccata, ad odium peccatorum, ad amorem pietatis, ad metum diuini judicij; ad spem misericordiæ apud Deum impetrandæ, ad charitatem & commiserationem erga proximum, & qui his affectus sunt similes. Hac de re *Augustinus* loco paulo ante citato sic ait: *Sicut delectatur auditor, si suauiter loquaris: ita flectitur, si amat, quod polliceris: timeat, quod minaris: oderit, quod arguis: quod commendas, amplectatur: quod dolendum exaggeras, doleat: cum quid lætandum prædicas, gaudeat: misereatur eorum, quos miserandos ante oculos dicendo constituis: fugiat eos, quos cauendos terrendo proponis: & quidquid aliud grandiloquentia fieri potest, ad commouendos animos auditorum, non, quid agendum sit, vt sciant, sed vt agant, quod agendum esse jam sciunt.* Hujusmodi flexionis illustre exemplum nobis exhibet concio illa Petri, in die pentecostes habita *Actor. 2.*

CAP. IV.

De subjecto Rhetoricæ Ecclesiasticæ.

PRÆCEPTA.

Subjectum Rhetoricæ Ecclesiasticæ est informationis, tractationis & operationis.

Subjectum informationis est concionator.

Subjectum tractationis est concio sacra, cujus videnda dignitas, difficultas, & virtus.

Subjectum operationis totale est Ecclesia seu populus Dei, partiale est quilibet auditor: qua de re vide cap. 2. præced.

REGVLÆ.

Quomodo Rhetorica Ecclesiastica informet cõcionatorem?

I. Rhetorica Ecclesiastica informat ingenium & δύναμιν ἑρμηνευτικὴν concionatoris.

Ingenium concionatoris debet esse oratorium, hoc est, tale, quod copiose possit dicere. Copia ista posita est in inueniendo, & disponendo, δύναμις ἑρμηνευτικὴ respicit ornatum siue elocutionem concionis, & actionem. Quibus omnibus inseruit memoria. Oportet igitur vt Rhetorica Ecclesiastica quinque ista doceat concionatorem, & de illis certa principia tradat. Hæc enim sunt quinque officia oratoris cujusliber, quæ cum fabrica corporis humani non ineleganter conferuntur. Nam inuentio id est in oratione, quod in corpore animantis sunt ossa, quæ nisi solida sint, cætera omnia in corpore collabuntur. Dispositio idem præstat in systemate orationis, quod nerui in compage corporis. Nimirum illa partes orationis apte inter sese connectit & colligat. Elocutio est instar carnis & cutis, quæ decenter ossa & neruos conuestiunt. Memoria est similis spiritui & vitæ. Hæc enim nisi adsit, totam orationem collabi & interire necesse est. Actio denique est veluti motus animantis, qui nisi adsit, animal à statua minimum abest. Vnde actionem dictitant esse vitæ quandam vitam.

Dignitas cõcionis sacræ.

II. Dignitas concionis pendet à quatuor rebus.

Primo pendet à causa efficiente, quæ est Christus, summus Ecclesiæ doctor: qui pastores verbi constituit, & illis per Spiritum Sanctum dictat verba vitæ. *Deinde* pendet à fine, qui est promouere spiritualem hominum vtilitatem. Quo quidem fine post gloriam Dei nullus potest excogitari præstantior. *Tertio* colligitur hæc dignitas à natura & partibus concionis sacræ, quæ sunt annuntiare & patefacere hominibus viam salutis, eosdemque permouere, vt viam salutis cognitam ingrediantur, in eaque quotidie progrediantur, & constanter vsque ad finem vitæ perseuerent. *Denique* hæc dignitas perspicitur ex dignitate illorum, qui inde ab origine mundi ad nostram vsque memoriam hoc munere perfuncti sunt; cujusmodi fuerunt olim Patriarchæ, Prophetæ. Jesus Christus, Apostoli, viri Apostolici, patres Ecclesiastici, Episcopi & martyres, & hodie sunt fideles verbi ministri, qui legatione pro Christo funguntur.

Difficultas concionis sacræ.

III. Difficultas concionis sacræ colligitur ex nouem potissimum argumentis.

Ardua omnino, grauis & difficilis est concionandi prouincia propter tremendam Dei majestatem, cujus legatum agit concionator, & coram cujus

cuius facie loquitur: *propter* rerum sacrarum sublimitatem: *propter* finem ministerij Ecclesiastici, qui est pascere Ecclesiam, quam Christus suo sanguine acquisiuit: *propter* auditorum diuersitatem, imo contrarietatem, quæ potissimum in eo cernitur, quod alij sunt hypocritæ, alij afflicti peccatores; alij flagitiosi, alij pij; alij infirmi; alij robusti; alij rudes, alij docti; alij desperabundi; alij securi; alij delicati; alij nauseabundi. Quos animorum morbos, & diuersam auditorum rationem, vt nosse difficile est: ita conuenientia omnibus & singulis remedia ex pharmacopolio verbi Dei feliciter applicare magnæ est prudentiæ. Porro difficultas concionum non parua oritur ex quinque istis decantatis oratorum officijs. Nam *inuentio* requirit acumen ingenij; *dispositio* postulat lumen Logicum; *elocutio* exigit artis Rhetoricæ accuratam cognitionem; *actio* requirit vocis concinnitatem, linguæ volubilitatem, gestuum decentiam; *memoria* denique bonam cerebri temperiem, artisque Logicæ solidam requirit intelligentiam. Cum igitur tanta sit dignitas & difficultas officij illius, quod Ecclesiastes sustinet: cauendum etiam atque etiam est, ne quis temere & inconsiderate id suscipiat, multo minus inuadat, antequam subsidijs ad illud obeundum necessarijs sese instruxerit.

IV. Virtutes concionis sacræ sunt numero sex: videlicet veritas, decentia, grauitas, efficacitas, perspicuitas & breuitas. *Virtutes concionis sacræ.*

Hic canon ob oculos ponit affectiones & proprietates concionis sacræ, è quibus prima est *veritas*. Hæc autem exigit, vt concio sacra ad amussim sit consentanea Scripturæ Sacræ; vt ad textum propositum sit adstricta; vt nihil contineat, quod non sit solidum & certum. Secunda concionis affectio est *decentia*; quæ exigit, vt concio ad captum & profectum populi sit accommodata; vt circumstantijs personarum, rerum, locorum & temporum congruat; vt conuenientem characterem sermonis adhibeat. Tertia virtus est *grauitas*; quæ requirit, vt concio tota animorum sanctitatem exprimendam, deuotionemque excitandam & alendam sit comparata. Quarta proprietas est *efficacitas*; quæ exigit vt concio sit ornata & neruosa, hoc est, rerum & verborum persuasibilium pondere ornata; vt sit flexanima, hoc est, ad permouendum animos hominum apposita; vt denique tota sit ad ædificationem Ecclesiæ directa. Quinta virtus est *perspicuitas*; quæ exigit, vt concio ad intelligendum sit facilis & expedita, partesq; habeat inter se bene ordinatas & cõnexas. Sexta & vltima virtus est *breuitas*; quæ exigit vt concio nihil superuacui habeat admixtum, vtque nec sit justo longior, neque justo breuior, sed moderatæ quantitatis.

His sex virtutibus concionis sacræ opponuntur totidem vitia, nempe falsitas, indecentia, leuitas, inefficacitas, obscuritas & prolixitas; quæ omni studio Ecclesiasticæ sunt fugienda, sicut è contrario virtutes jam recitatæ pro veste & purpura orationis Ecclesiasticæ sunt habendæ, juxta hos canones. 1. Omnia verbo Dei debent esse analoga. 2. Ipsis Scripturæ verbis, quantum omnino fieri potest, est loquendum. 3. Nihil detruncate, aut mutilate, sed solide omnia sunt tractanda. 4. Eadem in concionibus sæpe sunt repetenda & inculcanda. 5. Concio debet esse methodica. 6. Non doctis, sed rudioribus concio est attemperanda. 7. Caute, proprie, & perspicue loquendum, vitata omni obscuritate & ambiguitate. 8. Non captanda est aura popularis, aut ingens ostentatio. 9. Concio non debet nimis excrescere, ne forte tædium & fastidium auditoribus creet, vel memoriam eorum copia rerum obruat. 10. Nihil citandum est, quod sit falsum, fictum, fabulosum, aut saltem dubiæ fidei. 11. A concione abesse debent omnia, quæ leuitatem sapiunt: cujusmodi sunt joci, ridiculæ narrationes, formulæ dicendi leuiores, prouerbia insulsa & scurrilia; & inprimis canina, seditiosa, & rabida illa maledicendi, conuiciandi, insectandi & damnandi alios libido: quæ omnia aduersantur Spiritui Christi, quem concio tota, quanta quanta est, exprimere debet.

CAP. V.

De Inuentione thematis.

PRÆCEPTA.

MEdia, per quæ Rhetor Ecclesiasticus finem suum potest assequi, sunt triplicia: alia videlicet ante promulgationem concionis, alia in promulgatione, alia post promulgationem.

Media ante promulgationem concionis sunt formatio seu apparatus, & impressio concionis promulgandæ.

Formatio concionis absoluitur inuentione, dispositione, & elocutione Ecclesiastica: è quibus inuentio & dispositio spectatur in rebus, elocutio in verbis.

Inuentio Ecclesiastica est artificialis excogitatio rerum, de quibus, & ex quibus concio sacra est conficienda.

Est que vel thematica, vel argumentosa.

Inuentio thematica est, qua thema concione sacra tractandum, ex Scriptura textu eruitur.

In themata spectatur natura & delectus.

Natura thematis cognoscitur ex reductione & charactere ipsius, & ex causis genere.

Redu-

Reductio thematis est, qua illud reuocatur ad certam sedem.

Character thematis est triplex: grauis, mediocris, & humilis.

Character grauis est rerum magnarum & sublimium: vt sunt Deus, vita aeterna, gehenna. Dicitur alias character heroicus & sublimis.

Character mediocris, seu temperatus, est rerum mediocrium: vt sunt homo, pietas, anarithia.

Character humilis siue subtilis, est rerum humilium: vt sunt diuitiæ & omnium reliquarum.

Genus causæ est magis philosophicum vel theologicum. Genus causæ magis philosophicum est demonstratiuum, deliberatiuum, vel iudiciale.

Genus demonstratiuum est, quod versatur in docendo, laudando & vituperando.

Genus deliberatiuum est, quod versatur in suadendo & dissuadendo.

Genus iudiciale est, quod versatur in accusando & defendendo.

Genus causæ magis theologicum est theoreticum, vel practicum. Et illud est διδασκαλικὸν, doctrinale, vel ἐλεγκτικὸν, redargutiuum: hoc est παιδευτικὸν, institutiuum, ἐπανορθωτικὸν, correctorium; vel παρακλητικὸν, consolatorium.

Delectus thematis est, quo eligitur textus pro exigentia circumstantiarum.

REGVLÆ.

I. Officium concionatoris est tripartitum.

Triplex officium concionatoris.

Primo enim requiritur, vt antequam habeat & promulget concionẽ illam domi formet atque meditetur, itemque memoriæ imprimat: quæ res intra priuatos ecclesiastæ parietes tota clauditur. *Secundo* necesse est, vt concio domi formata publice promulgetur: vbi priuatæ illius meditationis & formationis vis omnis effectusque in publicum ecclesiæ theatrum profertur & producitur. *Tertio* post habitam in publico concionem requiritur, vt præco ecclesiasticus solicite ac enixe curet, vt res non abeat sine fructu. Ex quibus constat, sufficientem esse τειχοτομίαν mediorum à nobis propositorum: quod nimirum alia ante promulgationem concionis, alia in promulgatione, alia denique post promulgationem sint adhibenda.

II. Reuocatio thematis ad certam methodum siue sedẽ, est ianua tractationis ecclesiasticæ.

Reductio thematis quam necessaria?

Quemadmodum enim per januam intramus conclaue, illiusque penetralia introspicimus: ita per reductionem thematis ad certam sedem hoc obtinemus, vt in toto tractationis cursu se nobis offerant certatim omnia illa, quæ faciunt ad plenam ipsius intelligentiam. Cæterum ista reuocatio fit, cum concionator secum expendit, ad quem locum com-

munem seu partem theologiæ, item ad quod caput Catecheſis Chriſtianæ textus propoſitus pertineat. Sic v.g. textus *Matth.* 22. *à verſ.* 15. *ad* 23. pertinet ad locum communem de magiſtratu, & ad quintum decalogi præceptum. Quæcunque igitur in theologia Catechetica & Didactica de magiſtratu ſunt dicta, hic vtiliter adhibentur.

Character thematis facit ad oppoſitam inuentionem argumentorũ &c.

III. Character thematis facit ad appoſitam argumentorum inuentionem, conuenientem elocutionem & actionem.

Nam in tractando themate *characteris grauis & ſublimis* omnia debent eſſe insignia, copioſa, ampla & magnifica. Requiruntur ibi graues ſententiæ, motus vehementior in lachrymis, in exclamationibus, in vociferationibus, in luctu, in terrore animi; oratio velox & numeroſa, figuræ ſententiæ crebriores. & omnino violentiſſimæ rhetorum machinæ. Contra in tractatione thematis, cuius *character eſt humilis*, omnia erunt ſubtilia & minuta: videl. breues periodi, vox remiſſior, ſententiæ vulgares, figuræ dictionis, & omnino lumina rhetorica non adeo ſplendida. *In temperato charactere* omnia erunt media inter graue & humile genus.

Genera cauſarum quam habeant vtilitatem?

IV. Genera cauſarum plurimum inſeruiunt inuentioni.

Ad artem inuentionis tria cauſarum genera conſtituerunt philoſophi oratores, demonſtratiuum videlicet, deliberatiuum & judiciale, vbi ſub demonſtratiuo complectimur doctrinale. Hoc autem ideo fecerunt, vt facilior eſſet inuentio & electio illorum argumentorum, quæ inprimis faciunt ad noſtrum propoſitum. Quia enim aliæ cauſæ, ſiue materiæ, alios confirmationis locos requirunt: ideirco, ne omnibus locis promiſcue & tumultuarie congeſtis, difficilior illorum in tanta turba eſſet inuentio, materias ſeu genera cauſarum diſtinxerunt. Magnopere itaque refert, vt thema propoſitum ad certum cauſæ genus, tanquam ad quoddã prædicamentum referatur. Hoc autem facile fiet, ſi memineris ad *genus demonſtratiuum* pertinere didaſcaliam, laudem & vituperium, narrationẽ, lamentationem, gratulationem, deprecationem, & ſimilia: ad *genus iudiciale* criminationem, defenſionem, expoſtulationem, exprobrationẽ, purgationẽ & excuſationem: ad *genus* deniq; *deliberatiuũ* ſuaſionẽ & diſſuaſionem, hortationem & dehortationem, petitionem, admonitionem, cõſultationem, & ſimilia. Sic v.g. hiſtoria de aduentu Chriſti *Matth.* 21. 9. 10. *& ſeqq.* pertinet ad genus demonſtratiuum: ſimiliter hiſtoria de natiuitate Chriſti *Luc.* 2. Textus Dominicalis *Joh.* 8. *à v.* 46. *ad finem*, pertinet ad genus judiciale. Parabola, quæ eſt *Matth.* 18. *à v.* 23. *ad finem*, pertinet ad

genus

genus deliberatiuum: vtpote quæ continet seueram Christi, sub persona regis & serui debitoris, adhortationem ad mutuam offensarum condonationem. Postquam hoc modo consideraſti tria causarum genera, à philosophis constituta, pari passu tibi percurrenda sunt quinque causarum genera, quæ Spiritus Sanctus 2. *Tim.* 3. *v.* 16. & *Rom.* 15. *v.* 4. constituit. Ex his primum est genus διδασκαλικὸν siue διδακτικὸν, hoc est, *doctrinale*, quo vera dogmata, puta articuli fidei, seu loci communes pertinentes ad fidem Christianam, tractantur: videlicet locus de Deo, de justificatione, de vita æterna, & similes. Huic proximum est genus ἐλεγκτικὸν, id est, *redarguitiuum*, quo falsa dogmata & hæreses confutantur. v.g. quod plures sint dii, quod nulla sit Dei prouidentia, quod corpus Christi sit vbique. Tertium genus est παιδευτικὸν, *institutiuum*, quo ad pie sancteq; viuendum populus Dei eruditur atq; formatur: vt, quod gloria Dei rebus omnib. sit anteferenda; quod compensatio peccatorum non sit facienda; quod dandæ sint eleemosynæ; quod Deus sit inuocãdus. Quartũ genus est ἐπανορθωτικὸν, *correctoriũ*, quo peccata & corruptelę morũ carpũtur & prohibẽtur: qualia sunt ignorantia verbi Dei, contẽtus ministerii verbi & sacramentorũ, impatiẽtia in cruce, omissio precũ, idololatria, scortatio, auaritia, & id genus alia. Quintum genus est παρακλητικὸν, *consolatoriũ*, quo erigantur homines variis tentationib. & ærumnis pressi: quales sunt, qui annonæ caritate premuntur, persecutiones tyrannorum sustinent, tentationib. electionis diuinæ aut fidei exercentur. Si ergo thema aliquod pro concione sit tractandum, diligenter meditare, ad quodnã caulæ genus pertineat. v.g. sextum decalogi præceptum pertinet ad genus παιδευτικὸν & ἐπανορθωτικὸν: caput primum Geneseos pertinet ad genus διδασκαλικὸν. Ad extremum obserua, non tantum tria ista Philosophica, sed etiam quinq; illa theologica causarum genera sæpius misceri, vnde concio diuiditur in simplicem & mixtam.

CAP. VI.

De inuentione argumentorum generali.

PRÆCEPTA.

INuentio argumentosa est, qua ecclesiastes conquirit argumenta, quibus propositum thema possit tractari.

Eius occurrit theoria, & praxis.

Quantum attinet ad theoriam, inuentio ecclesiastica est generalis, vel specialis.

Inuentio generalis est, qua inueniuntur argumenta in genere.

Est q; didascalica seu logica, ethica seu moralis, & pathetica seu affectuosa.

Inuentio

Inuentio didascalica est qua inueniuntur argumenta docentia; siue explicantia, siue probantia siue amplificantia.

Inuentio ethica est, qua inueniuntur argumenta delectantia, quæ etiam dicuntur conciliantia & morata.

Inuentio pathetica est, quæ suppeditat ecclesiastæ argumenta mouentia.

REGVLÆ.

Artificium explicandi.

I. Artificium explicandi, seu modus inueniendi argumẽta explicantia, sic habet.

Ecclesiastes explicaturus thema simplex, omnium *primo* percurrat loca inuentionis Logicæ. v.g. si velit explicare locum communem de Scriptura sacra, ostiatim pulset locum causæ, effecti, subjecti, adjuncti, & similium notionum Logicarum. *Deinde* terminos transcendentales ex metaphysica assumat, quales sunt essentia, vnitas, veritas, bonitas, perfectio, & similes. e.g si de Deo dicere instituat, potest considerare essentiam Dei, ipsius vnitatem, veritatem, bonitatem, &c. *Tertio* ad locos siue topica inuentionis propriæ seu specialis descendat: qua de re vide *cap. seq.*

Artificium probandi.

II. Artificium probandi, seu modus inueniendi argumẽta probantia sic habet.

Ecclesiastes probaturus thema compositum. *primo*, percurrat loca inuentionis Logicæ, ita vt quæstionem probandam resoluat in duo extrema, subjectum videl. & prædicatum (seu in partem antecedentem & consequentem) & seorsum deducit vtrumque per ista loca. v. g. sit quæstio, *An peccatum originis sit substantia?* Hic pars antecedens, *peccatum*, consideretur vt thema simplex, & deducatur per loca inuentionis: similiter pars consequens, *substantia*. Negatiua sententia concludetur ex loco causæ, effecti, subiect &c. *Deinde* termini transcendentales, applicati vtrique termino quæstionis compositæ, æque suppeditant argumenta probantia atque loca inuentionis. *Tertio* argumenta probantia petuntur è locis inuẽtionis specialis, de qua dicetur *cap. seq.*

Artificium amplificationis.

III. Artificium amplificandi, seu modus inueniendi argumenta amplificantia, est triplex.

Primo ex iisdem locis argumenta amplificantia sumi possunt, ex quibus sumuntur argumenta explicantia & probantia. Nam omnia & singula loca inuentionis faciunt ad declarandum seu amplificandum, probandum seu demonstrandum, & amplificandum. Similiter termini transcendentales faciunt ad amplificationis *& meiosin*. Sic v.g. adjuncta vtilitas justitiæ amplificatur à causis, oppositis & similibus. *Deinde* quinque sunt loca in-

ca inuentionis Logicæ, ex quibus maxime peti solent argumenta amplificantia: videl. definitio, oppositio, comparatio, conglobatio, & authoritas. *Definitio* est explicatio nominis vel rei. *Oppositio* (Græcis ἀντίθεσις) est disparatorum, relatorum, contrariorum, contradicentium, & priuantium. *Comparatio* (Græcis σύγκρισις) est parium, majorum, minorum, similium & dissimilium. *Conglobatio* (Græcis συναθροισμός) est distributio seu enumeratio partium, specierum, causarum effectorum, subiectorum & adiunctorum. *Authoritas*, siue testimonium, est dictum insigne, quod adfertur ex probato aliquo authore. Quinque ista instrumenta amplificationis adhiberi possunt, vel singula, vel vniuersa, in quocunque themate amplificabili, siue illud sit vox vna, siue integra sententia. Fac periculum in singulis prope dixerim versibus scripturæ sacræ: deprehendes miram vberitatem, exempli gratia, sit amplificanda ista sententia *Psalmi vigesimi tertii, Dominus est Pastor meus.* Vox *Dominus* amplificatur 1. per definitionem; *Dominus* ille, qui nos creauit, redemit & conseruat; Jehoua ille, à quo sunt omnia. 2. per oppositionem: *Non rex aut dominus aliquis mortalis & terrenus, sed æternus & cœlestis.* 3. per comparationem: Dominus ille, qui tanquam promus condus, & ditissimus paterfamilias: possidet omnis generis thesauros. 4. per conglobationem: Dominus ille seu Jehoua qui est Pater, Filius & Spiritus Sanctus. 5. per authoritatem: Dominus ille, de quo dicitur. *Psal. 24. Domini est terra, & tota eius plenitudo.* Eundem in modum sequentia verba amplificari possunt: *Est pastor.* 1. per definitionem: prospicit mihi de rebus animæ & corpori necessariis. 2. per oppositionem; Cum posset me tractare ceu hœdum & hostem suum, habet me tanquam ouiculam sibi vnice charam. 3. per comparationem: Quemadmodum pastor ouem sibi commissam vnice curat: ita Deus Opt. Max. mihi prouidet. 4. per conglobationem: Est pastor meus in vita & in morte, in rebus secundis & aduersis: deducit me in pascua verbi sui, sanat me morbidum, arcet à me lupum infernalem. 3. per authoritatem: Quomodo hic pastor faciat suum officium pastorale, id vero ipse explicat apud *Ezechielem cap. 34.* Vberrimus iuxta & facillimus hic est modus amplificationis. *Tertio* amplificatio propria instituitur ex topicis specialibus, de quibus in *cap. seq.* v. g. hæc sententia: *Peccata nostra sunt causa calamitatis, quam hodie experimur:* amplificatur partim ex capitibus Catecheticis, ita vt perstringantur peccata contra vtramque decalogi tabulam, & reliqua capita Catechetica: partim secundum status vitæ humanæ.

IV. Loci argumentorum ethicorum seu conciliantium, sunt partim reales, partim personales. *Modus inuentionis ethica.*

Loci reales continentur his regulis. 1. Orator ecclesiasticus instituti sui causas exponere debet: adeoque id quod facit, facere se ostendat vel admonitionis amicæ, fraternæ aut paternæ gratia, vel patriæ & ecclesiæ suæ amore, vel iniuriarum iusta vltione, vel petitione amicorum, vel officii ratione &c. 2. Concionator in cursu orationis significabit suum studium & curam circa illas virtutes, quæ gratiosos & amabiles reddunt homines, illorumque animos nobis conciliant. Huiusmodi virtutes sunt pietas, justitia, æquitas, gratitudo, studium pacis & concordiæ, integritas & innocentia, liberalitas ac beneficentia, modestia, solicitudo, & similes. 3. Concionator in laude propria, & virtutum suarum commoratione, vitare debet molestiam, & auditorum offensionem. Id verum sententia Hermogenis effici potest tribus modis: è quibus primus est κοινότης τοῦ λόγου, *communitas sermonis*, qua fit vt in plurali loquamur, atq; in alios includamus: secũdus est ἀνάγκης σχηματισμὸς, *necessitatis simulatio*: tertius est προσώπου ἀλλαγὴ, *personæ commutatio*. Tribus hisce modis addi possunt sequentes: indicatio causæ, pollicitatio modestiæ, dubitatio, veniæ deprecatio, periphrasis, studii & conatus professio, præteritio, reiectio, & gratiarum actio, qua Deo acceptum fertur beneficium. 4. Excusatio materiæ moratam reddit orationem. Vtimur autem hac excusatione, si materia sit ingrata, odiosa, inuidiosa, periculosa, mirabilis, absurda in specie, vulgaris, ab aliis vel etiam à nobis jam ante tractata, turpis & ab honestate aliena, tractata paulo prolixius, aliena à re & proposito, minus ornate ac subtiliter tractata, aliena respectu loci & temporis. In his valent adhibitæ παραιτήσεις *mitigationes*: & possunt plurimum αἰτίων ἐπιδείξεις, *causarũ indicationes*: & μεταστάσεις, *culpæ translationes*, conducunt: & commodant præteritiones, præcisiones, rejectiones: & ad rem faciunt ἀξιώσεις, deprecationes, pollicitationes, significationes metus & solicitudines. 5. Moderatio ac mitigatio in aliorum reprehensionibus adhibita plurimum facit ad moratã orationem ecclesiasticæ. Huc ad rem commodant indicationes causarũ, translationes in leges atque instituta ecclesiæ & reip. item in justam commotionem; metus ac doloris significatio, iracundiæ & vehementiæ separatio, commutatio personæ, distinctio personæ & officii, pollicitatio moderationis ac breuitatis, excusatio quadam ratione facta, delicti communicatio, votum & optatio, laudatio præmissa, & amicæ, professio amoris, studii & beneuolentiæ, permissio amica, pœnitentiæ cujusdam indicia, præteritio, præcisio, rejectio, nominum omissio; exceptio auditorum, vel omnium, vel quorundam; & denique deprecatio. 6. In liberiori commendatione aliorum adhibere oportet causæ indicationem: puta rei magnitudinem, exemplum seu excitationem aliorum, famam publicam, & similia. 7. In mitigatione

παῤῥησίας, qua reprehendimus alios, oportet adhibere causæ indicationem, translationem culpæ in alios; vtilitatum, quæ ex παῤῥησίᾳ oriuntur, expositionem; διαφημίαν καὶ χεῖρα, id est, *appellationem mollem*; exemptionem & separationem bonorum; distinctionem accusationis & admonitionis, querelæ item & accusationis; personæ commutationē; prætermissionē, præcisionem & rejectionē, votum & optationē, veniæ deprecationem, laudis mixtionē, deniq; delicti cōmutationem. *Loci personales* suppeditant argumenta à persona Dei, Christi, sanctorū, ecclesiastæ auditorum & aduersariorum, juxta has regulas. 1. Natura Dei sancta & benefica vnis coloribus est depingenda. 2. Beneficia & φιλανθρωπία Christi ob oculos est ponenda. 3. Sanctorum prophetarum & apostolorum dicta sunt commendanda & ipsorum potius verbis, quā nostris, est vtēdū. 4. Ecclesiastes suū studium & animū erga auditores cōmendabit ex reg. 1. & 2 horū realiū. 5. Ad conciliandū animos auditorum nō parū valet ipsorū cōmendatio. itaq; laudatio instituenda virtutis, sapiētiæ, justitiæ, fidei, integritatis cōstantiæ, diligētiæ, fortitudinis, & clementiæ auditorum. 6. Aduersariorum vitia sunt perstringenda, ipsiq; adeo in odium, inuidiam & contemptum sunt rapiendi, commemorata improbitate, injustitia, imprudentia, crudelitate, audacia, superbia ingratitudine, auaritia, leuitate, mendaciis, dolo, violentia, studio contendendi, & similibus vitijs. 7. Concionator se accommodabit ad auditorum mores: quos distinguet secundum temperamentum, ætatem, affectus, habitus, sexum, fortunam, regionem, nationem, & reip. formam. *Ratione temperamenti*, aliter dicet apud cholericos, aliter apud sanguineos, aliter apud melancholicos. *Ratione ætatis* distinguet juuenes, viros, & senes. *Ratione affectuum* distinguet amicos & inimicos, lætos & tristes, sperantes & desperabundos &c. *Ratione habituum* (intellectualium scil. & moralium) distinguet doctos & indoctos, probos & improbos, iustos & iniustos &c. *Ratione sexus* distinguet mares & fœminas. *Ratione fortunæ* distinguet nobiles & ignobiles, diuites & pauperes, potētes & impotentes. *Ratione regionum* noscet mores orientalium, occidentalium, septentrionalium & meridionalium. *Ratione nationum* internoscet ingenium & mores Germanorum, Gallorū &c. *Ratione formæ reip.* distinguet magistratus & subditos monarchicos ab aristocraticis, & vtrosque à democraticis. Quæ de re sunt istæ obseruationes. 1. Adolescentes sunt calidi, inconstantes, prodigi, honoris & cōtentionis amantes, creduli, cupidi amicorum & sodalium misericordes, verecūdi & faceti, magisq; in excessu quā in defectu peccāt. 2. Senes sunt timidi, suspicaces, diffidētes, illiberales, vitæ appetentes, multa loquentes, queruli, difficulter sperantes &c. 3. Virilis ætas est mediæ naturæ inter adolescētiam & senecturem. 4. Fœminarum eadem fere est natura, quæ senum.

5. Nobiles sunt honorum appetentes, & fere aliorum contemtores. 6. Diuites ferme sunt contumelioſi, ſuperbi, molles, luxui dediti, oſtentatores &c. 7. Potentes vel potenter peccant, vel potenter bene agunt. 8. Qui affluunt rebus ſecundis, ferme sunt relati, & minus conſiderati. Hæc & ſimilia conſiderabit concionator, ſi morata velit efficere concionem. Cum enim homines ita ſint affecti, vt facilius aſſentiantur iis orationibus, quæ cum ingeniis & moribus ipſorum maxime conueniant, ipſoſque minime offendant, maxime profuerit concionatori nolle diuerſas auditorum proprietates. Et quia ferme auditores ſunt mixti, prudenter miſcenda fuerint argumenta conciliantia ſiue morata. Sed jam videmus argumenta mouentia.

Modus inuentionis pathetica.

V. In pathetica inuentione oportet conſiderare leges & locos affectuum mouendorum.

Recte monent graues authores, præcipuum concionatoris munus conſiſtere in affectuum commotione, ita vt quincunque docēdi munus in eccleſia ſuſcipere cupiunt, in id vnice incumbere debeant, vt rationem mouendi affectus diſcant. Qua de re ſunt iſtæ *leges*. 1. Concionator affectum bonum mouere, malum amouere debet. 2. Nihil eſt efficacius ad concitandos pios affectus, quam ſi ipſe fueris pie affectus: neque quidquam vtilius ad ſedandos improbos affectus, quam ſi ipſe fueris ab his alienus. Scite dictum eſt, Nihil incendere niſi ignem. Item, Mens ignea facit linguam igneam. Concionator itaque ſibi primo imprimat affectum, quem in aliis velit excitare. Quo pertinet ſcitum illud Bernhardi: *Dabis voci tuæ vocem virtutis. Si quid ſuades, prius ipſe tibi perſuaſiſſe cognoſcaris. Efficacior enim operis, quam oris vox eſt.* 2. Affectus mouentur quadruplici ratione: videlicet diligenti rerum conſideratione; precatione ardenti ad Deum effuſa; magnitudine ſeu amplificatione & exaggeratione; tum denique præſentia ſeu hypotypoſi, qua imagines rerum ita firmiter animo concipiuntur, vt ipſarum pictura videatur ante oculos poſita. Hinc præcipiunt oratores, vt in affectibus mouendis ſimus ὑποφαντασιῶτοι, hoc eſt, quæ abſunt, ita animis noſtris repræſentemus, ac ſi coram ea oculis cernere videamur. 3. Alienam perſonam, non quaſi alienam, ſed tanquam noſtram oportet aſſumere: v.g. perſonam Dei exprobrantis populo ſuo ingratitudinē *Eſa.* 1. 4. Accurata animaduerſio frequentiæ & concurſus auditorū, & æſtimatio ingenii, officii ac fidei noſtræ plurimū facit ad mouendū. Quoties enim in mentem venit, quid de ingenio noſtro viri docti, dicendi alii vel judicent, vel ſint iudicaturi, quoties cogitamus, quid officii magnitudo requirat, flagitet fides: nō quæ dicēda tāquā aliena tractabimus, neq; magnopere laborabimus, quomodo hunc

hunc vel illum motum imprimere atque induere alijs possimus. 5. Figuræ Rhetoricæ, inprimis illæ, quæ dicuntur sententiæ, sunt valdissimæ machinæ, quibus arx affectuum expugnari potest. Illæ itaque adhibeantur more Demosthenis & Ciceronis, id est, quam crebrissime. 6. Ecclesiastes in potestate sua habeat affectus. 7. Acribus affectibus. Qui totum hominem concutiunt, non est diutius immorandum. 8. Quemadmodum ad vehementes affectus non oportet subito prorumpere: ita sensim ab illis est descendendum. 9. Nam expedit frequenter & immodice concitare animos auditorum: ne quemadmodum ad assidua verbera corpus seruile ter indurescit, ita mens nimium acribus, nimiumque crebris commotionibus obrigescat. *Loca præcipuorum affectuum mouendorum* sunt hæc. 1. *In dolore & pudore ob peccata admissa* excitando, argumenta sumenda sunt à magnitudine & turpitudine peccati; à magnitudine iræ Dei aduersus peccata; à personæ, quæ peccauit, conditione & qualitate; à magnitudine & multitudine pœnarum internarum, externarum & æternarum, corporalium & spiritualium. 2. *In odio Satanæ, mundi, & peccati* excitando, sumenda sunt argumenta à Satanæ & mundi malitia & tyrannide, à peccati turpitudine ac fœditate; ab enumeratione bonorum, quæ homini adimunt, & malorum, quæ eidem adferunt; ab vtilitate & necessitate istiusmodi odij; à præceptis Dei; à consilijs & exemplis sanctorum. 3. *In amore Dei, proximi & virtutum* excitando, sumenda sunt argumenta à natura & attributis Dei, inprimis vero à summa ejus benignitate erga genus humanum; à lege naturæ & diuinæ, qua obligamur ad amorem Dei & proximi; à dignitate, vtilitate & necessitate virtutum; à magnitudine præmiorum, quæ Deus promisit pijs, & pœnarum, quas comminatus est impijs; ab exemplis sanctorum. 4. *In metu diuini judicij*; excitando, sumenda sunt argumenta ab omniscientia, omnipotentia, omnipræsentia & justitia Dei; à peccatorum multitudine & magnitudine; à grauitate iræ Dei & pœnæ; à certitudine rationum, aliquando coram tribunali Christi reddendarum de singulis vitæ nostræ actionibus; à formidabili seueritate vltimi judicij; ab incerta vitæ nostræ conditione; ab ineuitabili mortis necessitate; ab exemplis eorum, qui grauiter ob peccata à Deo puniti fuerunt. 5. *In spe misericordiæ diuinæ, & salutis æternæ*, excitanda, sumenda sunt argumenta, à seria peccatorum nostrorum agnitione, confessione, deprecatione, & detestatione; à constanti proposito vitam emendandi, & secundum præcepta Dei instituendi; à fide per charitatem operante; à promissionum diuinarum magnitudine & certitudine; à merito & intercessione Christi; à virtute & efficacitate Spiritus Sancti, quem Deus arrhabonis loco dat credentibus; à summa Dei erga genus humanum benignitate & misericordia; ab effectis veræ fidei & justificationis;

à paterna & constanti Dei erga credentes dilectione, cura & protectione. 6. *In misericordia erga egenum & afflictum* excitanda, sumenda sunt argumenta à magnitudine miseriæ, qua ille affligitur; à necessitate & indigentia auxilij alieni; ab ætate, conditione, sexu, qualitate, alijsque adjunctis ejus, qui miseriam patitur; & qui auxilio alieno indiget; à lege naturali & diuina, qua jubemur misericordes esse erga alios; ab exemplo Dei & Christi, qui summam erga nos miseros homunciones misericordiam exercuerunt; ab exemplo aliorum sanctorum, qui erga egenos & afflictos misericordiam exercuerunt; à spe remunerationis diuinæ, quam Deus promisit ijs, qui erga alios sunt misericordes; à metu pœnarum, quas Deus imminet misericordibus est comminatus. 7. *Metum* incutit concionator, si denuntiet mala & pericula, vt sunt fulmina, incendia, eluuiones, hostiles impressiones; amissiones parentum, conjugum, liberorum, fortunarum; item ignominia, carcer, exilium; si ostendat, audtores posse ea pati, quæ non arbitrantur; ab ijs, à quibus non arbitrantur; & tunc, cum minime arbitrantur. Quo etiam pertinent signa & indicia malorum, virtus ac probitas contemta & injuria affecta, improbitas armata & viribus munita & similia, quæ fores & feneſtras aperiunt iræ Dei. 8. *Spem & fiduciam*, seu confidentiam, excitabit concionator, si animet auditores commemoratione opis & auxilij Dei; si demonstret innocentiam & causæ bonitatem; si adferat exempla eorum, quorum spes non fuit pudefacta. 9. *Pudorem* excitant signa & indicia vitiorum, vt securitas, lentitudo & negligentia: item ipsa vitia, vt sunt imprudentia, insciitia, injustitia, ingratitudo, impudentia, leuitas, auaritia: & denique pœnæ vitiorum, vt infamia, carcer, supplicium capitale, &c. 10. *Æmulationis ac imitationis* loca sunt exempla & præmia sanctorum, ipsorumq; laus coram Deo & hominibus. 11. *Ad gratiam*, seu studium gratificandi, Ecclesiastes impellet audirorem, si alterius indigentiam ostendat, itemque ipsius dignitatem & virtutes commemoret. 12. *Iram* sedabit & leniet concionator, si ostendat, nec dolendum esse ob contemtum, nec gaudendum ob spem & cogitationem vindictæ: si item ostendat, illos, quibus irascimur, æque esse homines atque nos, aut metuendos esse, aut esse propinquos nostros, aut reuerentia dignos, aut bene meritos; aut gratificari non lædere, voluisse; aut valde dolere ob delicta, ideoque deprecari culpam, pudore ac pœnitudine duci, timere pœnam, & velle compensare damnum & injuriam per majus beneficium aut officium: denique si adferat longanimitatem Dei, & exemplum Christi & sanctorum, qui moderati sunt iræ, vel ab illa sibi temperarunt. 13. *Invidiam* tollunt & sedant notatio finis atque vsus, indicatio causæ efficientis, commemoratio laborum, molestiarum & periculorum, illorumque comparatio cum bonis

partis,

patris, extenuatio bonorum tributorum, & denique inuidiæ detestatio. *14. Mansuetudinis & clementiæ* loca sunt, opis & auxilij nostri implorationis, spes de nobis præclare concepta, virtutis ac probitatis indicatio, confessio ingenua, veniæ deprecatio, exemplum Dei & Christi. *15. Misericordiæ* loca sunt natura Dei & Christi, damnum indigne ac præter meritum acceptum, fortunæ similis recordatio aut metus, fortunæ mutatio & instabilis conditio, retaliatio mali pro bono; desertio & solitudo propinquorum, amicorum & patronorum; magnitudo animi in ferendis aduersis; obsecratio & obtestatio; productio parentum, liberorum, propinquorum; fletus & lachrymarum expressio, motus denique præcisio. Misericordiam itaque mouebit concionator, si doceat mala perferri à personis nihil tale commeritis, & esse proximos nostros qui patiuntur; si repræsentet homines calamitosos, & illorum habitum, sermonem, gestus & actiones miserabiles. *16. Odium* justum excitabit concionator, si ostendat homines esse hostes Dei, Ecclesiæ, reipub. & virtutum omnium.

CAP. VII.

De Inuentione argumentorum specialis.

PRÆCEPTA.

Inuentio argumentorum specialis est, qua inueniuntur argumenta propria.

Hic videnda sunt sedes & classes argumentorum propriorum.

Sedes argumentorum propriorum sunt quatuor: puta Catechismus, Biblia, Topica Theologica, & Postillæ realis.

Classes argumentorum propriorum sunt tria causarum genera philosophis visitata, & quinque causarum genera Theologis propria.

REGVLÆ.

I. Ex capitibus Catecheticis sumuntur argumenta efficacia in omni concionum genere.

Quomodo sumantur argumenta ex capitibus Catecheticis.

Primo in genere didascalico sumuntur argumenta probantia, explicantia & amplificantia ex capitibus Catecheticis hoc modo. Sit e.g. confirmandum hoc thema: *Christus est verus Deus.* Rationes è Symbolo Apostolico sunt hæ: Quia in illum credimus: Quia est Filius Dei vnigenitus: Quia judicabit mundum. Ex institutione baptismi: Quia in ejus nomen baptizamur. Ex institutione S. Cœnæ: Quia instituit hoc sacramentum. Sit declarandum siue explicandum hoc thema:

Quomo-

Quomodo vetus testamentum a nouo differat? Dices ex capitibus Catecheticis, *conuenientiam* consistere in his nouem partibus: quod vtrobique vnus est Deus, vna Ecclesia, vna communio sanctorum, vna remissio peccatorum, vna resurrectio, vna vita æterna, vnus idemque Decalogus, vna inuocatio religiosa, vna obsignatio sacramentalis: *differentiam* vero positam esse in his membris, quod veteres crediderint in Christum quatenus nasci, pati & resurgere debebat, nos vero in eundem, quatenus jam est natus & passus, & resurrexit: item quod nostra sacramenta sint clariora & faciliora quam illa in V.T. *Porro si velis amplificare hanc sententiam: Ita Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret:* ex Symbolo dices, *Deus omnipotens ille creator cœli & terræ:* ex Decalogo, *Ita dilexit immundum hunc mundum, qui totus in peccatis jacet submersus, adeo vt Deum Opt. Max. oderit:* ex Symbolo rursus, *vt daret Filium suum vnigenitum, Jesum Christum, qui natus est ex Maria virgine, passus,* &c. *Deinde* in genere electico argumenta confirmantia peti possunt ex capitibus Catecheticis e.g. *Corpus Christi non est vbique:* Quia natum est ex Maria virgine, ascendit in cœlum, & inde redibit: Quia in institutione primæ Cœnæ assedit mensæ. *Tertio* in genere pædeutico sic argumentamur è capitibus Catecheticis: *Sancte nobis est viuendum.* Arg. 1 *è Symbolo:* Quia ad hoc creati, redemti & sanctificati sumus. Deinde Christus pro nobis est crucifixus. Ergo id solicite cauemus, ne denuo ipsum crucifigamus. Tertio versamur in Ecclesia. Ergo ne relabamur in cœnum peccatorum; Quarto resurgemus aliquando. Ergo vitemus peccata. Quinto credimus vitam æternam. Ergo hic piam viuamus vitam, adeoque æternam illam in hac caduca vita inchoemus. *II. E Decalogo:* Deus nos eduxit ex Ægypto infernalis Pharaonis. Ergo ne relabamur in Ægyptum istam horribilem. Deinde Deus hoc nobis præcipit in toto Decalogo. Ergo dictis ipsius simus audientes. *III. Ex oratione Dominica.* Deus est Pater noster. Ergo agamus id, quod filios magi decet. Deinde Pater ille noster est in cœlis. Ergo eo aspiremus. Et quia est in cœlis, est omnipotens, ideoque nos potest nos punire, si exorbitemus. Tertio petimus, vt sanctificetur nomen ejus, vt aduenat regnum ejus, &c. Ergo ne blasphememus sanctum ipsius nomen; ne impediamus regnum ipsius, &c. *4. E Baptismo:* Vtinam semper baptismi nostri recordaremur, in quo nos obstrinximus Deo jurejurando, & promisimus nos velle abrenuntiare Diabolo! *V. E Cœna Domini:* Accedimus ad sacram Cœnam, & hoc facimus in Domini recordationem, simul etiam testamur hoc ipso mutuam charitatem. Quid vero? Num impie viuendo recolimus memoriam Christi? Num inuidendo & calumniando fouemus ignem charitatis? Eodem modo probatur hoc thema: *Dandæ sunt eleemosynæ:* Quia fratres, habentes eundem Deum Patrem, eandem matrem Ecclesiam:

&, quia

& quia verum est illud, si non pauisti, occidisti. *Quarto* in genere epanorthotico similis est ratio argumentandi. *Quinto* in genere consolatorio sic procedes. *Pauperem* ita eriges. Deus te creauit. Ergo etiam te sustentabit; Filius Dei redemit animam tuam. Ergo & corpus tuum pascet. Es in Ecclesia, ciuitate illa Dei, vbi habes panem spiritualem. Itaque macte animi, Deus etiam dabit panem corporalem. Deus Pater tuus est in cœlis, vt fateris in quotidiana tua precatione. Itaque ille exaudiet cœlum, & cœlum exaudiet terram, & terra exaudiet frumentum, oleum & mustum, & hæc te exaudient. *In tentationibus* sic procede. 1. Deus est omnipotens. Ergo potest nobis opem ferre. 2. Deus est Pater noster. Ergo vult nobis opem ferre. 3. Christus pro nobis passus est. Ergo re metuamus passiones & cruciatus infernales. Et quia Christus pro nobis passus est, agite imagini ejus per crucem reddamur conformes. 4. Credimus in Spiritum Sanctum qui est arrhabo salutis nostræ. Ergo non possumus perire in æternum. 5. Credimus Eccl. siam, quæ est ciuitas Dei, & corpus Christi mysticum, aduersus quam ne portæ quidem inferorum sunt prævalituræ. Ergo credamus, nos esse domesticos Dei, adeoque in tuto collocatos. 6. Credimus communionem sanctorum, quibus omnia læta & tristia sunt communia. Ergo nobis afflictis sciamus pios συμπάσχειν, & pro nobis Deum orare: quæ sanctorum intercessio cum habeat liberalissimam Dei promissionem, non potest non magno nobis esse solatio. 7. Credimus remissionem peccatorum. Ergo beatos nos prædicemus. Beatus enim est cui remissa sunt peccata. *Psal. 32.* 8. Credimus resurrectionem carnis. Ergo facessant tristes cogitationes de morte carnem nostram corrumpente. 9. Credimus vitam æternam. Ergo transit gemitus cum fine, & venit lætitia sine fine. Itaque dolores nostri non erunt perpetui, sed læta sequetur catastrophe & permutatio.

Modus argumentandi ex Bibliis.

II. E Sacra Scriptura adferuntur triplicis generis argumenta: videlicet, Dicta, Exempla & similitudines, juxta has regulas.

1. *Dicta Scripturæ* non sunt accumulanda. Nam congeries dictorum præterquam quod habet ostentationem quandam, auditoris insuper memoriam turbat. Satis ig. fuerit propositionem declarasse vel confirmasse quatuor vel quinque dictis insignioribus. 2. Testimonia Scripturæ citanda sunt apposite, hoc est, ad nostrum institutum. 3. Si auditores dictum citatum videantur non intelligere, addenda est explicatio. 4. Formalia, vt vocant, scripturæ verba sunt citanda; præsertim cum emphasis quædam est in verbis singulis, vel vniuersis. Alias vbi sensus & res ipsa potius spectatur, quam verba, non est anxie de verbis laborandum. Sic historiæ

Sacræ non citantur ad verbum, sed libero sermonis flexu à concionatore recensentur, retentis ijs tantum formalibus, quibus singularis inest emphasis. Ita si cites *caput 37. Ezechielis*, de resurrectione mortuorum, non est, quod de puncto ad punctum singulos versus recites: satis est summam si indices, retentis insignioribus sententijs, vt *v. 5. 6.* 5. Citationi dicti, præsertim insignioris, continue subijciatur ejus encomium, emphaseos explicatio, & ad præsens institutum accommodatio. 6. Patrum dicta non sunt alleganda, nisi auditorum profectus, vel defectus id exigat: hoc est, quando auditores sunt eruditi, vel recens è Papismo conuersi. Tunc enim harmonia confessionis Patrum & nostræ ostendi potest, adeoque consensus orthodoxus vrgeri. Atque ita testimonia patrum faciunt ad collationem & illustrationem, non vero ad probationem alicujus dogmatis. 7. Ethnicorum testimonia non sunt citanda ad probandum, sed ad excutiendum stuporem populi. Id autem fit hoc modo. Quod si gentiles ita senserunt & vixerunt, annon turpe existimabimus, nos Christianos ea ignorare, quos certe meliora & scire & facere decebat? Et hoc quidem citandi genere ipse Saluator vsus legitur *Matth. 6. v. 21.* Deinde ostensa ethnicorum in diuinis cæcitate ac ignorantia, scripturarum excellentia populo est commendanda, nostraque præ illis felicitas prædicanda cum gratiarum actione ad Deum directa. 8. *Exempla* è Scripturis adferet concionator selecta, & accommoda, quæ vel omnibus, vel saltem plerisque suis circumstantijs propositum confirment. In his exemplis commoretur nonnihil concionator, & hypotyposi, vel prosopopeja vsus personas ipsas interdum introducat loquentes. e.g. *Si nunc viueret Abraham, quid dicturus esset ad te? Certe reprehensurus tuam securitatem, ego coram Deo ita vixi, diceret. Similiter Dauid in hac verba erumperet: Recede à malo & fac bonum.* Vel sic: *Adesdum Dauid, & tuo exemplo nos doce. Quid tu feciſti in rebus aduersis?* Ad summam: In omnibus concionibus tribuet concionator personis, vel rebus sermonem, quasi jam coram concionentur, doceant, objurgent, consolentur: vt Abrahamo, Dauidi, Christo; surdis item & mutis, quod sanati à Christo hortentur nos vel ad considerationem miraculi, quomodo inde fides sit confirmanda, vel ad imitationem sui exempli, in agnoscendo peccato & in eo deprecando. Huc etiam pertinet reuocatio thesios ad hypothesin. 9. Quoties concionator dictum vel exemplum aliquod è Scripturis citat, subijciet applicationem, hoc modo: *Ecce, ista dixit vel fecit Deus. Non tantum huic, sed etiam nobis dicit, tibi scilicet, mihi, & alijs. Te vult ita pungere. Tu es ille Dauid, Manasse, Petrus.* Item: *Non ego vos moneo, sed Deus, sed Paulus Deus vos his verbis consolatur. Audite Deum loquentem.* 10. Vt dicta, sic etiam exempla non erunt adeo mala: & vtrorumque allegationem claudet

claudet concionator hoc epiphonemate: *Plura quidem possum adferre dicta. Sed hæc pauca sunto hac vice lectio vestra diurna.* Item: *Plura quidem possem, non tantum vetera, sed etiam recentia, & quidem domestica exempla commemorare: Sed quia plus satis nota sunt, illa omitto, & vobis pensitanda relinquo.* 11. Quia efficacissimum est docendi genus per exempla (mollissime enim suadetur exemplis) nulla concio habebitur, quæ hoc argumentandi artificium omittat. 12. Exemplis sacris raro & parce profana subjungi possunt: tum videlicet quando sunt illustria, & continent aculeum reprehensionis aut momentum consolationis vel institutionis. 13. *Similitudines Biblicæ* primas tenent inter argumenta parabolica. His subjungi debent similitudines è vulgo & circulis petitæ, sed aptæ & selectæ. Nam hæ mirificam habent populariter docendi, imo etiam delectandi & mouendi vim.

III. Topica Theologica sunt loca inuentionis accommodata materijs Theologicis, & ita habent. *Modus argumentandi è Topicis Theologicis.*

Primum Topicum Theologicum est, quod continet argumentum ab vsurpatione vocis cujuspiam in sacris literis, siue à stylo ac phrasi Sacræ Scripturæ. *Secundum* continet argumentum à certa orationis siue locutionis formula. *Tertium* à significatione verborum ad sententiam seu mentem loquentis. *Quartum* à verbis antecedentibus & consequentibus. *Quintum* à generalitate, seu à sententia generali in Theologica. *Sextum* ab attributis Dei. *Septimum* à signo ad rem significatam, seu ab externo ad internum. *Octauum* ab vno tempore ad aliud: vt à tempore legis ad tempus Euangelij. *Nonum* ab vno tempore ad omne tempus, vel ab omni tempore ad vnum aliquod tempus. *Decimum* à capite ad membra, vel vicissim à membris ad caput. *Vndecimum* à corporalibus ad spiritualia, vel à spirituali ad corporale. *Duodecimum* à communicatione Dei ad effectum. *Decimumtertium* à promissione Dei ad effectum. *Decimumquartum* à necessaria impletione vaticinij. *Decimumquintum* à necessaria veritate definitionis diuinæ & propheticæ. *Decimum sextum* à persona vnius pij ad personas omnium piorum. *Decimum septimum* à persona vnius impij ad personas omnium impiorum. *Decimum octauum* à typo ad veritatem. *Decimumnonum* ab allegoria ad geminam significationem. *Vigesimum* ab æquipollentibus. *Vigesimum primum* à concessione antecedentis ad concessionem consequentis, vel vicissim à concessione consequentis ad concessionem antecedentis. *Vigesimumsecundum* à combinatione seu conjunctione duorum vel plurium dictorũ. *Vigesimumtertium* à destructione antecedentis ad destructionẽ consequẽtis, vel vicissim à destructione consequentis ad destructionẽ antecedẽtis.

Vigesimum quartum a diuersitate temporum. *Vigesimum quintum* ab expresso ad tacitum seu ab explicito ad implicitum. *Vigesimum sextum* à thesi ad hypothesin, vel vicissim ab hypothesi ad thesin. *Vigesimum septimum* à persona ad locum, vel ad rem, vel ad tempus. *Vigesimum octauum* à primo ad vltimum. *Vigesimum nonum* à re ad locum vel ad tempus. *Trigesimum* à speciali. *Trigesimum primum* à subjecta materia. *Trigesimum secundum* à separatis. *Trigesimum tertium* à ratione legis larga, ampla, seu generali ad extensionem ipsius legis. *Trigesimum quartum* à ratione legis stricta seu limitata ad restrictionem ipsius legis. *Trigesimum quintum* à tempore ad locum, vel ad personas, vel ad tempus. Exhis & similibus Topicis depromi possunt omnis generis argumenta Theologica. e.g. Abraham justificatus est fide. Ergo & nos ita justificamur. Est argumentum à persona vnius pij ad personas omnium piorum, seu ab hypothesi ad thesin.

Modus argumentandi è Postilla reali.

IV. Postilla realis suppeditat argumenta valde moUentia.

Est autem hujusmodi Postilla duplex. *Prima* est volumen beneficiorum & judiciorum Dei, quæ nostra ætate obseruata sunt. *Secunda* est vita auditorum. Vtraque Postilla diligenter est inspicienda: quia dici non potest, quantos aculeos in animis auditorum relinquat concio, quam illi manibus veluti palpare possunt.

Modus argumentandi, ex tribus causarum generibus philosophis.

V. Loca argumentorum secundum tria causarum genera philosophis vsitata, sic habent.

Loca generis demonstratiui respiciunt didascaliam, laudem, vel vituperium. In didascalica contenti sumus methodo didascalica seu erotematica, vt vocant, verbi gratia. Quid sit res, quæ sint ejus partes, causæ, effecta, &c. In laude & vituperio seruatur vel methodus historica, vt si quis laudaturus Abrahamum percurrat ordine ipsius vitam: vel methodus arbitraria vt si quis laudat Abrahami bona animi, corporis & fortunæ. *Loca generis deliberatiui* sunt septem: puta honestum & turpe, vtile & inutile, necessarium & non necessarium, jucundum & molestum, possibile & impossibile futurum & non futurum, magnum & paruum. Singula ista loca suas habent maximas, siue regulas, hoc ordine. *1. Regula honesti & turpis.* 1. Honestum aliquid esse probamus tribus: vel quia sit virtus, vel quia virtutis causa vel quia virtutis effectum. 2. Quidquid Deus, recta ratio & viri boni præcipiunt, illud est honestum: contra, quidquid vetant, est turpe. 3. Quidquid corrumpit vitia, id est honestum.

4 Quid-

4. Quidquid corrumpit virtutem, & generat vitium, est turpe. 5. Ut effectum & signum virtutis est honestum, ita effectum & signum vitii est turpe. 6. Quidquid parit laudem, est honestum: cõtra, quidquid parit vituperium, est inhonestum. 7. Quidquid homini incutit pudorem illicitum, est inhonestum. Summa: Quidquid consentit cum mandato Dei, cum religione, cum lege naturæ, cum jure gentium, cum lege positiua, & denique cum consuetudine rationabili, id est honestum. Atque hic est locus honesti & inhonesti, sub quo continetur *locus à pio & impio*, item *à iusto & iniusto*. *II. Regulæ pertinentes ad locum vtilis & inutilis.* 1. Omne moderatum est vtile: contra, Omne moderatum est inutile. 2. Quidquid parit felicitatem, est vtile: contra, Quidquid parit miseriam, est inutile. 3. Quidquid minuit vel expellit miseriam, eiusque causas, illud est vtile: contra, Quidquid minuit, corrumpit aut impedit felicitatem, illud est inutile. 4. Cuius contrarium est noxium, illud est vtile: contra, Cuius contrarium est vtile, illud est noxium. 5. Quod inimici nostri nobis inuident, id bonum est: contra, Quod inimici nobis optant, id est noxium. 6. Maioris boni electio est vtilis: contra, Maioris boni repudiatio est inutilis. 7. Minoris mali electio est vtilis: contra, Minoris mali præmaiori auersatio est inutilis. *III. Regulæ necessarii & non necessarii.* 1. Sine quo bonum aliquod esse & acquiri non potest illud est necessarium: contra, sine quo bonum aliquod esse & acquiri potest, illud non est necessarium. 2. Sine quo malũ aliquod amoueri non potest vel euitari, illud est necessarium contra, sine quo malum aliquod amoueri vel euitari potest, illud non est necessarium. 3. Cui nulla vi resisti potest, quodque nec mutari, nec leniri potest, illud est necessarium. *IV. Regulæ pertinentes ad locum iucundi & iniucundi.* 1. Quidquid parit vtilem varietatem, illud est jucundum. 2. Quod parit veram gloriam, honorem, & amorem, id est jucundum. 3. Quod appetimus vel speramus rationabiliter, id est iucundum. 4. Quod appetitum nostrum vere satiat & explet, illud est jucundum. 5. Quod liberat animum à laboribus & curis, illud est jucundum. 6. Quod sponte fit, id est jucundum. 7. Quidquid parit vel auget voluptatem liberalem & honestam, illud est jucundum: contra, Quidquid parit vel auget molestiam, illud est injucundum. 8. Quidquid minuit vel corrumpit molestiam, illud est jucundum: contra, Quidquid minuit vel corrumpit honestam voluptatem, id est molestum & injucundum. 9. Quidquid est secundum naturam, illud est jucundum. 10. Quidquid fit ex habitu vel consuetudine, jucundum est. *V. Regulæ pertinentes ad locum possibilis & impossibilis.* 1. Si difficile potest fieri, etiam id quod est facile. 2. Si vnum contrarium potest fieri, etiam alterum. 3. Si vnum relatum potest fieri, etiam alterum. 4. Si vnum simile potest fieri, etiam alterum. 5. Si posterius potest fieri, etiam prius. 6. Cuius

principium potest fieri, eius etiam finis: & vicissim, Cuius finis potest fieri, ejus etiã principiũ. 7. Quod viri prudẽtes suadẽt vel dissuadent, id fieri potest. 8. Si partes fieri possunt, etiã totum: & vice versa; si totũ fieri potest, etiã partes. 9. Si species fieri potest, etiam genus & retro, si genus fieri potest, etiam species. 10. Si aliquid sine arte fieri potest, etiam per artem. 11. Si aliquid fieri potest à deterioribus, imprudentioribus & inferioribus, multo magis fieri potest à præstantioribus, prudẽtioribus, & superioribus. 12. Cuius efficiendi principium est in nobis, vel per naturam, vel per artem, vel per gratiam, id fieri potest. 13. Cuius naturali amore & cupiditate trahimur, illud fieri potest. Atque hic est locus à possibili & impossibili, sub quo comprehenditur *locus à facili & difficili*, cuius hæc est Maxima: Quidquid sine vllo, aut magno, vel labore, vel periculo, vel sumtu, vel molestia, & quidem breui tempore, fieri potest, id est facile: contra, Quidquid cum magno labore, periculo, sumtu & molestia, & quidem longo tempore, fieri potest, illud est difficile. *VI. Regulæ pertinentes ad locum à futuro vel non futuro.* 1. Quod positum est in alicujus voluntate & facultate, illud futurum est. 2. Si id factum est, quod est rei causa necessaria, etiam res futura est. 3. Si ea facta sunt, quæ necessario rem antecedunt, etiam ipsa res futura est. 4. Quod cupiditas, ira & commodi ratio suadet, si facultas adsit, illud futurum est. *VII. Regulæ pertinentes ad locum à magno & paruo.* Hic oportet probare, aliquid esse honestius vel turpius, vtilius vel inutilius, &c. idque hoc modo. 1. Plura bona paucioribus præferuntur, & pauciora mala pluribus. 2. Innata assumtis, integra, contaminatis, propria alienis, rara vulgaribus, perfecta inchoatis, artificialia fortuitis, ea quæ sunt per se iis quæ sunt per accidens, causæ effectis, subjecta adjunctis &c. sunt præstantiora. *Loca generis iudicialis* digeruntur iuxta quadruplicem illius statum: vnde hoc locorum genus dicitur τετράκις. *Status coniecturalis* loca sunt numero tria: volũtas, facultas & signa. Huc pertinet *locus à facto & non facto*, cuius hæ sunt Maximæ: 1. Si id factum est, quod est difficilius, etiam id factum est, quod est facilius. 2. Si factũ est posterius, etiam prius. 3. Si habuit voluntatem & facultatem faciendi non impeditã, & simul arsit ira aut cupiditate, sine dubio etiam fecit. 4. Si factũ est necessarium antecedens, etiam ipsa res est facta. *Status definitiui* locus vnicus est: videl definitio, quę sumitur à causis, effectis, subjectis vel adjunctis: & confirmatur argumentis sumtis à contrario, simili, consuetudine, lege, æquitate, exẽplis, vel loco aliquo cõmuni. *Status qualitatis* loca sunt quatuor. 1. Translatio, qua remouetur judex vel judicium. 2. Cõparatio, qua ostenditur è duob. alterũ fuisse agendum. 3. Remotio, cum culpa reiicitur in aliam personam. 4. Concessio, quæ continet purgationẽ vel deprecationẽ. *Status quãtitatis* has habet Maximas. Illud facinus est ma-

jus,

ius? cui par pœna statui nō potest, sed quæcunq; statuatur, minor est. 2. cui remedium nullum adhiberi potest. 3. cuius pœnas non potest persequi is, qui passus est. 4. quod quis solus, vel inprimis fecit. 5. quod in eadem re sæpe commissum est. 6. quod destinata malitia factum est. 7. quod magis est ferinum, seu belluinum. 8. quod audientes cohorrescunt. 9. in quo multa jura simul violata sunt. 10. quod maxime pudorem incutit ei, qui fecit. 11. quod factum est contra ius naturæ, diuinum, gentium & scriptum. Porro statum circumstant septem rerum attributa, videl. factum, author seu persona, locus, tempus, agendi modus, instrumenta, & reliquæ facultates. Quæ circumstantiæ suppeditant genus locorum, quod vocatur τόπους ἐντεχνους ἐντεχνους.

VI. Modus argumentandi ex quinq; concionum generibus, ita se habet. *Modus argumentandi ex quinq; generibus concionum.*

Modus argumentandi in concione didactica, siue didascalica, hic esto. 1. Ea potissimum doceantur, quæ sunt vtilia, necessaria & facilia. 2. Ea dogmata prætermittantur, quæ ad pietatem parum conducunt, & quorum disquisitio cognitioq; curiosos potius reddit auditores, quam pios. 3. In docēdo eiusmodi methodus adhibeatur, quam dogmatis explicandi natura admittit, quæq; tempori, loco, & auditorum captui est accommodata. Nam interdum adhibetur definitio & diuisio, interdum recitantur causæ & effecta, interdum etiam plura inuentionis loca coniunguntur, pro arbitrio dicentis. 4. Argumenta explicantia & probantia primario ex scripturis petantur, secundario ex aliis inuētionis siue logicæ, siue oratoriæ, locis. 5. Omnia argumenta sint vera, certa & apta. 6. Inter docendū nihil admisceatur, q̄ ob difficultatem aut obscuritatē pertrahi possit ab improbis, vel ad falsæ sententiæ confirmationē, vel ad peccati alicuius patrocinium. 7. In confessis & notis confirmandis nō est multū operæ ponendū. *Modus argumentandi in concione elenctica* has habet regulas. 1. Errores aut hæreses antiquatæ & incognitę nō sunt in theatrū ecclesiæ producēdę: sed illorū dogmatū refutationi præcipue incumbendū est, quæ nostro tēpore inprimis discerpuntur. 2. Ad dogmatis falsi refutationē nō accedatur, nisi textus manifestā occasionē præbeat, aut euidens quędā necessitas ecclesiæ postulet. 3. Refutatio præcedere debet confirmationē, quando animi auditorū errore sunt præoccupati. 4. In refutatione adhibeatur moderatio, & abstineatur à personalib. 5. Nō impingantur aduersariis errores, quos ipsi expresse nō docent & defendunt, etiamsi forte ex iis, quæ docēt, per bonam consequētiā possint elici. 6. Argumēta ne aduersariis affingantur, nec mutilentur, sed bona fide citentur. 7. Instantijs & obiectionibus aduersariorum bona fide occurratur. *Modus argumentandi in concione institutiua* (quæ alias dicitur suasoria, adhortatoria, & admonitoria) continetur his regulis. 1. Populo suadeantur nonnisi vtilia,

necessaria,& possibilia. 2. Argumenta suasoria sumantur potissimum ex his locis:à mandato Dei præcipiente,à fine Christianæ vocationis & professionis,à dignitate,necessitate,facilitate,& vtilitate rei suadendæ,à promissione Dei,à comminatione Dei,ab exemplis aliorum,& id genus aliis. 3.In suadendo,exhortando & admonendo adhibeatur dicendi libertas cum candida simplicitate & grauitate conjuncta.4. Institutio ad præsentem ecclesiæ statum sit accommodata. *Modus argumentandi in concione correctiua* (quæ aliis dici ur reprehensoria, dissuasoria, & dehortatoria) continetur his regulis. 1.Populo dissuadeantur omnis generis vitia, maxime vero ea,quæ inualuerunt,& à quibus grauiora timentur mala. 2.Ne taxentur aut commemorentur vitia nostro populo inaud ta. 3. Ecclesiastes in taxand s vitiis prouideat,ne culpa redarguat censorem. 4. Non sunt vitia reprehendenda ex incerta relatione,aut ex suspicione. 5. Habena non est laxanda priuatis affectibus. 6. Nec metu vllius periculi, offensionis & odii,nec spe vllius commodi n reprehendendis hominum peccatis oportet segniorem fieri. 7. Argumenta dissuasoria & correctoria inprimis sumantur ex his locis:à mandato Dei prohibente, à comminatione D i,à turp tudine peccatorum,à multitudine & magnitudine malorũ, quæ inde oriuntur,qualia sunt,obscuratio gloriæ Dei,contristatio & amissio Spiritus Sancti, ecclesiæ offensio,conscientiæ vulneratio, pœnæ temporales & æte næ &c.denique ab exemplis aliorum. 8. Peccata taxentur libere ac seuere sine prosopolepsia. 9. Reprehensio sit modo acerbior, modo lenior,partim pro pecc torum gene e partim pro hominum, qui iis obnoxii sunt,conditione & frequentia. 10. Peccata non extenuentur, sed pro i sorum quantitate exaggerentur. 11. Reprehensionis seueritas spiritu mansuetudinis & charitat s temperetur. 12. Peccata tunc maxime taxentur quando textus ipse,aut ecclesiæ pra sens status id requirit: & quidem tamd u donec ali qua emendatio appar at. 13. In omni reprehensione doceatur,quibus rationibus ab vno quoque peccata vitari queant. 14. Asperiori & vehementiori objurgationi aliquid consolationis admisceatur, setitæ às e veniæ pœnitentibus à Deo promissæ. 15. Omnis reprehensio ad ædificationem ecclesiæ auditorumque emendationem, non vero ad destructionem & tumultum dirigatur. Modus argumentandi in concione *consolatoria* his continetur regulis. 1. Consolatio dirigatur vel ad peccatores pœnitentes, vel ad homines calamitatibus publicis aut priuatis subiectos. 2. Qui alios consolari vult,ita se in omnibus componat, vt sensu miseriæ alterius tangi existimetur. 3. In consolando præsens ecclesę status, singulorumque auditorum conditio diligenter cõsideretur. 4. Cõsolatio adhibeatur tempestiue & opportune, eo nimirum tempore, cum auditorum necessitas hoc requirit. 5. Argumenta consolatoria sumantur

à pro-

à prouidentia, misericordia & promissione Dei; à merito & intercessione Christi; à præsente auxilio Spiritus Sancti; ab angelorum præsidio; à fracta potentia Satanæ; ab honesto, turpi, vtili, noxio, necessario, facili; à præteritorum beneficiorum Dei recordatione; à spe beatæ resurrectionis, à bonitate causæ; à conscientiæ rectitudine; à causis efficientibus & finalibus, itemque ab effectis afflictionum (cujusmodi sunt Deus nos paterne castigans, peccatum, mortificatio veteris hominis, contemtus rerum humanarum, exercitium ac probatio fidei, inuocationis & patientiæ, ædificatio proximi, glorificatio nominis diuini &c.) à breuitate afflictionum; à præstantia & certitudine præmiorum; à rerum humanarum inconstantia & vicissitudine; à sorte piorum in hoc mundo; à communione & glorificatione nostri cum Christo; à communione sanctorum; ab exemplis aliorum sanctorum; ab infelici impiorum statu post hanc vitam. 6. Argumenta consolatoria ex sacra scriptura petita præferantur philosophicis. 7. In causis afflictionum assignādis videtur temeritas & audacia. 8. In promittēda liberatione Dei ne definiatur modus aut tempus certum. 9. Auditoribus, quos cōsolamur, oportet precari Spiritum S. tanquam verum paracletum per quē omnis dolor mitigari, mœror dispelli, vera fortitudo excitari, spes denique viua & firma, in animis afflictorū erigi solet ac potest. 10. In concedendo justo dolore seu luctu ita versetur ecclesiastes, ne det occasionem ad illius incrementum.

CAP. VIII.

De praxi inuentionis ecclesiasticæ.

PRÆCEPTVM.

Praxis inuentionis ecclesiasticæ consistit in precatione, proprii ingenii meditatione, commentariorum lectione & imitatione, & denique in priuatarum notarum consignatione.

REGVLÆ.

I. Precatio ardens sit prima, media, & vltima virtus concionis. *Precatio necessaria ecclesiastæ.*

Objectum formationis concionum est vnum Dei verbum adiunctum ejus generale est precatio, qua concionator, orator ille Dei ad homines, sibi conscius suæ tenuitatis in arduo hoc munere implorat gratiam Spiritus Sancti, vt ille det salutaria meditari & effari. Hæc adeo est necessaria, cum in omni sancto instituto, tum inprimis in hoc sanctissimo negotio, vt plus conferat concionatori, quam vlla vel meditatio, vel lectio, vel exercitatio.

ercitatio. Impetrat enim à Deo clauem intelligentiæ & fortitudinem Spir. duas illas concionatoris alas. Precatio itaque esto principium, medium & finis in elaboratione concionis sacræ. Hac de re *Chrysostomus homil. de patientia, & consummatione huius seculi* sic docet: *Cum ad sedendum, vel ad legendum, vel etiam audiendum alium te apparas, ora primum Deum, dicens: Domine Iesu Christe, aperi oculos meos, & aures cordis mei, vt audiant eloquia tua, & intelligant, & faciant voluntatem tuam. Domine, quia incola ego sum in terra, ne occultaueris à me mandata tua: sed reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. In te enim speraui, Deus meus, vt tu cor meum illustres.*

Proprii ingenii meditatio.

II. Proprii ingenii vel industriæ meditatio est, qua textum aliquoties percurrimus, idq; iuxta theoriam inuentionis supra expositam.

Ideam concionis vel animo conceptam gerimus, vel in charta cõsignamus: & vtrumq; præstamus partim propriis ingenii viribus, partim adiumento commentariorum. Proprii autem ingenii meditatio hunc in modum perficitur. *Principio* textus aliquoties est percurrendus: ter videlicet aut quater in lingua vernacula, quinquies vel sæpius in lingua originali, tum semel atq; iterum in lingua latina, Gallica, vel Italica. Dici non potest, quantopere inspectio textus authentici & collatio versionem promoueat εὑρεσίαν inuentionis. *Deinde* oportet totam inuentionis theoriam iuxta duo præcedentia capita percurrere, & dispicere quomodo argumenta docentia, delectantia & flectentia possint adferri beneficio locorum generalium *cap. 6.* & specialium *cap. 7.*

Commentariorum lectio & imitatio.

III. Commentariorum lectio & imitatio magnas habet vtilitates, si recte instituatur.

Nam primo ex commentariis adhibetur lima atq; censura priuatæ meditationi: Deinde commentaria præbẽt nobis ansam cogitandi de multis vtilibus & necessariis rebus, ad præsentis textus explicationem pertinentibus, quæ alias ne per somnium quidem nobis occurrissent. Quid? Sunt multi, qui nihil excogitare possunt, nisi habeant aliquem ducem. De quibus *Augustinus lib. 4. de doctrina Christiana* sic scribit: *Sunt sane quidam, qui bene pronuntiare possunt: quid autem pronuntient excogitare non possunt. Quod si ab aliis sumant, eloquenter sapienterq; conscriptum, memoriaq; commendent, atq; ad populum proferant, si eam personam gerunt, non improbe faciunt.* Cæterum non multi, sed pauci, iiq; optimi commentarii, euoluendi sunt. Præterquam enim, quod multi laboris atq; temporis hoc est, vaga illa lectio animum magis defatigat & perturbat, quam iuuat & recreat.

creat. Inprimis vero Postillæ istæ cane peius & angue sunt vitandæ, quæ vel prolixitate sua fatigant vel facilitate seducunt: dum nempe vel à textu abeunt, & digrediuntur in nescio quem maledicentiæ campum, vel orthodoxam fidem impugnant, vel perpetuis tenebris lectorem implicant. Quas ego. Sed satius est tacere, quam Camarinam mouere. Porro hæc meditationis pars, quæ in commentariorum lectione vertitur, huc inprimis collimare debet, vt imitemur classicos scriptores, idque cum iudicio, decoro & mensura donorum, quibus à Deo sumus ornati, ne similes fiamus simiæ, quæ hominem ridiculis suis gestibus æmulari conatur. Sane si neophytus minister, parrhesiam aut vehementiam doctoris heroica doctrina & virtute præditi conetur exprimere, næ ille κακο-ζηλίας crimen incurret.

IV. Priuatæ meditationes ita in chartam consignandæ sunt, vt sciagraphia totius operis appareat.

Priuatarum meditationū consignatio.

Demosthenes improbum nebulonem, & patriæ pernicioſum ciuem, eum sibi videri pronuntiauit, qui de re antea diu multumq; non cogitata, ad dicendum accedere ausus esset. Quantæ igitur audacię & leuitatis, imo improbitatis esse existimabimus, in conspectum ecclesiæ, sanctorum angelorum, & diuinæ maiestatis prodire non satis præparatum & præmeditatum? Ex quo intelligitur, quid judicandum sit de concionibus extēporaneis illorum, qui vel ex ignauia, vel præpostera eruditionis & facundiæ fiducia, vel nimia rerum terrenarum cura, laborant hoc morbo, vt nihil meditationum suarum in chartam coniiciant. Alias si exercitatio concionatori obiiciatur aliqua necessitas extempore concionandi, ille in hanc reprehensionem non incurrit. Verum extra hunc casum necessitatis quilibet ecclesiastes, quantumuis exercitatus, priuatas suas meditationes in charta consignare debet. Hæc enim consignatio infinitas parit vtilitates. Et primo quidem huiusmodi scriptio est virgula censoria, qua meditationes nostræ ad incudem denuo reuocantur & expoliuntur. Deinde scriptio ista iuuat memoriam, conciliat παῤῥησίαν omnis trepidationis expertem, & denique parit syluam & thesaurum concionum variarum, quas semper habemus in promtu, si vel eadem materia per occasionem denuo sit tractanda, vel aliorum negotiorum turba iustum tempus nouæ meditationi deneget, vel senectus vires & vigorem ad meditandum necessaria, non amplius suppeditet. Conscribere tamen conciones plenas, & ad verbum edisserere neutiquam expedit. Magni enim id est laboris & temporis. Quanquam tyronibus hic est indulgendum, adeo quidem, vt illis non tantum liceat con-

ciones plenas scribere, sed etiam ad tempus ex charta recitare. Dico ad tempus: quia mature ab hac consuetudine traducendi sunt, ne forte nimium sibi permittant, aut in ignauiam quandam degenerent.

CAP. IX.

De affectionibus dispositionis ecclesiastica.

PRÆCEPTA.

Hactenus de inuentione ecclesiastica: sequitur dispositio ecclesiastica, quæ est apta rerum ab ecclesiasta inuentarum in ordinem digestio. Alias dicitur œconomia concionis.

Eius occurrunt affectiones, species & partes.

Affectiones eius sunt numero tres: Popularitas, Perfectio & Rotunditas.

Popularitas est, qua dispositio ecclesiastica amplectitur methodum prudentiæ.

Perfectio est, qua adæquat textum, & cum illo reciprocatur.

Rotunditas est, qua fit vt dispositio ecclesiastica non habeat multas subdiuisiones.

REGVLÆ.

Methodus prudentiæ debet dominari in dispositione ecclesiastica.

I. Methodus prudentiæ, siue popularis, debet dominari in dispositione ecclesiastica.

Quemadmodũ ordo dicitur anima mundi: sic methodus vocatur anima & forma concionis. Hæc enim est, quæ concionẽ reddit ordinatam, concinnam & perspicuam. Hæc memoriam concionatoris, & docilitatẽ auditoris adjuuat. Hæc denique in concione est id, quod sunt nerui & ligamenta in corpore. Cum vero methodus sit duplex, vna exquisita, quã nominant sapientiæ, altera popularis quã appellant prudentiæ: quæritur, vtra methodus in dispositione concionis sit adhibenda? Recte autẽ ex communi doctorũ suffragio, respondetur, methodum prudentiæ conuenire ecclesiastico docendi generi, quẽadmodum methodus sapientiæ ad scholasticum docẽdi genus pertinet. Duo autẽ sunt adminicula methodi prudẽtiæ, ars logica, & natiua ingenii vis & felicitas, qua fit, vt præcepta logica pro exigentia circumstantiarum adhibeantur. Hinc ista methodus etiam appellatur arbitraria, quia pro arbitrio artificis adhibetur, prout ille videt circumstantias efflagitare, vt hoc vel illo modo res disponatur. Atque hæc est illa methodus, de qua vsurpari potest illud Ethicorum: *Forma viros neglecta docet:* item istud epistoliographorum: *In epistolis scribendis requiritur diligens negligentia.*

II. Dispo-

II. Dispositio Ecclesiastica debet exhaurire totum textum.

Dispositio Ecclesiastica debet esse adaequata.

Sicut enim forma reciprocari debet cum formato: ita & dispositio cum re disposita. Quæ reciprocatio facit, vt dispositio nihil addat textui, nihil etiam omittat. Vnde intelligere est, quam necessaria sit hæc proprietas & virtus dispositionis. Nimirum vt in constituendis artibus requiritur, vt præcepta sint reciproca: ita in qualibet legitima dispositione hoc est caput rei, vt illa adæquet atque exhauriat res dispositas.

III. Dispositio Ecclesiastica debet esse rotunda, id est, breuis & plana.

Quæ dispositio dicatur rotunda.

Vitabit ergo infinitas subdiuisiones, ac proinde illas dichotomias, quæ pariunt plures & minutiores partes. Vnde recte monent Logici & oratores, in singulari arte ponendum esse, si partes minutiores sub vnum commune genus reuocentur, & amplificationi reseruentur. Constat enim ex superioribus, conglobationem seu enumerationem partium putari in quinque decantatis Logicorum instrumentis, quæ inprimis faciunt ad amplificationem.

CAP. X.

De speciebus dispositionis Ecclesiasticæ.

PRÆCEPTA.

Species dispositionis Ecclesiasticæ sunt tres.

Primo dispositio Ecclesiastica est manifesta vel cryptica. Illa etiam ordinaria, haec extraordinaria dicitur.

Dispositio manifesta est, quæ secundum receptam & vsitatam artis normam instituitur.

Dispositio cryptica est, quæ pro judicio & prudentia Ecclesiastæ ab vsitata artis norma recedit.

Secunda dispositio est textualis, vel dogmatica.

Dispositio textualis est, quando propositionis loco ponitur ipsa textus diuisio.

Dispositio dogmatica est, quando propositionis loco ponitur locus communis, vnus vel multiplex.

Tertio dispositio Ecclesiastica est simplex, vel mixta.

Dispositio simplex est, quando vnius generis thema tractatur: puta thema didascalicum, vel elencticum, &c.

Dispositio mixta est, quando diuersa concionum genera miscentur: puta thema didascalicum & pædeuticum, &c.

REGVLÆ.

Cryptica dispositio est vtilis.

Crypsis dispositionis tollit fastidium auditoris.

Quemadmodum citharœdus, si semper eadem oberret chorda, deridetur: ita si concionator semper adhibeat manifestam dispositionem, cum nausea auditur. Oportet itaque, vt hac in re variet, atque hac artificiali varietate fastidium tollat. Quare non semper exordium primo, propositionem secundo, tractationem propositionis quarto. Perorationem vltimo loco collocabit: sed interdum plane omittet exordium, & statim à propositione faciet initium concionis: interdum propositionem præmittet exordio: interdum confutationem ponet ante confirmationem: interdum epilogum omittet.

Prærogatiua dispositionis dogmatica.

II. Dispositio dogmatica plus artis & vtilitatis habet quam textualis.

Ratio prioris est; quia in textuali dispositione multiplex occurrit narratio: id quod minus artificiosum censetur. Nimirum exordium est ipsa narratio: & rursus quot sunt partes textus, tot narrationes paraphrasticæ subjungendæ sunt, cum vnica & non interrupta debeat esse narratio. Similiter hic sunt variæ propositiones, videlicet partes textus, & doctrinæ, quæ deriuantur ex istis partibus. Deinde textualis illa dispositio reddit concionem interciſam & frigidam, siue affectus, siue amplificationes spectentur. Ratio posterioris est; quia textualis proponendi via non ita facit ad ædificationem vt dogmatica. Nam quæ in aliorum personis proponuntur, minus attenduntur, quam ea, quæ ad nos directa dicuntur. Sic v.g. fienarrandus fit textus *Johan. 4.* de regulo, vtique πυθησόμενος fuerit si dicam: *In præsentia considerabimus naturam fidei:* quam si hanc viam ineam, *dicemus de regulo, de illius familia, & de Christo.* Est itaque dogmatica dispositio maxime ad præcepta artis, & ad ædificationem auditorum comparata. Nihilominus tamen in textibus historicis prolixioribus dispositio textualis est adhibenda. Vtile quoque fuerit adhibere interdum dispositionem textualem, vt hac varietate leuetur tædium auditoris.

Dispositio mixta est omnium vsitatissima.

III. Dispositio mixta est omnium vsitatissima.

Raræ admodum sunt conciones simplices, quæ ad vnum tantum scopum dirigantur. Nam cum ferme habeamus auditorium mixtum, oportet vt ejusdem quoque generis conciones habeantur. Possunt autem misceri duo, tria, vel plura concionum genera, prout textus & circumstantiæ postulant. Hic memineris regulæ: *Simplicia sunt causa & mensura compositorum.*

CAP.

CAP. XI.

De accessu ad tractationem textus.

PRÆCEPTA.

Partes dispositionis Ecclesiasticæ sunt tres:

Accessus ad tractationem textus, ipsa textus tractatio, & Recessus à tractatione textus.

Accessus ad tractationem textus est introitus concionis, quo præparantur animi auditorum. Dicitur alias exordium remotum & generale. Ejus videndæ sunt partes & formulæ.

Partes ipsius sunt ordinariè octo, hoc ordine. 1. Votum breue & Christianum. 2. Indicatio scopi, seu causæ finalis & impulsiuæ cœtus Ecclesiastici. 3. Indicatio & deploratio miseriæ, ineptitudinis & indignitatis nostræ. 4. Imploratio diuini auxilij, vel potius exhortatio ad implorandum auxilium Dei, 5. Precatio ipsa, seu inuocatio Dei. 6. Commodus accessus ad prælectionem textus. 7. Prælectio textus sacri. 8. Commoda & votiua clausula, qua obsignatur prælectio textus.

Formulæ hic sunt solennes & statæ, vel variæ & accommodatæ textui.

REGVLÆ.

I. Accessus ad enarrationem textus, seu exordium generale, quod alij vocant præambulum concionis, semper ab Ecclesiaste debet præmitti. *Accessus ad tractationē textus an semper necessarius.*

Indecorum enim est, illotis veluti manibus aggredi tractationem tam sublimem & arduam. Quare vt in omnibus rebus diligens facienda est præparatio, ex præscripto Ciceronis, ita etiam in hoc diuino opere. Profecto si recte instituatur hoc præambulum, animi auditorum nescio quo pacto incenduntur ad auidius percipiendum ea, quæ deinceps dicuntur.

II. Formulæ hujus præambuli statæ & solennes hæ sunt. *Formulæ huius præambuli solennes*

I. Formulæ voti: *In nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti, Amen.* Item: *Auxilium nostrum est a Domino, qui fecit cœlos & terram, Amen.* Item: *Gratia, pax & misericordia a Deo Patre, nostro creatore; Jesu Christo, nostro redemptore; & Spiritu S. nostro sanctificatore, sit nobiscum in omnes seculorum sempiternitates, Amen.* Huc pertinent formulæ Apostolicæ, q̃ ferme in principio & fine epistolarũ ponuntur. II. Formulæ indicationis scopi: *Vt scopũ nostræ cõgregationis assequamur, qui est, vt nomẽ Dei à nobis magis magisq; sanctificetur, regnum*

regnum ejus apud nos amplificetur, ſancta ejus voluntas à nobis fiat; nos vero in fide in firma roboremur, in mala vita emendemur, adeoque ad vitam æternam præparemur: oportet vt ad ſummam Dei majeſtatem nos conuertamus ſupplices. Item: *Chariſſimi, conuenimus in nomine & ex mandato Dei, hoc fine, vt ipſum honoremus prædicatione & auſcultatione verbi ejus, itemque pia & publica precatione, adeoque vt ipſum nobis in verbo ſuo loquentem audiamus, & viciſſim cum ipſo per preces loquamur.* III. Formulæ deplorationis miſeriæ: *Conuertamus nos ſupplices ad majeſtatem Dei, & oremus remiſſionem peccatorum, ſimul atque gratiam Spiritus Sancti, qui cœcas noſtras mentes illuminet, & corda noſtra in omnem veritatem ducat.* Item: *Scimus autem quanta ſit miſeriæ noſtræ magnitudo. Cæcutimus enim adeo in ſacris, vt nullam cogitationem ſpiritualem ex nobis ipſis concipere poſſimus.* Item: *Verum enimuero nulli ſumus in diuinarum rerum tractatione, niſi diuinitus adjuuemur.* IV. Formulæ implorationis auxilij Dei. *Rogemus itaque Deum, vt ille mentes noſtras illuminet radijs & fulgore Spiritus Sancti, vt verbum ipſius recte intelligamus, & corda noſtra lapidea emolliat, vt verbum intellectum amemus & retineamus, adeoque non ſolum ſimus verbi auditores ſed etiam factores.* Item: *Agite itaque abijciamus nos ad thronum majeſtatis Dei, & ſupplici pectore ab illo contendamus, vt nobis remittat peccata noſtra propter ſatisfactionem Filij ſui, & mittat nobis cœleſtem illum doctorem Spiritum Sanctum, qui regat os meum, vt loquatur de myſterijs ſalutis noſtræ, flectatque corda veſtra, vt excipiant ſementem verbi.* V. Formulæ precationis: *Hoc vero faciamus ijs verbis, quæ ipſe ſeruator nos orare juſſit, Pater noſter, &c.* Item: *In ſpiritu & veritate recitate mecum in cordibus veſtris orationem Dominicam.* Item: *Quare ſuſpirijs veſtris me vobis præeuntem orationem Domini ſequimini.* Poteſt etiam orationi Dominicæ ſolennis aliqua & nota precationis formula præmitti. VI. Formulæ accedendi ad prælectionem textus: *Veniamus nunc ad textum ordinarium, qui deſcribitur ab Apoſtolo, &c.* Item: *Veſtra charitas nunc attente & deuote audiat verbum Dei, quod ita habet, &c.* VII. Textus clare, deuote & diſtincte recitetur. VIII. Formulæ clauſulæ votiuæ: *Atque hæc ſunt verba Spiritus Sancti quæ in præſentia in timore Dei perpendemus.* Item: *Hucuſque verba textus Dominicalis. Deus det nobis illa bene intelligere, iſſque ſalutariter vti, Amen.* Item: *Faxit Deus, vt hæc verba bene explicemus & intelligamus.*

Formulæ variantes præambuli Eccleſiaſtici.

III. Formulæ præambuli variantes ſunt, quæ ex viſceribus textus & concionis ipſius eruuntur. Atq; hæc valde ſunt patheticæ.

Sic verbi gratia ſi enarranda ſit parabola *Luc. 16.* de diuite epulone & Lazaro, potes introitum concionis ita formare: *Conuenimus, chariſſimi, hoc no-*

hoc nomine, vt vna cum publicis precib. vacemus meditationi verbi Dei & in illo audiamus Mosen & prophetas, ne perueniamus in locum illum tormenti, quo peruenit diues epulo, sed vna cum Lazaro ab angelis sanctis aliquando deportemur in sinum Abrahæ. Sed conscij nobis simus nostræ infirmitatis. Oportet itaque vt diuinum auxilium imploremus: quod vt impetremus, precemur Deum, vt linguas, aures & corda nostra purificet, &c. Hujusmodi formulæ magis sunt comparatæ ad mouendum, quam solennes illæ. Sunt enim parua quædam concio, è qua auditor colligere potest semina & fundamenta futuræ tractationis. Atque hoc ipsum etiam obseruari potest in voto. e.g. Dominica Natiuitatis Christi sic ordine ex *Luc. 2. vers. 14. Gloria in altissimis Deo, & in terra pax, in hominibus beneplacitum, Amen, Amen. Non sine causa, dilecti in Domino, festiuitatum hãc auspicamur ab hac angelica Musica. Hic enim est ille dies, quo recolimus memoriam,* &c. Sic Dominica 1. Aduentus votum tuum sume ex textus Dominicalis versu vltimo: *Hosanna Filio Dauid: Benedictus, qui venit in nomine Domini: Hosanna in altissimis.*

CAP. XII.

De exordio concionis.

PRÆCEPTA.

Tractatio textus est, qua explicantur & applicantur verba prælecta.

Ejus partes sunt numero sex; siue dispositio sit dogmatica, siue textualis: videl. Exordium, propositio, tractatio propositionis argumentosa, vsus, Applicatio, & peroratio. Quas sex partes alij reuocant ad has quatuor: videlicet ad methodum Exordij, Deductionis, Applicationis & Perorationis.

Exordium est prima pars concionis, qua præparantur auditores ad attente & intelligenter audiendum.

Ejus videbimus leges, species, loca & partes.

Leges exordij sunt quatuor. 1. Vt præsenti textui sit conueniens. 2. Vt non sit longe petitum. 3. Vt sit verecundum, modestum & humile. 4. Vt non sit prolixum.

Species exordij sunt, quod aliud est abruptum, aliud successiuum.

Exordium abruptum est, cum ex improuiso quasi in mediam rem deuenitur.

Exordium successiuum est, cum moderate & sensim ad rem deuenitur.

Estque directum, vel obliquum: quorum illud directe, hoc oblique ad propositionem accommodatur.

Loca siue fontes exordij tot sunt, quot loca inuentionis Logicæ.

Partes exordij sunt quatuor, πρόθεσις, ἀπολογία, αὔξησις, ἐπίδοσις, id est, propositio, confirmatio, amplificatio, accommodatio: in quibus hoc spectatur, vt auditores reddantur benevoli, attenti, & dociles.

REGVLÆ.

Dispositio textualis qualis?

I. Sex sunt partes dispositionis textualis.

Dispositio textualis multa habet communia cum dispositione dogmatica. Vtrobique siquidem est idem accessus ad tractationem textus, idemque recessus ab illius tractatione. Vtrobique est exordium, propositio, tractatio propositionis argumentosa, vsus, applicatio, & peroratio. Sed in modo tradendi est discrimen. Nam dispositio textualis loco exordij ponit narrationem, id est, argumentum siue summam textus, loco propositionis distributionem textus & doctrinas inde manantes; postea reliquas dispositionis partes retinet, sed ita vt geminam adhibeat tractationem, & sub vsu proponat applicationem. Sex itaque sunt partes hujus dispositionis, hoc ordine. 1. Summa textus, siue narratio. 2. Distributio textus. 3. Tractatio textus exegetica, seu analytica. 4. Tractatio textus dogmatica, seu doctrinæ, quæ deriuantur ex partibus textus duplici ordine. Nam vel omnes partes simul explicantur & postea subijciuntur doctrinæ: vel explicata vna parte statim subjunguntur doctrinæ, quæ ex illa fluunt: quibus traditis fit transitus ad secundam partem, & ex eadem deducuntur doctrinæ. 5. Vsus; sub quo Applicatio, quæ nihil est aliud, quam vsus specialis. 6. Peroratio. Hujus dispositionis artifex præclarus est *Rulmannus* in concionibus Dominicalibus, Catecheticis & Passionalibus. Exemplum vide infra.

Tres fines exordiorum.

II. Tres debent esse fines exordiorum.

Quemadmodum musici instrumentales suauibus quibusdam præludijs vti solent, vt magis placeant: ita præco Ecclesiasticus exordio vtitur, vt cum sibi tum etiam rei tractandæ animos auditorum conciliet. Hoc autem obtinet, si ad tres illos exordiorum fines respiciat, de quibus oratores prolixe tradunt. *Primus* exordij finis est benevolentia, quæ fere in Ecclesia capiatur, vel pro causa tractanda si illa laudando extollatur: vel ab auditorum personis, si illorum studium & Zelus absque assentatione prædicetur: vel ab Ecclesiasticæ studio & officio, quatenus illud commendatur citra arrogantiam. Sic Apostoli à Judæorum personis benevolentiam captant, quoties illos vocant viros fratres, patres, Israelitas, Judæos, qui habitent Hierosolymis, & qui Deum timeant. *Actor. 2. vers. 14. 22. 29. c. 13. vers. 16. c. 22. vers. 1.* Petrus *Actor. 10. vers. 34.* benevolentiam captat à personis gentium, quibus concionabatur, quod ad illos et am gratia Dei pertineat. Paulus *Act. 24. v. 20.* benevolentiam captat à com-

commendatione personæ Felicis præsidis. Quo eodem exordij genere ēt vtitur *Actor.26.v.2.& 26.* Similibus exordijs, à laude personarum sumtis, vtitur *Rom.1.v.8.1.Cor.1.v.4.Coloss.1.v.3.* quibus non pauca etiam de suo erga eos animo, studio,& officio attexit: vt cum *Rom.1.v.9.& Coloss.1.v.9.* affirmat & testatur, quod ipsorum in precibus suis indesinenter faciat mentionem; quod expetat ipsos videre,vt ipsis impertiatur donum spirituale. *Chrysostomus homil.44.in Genesin* captat beneuolentiam à frequentia sui auditorij, & à voluptate atque desiderio auditorum in suscipienda doctrina sacra: vbi inter alia de hujus artificij necessitate & vtilitate sic ait: *Nihil tantopere dicenti est necessarium,vt auditoris beneuolentia. Quandoquidem cum videt auditores feruere desiderio,firmatur & ipse,& sæpe robur, vt ita dicam, accipit.* *Secundus* exordij finis est attentio, quæ comparari potest promissione, qua significet Ecclesiastes,se non sua sed Dei verba propositurum,& non exigua, vulgaria,superflua,& talia, quorum facilis sit jactura,sed magna necessaria,vtilia, & ad salutem æternam pertinentia allaturum. Hujus generis exordia familiarissima sunt Prophetis: vt *Esa.1.vs.2. Audite cœli,& auribus percipe terra: quoniam Dominus locutus est.* Confer *Jerem.10. vers.1. cap.33. vers 2. Ioel.1. vers.2. Amos.3.v.1. Micha.1. vers.2. Actor.2.vers.14.* *Tertius* exordij finis est docilitas qua dociles redduntur auditores pollicitatione breuitatis,perspicuitatis,simplicitatis & ordinis. Cæterum non in exordio tantum,sed etiam in medio concionis cursu loca beneuolentiæ,attentionis & docilitatis vsum sum habent: si videlicet propositio commendetur, vel longius aliquantum excrescat concio,vel opinionum prauarum refutatio operosior sit instituenda, vel scelerum acrior reprehensio sit adferenda,vel si auditores sint somnolenti & defessi. Tunc enim per Apostrophas subinde amice compellabuntur, & necessitas,dignitas atque vtilitas dicendorum erit extollenda. Hujusmodi exempla vide *Esa.1.v.10.Actor.2.v.22.29.cap.13.vers.26. Roman 9.vers.1.cap.10.v.1.*

Leges exordiorum.

III. Leges exordii reuocantur ad venustatem seu decorum,& breuitatem.

Quemadmodum vestibula præclarorum ædificiorum splendida esse oportet: ita exordia concionum debent esse venusta. Rursus vt vestibula non debent esse justo majora: sic & exordia. Nimirum vti caput non est majus reliquo corpore,sic exordium non debet esse majus toto reliquæ orationis systemate. Atq; hęc sunt duo attributa exordij,ad quę reliqua possunt reuocari juxta has leges. *Principio* interdū nulla vsurpātur exordia, sed prælecto textu recta ad narrationē,vel ēt propositionē,descenditur: si nēpe tęporis angustia nō patiatur,præsertim,si magna copia & fertilitas rerū

tractandarum sese offerat. *Deinde* communis lex est, vt exordia neq; sint aliena, vel longius petita, neque viciſſim ſumta abipſa re vel cauſa, ſed ab ijs, quæ cauſam circumſtant, & cognationem aliquam cum ipſa habent. *Tertio* breuitati eſt ſtudendum in exordijs, vt duarũ, aut trium, vel ad ſummum quatuor periodorum ambitu, quatenus quidem id commode fieri poteſt, claudantur. Ita videmus Apoſtolos breuiſſimis vſos fuiſſe exordijs. *Quarto* exordia debent eſſe verecunda, humilia, ſedata & ſubmiſſa, non pompoſa aut nimis elaborata, vel ſonora & vocalia. Nam πάθη conueniunt contentioni & perorationi, ἤθη exordio. Hæc enim res, vt modeſtiæ eſt, ita gratiam & beneuolentiam Eccleſiæ meretur. Idque in Apoſtolorum ſermonibus paſſim apparet. Vide nominatim *1. Corinth. 1. verſ. 10. & cap 11. verſ. 2.* Cæterum in rebus deploratis & prodigioſe malis, rerumque ſtatu tragico, vehementiora, concitata & abrupta exordia locum habent: vt quando Moſes *Deut. 32. verſ. 1.* & Eſaias *cap. 1. verſ. 1.* per ἀποστροφὴν vehementiſſimam exordiuntur conciones ſuas. Simile exordij genus adhibet Apoſtolus *1. Cor. 4. v. 21.*

Loca exordiorum.

IV. Tot ſunt loca exordiorum, quot ſunt loca inuentionis.

Vulgo tradunt quinque locos exordij. *Primo* ſumuntur exordia ab ἀνακεφαλαιώσει, ſeu recapitulatione ſuperioris concionis. *Secundo* exordium ſumitur à ſumma priorum ſeu antecedentium: vt enarraturus ex *Roman. 5. verſ. 1.* dictum illud: *Juſtificati ex fide, pacem habemus*, &c. non inconuenienter ita exordietur: *Dictum hoc pertinet ad ſecundam hujus epiſtolæ partem, quæ de juſtificatione agit. Poſtquam enim Apoſtolus in prima parte oſtendit gentes & Judæos, omneſque adeo homines, peccatores eſſe: in ſecunda parte docet, hominem nequaquam ex operibus legis, ſed ſola fide in Chriſtum juſtificari: hancque doctrinam, exemplo Abrahæ, teſtimonio Dauidis, aliiſque argumentis ex Scriptura deductis confirmat. In prælectis vero verbis hanc juſtificationis doctrinam vberius perſequitur, & effecta quædam ipſius exponit. Tertio* exordia ducuntur ab occaſione & cauſa impulſiua. Quæ ordiendi ratio in concionibus nuptialibus, funebribus, pœnitentialibus, & ſimilibus textibus ordinarijs eſt vſitatiſſima. Sic in textibus Dominicalibus, quos vocant, exordium ſumitur ab occaſione, quando indicatur, quo conſilio veteres præſentem textum Euangelicum illi anni tempori deſtinarint. *Quarto* exordium ſumitur à tranſlatione theſeos ad hypotheſin, qua fit vt exordiamur à ſententia generali, puta à Scripturæ dicto, atq; ita viam ſternamus ad propoſitionem. Hic vero prouidere oportet, ne theſis ab inſtituto ſit alienа, vel longe petita, vel affectata, vel ad alienum ſenſum detorta: ſed vt habeat cognationem cũ cauſa, & adeo ſit

natiua,

natiua, vt in orationis cursu vltro quasi, & sua sponte ad rem præsentem feratur & applicetur: vt si quis historiam de septem panibus, quibus quatuor millia hominum saturata fuerunt ex *Marc.8.v.1.* enarraturus, exordiatur à dicto *Psalmi 34.v.1. Timete Iehouam sancti eius, quia non est penuria timentibus ipsum.* Ita si quis tractare velit historiam desponsationis Isaaci ex *Gen.24* ordiri potest à bonitate & prouidentia Dei, qua cum omnia, tum inprimis sancta piorum consilia atque instituta gubernat. Cæterum hic theseos vicem etiam historiæ & parabolæ supplere possunt: vt si concionem de ascensione Christi auspicemur ab historia Eliæ in cœlum assumti: aut à fraudibus & modis acquirendi illicitis dehortaturi, à parabola injusti dispensatoris *Luc.16.* exordiamur. *Quinto* exordia duci solent à laude authoris & commendatione sententiæ locique præsentis, quem tractandum suscepimus: vt si dictum aliquod ex Mose, Dauide aut Johanne enarraturus, ad ferat elogia Mosis, ex *Num.12.v.7.& Deut.34.v.10.* Dauidis, ex *2.Sam.23.v.2.* Johannis, ex *Iohan.13.v.23.c.19.v.26.* Ita ex Genesi, libro Judicum, vel epistola ad Romanos, aliquid pro concione tractaturus, non incongrue loco exordii ponere potest encomia veterum, qui Genesin appellarunt librum promissionum & sacrarum originum, fundamentumque totius scripturæ, & Mosen vocarunt oceanum theologiæ atque cancellarium Dei: librum Judicum volumen promissionum & minarum, epistolam ad Romanos clauem Scripturæ dixerunt. Atque hi sunt quinque exordiorum loci præcipui quidem illi, veruntamen non omnes. Totenim sunt fontes, siue sedes exordiorum, quot sunt loca inuentionis apud Logicos, hoc modo Exordium concionis sacræ sumi potest. 1. Ab *vna ex quatuor causis*: puta *à fine* textus vel congregationis: *à causa efficiente*, nempe authore textus vel persona concionatoris, vel causis impellentibus: *à materia*, quæ commendanda est populo: *a forma* siue ordine textus concinno. 2. *Ab effectis*: ita vt commendetur doctrina, qua de sumus acturi, ab vtilitate. Huc pertinet commemoratio facti, aut euenti alicuius insignis. 3. A *subiectis*: quo pertinet consideratio loci, in quo dicendum; & personarum, coram quibus dicendum; & rerum, de quibus dicendum. 4. *Ab adiunctis*: quo pertinet consideratio temporis, itemque beneficiorum & judiciorum Dei. Huc etiam refer necessitatem, dignitatem & antiquitatem rei; de qua instituitur concio. 5. *A dissentaneis*: cum diluimus & occupamus tacitas auditorum cogitationes atque obiectiones: cum illicita studia damnamus, & è contrario verbum Dei & ejus meditationē commendamus. 6. *A comparatis*: cum *è loco parium* ostendimus, doctrinā, quam tradituri sumus, æque necessariam esse atque illam, de cujus necessitate & vtilitate non ambigunt auditores: vel *è loco maiorū & minorum* docemus, locum illum quem præ manibus habemus, magis esse necessa-

rium & vtilem quam forte putent auditores, aut vtiliorem esse aliis materiis: vel *è loco similium* recitamus egregium simile: vel *è loco dissimilium* ostendimus disparem auditorum, itemque rerum variarum conditionem. 7. A *coniugatis & notatione*: vt, sapientia solida consistit in cognitione Dei & sui ipsius. Quare si sapientes haberi velimus, hæc duo è prælectis verbis discamus. *Item*: Diabolus nomen habet à calumniando. Quî vere ipsi hæc nomenclatura competat, præsens textus docet. 8. *A definitione rei*, de qua dicere instituimus. 9. *A distributione rei*. 10. *A testimonio*: puta dicto aliquo Scripturæ vel vulgi. Hæc sunt decem loca exordii, quæ percurrere oportet, quoties concio est habenda, vt inde sumatur id, quod maxime nostro instituto quadrare deprehenditur. Neque enim conuenit, vt exordia semper sint ejusdem tenoris, sed necesse est, vt pro circumstantiarum & causarum incidentium diuersitate gratam quandam habeant varietatem.

Dispositio exordii.

V. Dispositio, siue œconomia exordii, quatuor semper partibus absolui debet: si quidem dispositio concionis sit dogmatica.

Dispositio concionis est totalis, vel partialis. *Dispositio totalis* est, quæ totam concionem, omnesque illius partes simul sumtas concernit. *Dispositio partialis* est, quæ singulas partes concionis sacræ seorsim sumtas concernit. Hinc alia est dispositio exordii, alia propositionis, alia tractationis propositionis, alia vsuum, alia applicationis, alia denique epilogi. Quod attineat dispositionem exordii, illa in œconomia concionis textuali est simplicissima. Ibi enim vel summa textus recitatur, vel paraphrastica textus enarratio ponitur loco exordii. Exemplum prioris hoc esto. In enarratione textus *Matth. 21. versiculo primo & seqq.* potest esse huiusmodi exordium: *Describitur hic historica narratio de celebri & regia pompa, qua Christus pullo asinæ insidens solenni populi acclamatione exceptus, vrbemque Hierosolymam est ingressus.* Exemplum posterioris hoc esto. In enarratione textus *Johan. 3. vers. 16.* exordium continebit paraphrasticam textus explicationem: *Almus Seruator Jesus Christus hic docet, quomodo Deus Pater ab æterno nos dilexerit, & in tempore hanc dilectionem fecerit testatam: ita nimirum, vt Filium suum vnigenitum nobis dederit, vt omnes, qui vera fide amplectuntur hoc tale tantumque donum, non pereant cum impiorum turba, sed vitam æternam hæreditario iure possideant. Quæ doctrina cum vniuersum salutis nostræ negotium breuiter complectatur, agite pressius singula consideremus.* In dispositione dogmatica quatuor debent esse partes exordii. *Prima* pars est sententia fundamentalis, quæ dicitur propositio exordii. *Secunda* est ratio sententiæ, seu confirmatio

istius

istius propositionis. *Tertia* est breuis amplificatio. *Quarta* est accommodatio, siue transitio ad nostram propositionem. e. g. in enarratione textus de agro quadruplici *Luc. 8.* exordium potest esse tale. 1. *Propositio.* Christus in hac parabola hoc veluti celeusmate excitauit suos auditores: Qui aures habet ad audiendum, audiat. 2 *Confirmatio* Nimirum proposuit rem valde vtilem, dum docuit rationem discernendi veros Christianos ab hypocritis. 3. *Amplificatio.* Hoc autem ostendit similitudine proposita de quadruplici agro, quo docemur quatuor esse ordines & classes illorum, qui in ecclesia degunt. 4. *Applicatio.* Quatuor istos ordines in præsentia considerabimus, & ostendemus &c. Jam subiicienda fuerit propositio concionis.

CAP. XIII.

De propositione concionis.

PRÆCEPTA.

Propositio concionis est, in qua thema concione tractandum proponitur.
Eius occurrunt leges, species & partes.
Leges propositionis sunt tres: videl. vt sit breuis, popularis & dilucida.
Species sunt duæ. Nam propositio, vel sine partitione, vel cum partitione instituitur: siue propositio sit textualis, siue dogmatica. Partes propositionis sunt tres, Enumeratio, Commendatio propositionis, & Precatio ad Deum.

REGVLÆ.

I. Propositio concionis debet esse breuis, popularis & perspicua. *Leges propositionis.*

Tres sunt virtutes propositionis. *Prima* est breuitas, qua fit vt propositio neque superuacaneis redundet, neq; sit vestita vlla amplificatione, neque sit ipsa tractatio & præstatio, sed promissio tantum rerum tractandarum: vnde à Græcis eleganter appellatur προέκθεσις. Ista vero breuitas erit adæquata ipsi textui, hoc est, ita comparata, vt propositio reciprocetur eum textu, adeoque nihil addat, nihil omittat. *Secunda* virtus est popularitas, qua fit vt in propositione adhibeantur vocabula in vulgus nota, qualia sunt: *Narratio, Præceptio, Suasio, Dissuasio, Promissio, Comminatio, Consolatio, Consultatio, Gratiarum actio, Oratio, Obsequium, Fides, Infidelitas, Querimonia:* vel quæstiones captui vulgi accommodatæ, vt, *Quis, Cui, Quid, Vnde, Quo, Quomodo, Quando, Quandiu:* vel denique formulæ elegantes. e. g. in hoc miraculo Christi cõsiderabimus antecedentia, miraculũ ipsum, & consequentia. *Tertia* virtus est perspicuitas,

qua

qua fit, vt propositio, fundamentum illud totius tractationis, verbis perspicuis proponatur, quæ ab omnibus possint intelligi.

Propositio concionis est duplex.

II. Propositio concionis est vel vnica & simplex, vel multiplex, quæ dicitur partitio.

Propositio vnica & simplex tum locum habet, quando materia tractanda est singularis, aut certe ita cohærens, vt ægre dirimatur: aut si de vno tantum themate tota concione dicere est animus. *Propositio multiplex*, siue partitio, locum habet, quando materia est ampla & plures partes sese offerunt: id quod etiam in breuissimis textibus non raro accidit. Fit autem huiusmodi partitio vel per sejunctionem, vel per enumerationem. *Seiunctio* est, qua breuiter ostenditur, quid simus omissuri, aut in quibus cum aduersario conueniamus in quibus item discrepemus. *Enumeratio* est, qua breuiter ostendimus, quot & quibus de rebus dicturi simus, atque ita orationis habenas adducimus, vt in certo gyro se cõtineat: vbi sæpenumero ita informamus propositionem: Considerabimus textus prælecti sensum & vsum. Huius porro enumerationis leges sunt. 1. vt mẽbra non sint multa, sed vix vnquam plura quam tria vel quatuor. 2. vt membra eo, quem rerum natura & textus series postulant, ordine collocentur, vt hac ratione pars prior semper gradum præparet sequenti, eique subseruiat. 3. vt partes minutiores & cognatæ ad vnum commune genus reuocentur. Ad sejunctionem quod attinet, si vel per temporis angustiã, vel propter rerum, quæ occurrunt, amplitudinem, vel quod nuper quædã tractata sint, vel breui tractandorum illorum occasio se offerat, de omnibus & singulis institutæ diuisionis membris agi non queat, reliquis per rejectionem siue præcisionem, vt vocant, resectis, quæ præsenti tempori, statui & loco maxime vtilia & necessaria videbuntur, retinenda sunt: vel saltem obiter & in transitu breui quadam paraphrasi, illa sunt perstringenda.

Libertas ecclesiastæ circa delectum propositionis.

III. Ecclesiastes sua libertate gaudere debet in delẽctu propositionis textualis & dogmaticæ.

Sunt, qui prohibent, ne propositionis aut partium loco numerentur loci communes: quod illi sint è textu ceu fonte eruendi, ac proinde ipsa propositione ordine naturæ posteriores: item, quod neglecta textus interpretatione in locorum communium tractationem statim irrumpatur. Rursus sunt, qui contrarium judicant, & præcipiunt, vt theses siue loci communes propositionis locum obtineant, non vero hypotheses illæ textuales: quod propositione in hypothesi adornata auditor facile illa, quæ in alienis personis proponuntur, à se deriuare possit, vtpote non ad se, sed

ad

ad alios pertinentia. Quare cum propositio fidei & vitæ informationem præcipue ac immediate spectare debeat, existimant illam δογματικῶς, non vero ἱστορικῶς καὶ ἐπεκτικῶς concipiendam esse, vt auditores intelligant, ad se, non vero ad alios pertinere, quæ dicuntur. Utriusque sententiæ magni sunt & eximii authores atque patroni. Verum quia tanto interuallo illi à se nõ distant, quin conciliari inter se queant, nobis ita videtur. Nemo ad hanc vel illam proponendi viã certa quadam atq; prętoria lege alligatus vel adstrictus esse debet: sed quilibet sua hic gaudere libertate, & suo sensu judicioq; abundare potest. Quemadmodum enim diuersa sunt hominũ ingenia: ita alteri hac: alteri ista ratione felicius res succedit. Quid? quod eosdem concionatores nunc hac, nunc illa via libere vti videas. Quam in sententiam supra diximus, dispositionem textualem, seu hypothetică, in textibus historicis prolixioribus vtiliter adhiberi. Hictamen non possum, quin moneam illud argumentum, paulo ante allatum, quo nonnulli dispositionem dogmaticam impugnant, quasi illa negligat interpretationem textus, nullum esse. Neq; enim interpretatio textus hac ratione negligitur, sed in alium locum reiicitur: quatenus videl. partes propositionis dogmaticæ è textu explicantur, vel confirmantur.

IV. Dispositio propositionis continetur his tribus: ἐνδείξει, ἀξιώσει, εὐχῇ. *Dispositio propositionis.*

Ἔνδειξις, *enumeratio*, est, qua propositio recitatur & velut oculis auditorum objicitur. Ἀξίωσις, *petitio*, est, qua postulamus audientiam & excitamus auditores, allata commendatione propositionis. Hæc ἀξίωσις interdum statuitur quinta pars exordii, prout commodum videtur concionatori. Εὐχὴ, *inuocatio Dei*, est, qua Deus inuocatur, vt det recte proponere, intelligere & ad vsum transferre verbum suum. Atque tres istæ partes vel conjunctim, vel separatim adhibentur. *Coniunctim* hoc modo verbi gratia in enarratione textus Dominicalis *Matth.* 21. propositionem sic potes formare. 1. *Enumeratio.* Docemur hic duo: qualis nempe rex sit Christus, qualesque sint ipsius subditi. 2. *Excitatio.* Intelligitis, spero, quam necessarium & vtile sit, vt discamus, qualem regem habeamus, quidque nostri aduersus ipsum sit officii. Excitate itaque vos ipsos. 3. *Precatio.* Et Deum iuxta mecum rogate, vt verũ illud Hosanna in primat cordibus & linguis nostris. *Separatim* hoc modo. v. g. in enarratione parabolæ *Luc.* 8. propositio potest esse talis. 1. *Enumeratio.* Considerabimus in timore Dei hæc tria: Quis sit sator, Quodnam semen, Quis ager. 2. *Precatio.* Tu, Deus Pater cœlestis, qui es sator ille cœlestis, da vt semen verbi tui cadat in agrum bonum. *Vel talis* erit propositio. 1. *Enumeratio.* Expendemus parabolam, & ipsius explicationem. 2. *Excitatio.*

Vtinam vero hic tales sint auditores, quales Christum audiuerunt! *Velita*: Quæso vos, diligenter attendite. Ita enim fiet, vt possitis vos ipsos probare, num sitis ager bonus, nec ne. *Velita*: Plurimum situm est hac in re, siue spectemus fidem, siue vitam nostram. Det itaque Deus mihi rite serere verbi sui semen, & vobis illud purgato & præparato corde excipere. Vnde apparet, formulas istas esse vel generales, statas & solennes, quibus semper vtimur. e.g. Faxit Deus, vt orthodoxe hanc doctrinam explicemus, solide intelligamus, & pie ad praxin transferamus: vel speciales, variantes & textui cuilibet accommodatas. v.g. in explicatione textus Dominicalis *Luc.* 16. de diuite epulone dices: Proponitur nobis in hac siue historia, siue parabola, dispar conditio piorum & impiorum tum in hac vita, tum post hanc vitam, idque in persona pii Lazari & impii epulonis. Vos, qui pii estis, diligenter attendite, vt consolationem hinc percipiatis. Vos autem, qui adhuc vobis placetis in vita & via impia, aures mihi accommodate, vt ne cum diuite epulone in locum tormenti aliquando deuenatis.

CAP. XIV.

De argumentosa tractatione propositionis.

PRÆCEPTA.

Tractatio propositionis argumentosa est, qua propositio explicatur aut confirmatur, argumentis declarantibus, demonstrantibus & amplificatis in medium adductis.

Eius videbimus leges & dispositionem siue partes.

Leges ipsius sunt tres, 1. vt propositioni sit adæquata, hoc est, illa exhauriat. 2. vt sit ordinata siue methodica. 3. ne sit longior iusto.

Dispositio eius continetur tribus partibus: videl. consideratione textus, collatione cum Bibliis tum magnis tum paruis, & illustratione per similitudines & exempla.

REGVLÆ.

Tractatio propositionis est duplex.

I. Tractatio propositionis est argumentosa, vel affectuosa.

Supra diximus sex esse partes tractationis textus, videl. exordium, propositionem, tractationem propositionis argumentosam, vsum, applicationem & epilogum. Si malis, has partes ita commemora. Quatuor sunt partes tractationis textus, siue sacræ homiliæ, Exordium, Propositio, Tractatio propositionis, & Peroratio. Ex his tractatio propositionis est argumentosa, vel affectuosa. Illa etiam theoretica, didactica & logica, hæc practica & applicatoria dicitur. *Tractatio argumentosa* est, qua propositio explicatur aut confirmatur: vnde alia est exegetica, alia apodictica. *Tractatio exegetica* est, in qua thema simplex, quod in textu occurrit, per argumenta explicatur,

tur,& amplificatur. *Tractatio apodictica* est,in qua thema cõpositum,quod in textu occurrit,per argumenta probatur,& amplificatur. *Tractatio affectuosa* est,in qua verus vsus propositionis explicatæ &probatæ ostenditur. Vsus iste est vel generalis,qui καθ' ἑξοχὴν dicitur *vsus*:vel specialis, qui similiter καθ' ἑξοχὴν appellatur *applicatio*.

Quadrigæ concionatoris quæ

II. Quadrigæ concionatoris in tractatione argumentosa sunto, Textus, Alia scripturæ dicta,similitudines& Exempla: quæ omnia tractari debẽt ex locis explicationis: probationis, amplificationis, delectationis,& flexionis, supra monstratis.

Siue enim thema simplex sit explicandum, siue thema compositum probandũ,oportet vt concionator ista quatuor cõiungat, & ex Inuẽtionis doctrina,quam supra proposuimus, vestiat & amplificet. Quod attinet ad textum,ille inter explicandum vel confirmandum clare est repetẽdus, & explicandus. Quod vbi diligenter factum est,oportet collationẽ textus cũ aliis scripturæ locis, etiã cũ capitibus Catecheticis,instituere. Collatio ista est similaris,vel dissimilaris. *Collatio similaris* est,qua similia & parallela scripturæ loca inter se cõferuntur. *Collatio dissimilaris* est, qua loca scripturæ in speciẽ pugnantia inter se cõferuntur. Dictis scripturæ subiungẽdę sunt similitudines, itẽq; Exẽpla, vbi hæc illis libere præmittũtur vel subiungũtur prout ecclesiasticæ videtur cõmodum. Exemplum huius tractationis hoc esto Sit explicandus *vers. 28. ex c. 3. epist. Rom.* qui sic habet: *Colligimus igitur, fide iustificari hominẽ absq; operibus legis.* Propositio est: So la fide iustificatur homo. Tractatio argumẽtosa sic erit. 1. *Consideratio textus.* Apostolus ait; *Colligimus*, λογιζόμεθα, h. e. certis ratiociniis cõcludimus & συλλογιζόμεθα ex iis quæ hactenus diximus · *hominẽ* peccato ẽ, qui ex se est materia damnationis: *iustificari* coram Deo, ita vt ipsi non imputentur peccata: *sola fide* in Jesum Christum, non quasi fides tantę sit dignitatis, vt propter illã Deus nos reputet pro iustis, sed quia illa apprehendit Christum, illiusque meritum sibi applicat. 2. *Collatio cum aliis scripturæ dictis eaq; primo similaris.* Hoc ipsum tota scriptura veteris & noui Testamenti docet. Quid enim? Annon prima illa promissio *Gen 3.* de semine mulieris cõtritura caput serpẽtis hominẽ à seipso ad Christũ manu velut ducit? Et Deus diserte testatur *Habac. 2.* iustum fide sua viuere. Idem prolixe & operose ostendit apostolus hoc ipso tertio capite, vt & sequenti, & in epistola ad Galatas. *Collatio dissimilaris.* Neq; vero huic sentẽtiæ obstat, quod *Jac. c. 2.* docet hominẽ non iustificari sola fide, sed etiam operibus. Nã ibi apostolus agit de illa fide, quã hypocritæ præ se ferebant, quæ est mortua: non vero de saluifica fide, quæ ex se parit bona opera, nõ aliter atq; arbor bona fert bonos fructus. Adhuc itaq; manet cõclusio & apodixis apostoli nostri, hominẽ sola

fide justificari. 3. *Similitudines.* Nimirũ fides est veluti manus, qua Christũ pretiosissimum illud donum, in verbo euangelii nobis oblatum apprehẽdimus, nobisq; omnia ipsius κειμήλια applicamus. Quare fides non aliter dicitur nos justificare, quam annulus, cujus palæ inclusus est hæmatites, dicitur sistere sanguinem. 4. *Exempla.* Hoc pacto omnes credentes, inde ab initio mundi, sunt justificati. Ponite vobis ante oculos Abrahamum, patrẽ illum credentium. Quibus ille gradibus in cœlum ascendit? Iisne, quos justitiarii prædicant, bonis nempe operibus, an illis, de quibus apostolus concionatur, gratia scilicet Dei in Christo per fidẽ apprehensa? Hoc enim vult apostolus, quando ait nos sola fide justificari. Porro Dauid beatum prædicat eum cui remissa sunt peccata, & ipse hujus beatitudinis etiã fuit particeps. Idẽ de reliquis sanctis judicium. Sunt enim pares inter se.

CAP. XV.

De usu propositionis ecclesiasticæ.

PRÆCEPTA.

Usus propositionis est, quo doctrina exposita ad fidem & vitam instruendam accommodatur in genere: unde appellatur applicatio generalis.

Usus ille est simplex, vel mixtus.

Usus simplex est noeticus seu theoreticus, vel practicus.

Usus noeticus respicit mentem: est q3 didascalicus, vel elencticus: seu doctrinalis, vel redargutorius.

Usus didascalicus est, qui consistit in probatione veri.

Usus elencticus est, qui consistit in refutatione falsi.

Usus practicus est, qui vitam & mores respicit: est q3 pædeuticus, vel epanorthoticus, vel paracleticus: seu, institutiuus, correctiuus, vel consolatorius.

Usus pædeuticus est, qui ad sanctam vitam dirigitur.

Usus epanorthoticus est, qui ad malæ vitæ emendationem dirigitur.

Usus paracleticus est, qui ad consolationem afflictorũ & infirmorũ dirigitur.

Usus mixtus est, qui ex diuersis usibus simplicibus constat.

REGVLÆ.

Modi applicationis septẽ.

I. In applicatione propositionis ecclesiasticæ, tũ generali, tum speciali, oportet attendere ad septem modos.

Septẽ sunt classes auditorũ, quibus oportet applicare seu accõmodare propositionẽ concionis sacræ. Nã nobis res est, aut cũ infidelibus, ac proinde ignaris & indocilibus; aut cum docilibus, sed ignaris; aut cum iis, qui cognitione quidem aliqua sunt imbuti, sed nondum humiliati; aut cum humiliatis; aut cum lapsis; aut denique cum populo mixto. Hinc emergũt septem modi accommodationis siue applicationis, de quibus plene tractauimus *lib. 2. præcognit. theol. p. cap. 127.*

II. Quin-

II. Quinque sunt modi vsus simplicis in textu sacro.

Quotuplex sit vsus textus sacri?

Theologi recte docent de vsu simplici textus alicujus, ex *2.Tim.3.v.16. & Ro.15.v.4.* illum esse quintuplicem, ita vt ad illum omnis textus sacer, omneque thema concione sacra explicatum, vel probatum, possit & debeat applicari. Ac primum quidem docent esse doctrinam, hoc est, verorum dogmatum confirmationem: secundum redargutionem, hoc est, falsorum dogmatum confutationem: tertium institutionem in justitia, hoc est, rectam vitæ morumque institutionem: quartum correctionem, hoc est, vitiorum ac malorum morum reprehensionem ac emendationē: quintum, consolationem. Quod si ex his vsibus duo vel plures conjungantur, existit vsus mixtus. Quintuplicem istum vsum alij ad tria capita referunt, nempe ad fidem, spem, & charitatem. Ad fidem referunt doctrinam & redargutionem: ad spem, consolationem: ad charitatem, institutionem & correctionem. Porro in singulis his vsibus amplificandis eadem adhibentur, quæ in argumentis à tractatione propositionis fuerunt adhibita: videlicet textus, dicta Scripturæ, exempla & similitudines.

III. Quilibet vsus textus sacri certis enuntiatur formulis.

Formulæ efferendi vsum textus sacri.

Sic verbi gratia *formulæ vsus didascalici* hæ sunt: Hinc colligimus: Ex quo elicimus: Hinc discimus: Hinc discamus: Pertinet hoc ad confirmationem fidei: Hoc facit ad confirmationem istius articuli: Verum est igitur, quod docemus in nostris Ecclesijs: Proinde minime obscurum est: Vt hoc fixum sit & immotum, quod docimus & profitemur in Symbolo Apostolico: Hinc colligenda est doctrina: Quo docemur: Inde ista documenta colligimus: Quapropter hoc in animis nostris fixum hæreat: Ex his consequitur: Hoc considerate, mei charissimi, hoc expendite, vt inde discatis, &c. *Formulæ vsus elenctici* seu redargutiui hæ sunt: Cauendum igitur est ab errore illorum: Arceamus ergo ab animis nostris errorem istum: Hinc judicare licet, quam perniciosum sit illud dogma: Quo refutatur error: Quod facit ad conuincendum illos: Perperam ergo & falso confingitur: Facessant igitur commenta: Hinc refellitur error illorum: Valere hoc debet ad refutandum errorem: Cauete igitur vobis, dilecti, à pernicioso illo errore: Ne igitur vos sinatis seduci ab ijs qui contrarium docent, &c. *Formulæ vsus institutiui* hæ sunt: Dictum nobis putemus, fratres, quod dicit Dominus: Nobis loquitur Dominus per prophetam: Nunc ergo colite Jehouam: Exuite igitur veterem hominem & induite nouum: Det Deus, vt sic viuamus. Agite itaque charissimi, diligamus Deum & proximum: Macte igitur estote hac vestra constantia: Rogemus Deum, vt det nobis ita viuere. O beatos illos, qui sic vitam suam

instituunt,&c. *Formulæ vsus correctiui* hæ sunt: Quod vtinam bene meminerimus: sed quid? Experimur heu contrarium: Hic vero reprehendi debet nostra socordia: Sed proh dolor tantum abest, vt hæc faciamus, vt potius contra: Obsecro, fratres, cur nos appellamus Christianos? Hic deploranda venit nostra socordia, auaritia, &c. Quousque, dilecti, stertetis in hoc peccato: Teipsum hic examina, & dispice annon in simili peccato hæreas: O miseros illos, qui volutantur in hoc sterquilinio: Prodeant nũc illi Epicurei, qui dicunt, Non est Deus: Veniant nunc irrisores hujus sententiæ, &c. *Formulæ vsus consolatorij* hæ sunt: Solamini ergo vos, charissimi mei, hac insigni sententia: Dicite cum Dauide, Quid tristis es anima mea: Potest igitur quisq; nostrum cum Jobo dicere, Noui quod redẽtor meus viuit: Dicamus confidenti animo, Dominus est mihi auxiliator, non timebo, quid faciat mihi homo: Adeste, qui hanc tentationis aleam subitis, & hac consolationis gutta cor vestrum aspergite: O felices nos, qui in medijs ærumnis hanc consolationem habemus: Excitet se vnusquisq;, & dicat cum Dauide: Qui ex nobis hac tentatione grauantur, ij hoc dicto sibi faciant animum, &c. Plures formulas vide in fine hujus capitis.

Multiplex mixtio vsuum textus sacri.

IV. Quinque vsus textus sacri multis modis misceri possunt.

Principio enim à doctrinali genere ad redargutiuam fit transitus, & vicissim. Sic Paulum in Epistola ad Romanos & Galatas videmus fidei justificationem ita demonstrare, vt in medio disputationis cursu argumenta pseudapostolorum, quibus justitiam per legem adstruere conabantur, interserat & refutet. *Secundo* à genere institutiuo fit trãsitus ad correctiuum, & vicissim. Ita Paulus *Eph.4.* cum ab initio capitis hortatus esset Ephesios, vt ità ambularẽt, quemadmodum dignum sit vocatione, qua vocati sunt, deinceps à *versu 17.* per correctionis viam ipsos obtestatur, ne amplius versentur, sicut reliquæ gentes, in vanitate mentis suæ, vtq; deponant mendacium, iram, furta, &c. *Tertio* à doctrinali genere ad institutiuum procedi potest. Sic Paulus *Rom.8.* cum ab initio capitis docuisset, credẽtes in Christum justificatos esse, quod peccata ipsorum in carne Christi condemnarit Deus, & Spiritus Christi in ipsis habitet: hinc *v.12.* exhortationem in genere institutiuo extruit, debitores ipsos esse, vt non secundum carnem, sed secundum Spiritum viuant. Ita cum *Rom.11.* rejectionem Judæorum testimonijs confirmasset, *v.17.* exhortationem subjcit ad gentes, vt Deum timeant, ne ipsos quoq; similiter repudiet. *Quarto* transitus fit à genere institutiuo ad doctrinale. Ita Paulus *Rom.11.* postquam ad perseuerantiam in fide exhortatus est suos, ad fidei naturã ex ejus effectis declarandam trãsit: quorum illud est generis institutiui, hoc doctrinalis. *Quinto* fit trãsitus ab institutiuo vsu ad consolatorium, & vicissim: Ita Paulus *Rom.8.v.17.* ad pa-

tien-

tientiam, sub cruce exhortatur, atq; inde transit ad consolationes varias, quibus fideles sub cruce sustinere se debeant. *Sexto* à doctrinali genere fit transitus ad consolatorium: vt si locus de misericordia Dei sit præ manib. res ipsa ecclesiastē eo deducit, vt hinc consolationes excerpat multifarias. *Septimo* quinq; ista genera vtplurimū miscentur, ēt in breuissimo Scripturæ dicto, si nēpe ita sit necesse & ex re Ecclesiæ. e.g. si velis ostēdere vsum istius dicti: *Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccata mundi. Joh. 1. v. 29.* hoc modo procedes. 1. Διδασκαλία. Hoc insigne elogium dulcissimā continet doctrinā de plenitudine & perfectione officij sacerdotalis Christi. 2. Ἔλεγχος Cadūt itaq; deliria illa de satisfactionib. canonicis, de meritis operum, de sacrificio Missæ, & id genus alia sexcenta. 3. Παιδεία. Vt per Dei gratiam gratos nos præsten. 9 huic benignissimo redētori nostro, corpora nostra vicissim illi offeramus hostiam viuā: & accedamus ad ipsum, rogemusq;, vt nobis peccata remittat, simulq; gratiam suam largiatur, vt illa vitemus, & viuamus tāquā agni, non vero vt hœdi aut lupi. 4. Ἐπανόρθωσις Perpendant hoc pseudo-Christiani, qui dominum, qui illos mercatus est, abnegant, & tanto pretio parāt redemtionē impia sua vita prostituunt. 5. Παράκλησις. Quoniam audimus, Christum esse agnum illū Dei immaculatū:, cujus merito & intercessione omnium nostrorum peccatorum veniam consequimur, dūmodo delictorū nostrorum pœnitētia ducti, in Christum vera fide omnia illa trajciamus & deuoluamus, agite bono simus animo, neq; in desperationis barathrum à diabolo nos præcipitari sinamus, quando nobis exaggerat peccata nostra. Ex quo exemplo satis apparet, quanta cura fidum pastorē in quintuplicem istū vsum incumbere oporteat, si ex concione sua fructum solidū ad suos auditores redire, & pia fœcunditate seipsum exhilarare velit. Nihil enim tam minutū in Scripturis occurrit, quod ex se non pariat quinq; ista genera: quæ tanta affinitate & complexu se mutuo contingunt, vt non sine causa fundamentum, cui quarumcunq; concionum structura innititur, censeantur, & vel solā concionandi methodū, vereq; Theologicam amplificandi rationē absoluant. Cæterum duo hic sunt obseruāda. Primo non est necesse, vt in omni concione quinq; isti vsus vrgeantur. Nam neq; tēporis, neq; auditorū ratio hoc fert. Deinde nec hoc est necesse, vt omnes & singuli isti vsus pari prolixitate & vehementia proponantur. Oportet enim hic dispicere, qui vsus inprimis conducāt nostro auditorio, quod nobis docendum, delectādum & mouendū proposuimus. Vbi illud quoq; non est prætereundū. Sæpe accidit, vt textus totidē verbis vsum nobis suppediter, vel saltē ad illū manuducat. Quod cū vsuuenit, oportet diutius hujusmodi applicationem vrgere, illiq; immorari. Quod autem attinet ad illos vsus, qui per aliquot consequentias è textu eruuntur, illorum explicatio & amplificatio non debet esse adeo operosa.

V. Illo-

Modi deductionis in singulis vsibus.

V. Modi deductionis in singulis vsibus diligenter sunt obseruandi.

In singulis vsibus textus sacri oportet dispicere, quomodo illi vel ex ipso textu totidem verbis, aut saltem per bonam consequentiam; vel ex se inuicem deduci possint. Quod artificium appellatur *methodus seu modus deductionis*, & ita habet secundum singula genera. *In genere doctrinali* hæ sunt regulæ. 1. Contraria contrariorum sunt consequentia. Ergo si hæc est vita æterna, vt cognoscamus Deum & Jesum Christum *Johan.17.* inde colligitur hæc doctrina, ignorare Deum & Christum esse mortem æternam. 2. Ex præceptis colligitur hæc doctrina: Rem, ad quam fit exhortatio, probari Deo, & esse sanctam, vtilem, necessariam. 3. Ex precationibus ad Deum colliguntur triplices doctrinæ: videlicet Deum esse misericordem, omnipotentem, & datorem omnis boni: bonum illud, quod à Deo petimus, esse rem vtilem, illius defectum esse in nobis, neque illius præstationem esse in nostra potestate vel arbitrio: nos denique debere imitari sanctos, qui hoc vel illud à Deo precati sunt. 4. Ex historijs colligitur didascalica, quando hypothesis transfertur ad thesin. 5. Ex quouis textu eruitur doctrina, quando thema, quod ibi occurrit, deducitur per locos inuentionis Logicæ. Quæ regula in sequentibus quoque generibus maximum vsum præstat. *In genere redargutiuo* sunt hæ regulæ. 1. Ex didascalia colligitur ἔλεγχος vi oppositionis & conuersionis Logicæ vt, quicunque credunt in Christum, habent vitam æternam. Ergo quicunque non credunt in Christum, non habent vitam æternam: & quicunque non habent vitam æternam, non credunt in Christum. Huc itaque pertinet artificium antitheseos. 2. Ex institutiuo, correctiuo & consolatorio genere petitur ἔλεγχος, si illa prius reuocentur ad aliquem locum communem. Nam locus cõmunis à latere habet suam controuersiam. *In genere institutiuo* sunt hæ regulæ. 1. Aliorum impietas & pœna nos debet reddere meliores. 2. Præsens rerum status, puta fames, pestis, bellum, &c. suppeditant efficacissimas exhortationes. 3. Facta laudabilia & præmia illorũ suppeditant adhortationem ad illa imitandum. 4. Ex reprehensione colligitur exhortatio contraria. 5. Ex precatione gratiarum actione, & consolatione deriuatur exhortatio. *In genere correctiuo*, hæc est methodus deductionis. 1. Ex commemoratione attributorum Dei colligitur reprehensio peccatorum nostrorum, itemque exhortatio ad piam vitam. 2. Cum Scriptura commendat pios, illorumq; fidem & vitam commendat, nos arguit, qui illos non imitamur. 3. Cum Scriptura aliorum peccata commemorat, nostra redarguit. Ita cum Deus cõqueritur de suo populo, de nobis eum conqueri cogitemus. 4. Præcepta Dei sunt speculum pecca-

peccatorum nostrorum. 5. Ex institutione deducitur reprehensio. 6. Ex precatione, gratiarum actione & consolatione deriuatur reprehensio. 7. A minori ad majus efficacissima ducitur correctio: vt. Querimur de morbis corporis, deq; illorum curatione sumus soliciti. Merito itaq; reprehendimur, qui de morbis animi ne semel quidem cogitamus. Item: Numeramus dies & annos, quibus experimur calamitates: at negligimus numerare peccata nostra, quibus iram Dei singulis momentis prouocamus, itēque Dei beneficia, quæ ille cumulatissime in nos confert. *In genere consolatorio* hæ sunt regulæ. 1. Capiuntur consolationes ex promissionibus diuinæ liberationis, ex illustribus sanctorum exemplis, & similibus. 2. A natura & proprietatibus Dei, & ipsius operum atque donorum colliguntur efficacissimæ consolationes. 3. Ex doctrina, redargutione, institutione & correctione deriuari potest consolatio. e. g. Seruiat hoc nostræ consolationi, quod hāc doctrinā intelligimus, quod non versamur in illo crasso errore, quod hactenus fecimus officium, quod nō incidimus in hoc peccatū, &c.

VI. In singulis vsibus certæ leges sunt obseruandæ, hoc modo. *Leges singulorū vsuum.*

In genere de his vsibus sunt hæ leges. 1. Applicatio ad praxin magis vrgeatur, quam ad theoriam. 2. Applicatio ad singulum vsum muniatur idoneis Scripturæ dictis, tum exemplis & similitudinibus. 3. Ne fiat applicatio ad vsus, à præsenti textu remotos, vel ex eo violenter contortos, sed sponte ex eo natos, vel fluentes. 4. Applicatio ad vsum certo fiat ordine, ne cōfuse, inordinate & saltuatim ab vno vsu ad alium transitus fiat. Hic tamen cryptis potest adhiberi, ita vt vsus quidam omittantur vel transponantur. 5. Ne in applicatione omnia, quæ de aliquo loco communi dici possunt, in medium proferantur; sed ea tantum ad quæ textus occasionem & argumenta suppeditat. 6. In applicatione semper verba textus inculcentur *In genere doctrinali & redargutiuo* hæ sunt leges. 1. Semper magis laboretur in thesi vera confirmanda, quam in falsa refutanda: imo nunquam ad refutationem erroris accedatur, nisi textus manifestam præbeat occasionē, & præsens Ecclesiæ necessitas requirat. 2. In argumentis confirmationis & refutationis vrgeatur textus. 3. Allegoriæ parcæ, & non nisi exigente textus natura, vsurpentur. 4. Omnes doctrinæ ad capita Catechetica referantur. 5. Errores & hæreses antiquæ & obsoletæ pro concione non moueantur: quia disserere de hæresibus non cognitis, est illas serere. 6. Recentes errores, & heterodoxiæ illæ potissimum moueantur, à quibus periculum imminet Ecclesiæ. 7. In refutatione dominetur Spiritus mansuetudinis. *In genere institutiuo & correctiuo* hæ sunt leges. 1. Exhortationes & dehortationes obsignentur aliqua precationis vel gratiarum actionis forma: item

Modi deductionis in singulis vsibus.

V. Modi deductionis in singulis vsibus diligenter sunt obseruandi.

In singulis vsibus textus sacri oportet dispicere, quomodo illi vel ex ipso textu totidem verbis, aut saltem per bonam consequentiam; vel ex se inuicem deduci possint. Quod artificium appellatur *methodus seu modus deductionis*, & ita habet secundum singula genera. *In genere doctrinali* hæ sunt regulæ. 1. Contraria contrariorum sunt consequentia. Ergo si hæc est vita æterna, vt cognoscamus Deum & Jesum Christum *Johan.17.* inde colligitur hæc doctrina, ignorare Deum & Christum esse mortem æternam. 2. Ex præceptis colligitur hæc doctrina: Rem, ad quam fit exhortatio, probari Deo, & esse sanctam, vtilem, necessariam. 3. Ex precationibus ad Deum colliguntur triplices doctrinæ: videlicet Deum esse misericordem, omnipotentem, & datorem omnis boni: bonum illud, quod à Deo petimus, esse rem vtilem, illius defectum esse in nobis, neque illius præstationem esse in nostra potestate vel arbitrio: nos denique debere imitari sanctos, qui hoc vel illud à Deo precati sunt. 4. Ex historijs colligitur didascalica, quando hypothesis transfertur ad thesin. 5. Ex quouis textu eruitur doctrina, quando thema, quod ibi occurrit, deducitur per locos inuentionis Logicæ. Quæ regula in sequentibus quoque generibus maximum vsum præstat. *In genere redargutiuo* sunt hæ regulæ. 1. Ex didascalia colligitur ἔλεγχος vi oppositionis & conuersionis Logicæ: vt, quicunque credunt in Christum, habent vitam æternam. Ergo quicunque non credunt in Christum, non habent vitam æternam: & quicunque non habent vitam æternam, non credunt in Christum. Huc itaque pertinet artificium antitheseos. 2. Ex institutiuo, correctiuo & consolatorio genere petitur ἔλεγχος, si illa prius reuocentur ad aliquem locum communem. Nam locus cõmunis à latere habet suam controuersiam. *In genere institutiuo* sunt hæ regulæ. 1. Aliorum impietas & pœna nos debet reddere meliores. 2. Præsens rerum status, puta fames, pestis, bellum, &c. suppeditant efficacissimas exhortationes. 3. Facta laudabilia & præmia illorũ suppeditant adhortationem ad illa imitandum. 4. Ex reprehensione colligitur exhortatio contraria. 5. Ex precatione gratiarum actione, & consolatione deriuatur exhortatio. *In genere correctiuo*, hæc est methodus deductionis. 1. Ex commemoratione attributorum Dei colligitur reprehensio peccatorum nostrorum, itemque exhortatio ad piam vitam. 2. Cum Scriptura commendat pios, illorumq; fidem & vitam commendat, nos arguit, qui illos non imitamur. 3. Cum Scriptura aliorum peccata commemorat, nostra redarguit. Ita cum Deus cõqueritur de suo populo, de nobis eum conqueri cogitemus. 4. Præcepta Dei sunt speculum pecca-

peccatorum nostrorum. 5. Ex institutione deducitur reprehensio. 6. Ex precatione, gratiarum actione & consolatione deriuatur reprehensio. 7. A minori ad majus efficacissima ducitur correctio: vt. Querimur de morbis corporis, deq; illorum curatione sumus soliciti. Merito itaq; reprehendimur, qui de morbis animi ne semel quidem cogitamus. Item: Numeramus dies & annos, quibus experimur calamitates: at negligimus numerare peccata nostra, quibus iram Dei singulis momentis prouocamus, itēque Dei beneficia, quæ ille cumulatissime in nos confert. *In genere consolatorio* hæ sunt regulæ. 1. Capiuntur consolationes ex promissionibus diuinæ liberationis, ex illustribus sanctorum exemplis, & similibus. 2. A natura & proprietatibus Dei, & ipsius operum atque donorum colliguntur efficacissimæ consolationes. 3. Ex doctrina, redargutione, institutione & correctione deriuari potest consolatio. e. g. Seruiat hoc nostræ consolationi, quod hāc doctrinā intelligimus, quod non versamur in illo crasso errore, quod hactenus fecimus officium, quod nō incidimus in hoc peccatū, &c.

VI. In singulis vsibus certæ leges sunt obseruandæ, hoc modo. *Leges singulorū vsuum.*

In genere de his vsibus sunt hæ leges. 1. Applicatio ad praxin magis vrgeatur, quam ad theoriam. 2. Applicatio ad singulum vsum muniatur idoneis Scripturæ dictis, tum exemplis & similitudinibus. 3. Ne fiat applicatio ad vsus, à præsenti textu remotos, vel ex eo violenter contortos, sed sponte ex eo natos, vel fluentes. 4. Applicatio ad vsum certo fiat ordine, ne cōfuse, inordinate & saltuatim ab vno vsu ad alium transitus fiat. Hic tamen cypsis potest adhiberi, ita vt vsus quidam omittantur vel transponantur. 5. Ne in applicatione omnia, quæ de aliquo loco communi dici possunt, in medium proferantur; sed ea tantum ad quæ textus occasionem & argumenta suppeditat. 6. In applicatione semper verba textus inculcentur *In genere doctrinali & redargutiuo* hæ sunt leges. 1. Semper magis laboretur in thesi vera confirmanda, quam in falsa refutanda: imo nunquam ad refutationem erroris accedatur, nisi textus manifestam præbeat occasionē, & præsens Ecclesiæ necessitas requirat. 2. In argumentis confirmationis & refutationis vrgeatur textus. 3. Allegoriæ parcæ, & non nisi exigente textus natura, vsurpentur. 4. Omnes doctrinæ ad capita Catechetica referantur. 5. Errores & hæreses antiquæ & obsoletæ pro concione non moueantur: quia differere de hæresibus non cognitis, est illas ferere. 6. Recentes errores, & heterodoxiæ illæ potissimum moueantur, à quibus periculum imminet Ecclesiæ. 7. In refutatione dominetur Spiritus mansuetudinis. *In genere institutiuo & correctiuo* hæ sunt leges. 1. Exhortationes & dehortationes obsignentur aliqua precationis vel gratiarum actionis forma: item

informentur & vestiantur aliqua prosopopœja, communicatione & occupatione. *Precatione:* Det Deus, vt ita viuamus. Faxit Deus, vt agnoscamus nos in illo grauiter peccare. *Gratiarum actione:* Deo sit laus, quod hactenus facimus officium: Agamus Deo gratias, quod immunes sumus ab illo peccato. *Prosopopœja:* Non ego, sed Deus, vel Apostolus ita vos alloquitur: Non hæc sunt mea verba, sed Dauidis. *Communicatione, qua Græcis dicitur* κοινώσις: Faciamus officium omnes & singuli: Ah grauiter hic peccamus: *item illa, qua Græcis dicitur* ἀναχοίνωσις. Annon ipsi fateri necesse habetis, hæc peccata inualescere? Annon ita est, auditores, officium ministrorum exigere, vt hæc peccata notent virgula censoria? *Occupatione*, qua vel reprehensioni viam sternimus, vel illam mitigamus, ita vt ostendamus, nos peccata non insectandi studio accusare, sed corrigendi; non vllius odio, sed amore omnium; non animo cõuinciendi, sed eripiendi ex æterno exitio. 2. Gaudium nostrum in exhortationibus, dolorem & spem in reprehensionibus debemus præ nobis ferre. 3. In exhortationibus laudandi sunt illi, qui faciunt officium. 4. Non sunt reprehendenda peccata occulta, neque illa, quorum nomina populo sunt inaudita. 5. Parcendum est nominibus 6. Objurgatio sit querela, non expostulatio iracunda. 7. Objurgationi subijciatur consolatio pro animis fractis. *In genere consolatorio* hæ sunt leges. 1. Praxis consolationis frequentissima esse debet 2. Consolatio transferri debet ad vsum in precatione, cruce, tentatione & morte. 3. In consolatione hypotyposis & prosopopœja locum habeat: e g. in explicatione illius dicti *Matth. 11. Venite ad me omnes*, &c. ita procedere possumus: Cogita quantum hoc sit, anima mea, vel mi frater, quod Filius Dei te vocat, quod tam amanter te vocat, quod vocat te, qui nil es nisi massa peccati. Dic itaque: Cum Christus tam amanter me miserum peccatorem vocet, veniam ad ipsum. Equidem sum oneratus peccatis multis: sed præsto est, qui reficiat. Domine Jesu, patet tibi porta cordis mei. Ah pateat mihi porta tuæ bonitatis!

Modus inueniendi formulas varias vsuum.

VII. Modus inueniendi varias formulas in singulis vsibus pendet à locis inuentionis Logicæ, itemque à figuris theoricis.

Exempla è multis hæc sunto *1. In genere doctrinali:* Videte, dilecti, quã felices nos simus, qui hoc mysterium intelligimus: O beatos nos, qui scimus voluntatem Domini! Agamus Deo gratias pro doctrinæ hujus reuelatione: Notate hodie hanc doctrinam, domi inculcate: Hoc dicto fidem vestram sulcite: Oremus Deum, vt det nobis intelligere sublimem hanc doctrinam. *2. In genere elenctico:* Ne itaq; sinatis vos seduci, charissimi, illo vulgato errore: O errorem noxium! O nos beatos, qui meliorem

docti

doctissimus sententiam! Errant itaque illi qui sic docent: Non possum quin hic vos moneam, vt vobis cauatis ab illo errore: Hinc manifestum sit, doctrinam aduersariam δὶς ἀλήθειαν distare à Sacræ Scripturæ synosi.

3. *In genere institutiuo:* Dictum nobis putemus, fratres quod dicitur Abrahamo: Ecce iste dixit Dominus tuus temporis, quæ ad nostra quoque tempora pertinere arbitrabimur: Cogitate ipsi Dauidem, ad quem Deus hæc verba profert: O beatos illos, qui sic viuunt: Facile quidem hic est concionari, sed non facile est facere: Tetige, ô homo hoc attingit: Dulcissimis hisce cogitationibus è præsenti textu domi vos oblectate, & vtiminiloco amussis: Insistamus vestigijs sancti hujus viri: Exigitate animam vestram ad imitationem hujus sancti hominis Deus vos orat, monet, inuitat ad hoc faciendum: Audite Spiritum Sanctum, Paulum Apostolum, &c. Cogitate, quid dicatis in oratione Dominica, vt videlicet nomen Dei sanctificetur, &c.

4. *In genere correctiuo:* Quis vestrum non abhorret ab hoc peccato: Quis vestrũ non execratur homicidium Dauidis: Sed quilibet in se ipsum descendat: Teipsum examina, & dispice annon in simili peccato hæreas: Cogita apud te, Tu es ille, tu mutato nomine reprehenderis: Si Deus cujusus cor jam patefaceret, ô quam multos videremus reos: Væ illis, qui Deum contemnunt: O infelices illos, qui sic viuunt: Ah charissimi, ne hoc facite: quisque sibi parcat: Ne contemnamus admonitiones Jesu Christi: Graue vobis erit, aliquando comparere coram tribunali Dei, & hujus rei rationem ibi reddere; Ah quantopere tibi dolebis; cogitabis ibi, ô si nunquam fuissem, si nihil essem: Non mea verba sunt, sed Christi: Cogitate, amabo, promissionem Dei, cogitate comminationem, cogitate horrendas pœnas: Ego non auderem ista carpere nisi haberem mandatum Dei: Audiant hi tales non me, miserum profecto peccatorem, sed Dominum: Ethnici exsurgent in vltimo judicio contra nos: Pudeat nos, qui verbum Dei habemus, nostræ ἀθεότητος: Obsecro, fratres, cur nos Christianos appellamus: Quidquid tamen horum sit, redite in viam, consolamini vos exemplo Dauidis resipiscentis, &c.

5. *In genere consolatorio:* Si quis ad me veniat, & petat consolationem in tentatione si alius in morbo, si alius in paupertate, nonnisi ex hoc textu illam petam: Hæc est dulcissima doctrina, quam vtinam corda nostra capiant: Hinc hauriat consolationem, qui illa indiget: O quam læta hæc accidunt cordi contrito: Ah Domine Deus, quam largæ sunt hæ tuæ promissiones: Credite hoc, amici dilecti; & cordibus vestris insculpite: Super his dictis fundemus corda nostra, ædificemus fidem nostram; sic demum firma & immota stabit, sic nunquam vacillabit, neque in morte, neque in vlla alia afflictione: Agite, amici, qui

affligimini; hinc capite consolationem: Si quis luctatur cum tentatione, arripiat hoc solatium: Vos, qui tentationes nondum experti estis, discite nihilominus hanc consolationem, tum vt alios solari possitis, tum vt vos habeatis in casu necessitatis, quo vos erigatis: O vtinam satis ampla corda haberemus ad res tantas capiendum, ad includendum Dei benignitatem, ad retinendum hanc tantam dulcedinem: Agamus gratias dulcissimo nostro Seruatori Jesu Christo, Apostolo Paulo & pro hac suauissima sententia; absque qua & similibus si foret, vtique nobis desperandum esset.

CAP. XVI.

De Applicatione.

PRÆCEPTA.

Applicatio est, qua concionator vsum doctrinæ traditæ applicat certis auditoribus.

Ejus occurrit necessitas, & modus.

Necessitas tanta est, vt sine applicatione concio sit frigida: dum quæ in genere dicuntur, ad alios potius, quam nos pertinere putantur.

Modus applicationis absoluitur hisce duobus: vt nempe tollantur ea, quæ applicationem impediunt, & Postilla realis vitæ auditorum inspiciatur.

REGVLÆ.

Vtilitas applicationis. I. Applicatio est vehementissima machina, qua expugnatur animus auditoris.

Nam tanta est plerorumque peruicacia, vt nisi è propinquo tangantur, sibi in suis vitijs semper blandiantur, & ad se non pertinere arbitrentur, quæ in genere dicuntur: tanta quoque est plurimorum infirmitas, vt non possint è fontibus consolationum generalibus suo vase haurire illa, quæ animam æstuantem reficere possunt, nisi concionator manum auxiliarem hic præbeat. Oportet itaque, vt Ecclesiastes aduigilet huic rei, nihilque faciat reliqui ad summam diligentiam in hac concionis parte rite formanda & promulganda.

Impedimenta applicationis. II. Impedimenta applicationis concionatori diligenter sunt obseruanda, illisque est prudenter occurrendum.

Multa sunt, quæ applicationem impediunt, vel efficiunt, vt doctrinæ cum

cum vsu in sequiorem partem rapiantur. Hæc itaque concionator diligenter obseruabit, & dispiciet, quomodo illa possit è medio tollere. Sunt autem hujusmodi impedimenta numero tredecim. 1. Opinio vulgatissima, satis esse si verbum Dei in genere audiatur. 2. Inanis persuasio & gloriatio de titulo Christianismi, sine emendatione vitæ & doctrinæ Christi applicatione. 3. Æstus prauarum cupiditatum & desideriorum, quibus vis infertur per applicationem. 4. Temeritas & imprudentia concionatoris, qua fit, vt ille in applicatione transiliat leges prudentiæ & charitatis. 5 Horrenda securitas hominum. 6. Nimia cura huius vitæ, ventris, & euentus. 7. Opinio operis operati: qua multi sibi falso persuadent, sufficere ad salutem, baptizatum esse, templum certis diebus frequentare, &c. 8. Vana spes longioris vitæ, qua fit vt applicationem procrastinemus. 9. Mala exempla aliorum. 10. Hypocrisis illorum, qui externa quadam pietatis larua hominibus imponunt. 11. Politica illa diaboli, qua fit, vt homines sibi persuadeant, se duobus dominis, Deo & Mammonæ, seruire posse. 12. Metus crucis & persecutionis. 13. Malitiæ effrænis, qua doctrina verbi Dei in occasionem peccandi trahitur. Hæc impedimenta concionator è medio tollet, atque ita sibi viam muniet ad applicationem. Id autem commodissime faciet, si adhibeat prolepsin. e. g. si pro concione tractet hunc locum communem: *Dei prouidentia omnia regit:* & inde deducat hanc institutionem: *Cum Deus omnia regat, oportet vt curam nostram ipsi committamus.* Applicatio per prolepsin sic formabitur: *Dicis, te libenter hoc facturum, nisi exempla illorum, quos vides prospere agere absq; Dei reuerentia, te transuersum abriperent. Facessat, mi frater, hæc cogitatio.* Nam *felicitas illa est instar foli & gluma. E contrario autem illi, qui super Dominum iactant curam suam, sunt veluti arbor plantata ad riuos aquarum.*

III. Media applicationis sunt duo: videl. consideratio singulorum statuum, & censura ecclesiastica. *Media applicationis.*

Primo enim oportet vt concionator in specie ad vitæ humanæ ordines siue status descendat, ordineque percurrat singulos: videl. œconomicum, scholasticum, ecclesiasticum & politicum, adeoque omnia vitæ genera & opificia, quibus respublica constat. Inprimis hoc fieri oportet in institutione, correctione & consolatione. In doctrina fiat applicatio ad iuuentutem, agricolas &c. in redargutione ad illos, quos scimus defendere sententiam erroneam. *Deinde* concionator exploratam habebit vitam singulorum auditorum, idque partim ex quotidiana conuersatione, ingeniorumque & morum obseruatione, partim ex presbyterii censura. Ita enim fiet, vt habiturus concionem inspiciat hanc Postillam realem vitæ auditorum, indeq; sumat occasionem prudentis amplificationis.

CAP. XVII.

De peroratione concionis.

PRÆCEPTA.

Peroratio concionis sacræ est qua tractatio textus artificiose clauditur.

Eius occurrunt leges & partes.

Leges sunt, vt peroratio sit breuis, neruosa pathetica & deuota.

Partes ipsius sunt quatuor: ἀνακεφαλαίωσις summaria repetitio præcipuorum: παθοποιία seu δέησις, affectuum concitatio: & εὐχὴ precatio ad Deum: δοξολογία glorificatio nominis Dei.

REGVLÆ.

Scopus epilogi.

I. Duplex finis præpositus esse debet cõcionatori in epilogo, memoria videl. & motus auditorum.

Nam cum peroratio sit quidam quasi portus cõcionis, ecclesiastes hic imitabitur nautas, qui dum ad portum appellunt, celeusmate excitant se inuicem, & recordantur eorum quæ gesta sunt, vt de illis possint recte referre ad suos. Eundem in modum ecclesiasticus orator præcipua capita concionis repetitum ibit, non dogmatice tantum & male, sed pathetice & cum affectu insigni.

Leges epilogi.

II. Leges epilogi illustrantur his regulis.

1. Potissimæ doctrinæ cum suis vsibus breuiter & affectuose repetantur. 2. Epilogus non tantum sit breuis, sed etiam neruosus, vt non tam epilogus videatur, quam noua & parua concio. Hanc ad rem valde prodest, si efficax & insigne aliquod argumentum in epilogo ponatur, quod antea non fuit adductum & auditum. Ita enim acriores stimuli relinquentur in animis auditorum. 3. In epilogo dominari debent argumenta pathetica, de quibus supra. 4. In epilogo singularis requiritur deuotio, quæ inprimis cerni debet in precatione & doxologia.

Dispositio epilogi.

III. Dispositio epilogi nunquam erit cryptica, sed semper plena & analoga.

Ratio canonis est; quia si omittatur, vel transponatur, vel addatur aliquid, oratio minus redditur affectuosa. Quocirca quatuor partes epilogi collocandæ fuerint hoc modo & ordine 1. *Recapitulatio*, quæ est breuis & neruosa repetitio tum propositionis, tum argumentorum, quorum maxime meminisse volumus auditores. 2. *Concitatio affectuum*; quæ est affectuosa recapitulationis amplificatio, constans grauiori dicendi genere, quo auditorem commouemus ad amplectendum anacephalæosin. Hic praxis doctrinæ propositæ fuerit vigenda, ita vt moueantur auditores,

tores, imo precibus excitentur, vt salutaris doctrinæ propositæ diligentem habere velint rationem, eamque domum secum deferant, ibi reperant, domesticis atque familiaribus suis explicent, & ad fidei suæ confirmationem, vitæque emendationem, quasi in succum & sanguinem, totam conuertant. Exemplum huius concitationis vide *Philip. 4. v. 1. & seqq.*; *Precatio & votum*; quibus à Deo contendimus supplices, vt nobis largiatur gratiam spiritus sui sancti, qui hoc efficiat, vt concioni habitę respondeamus fide & vita pia: quemadmodum apostolus concludit epistolam ad Hebræos *c. 13. v. 20. 21* *4. Doxologia*; qua Deum glorificamus. *Formulæ* harum particularum sumi possunt vel ab insigni aliquo dicto, vel ab egregio simili, vel à futuro bono ineffabili, vel à damno intolerabili, vel ab aliis patheticis argumentis e.g. Qui habet aures ad audiendum, denuo audiat quod dixi in toto hujus concionis decursu. Item: Plantaui ego, auditores, fecique quod meum est, & vos docui hæc tria &c. Jam nunc desino, viceque vlterius concionandi spiritui sancto resigno. Tu itaq;, Deus, Doctor ille qui cathedram in cœlo & in cordibus nostris habes, nos intus doce, verbumq; tuum in nobis viuifica, & da incrementum salutare. Tibi sit laus, honos & gloria in sempiternum, Amen. *Item:* Desinam ego nunc, amici dilectissimi, & sinam ad vos concionari Spiritum sanctũ: feci, quod meum est: dignetur Dominus facere, quod suum est. Rigaui ego & plantaui: Deus det incrementum. Dicat Deus cordib. vestris, quod ego dixi auribus. Ille sit pastor spiritus, doceatq; vos, verum esse quod dixi, Christum esse Deum & hominem: verum esse quod dixi, Christum esse prophetam, sacerdotem & regem & nostrum; verum deniq; esse quod dixi, Christum esse nobis omnia. *Item:* Audiuistis hæc duo &c. Faxit Deus, vt ex hac concione fiat accessio fidei & vitæ sanctæ, vt ita præparemur ad vitam æternam: quam gratiam nobis largiatur Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus, benedictus in omne æuum, Amen. *Item:* Sed jam desino. Audiuimus hæc duo &c. Faxit Deus, vt hæc doctrina multiplicem fructum ferat, ad nominis sui gloriam, & salutem animarum nostrarum, Amen. *Item:* Finis sit nostræ homiliæ. Quod restat, faxit Deus, vt hæc concio inter alia viuam in nobis pariat consolationem, atque ita nos præparet ad vitam illam, quã nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec vllus homo cogitatione comprehendit. Cujus gaudii & gloriæ tu nos fac participes, Domine Deus Pater cœlestis, per Filium tuum vnigenitum, cui tecum & cum Spiritu sancto sit laus, honor & gloria in secula seculorum Amen.

CAP.

CAP. XVIII.

De recessu à tractatione textus.

PRÆCEPTA.

Recessus à tractatione textus est, quo facta transitione perfecta accedimus ad preces & solennitates ecclesiasticas. Aliis dicitur epilogus concionis remotus.

Eius partes sunt quatuor: Transitio perfecta, preces, solennitates ecclesiastice, & clausula votiua.

REGVLÆ.

Recessus à concione sit breuis.

I. Recessus à concione ne superet concionem: nisi magna sit necessitas.

Peroratio concionis, non aliter atque exordium, est proxima, vel remota. *Peroratio proxima* pertinet ad tractationem textus, & dicitur κατ' ἐξοχὴν peroratio. *Peroratio* remota est recessus à concione: qui hoc commune habet cum peroratione proxima, quod vbique dominari debet breuitas. Quemadmodum itaque epilogus non debet superare reliquam textus tractationem: ita recessus à concione non erit longior ipsa concione, nisi forte magna incidat necessitas circa solennitates ecclesiasticas. Tum enim valet illud tritum: *Necessitas non habet legem.*

Formula connexionis in recessu à concione.

II. Recessus à tractatione textus connectatur cum illa tractatione per transitionem perfectam.

Oportet enim hic duo indicare: videl. quid sit peractum, & quid restet peragendum. Potest itaque vsurpari hujusmodi formula: Postquam prima parte sacri cultus perfuncti sumus, hoc restat, vt altera quoque defungamur, & nostras ad Deum preces fundamus. Sequimini ergo suspiriis vestris me præeuntem vobis orationem Dominicam &c. *Item:* Audiuimus Deum nobis loquentem in verbo suo: jam nunc Deum alloquemur per preces, inque iis partim agemus Deo gratias cum pro aliis infinitis beneficiis, tum nominatim pro annuntiatione verbi sui; partim rogabimus ipsum, vt verbum suum apud nos conseruet &c.

Precatio in recessu à concione qualis?

III. In precatione oportet considerare conceptionem, & formulas.

In conceptione precum duplex spectatur materia ex vna parte defectus & peccata populi; ex altera gratiæ & beneficia Dei. Quam materiam oratio Dominica reducit ad sex capita, quæ sunt gloria Dei, regnum Dei, obe-

obedientia noſtra, conſeruatio vitæ, remiſſio peccatorum, corroboratio ſpiritus. *Formulæ precum* ſunt vel ſolemnes & ſtatæ, vel variantes, quæ pro re nata concipiuntur: idq; iuxta ordinem ſymboli apoſtolici, vel orationis dominicæ, vel textus expoſiti, vel ſtatuum vitæ humanæ, prout ſtatus reip. & eccleſiæ poſtulat.

Solennitates eccleſiaſticæ.

IV. Solennitatum eccleſiaſticarum menſura & regula eſt conſuetudo & ratio temporis.

Variæ ſunt ſolennitates eccleſiaſticæ: puta indictio concionum, proclamatio coniugum, adminiſtratio ſacramentorum, benedictio conjugũ, cantus eccleſiaſticus, abſolutio peccatorum reſipiſcentium, præſentatio paſtoris, & ſimiles: in quib. oportet conſiderare conſuetudinẽ loci & rationem temporis. Qua de re conſule infra Politiam eccleſiaſticam.

Clauſula votiua.

V. Clauſula votiua eſto ſtata & ſolennis.

Qualis eſt illa benedictio populi diuinitus imperata. *Num. 6. v 24. & ſeqq. Benedicat tibi Jehoua, & cuſtodiat te: Faciat Jehoua, vt luceat facies ſua tibi, & gratiam faciat tibi: Attollat Jehoua faciem ſuam erga te, & apponat tibi pacem.*

Atque hæc ſunt præcepta diſpoſitionis eccleſiaſticæ, quæ illuſtramus appoſitione duorum exemplorum, quorum alterum pertinet ad diſpoſitionem textualem ſeu hypotheticam, alterum ad diſpoſitionem dogmaticam ſeu theticam.

EXEMPLVM DISPOSITIONIS TEXTVALIS.

Auxilium noſtrum eſt à Domino, qui fecit cœlum & terram, Amen.

Conuenimus, dilecti in Domino, vt verbum Dei audiamus, noſtraſq; preces deuote recitemus. Verum enimuero quia ad hoc præſtandum prorſus non ſumus idonei, adeo, vt ne minimam quidem cogitationem in rebus ſacris ex nobis ipſis concipere poſſimus, neceſſitas poſtulat, vt Deo fiamus ſupplices, & ab illo humiliter petamus remiſſionem peccatorum noſtrorum propter ſatisfactionem Jeſu Chriſti, itemq; communicationem ſpiritus ſancti qui noſtrum intellectum illuminet, & corda noſtra ducat in omnem veritatem. Quam gratiam vt à Deo impetremus, agite recitemus orationem Dominicam, *Pater noſter* &c.

Nunc audiamus verbum Dei, quod deſcribitur ab euangeliſta *Matth. 6, 4 à v. 1. ad 12.*

Atque hæc ſunt, quæ in præſentia in timore Dei ruminabimus. Faxit Deus, vt verbũ ipſius recte intelligamus, illoq; ſalutariter vtamur, Amen.

In prælectis verbis deſcribitur conflictus inter duos valde potentes principes, Chriſtum & diabolum. Quam luctam vt probe intelligamus, conſiderabimus hæc duo.

I. ACCESSVS AD CONCIONEM.
1. *Votum*
2. *Indicatio ſcopi.*
3. *Deploratio miſeriæ noſtræ.*
4. *Imploratio miſericordiæ Dei.*
5. *Precatio.*
6. *Acceſſus ad prælectionem textus.*
7. *Prælectio textus.*
8. *Clauſula votiua.*

II. EXORDIVM *ſeu Narratio.*

III. PROPOSITIO, *ſeu Diſtributio narrationis.*

1. Quomodo diabolus Christum sit aggressus ter repetitis vicibus.
2. Quomodo Christus hos diaboli ictus exceperit & retuderit.

IV. TRACTATIO PRIMÆ PARTIS.

Quantum attinet ad primam partem, diabolus occasionem cõfligendi cum Christo inde sumsit, quod paulo ante audiuit vocem illam Dei Patris in baptismo Christi *Mat.3. Hic est Filius ille meus dilectus, in quo acquieſco.* Huc accedit solitudo illa, in qua Christus fuit, itemque fames, quam almus ille Seruator sustinuit. Hinc versipellis ille hostis sumsit occasionem adoriendi Filium Dei, & illum ad defectionem aliquam à Deo subducẽdi, adeoq; efficiendi quo minus genus humanum liberare posset. Proinde sumit animũ, & ait, *Si es Filius Dei, dic vt hi lapides fiant panis.* q.d. Audiisti quidem in Iordane vocem illam, te esse Filium Dei. Verum enimuero hęc vox fuit inanis sonus. Si enim esses Filius Dei, vtiq; non laborares fame. Neq; enim fieri potest, vt pater diues & amans filii sui tam acerbe illum tractet. Quare ne fidem habe isti voci, sed meum consilium sequere. Atq; hic erat primus conflictus.

1. *Tractatio exegetica seu paraphrastica.*

Secundus congressus ita habet. Postquam diabolus audiuit, frustra Christo suaderi infidelitatem, existimauit ipsi suaderi posse securitatem. Ideo Christum ducit in pinnas templi, & suadet vt se demittat inde: fore enim vt Pater cœlestis filium suum tueatur. Cum vero Christus ipsi respõderet ex verbo Dei, regerit ille verbum Dei, sed mutilatum, ex *Psal.91.*

Tertius impetus hic est. Cũ diabolus vtrũq; impetum frustra se fecisse videt, proponit Christo honorẽ, opes & potentiã mundi, & ostendit ei omnia regna mundi, dicens: *Hæc omnia tibi dabo.* Sed ô mendacẽ Satanam! Nullam potestatem habet in pediculum, aut in gregem porcarũ. *Exod.22. & Mat 8.v.31.* Ergo multo minus regna mundi ad ipsum pertinẽt. Hinc discimus, officii nostri esse, vt nobis à diabolo & ejus technis quam enixissime cauteamus. Si enim Christum, ducem illum fortissimũ exercitatissimũ & peritissimum aggredi nõ dubitauit, nobis profecto non parcet, qui sumus imbelles & pueri in militia spirituali. Hanc ad rem Christus ipse nos hortatur quando Satanam *Joh.8.v.44.* appellat homicidam & mendacem, à cuius vi sophistica merito sibi cauent illi, qui per tenebrosam vallem hujus mundi ad cœlestem patriam tendunt. Huc facit, quod Petrus diabolum appellat leonem rugientem, qui circuit & quærit quem deuoret. *1. Petr.5.verſ.8.* Porro diabolus conatur nos ventilare, vt Christus ad Petrum dicit *Luc.22.verſ.31.* Nostrarum itaque partium est orare & vigilare, ne intremus in tentationem, vti Christus in loco citato monet. Quod nisi fecerimus, idem nobis euenit, quod primis nostris parentibus *Gen.3.* Dauidi *2.Sam. 11.* & Petro *Matth.26.* Nam diabolus serpentiuam suam calliditatem, & leoninam potentiam hodieque retinet, atque ita nobiscum agit, vt, si videat pellem leoninam à nobis obseruari, assuat vulpi-

2. *Tractatio dogmatica.*
3. *Propositio. Rationes ipsius.*
E textu.
Ex alius scripturæ dictis.

Ab exemplo. A simili.

vulpinam. Hinc solet cum hominibus agere vti cum Christo egit, & adfert verba scripturæ. Nimirum magis & superstitiosis suader, vt toties recitent symbolum, Pater noster, Ave Maria: vt de collo suspendant euangelium Johannis, vt hoc vel illud faciant in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti. Hoc modo nimirum diabolus se transformat in angelum lucis 2. *Cor.* 11. & lupinum suum ingenium palliat veste ouilla. Oportet itaque vt insidias & mendacia hujus hostis diligenter obseruemus & imitemur milites, qui caute obseruant hostem, cujus sapientia & potentia est metuenda.

V. Usus.
1. *Institutio.*
2. *Correctio.*

Agite itaq;, auditores, lũbos nostros circũcingamus, lucernas nostras oleo impleamus, & imitemur illos seruos, qui solicite expectant heri suũ. *Luc.* 12. *v.* 36. Oremus & vigilemus. *Matt.* 26. Apprehendamus scutum fidei. *Eph.* 6. *v.* 16. Ne illis simus similes, qui diabolum nullum esse clamitãt, vel cum ipso colludunt, vel inanibus terriculamentis, velut signo crucis, aqua lustrali, & similibus magis, abigere conantur.

II. *Propositio trimembris.*
Rationes primi membri. E *textu.*
Ab exemplis & experientia.

Secundo loco discimus, quonam modo diabolus soleat homines plurimũ aggredi, & quo pacto huic archisophistæ possimus occurrere. Ac primo quidem nos adigere conatur ad pusillanimitatem & desperationem, quasi Deus non habeat nostri rationem. Ita Christum famelicum tentauit. Ita Jobum, *Iobi capite secundo, versiculo nono.* Ita hodie cum hominibus agit. Si quis enim cum morbo cõflictetur, hujusmodi cogitationes suggerit diabolus: Afflixus es lecto & graues experiris labores. Non igitur est, quod credas Deum esse patrem tuum. Accumulat enim te & velut obruit, omnis generis calamitatibus. Ecce orbauit te liberis tuis, illosq; in flore ætatis tibi abstulit! Jamnunc hoc morbo te exercet. Hoccine vero est patrẽ esse? Quod si diabolus videat te instare precib. apud Deũ, nihilq; proficere, hoc dat consilium: Ecce, vir ille aut mulier ista, morbum tuum tollere potest adhibitis verbis à Deo præceptis. Quin igitur accurris, & hoc medico vteris. Similiter si quis pauperculus famem, frigus & similia mala patiatur, diabolus protinus se sistit, & ait: Itane, mi homo? An Deus est pater tuus, qui te tot malis subigit? Ne hoc tibi persuade. Sequere meum consilium, & tibi ipsi prospice de rebus necessariis per artes vulgo vsitatas, vt sunt furtum, rapina, vsura, iniqua vlna. Nisi hoc feceris, & teipsum promoueris, certe frustra est tua fiducia, quã in Deo collocas.

Rationes secundi membri. E *textu.*
Ab experientia.

Cæterum quando diabolus excidit suo conatu, & hominibus frustra suasit diffidentiam & desperationem, aliam viam ingreditur, illosque inducere conatur in securitatem & temeritatẽ. Nam quemadmodũ ad Christũ hoc in loco dicit, Demitte teipsũ ex hoc fastigio; nihil tibi est metuẽdũ, quia es filius Dei: ita quoq; hodie cũ hominib agit. Nã modo suggerit has cogitationes: Indulge peccatis, helluare, cõuiuare, & genialiter viue: qa fieri non

1. Quomodo diabolus Christum sit aggressus ter repetitis vicibus.
2. Quomodo Christus hos diaboli ictus exceperit & retuderit.

IV. TRACTATIO PRIMÆ PARTIS.

Quantum attinet ad primam partem, diabolus occasionem cõfligendi cum Christo inde sumsit, quod paulo ante audiuit vocem illam Dei Patris in baptismo Christi *Mat.3. Hic est Filius ille meus dilectus, in quo acquiesco.* Huc accedit solitudo illa, in qua Christus fuit, itemque fames, quam almus ille Seruator sustinuit. Hinc versipellis ille hostis sumsit occasionem adoriendi Filium Dei, & illum ad defectionem aliquam à Deo subducẽdi, adeoq; efficiendi quo minus genus humanum liberare posset. Proinde sumit animũ, & ait, *Si es Filius Dei, dic vt hi lapides fiant panis.* q.d. Audiuisti quidem in Iordane vocem illam, te esse Filium Dei. Verum enimuero hęc vox fuit inanis sonus. Si enim esses Filius Dei, vtiq; non laborares fame. Neq; enim fieri potest, vt pater diues & amans filii sui tam acerbe illum tractet. Quare ne fidem habe isti voci, sed meum consilium sequere. Atq; hic erat primus conflictus.

1. Tractatio exegetica seu paraphrastica.

Secundus congressus ita habet. Postquam diabolus audiuit, frustra Christo suaderi infidelitatem, existimauit ipsi suaderi posse securitatem. Ideo Christum ducit in pinnas templi, & suadet vt se demittat inde: fore enim vt Pater cœlestis filium suum tueatur. Cum vero Christus ipsi respõderet ex verbo Dei, regerit ille verbum Dei, sed mutilatum, ex *Psal.91.*

Tertius impetus hic est. Cũ diabolus vtrũq; impetum frustra se fecisse videt, proponit Christo honorẽ, opes & potentiã mundi, & ostendit ei omnia regna mundi, dicens: *Hæc omnia tibi dabo.* Sed ô mendacẽ Satanam! Nullam potestatem habet in pediculum, aut in gregem porcarũ. *Exo.8.v.* 11. *& Mat* 8.*v.*31. Ergo multo minus regna mundi ad ipsum pertinẽt. Hinc discimus, officii nostri esse, vt nobis à diabolo & ejus technis quam enixissime cauteamus. Si enim Christum, ducem illum fortissimũ exercitatissimũ & peritissimum aggredi nõ dubitauit, nobis profecto non parcet, qui sumus imbelles & pueri in militia spirituali. Hanc ad rem Christus ipse nos hortatur quando Satanam *Joh.8.v.44.* appellat homicidam & mendacem, à cuius vi sophistica merito sibi cauent illi, qui per tenebrosam vallem hujus mundi ad cœlestem patriam tendunt. Huc facit, quod Petrus diabolum appellat leonem rugientem, qui circuit & quærit quem deuoret. 1. *Petr.5.vers.*8. Porro diabolus conatur nos ventilare, vt Christus ad Petrum dicit *Luc.22.vers.*31. Nostrarum itaque partium est orare & vigilare, ne intremus in tentationem, vti Christus in loco citato monet. Quod nisi fecerimus, idem nobis euenit, quod primis nostris parentibus *Gen.*3. Dauidi 2. *Sam.* 1. & Petro *Matth.26.* Nam diabolus serpentiuam suam calliditatem, & leoninam poteriam hodieque retinet, atque ita nobiscum agit, vt, si videat pellem leoninam à nobis obseruari, astuat vulpi-

2. Tractatio dogmatica.
1. Propositio. Rationes ipsius.
E textu.
Ex aliis scripturæ dictis.
Ab exemplo Asimili.

vulpinam. Hinc solet cum hominibus agere vti cum Christo egit, & adfert verba scripturæ. Nimirum magis & superstitiosis suader, vt toties recitent symbolum, Pater noster, Ave Maria: vt de collo suspendant euangelium Johannis, vt hoc vel illud faciant in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti. Hoc modo nimirum diabolus se transformat in angelum lucis 2. Cor. 11. & lupinum suum ingenium palliat veste ouilla. Oportet itaque vt insidias & mendacia hujus hostis diligenter obseruemus & imitemur milites, qui caute obseruant hostem, cujus sapientia & potentia est metuenda.

V. Usus.

Agite itaq; auditores, lũbos nostros circũcingamus, lucernas nostras oleo impleamus, & imitemur illos seruos, qui solicite expectant herũ suũ. *Luc. 12. v. 36.* Oremus & vigilemus. *Matt. 26.* Apprehendamus scutum fidei. *Eph. 6. v. 16.* Ne illis simus similes, qui diabolum nullum esse clamitãt, vel cum ipso colludunt, vel inanibus terriculamentis, velut signo crucis, aqua lustrali, & similibus magis, abigere conantur.

1. *Institutio.*
2. *Correctio.*

Secundo loco discimus, quonam modo diabolus solcat homines plurimũ aggredi, & quo pacto huic archisophistæ possimus occurrere. Ac primo quidem nos adigere conatur ad pusillanimitatem & desperationem, quasi Deus non habeat nostri rationem. Ita Christum famelicum tentauit. Ita Jobum, *Iobi capite secundo, versiculo nono.* Ita hodie cum hominibus agit. Si quis enim cum morbo cõflictetur, hujusmodi cogitationes suggerit diabolus: Afflixus es lecto & graues experiris labores. Non igitur est, quod credas Deum esse patrem tuum. Accumulat enim te & velut obruit, omnis generis calamitatibus. Ecce orbauit te liberis tuis, illosq; in flore ætatis tibi abstulit! Jam nunc hoc morbo te exercet. Hoccine vero est patrẽ esse? Quod si diabolus videat, te instare precib. apud Deũ, nihilq; proficere, hoc dat consilium: Ecce, vir ille aut mulier ista, morbum tuum tollere potest adhibitis verbis à Deo præceptis. Quin igitur accurris, & hoc medico vteris. Similiter si quis pauperculus famem, frigus & similia mala patiatur, diabolus protinus se sistit, & ait: Itane, mi homo? An Deus est pater tuus, qui te tot malis subigit? Ne hoc tibi persuade. Sequere meum consilium, & tibi ipsi prospice de rebus necessariis per artes vulgo vsitatas, vt sunt furtum, rapina, vsura, iniqua vlna. Nisi hoc feceris, & teipsum promoueris, certe frustra est tua fiducia, quã in Deo collocas.

II. *Propositio trimembris.*
Rationes primi membri.
Et textu.
Ab exemplis & experientia.

Cæterum quando diabolus excidit suo conatu, & hominibus frustra suasit diffidentiam & desperationem, aliam viam ingreditur, illosque inducere conatur in securitatem & temeritatẽ. Nam quemadmodũ ad Christũ hoc in loco dicit, Demitte teipsũ ex hoc tastigio; nihil tibi est metuẽdũ, quia es filius Dei: ita quoq; hodie cũ hominib agit. Nã modo suggerit has cogitationes: Indulge peccatis, helluare, cõcubare, & genialiter viue: qa fieri non

Rationes secundi membri.
Et textu.
Ab experientia.

ri non potest, vt excidas gratia Dei, vel egestate opprimaris, cum Deus sit Pater benignus, qui prospicit filiis suis de rebus necessariis: modo ignauiam suadet, dicendo: Non est quod labores, Deus suis filiis dat bona necessaria in somno: modo ita tentat hominem: Noli medicinam adhibere, qua profliges morbũ tuum: quia cum vita tua sit in manibus Dei Patris tui, morbus vltro faceſſet: modo his suggestionibus molestat piam animã: Non est necesse, vt frequentes templum, ibiq; audias verbum Dei: potes domi tuæ hoc facere, aut etiam prorsus omittere: quia si Deus decreuit tibi dare vitam æternam, vtiq; oportet te seruari, etiam absq; his mediis.

Rationes tertii membri. E textu. Ab exemplis.

Postremo cum diabolus frustra jecit telum securitatis, promit è sua pharetra jaculum ambitionis & auaritiæ, & quẽadmodum Christo ostẽdit regna mundi, ita nobis promittit aureos montes, vti fecit *Gen. 3.* Et hodie quoq; solet hanc ipsam artem factitare. Quis enim est, qui ignoret ipsũ hominibus tenuioris fortunæ hunc laqueũ ponere: Vides te pauperrimũ esse, nihilq; habere, vnde vitam tuam sustentes: quod si vel is meum consilium sequi, afflues opibus. Item: si nuntium remittere velis Deo & religioni, quam profiteris, summos poteris consequi honores à Papa, tuo rege aut principe. Has, & similes cogitationes diabolus solet nobis suggerere.

TRACTATIO SECVNDÆ PARTIS.

1. Tractatio exegetica.

Quod attinet ad secundam partem, quo nimirum pacto Christus diabolum superauerit, euangelista docet, seruatorem nostrum Opt. Max. adhibuisse verbum Dei, quod habuit in corde suo. *Primum* ictum sic excepit & elisit: *Non solo pane vivit homo* &c. q.d. si maxime omnia media me deficiant, ego tamen à Deo non deficiã: quippe qui absq; mediis potest me sustentare, vel in momẽto media necessaria mihi procurare. Simili modo secundum impetum fregit, citando illud ex *Deut. 6.* *Non tentabis Dominum Deum tuũ* q.d. Etiam si Deus, Pater meus, me vult custodire: meum tamen non est ipsum tentare. Deus mihi non mandauit vt me præcipitem ex aliquo loco, sed vt viam & scalam adhibeam. Tertium denique ictum excepit allegando dictum illud *Deut. 6. v. 13.* *Adorabis Dominum Deum tuum, illiq; soli seruies* q.d. Hoc Dei præcepto stabo cadamq;. Apage igitur satan, & res tuas tibi habe. Quod quidem è vestigio fecit, & fugam arripuit tanquam hostis cæsus & exarmatus. Sic ergo Christus reportauit victoriam, & sanctos angelos sibi adsciuit ministros.

2. Tractatio dogmatica. Propositio cum suis rationibus. E textu. Ex aliis scripturæ dictis Ab exemplis.

Ex his discere habemus modũ & artem vincendi diabolum, & ipsius tẽtationes profligandi. Nimirum, non verbis, herbis, gladiis, blasphemis formulis & aliis modis, quibus impij homines vtuntur, sed solo verbo Dei oportet nos vti. Videmus n. Christum nihil aliud adhibuisse nisi verbũ Dei, quod habuit in scrinio pectoris sui. Hinc apostolus *Eph. 6.* nos monet, vt apprehẽdamus gladiũ spiritus, hoc est verbũ Dei, illoq; vtamur ex vera fide. Fides enim est nostra victoria. *1. Iohan. 5. v. 4.* Exempla huius rei videmus in

in omnibus sanctis, qui in grauissimis tentationibus verbum Dei tanquã panaces adhibuerunt, illudque tanquam armamentarium, ex quo arma defensionis & offensionis depromi possunt, in arce pectoris sui collocarunt. *A simili.*

Quare si Diabolus tibi persuadere velit diffidentiam, & his cogitationibus tibi negotium facessat, Deum non esse Patrem, regere verbum Dei ex *Psal.103. Sicut pater miseretur liberorum, ita Deus miseretur illorum, qui ipsum timent.* Et ex *Esa. 64. & 49.* vbi Deus diserte ait, se non posse obliuisci suorum. Dic ex Symbolo, oratione Dominica & baptismo, te non posse obliuisci mellitissimi hujus nominis PATER, quod Deus inde ab initio mundi sibi tribuit. Dic, beatos esse illos, qui tolerant tentationem *Iacob.1.* Dic, illis qui Deum diligunt, omnia esse adjumento ad bonum *Roman.8.* Dic, hanc esse notam characteristicam filiorum Dei, ferre crucem Christi, & à Deo castigari. *Hebr.12.* Porro, si Diabolus dicat, frustra esse preces tuas, ideoque magis, incantatoribus, & id genus hominibus aliquid saltem esse deferendum; regere ex *Psal 50. & 91.* Deum præcepisse, vt ipsius auxilium implores & expectes. Dic, seuere atque districte à Deo prohibitam esse magiam & incantationem. *Exod.20. Leuit. 20. Deu. 18.* Quod si tibi obijciat paupertatem, repone dictum Dauidis *Psal.37. Puer fui, & senui, neque justum vidi derelictum:* item exemplum Israelitarum, Eliæ, Danielis, & aliorum, qui miraculose à Deo fuerunt cibati. Si conetur te inducere in tentationem furti, latrocinij, vsuræ & auaritiæ, apprehende decalogum, & vrge voluntatem Dei, legem naturæ, tuamque vocationem. *Deinde* quando Satan conatur tibi persuadere temeritatem & securitatem, repone illud. *Scriptum est, Non tentabit Dominum Deum tuum.* Quando dicit, viue prout vis, fieri non potest vt excidas salute æterna: respondet, nos esse redemtos à peccatis, non ad peccata. Quando ignauiam temescare satagit, opponet illud *Gen.3. In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Quando dicit medicamenta non esse adhibenda, oppone exemplum Hiskiæ. *Esa.38.* Quando ait, non esse necesse vt audias verbum Dei, oppone illud *Luc.11. Beati sunt, qui audiunt verbum Dei, & in mundo corde conseruant.* Item *Rom.10. Fides est ex auditu.* Postremo si Diabolus fortè tibi promittat opes & honores mundanos, hoc responso ipsum dimitte, quod Domini sit terra & tota ipsius plenitudo. *Psal.24.* quod ab illo solo descendat omne bonum donum *Iac.1.* quod benedictio Dei ditet. *Prou. 10. & 19.* Si persuadere conetur defectionem à vera religione, dic, Apage Satan: Scriptum est, qui ad finem vsque perseuerauerit, beatus est. *Matth.10.* Si magnorum virorum authoritatem tibi obijciat, tu vrge authoritatem verbi Dei. Si dignitates mundanas polliceatur, responde solius Dei esse hominem euehere ad dignitates. *Psal.75. v.8.* Quod si hoc modo

USUS. *Institutio & correctio.*

ex vera fide verbum DEI opponas tentationibus diaboli, hoc consequeris, vt ille aufugiat, & sancti angeli te accedant, tibique adsint.

VI. EPILOGVS

1. *Recapitulatio.*

2. *Δείνωσις.*

3. *Precatio.*

4. *Δοξολογία.*

Atque hæc dictæ sunto de conflictu Christi & Diaboli: vbi audiuimus, quomodo Satan Christo voluerit persuadere diffidentiam, securitatem & Apostasiam à Deo, & quomodo Christus masculè has tentationes vicerit. Nostri officij est, instar militum strenuorum fortiter pugnare in hostem nostrum infensissimum, qui nihil facit reliqui ad salutem nostram subuertendum, nullasque patitur inducias. Cum vero ex nobis ipsis nihil habeamus; quod hosti tam potenti & versi pelli opponere possimus, oremus ducem nostrum Jesum Christum, vt ille stet in prima acie, nosque induat robore Spiritus sui, vt ita reportemus victoriam, & coronam illam immarcessibilem, quæ reposita est omnibus ijs, qui certant præclarum illud certamen cum Apostolo Paulo *2. Tim. 4.* Hanc gratiam nobis largiatur DEVS Pater, Filius, & Spiritus Sancti, cui sit laus, honor & potentia in omnia seculorum secula, Amen.

VII. RECESSVS À CONCIONE.

Postquam verbum Dei audiuimus, adeoque prima parte cultus diuini defuncti sumus, restat vt ad secundam, pias videlicet preces, veniamus. Vos itaque vestris pijs gemitibus ad Deum, sequimini me præeuntem vobis hæc verba: Domine DEVS, Pater cœlestis, qui Filium tuum vnigenitum in persona omnium electorum, propter ipsorum salutem, à Diabolo tentari voluisti, vt inde disceremus & vires Diaboli & potentiam duois atque antesignani nostri Jesu Christi; agimus tibi gratias toto pectore, quod hactenus nos defendis aduersus insidias & insultus Diaboli: rogamus te, fac nobis hanc gratiam vt pro porro firmi stemus aduersus tentationes Diaboli, & sub duce nostro Jesu Christo militemus bonam militiam, retinendo fidem & bonam conscientiam, & depromendo ex armamentario verbi tui ea arma, quæ Diaboli vim frangant, eumque à nobis abigant. Largire nobis, ô agonotheta optime maxime, victoriam aduersus hostem tuum & nostrum, nobisque mitte sanctos tuos angelos, vt reportemus coronam gloriæ, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui nos in quibusuis necessitatibus pro nobis & nostris fratribus ita precari te docuit,

Pater noster,

&c.

EXEM.

EXEMPLVM DISPOSITIONIS DOGMATICÆ.

I. ACCESSVS AD CONCIONEM.

1. *Votum.*
2. *Scopus congregationis.*
3. *Deploratio ineptitudinis nostræ.*
4. *Imploratio auxilii Dei.*
5. *Precatio.*

CHARITAS Dei Patris, Pax Jesu Christi, & communicatio Spiritus Sancti, sit nobiscum in omne æuum, Amen.

Coacti sumus in nomine Domini, vt preces nostras Deo offeramus, tanquam victimam boni odoris, & ex verbo ipsius doceamus atque discamus, quam sancta & arcta sit illa communio, quam habemus cum Christo, qua fit vt tanquam aquilæ congregemur ad cadauer Christi pro nobis in ara crucis immolatum. Quia vero ad hoc tam sublime & arduum opus peragendum tam inepti sumus, quam qui maxime, conuertemus nos ad thronum gratiæ Dei, & ab hoc cœlesti Patre nostro supplices petemus, vt nobis remittat peccata nostra multa & magna propter satisfactionem Filij sui, & hanc faciat gratiam nobis filijs suis, vt aquilarum instar congregemur ad locum illum, vbi est esca nostra. Hanc gratiam à Deo petamus in nomine Jesu Christi, qui nos ita precari docuit, *Pater noster*, &c.

6. *Accessus ad textum.*

Nunc audiamus verbum Dei, quod in præsentia ruminandum delegimus. Illud autem his verbis describitur à sancto Matthæo *cap. 24. vers. 28.*

7. *Prælectio textus.*

Vbicunque enim fuerit cadauer, illuc congregabuntur aquilæ.

8. *Clausula votiua.*

Deus Pater cœlestis det nobis breuem & neruosam hanc sententiam recte considerare, ipsi in honorem, nobis in fructum, Amen.

II. EXORDIVM.

1. *Propositio.*
2. *Confirmatio.*
3. *Amplificatio.*
4. *Accommodatio.*

Charissimi, Antiquum & verum est Prouerbium, *Simile simili gaudet.* Ita enim comparatum est à natura, vt magnes trahat ferrum, graculus graculo assideat, & pares cum paribus facile congregentur. Neque solum in natura hoc videre est, sed etiam in societate ciuili, vbi morum similitudo arctissime deuinciri solet homines. Sic in societate domestica conjuges, parentes & liberi, omninoque consanguinei inter se sunt deuinctissimi.

Hoc ipsum quoque docet S. Scriptura, quando Christum & ipsius membra, parique ratione Diabolum & ejus mancipia, arctissimam inter sese vnionem & communionem habere docet.

III. PROPOSITIO.

1. *Enumeratio.*
2. *Commendatio.*
3. *Precatio.*

Nos in præsentia considerabimus sanctam & arctam illam vnionem & communionem, quæ est inter Christum & membra ipsius. Cuius rei cõsideratio eo magis vtilis & necessaria est, quod vnio & communio ista omnium nostrarum afflictionum velut antidotum est, & consolationum omnium, quæ in Scriptura proponuntur, fundamentum. Diligenter itaq; attendite. Quam gratiam vt vobis largiatur Dominus, toto pectore precor. Vos similiter rogate hunc Patrem nostrum, vt regat linguam meam, vt recte enarret mysterium sanctissimum, quod tractandum suscepimus.

Primo

IV. TRACTATIO PROPOSITIONIS.

Primo igitur Christus, doctor ille cœlestis, cum præposuisset in hoc capite fideles suos consolari contra omnia afflictionum genera videlicet contra persecutiones à tyrannis, contra seductiones à pseudoprophetis, denique contra scandala ab apostatis: variaque in hunc finem consolationum velut loca & argumenta suppeditasset, concludit tandem hoc versu, & illustri prouerbio, pulcherrimaque similitudine illos docet, nulla pericula vel impedimenta futura tanta, quæ efficiant, quo minus ille diuellatur à membris suis, & dicit: *Vbicunque enim fuerit cadauer, illuc congregabuntur aquilæ.* Qua sententia hoc vult docere, quod, quemadmodum vbi est cadauer, ibi congregantur aquilæ, ita vt sibi inuicem præsentia & veluti conjuncta sint; sic etiam suos perpetuo sibi adesse, nec aut propter temporis præscriptionem vllam, aut loci distantiam, hanc vnionem & communionem posse tolli & dissolui. Quam explicationem vt altius animis nostris infigamus, oportet dispicere, cur Christus se quidem cadaueri, electos vero aquilis comparet. Et vt de Christo dicamus primo loco, viuit quidem ille, vitam habens in se, vitamque communicans extra se, adeo vt sit ipsissima vita. Nihilominus tamen cadauer est, siue fideles ipsos, siue in fideles respicias Nam fidelibus caro Christi est veluti cadauer illud leonis, è quo Simson mel accepit; adeoque ipsis est cibus viuificus, quatenus Christus illos morte sua redemit, & corpore suo ipsos nutrit in sensum vitæ spiritualis, & spem vitæ immortalis. Ideo in prolixa & pathetica illa concione *Johan 6.* carnem suam appellat panem vitæ: & Johannes *cap. 1.* prioris epistolæ docet, sanguinem Christi nos purgare ab omni peccato. Quin imo tota Scriptura Veteris & Noui Testamenti ad hunc veluti scopum collineat, vt doceat totam nostram salutem & consolationem, totumque Euangelij fundamentum in cadauere, hoc est, in morte Christi, nobis exhiberi. Quid enim? annon vetus testamentum est prænuntiatio Christi morituri? Annon nouum testamentum est historia Christi mortui, & descriptio atque explanatio beneficij illius, quod ex morte Christi ad nos redundat plenis canalibus.

Primum membrum tractatur.

1. Ex textu.

2. Ex aliis Scripturæ locis.

3. Ab exemplis.

Hinc gloriatio illa Apostoli, se non scire nisi Christum crucifixum. Hinc illa lætitia Abrahami, de qua Christus *Io. 8.* ait, illū vidisse diem suum, & exilijsse prægaudio. Hinc omnes sancti, qui fuerunt ante Christum in carne manifestatum, hac fide & spe sustentati fuerunt, agnum illum immaculatum fore cadauer pro mundi vita. Sic qui fuerunt tempore conuersationis Christi in terris, ita ab ipso fuerunt edocti & imbuti, vt illis mortem suam prædixerit, illiusque necessitatem & vtilitatem plurimis, ijsque neruosissimis argumentis demonstrauerit. Illi denique, qui secuti sunt, quique jam sumus, & qui sequentur, omnes, fideles inquam & electi, non habuerunt, habent, aut habebunt aliud immortalitatis suæ fulcrum, quam

quam mortem Christi, siue carnem ejus crucifixam, & sanguinem i- 3. *A simili-*
pius effusum. Hic est panis optimi succi & nutrimenti spiritualis; hic *bus.*
est potus dulcissimi & efficacissimi saporis; hoc cadauer est myrotheci-
um bonæ fragrantiæ, conditum aloe & balsamo. Hic sanguis est lon-
go interuallo præstantior quam sanguis pelecani, qui pullos suos à ser-
pente admorsos adspergit proprio sanguine, atque ita sanat. O cadauer
pretiosissimum & fragrantissimum! O cibum saluberrimum! O pastum
suauissimum! Christus enim est nutrimenti & medicamenti nostri vber-
rima seges, si fide ipsum manducamus. Atque ita Christus seipsum vocat
cadauer respectu electorum & fidelium. Quod attinet ad infideles, *Antitheſis.*
Christus ipsis est cadauer, quod fœtet atque nocet, non sane sua natura,
sed ipsorum culpa. Quemadmodum enim Christus mortuus, est odor
vitæ ad vitam ijs, qui credunt: ita è contrario est odor mortis ad mor-
tem, ijs qui non credunt. Et his quidem merito est cadauer, non tantum, *Confirmatio*
quia vim, efficaciam, vitam & succum mortis Christi non sentiunt, sed *antitheſeos.*
etiam, quia ab illo, tanquam à cadauere fœdo, facies animosque suos a- *Ex*
uertunt, ita vt mors Christi ipsis sit aut scandalo, aut ludibrio. Docet
hoc Apostolus *1. Corinth. 1. Prædicamus*, inquit, *Christum crucifixum*, *Dicta Scri-*
Judæis quidem offendiculum, Græcis vero stultitiam. Judæis siquidem, *ptura.*
Christus crucifixus tanquam cadauer est habitus, quando illi sibi persua- *Exemplis.*
serunt, externam fore regni Christi magnificentiam & potentiam, quæ
ipsis præsidio, Romanis exitio esset ac proinde victorias, triumphos, ho-
nores, libertatem somniabant, & spirabant. Ecce vere præter voluntatem & votum ipsorum Messias humilis nascitur in stabulo, extra pom-
pam; docet exosus & despectus, extra ambitionem; moritur inter latro-
nes, sine commiseratione. Quid hæc? Judæis scandalo sunt, & ab ijs
Christus despectui habetur. Quomodo autem Christus Græcis est stul-
titia? Non capit humana mens, & inprimis Græcorum supercilium.
Gloriam veram in Christi ignominia, sublimitatem veram in ejus humi-
litate, vitam in morte, salutem in sepulchro ejus quærendam esse: demi-
que ascensum nostrum in cœlos in descensu illius ad inferos, tanquam
in thesauro, contineri. Hæc omnia Græcis fuerunt ludibrio, eoque Chri- *Similibus.*
stus illis loco cadaueris est habitus. Et sane quemadmodum si cadauer
homini objciatur, ille faciem suam auertit, indeque fugit: ita si mors
Christi hominibus incredulis proponatur, illi non sustinent aspicere hoc
cadauer, sed odorem bonæ fragrantiæ habent pro fœtore, non absimiles
suibus, quibus vnguentum amaracinum est acre venenum, quod homini
est præsentissimum medicamentum: itemque araneis, qui ex flore succi
pleno, ex quo apicula elicit mel, sugunt venenum. Vultis hujus rei ex- &
empla? Scriptura & experientia abunde suppeditant. Vnicum è multis *Exemplis.*

adducam. Judas Iscariotes conuersatur cum Christo, & illum sequitur. Sed odorem hujus cadaueris ferre non sustinuit, ideoque magistrum suum prodidit, & se ipsum nefarie perdidit.

Secundum membrum tractatur.

Hæc est ratio, cur Christus in prima hujus similitudinis parte seipsum cadaueri comparet. Superest, vt videamus, cur fideles suos in altera similitudinis parte aquilis comparet. Hic aliquis quærat, quid causæ sit, quod electi conferantur cum aquilis, cum Diabolus apud Hoseam comparetur aquilæ, quod sit veluti hominum dilaniator, & ἀνθρωποφθόρος: & sub Persona Nebucadnezaris apud Danielem tyranni assimilentur aquilæ propter authoritatem & crudelitatem ipsorum? in promtu est responsio.

E textu.

Nam Christus docet, quod, quemadmodum aquilæ è longinquo cadauera olfaciunt, atq; ita incitantur, vt eo transuolent, vbi cadauerum est copia, & omnino quærunt cadauera, quibus pascantur, ita fideles inducantur odore mortis ipsius, vt se ipsi sol adjungant, illumq; vera fide amplexiamur & vitam in ipso & nutrimentum per ipsum quærant. Atq; hæc quidem ratio est in textu prælecto. Si porro naturam aquilæ penitius introspiciamus, & ingenium fidelium ex alijs Scripturæ locis altius repetamus, deprehendemus hæc conuenientia argumenta. Primo quemadmodum ea est acies oculorum aquilæ, vt perspicacius videre possit quam vlla fere alia creatura, suumque nidum in tam edito constituat loco, vt pullos suos ab omni metu periculi liberet: ita ea est fidelium conditio, vt illuminati à Spiritu Dei, ea videant, quæ alij nec vident, nec videre possunt oculis corporis; ac seipsos sub alis protectionis & prouidentiæ Dei sic collocent & constituant, vt extra omnem periculi aleam, siue illud à Diabolo, siue à mundo, siue à morte immineat, sint constituti. Id cum vniuersa Scriptura, tum propria cujusque experientia testatur. Deinde quemadmodum aquila nec præ senio, nec præ morbo interire dicitur: ita fideles vitam in Christo possident, quæ nec senio, nec vllo alio symptomate, interire potest, quin imo nec morte corrumpi *Psal. 103.* Tertio quemadmodum pennæ aquilarum pennis alitarum auium admixtæ, illas consumunt: ita virtutes piorum consumunt vitia impiorum, & illa tandem edomant. Sed jam videamus vsum explicationis vtriusque hactenus traditæ.

Ex alijs Scripturæ locis collatis cum natura aquilæ.

V.

VSVS. 1. *Doctrina.*

Principio Christus hac similitudine significare & confirmare voluit arctissimam illam conjunctionem, quam habemus cum illo hic in terris, & sursum in cœlis. Nam & in his terris habemus communionem cum Christo, quatenus illius cadaueri, seu corpori crucifixo, per fidem veram adhærescimus, neq; patimur nos à cadaueri illi: & olim in cœlis regnabimus cum ipso, & aggregabimur ad cadauer nostrum, participes futuri gloriæ ejus immortalis. Et vero quamuis Christus in cœlis sit cadauere corporis sui: tamen quemadmodū aquilæ non impediuntur, etiam longissima locorum

corum distantia, quo minus conueniant, & congregentur, vbi sunt cadauera: Sic non impedit cœlum, non terra, non vtriusque distantia, quo minus vera fide subuolemus in cœlum, tãdemq; exuta mortalitate nostra eo transferamur, vbi Christus est, & ibidem transformemur in imaginem gloriæ ipsius. Probant hoc illustres promissiones, quibus referta est sacra pagina, nommatim illæ *Luc. 22. v. 29. Regnum, quod mihi Pater disposuit, dispono vobis: vt edatis & bibatis in mensa mea in regno meo. Ioh. 17. Pater, volo vt vbi ego sum, ibi quoque sint ij, quos dedisti mihi.* Et sane huc nos vocat fides & spes Christiana. Quid enim respicit fides nostra, nisi cadauer Christi seu carnem ejus crucifixam, qua vescimur, vt in ipso fiamus participes immortalitatis? Spes item quid est, nisi expectatio vitæ æternæ, quam Christus sua morte nobis peperit? Oportet itaque, vt articulum de incorporatione atque insitione nostri in Christum diligenter meditemur, & illum probe intelligere discamus, ne forte somniemus carnalem esse 2. *Refutatio.*
conjũctionem & associationem illam, qua veluti aquilæ ad Christum aggregamur. Non ita est auditores: sed mystica & spiritualis est vnio, insitio, incorporatio, & communio, qua cum Christo simus vnum corpus, vna caro, vnus sanguis. Id docet nos Christus *Joh. 6.* Id natura corporis mystici cõfirmat. Id communio sanctorum docet aperte. Sed hoc mittamus, & dispiciamus, quomodo proposita & exposita similitudo faciat ad institutionẽ & correctionẽ vitæ nostræ. Atq; vt hinc ordiar, Christus vult nos docere, officij nostri esse, vt sibi soli constanter adhæreamus inuicta fiducia, fidaq; perseuerantia, & fidei alis ipsum persequamur, carne ipsius crucifixa, & sanguine effuso fruamur ad nutrimentum spirituale vitæ æternæ ac immortalis: ne crux ipsius nobis sit scandalo, aut mors ipsius ludibrio. Etenim si aquilæ, creaturæ omni omnino rationedestitutæ, hoc studium adhibere solent, ductæ tantum appetitu naturali, vt eo transuolent, vbi est cadauer, vt hac ratione nutriantur: quid, putatis, officij nostri est, qui non tantum sumus creaturæ ratione præditæ, verum etiam primitias habemus Spiritus Dei, quinimo ipsæ primitiæ illius sumus? Sane oportet vt nos spiritu & fide transferamus eo, vbi Christus est, in quo vita est & salus nostra. Nam quemadmodum nemo potest nutrimenti oblati aut præparati fieri particeps, nisi accedat, accumbat, assideat, & proposito cibo vtatur: ita non possumus satiari & refocillari carne & sanguine Christi, nisi ad illum veniamus. Hujus rei exempla suppeditat vniuersa Scriptura. Quare enim Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli & martyres, tot molestijs fuerunt perfuncti, tantasque calamitates sustinuerunt, nisi vt veritatem hujus dicti experirentur, *vbi cadauer, ibi aquile*? Ipsi facti sunt cadauera, vt cadauere Christi fruerentur. Ipsi tanquam aquilæ è terris in cœlum subuolarunt, vt fruitionis illius 3. *Institutio.*

plenum sensum experirentur. Ipsi frequentes conuenerunt, vbi Christus per prædicationem Euangelij gratiam suam illis obtulit. Vide mihi Ecclesiam primitiuam Noui Testamenti. Annō, vbi cadauer seu meritum mortis Christi per prædicationem Euangelij fuit exhibitum, statim eo, spretis grauissimis quibusque obstaculis, transuolauit instar aquilæ? Nunc in Asiam, nunc in Africam, nunc in Europam, &, vbi per temporum injuriam non aliter licuit, in desertum se contulit, vt hoc dulcissimo & sanctissimo cadauere frueretur. Videmus Apostolos primo conuenisse Hierosolymis, vt tanquam aquilæ hoc cadauere fruerentur: quos postmodum videas cadauera factos, vt constanti fidei professione Christo sic adhærentes propius & tenacius illi vnirentur. Omnia reliquit Petrus, omnia subiuit Paulus, & vix vllum est periculum, quod fideles reformidauerint, vt vbi cadauer Christi per Euangelij prædicationem offeretur, ibidem & illi tanquam aquilæ conuenirent. Quemadmodum ergo ea, quæ naturali conjugij vinculo copulata & consociata sunt, non diuelluntur, etiamsi aliquando pro tempore, locorum interuallo distent, (semper enim aquilæ sectantur cadauera, semper fidus maritus vxori, & frater fratri conjunctus manet, adeo quidem, vt neque propter temporis præscriptionem vllam neque propter locorum distantiam, interrumpatur indiuisib le illud conjugij & naturæ vinculum,) ita Christus & fideles ipsius, etiamsi ille secundum humanam naturam in cœlis tantum est, non separantur, sed sunt vnum arctissima & indissolubili vnione. Sicut enim aquilæ aggregantur ad cadauer, vt illo vescantur; intimeque illud sibi vniant: ita fideles veniunt ad Christum, subuecti remigio alarum fidei, & carne atque sanguine ipsius vescuntur, adeoque in naturam ipsius migrant, non aliter atque esculenta & potulenta conuertuntur in sanguinem nostrum. Vtinam hoc perpenderent delicati isti, qui licet in Christum se credere profiteantur, tamen cadauer Christi, illiusque crucem, opprobria, & afflictiones, despectui habent & ludibrio. Quamdiu Christus ex deprauato sensu & cæco illorum judicio viuit, quiescit, & nullis calamitatibus exponitur, tamdiu illi conuenire parati sunt, vbi Christus ipsis per prædicationem Euangelij offertur. Verum moriatur Christus in membris suis, transfigatur, fugiat in desertum: nullas videas aquilas, quæ illum fidei alis persequantur. Tamen prout tota nostra salus & consolatio in morte Christi consistit, extra quam sit nulla vita: ita nemo meriti & efficaciæ mortis CHRISTI fit particeps, nisi CHRISTO commoriatur, & ipse fiat cadauer, quemadmodum CHRISTVS factus est cadauer. Fugit CHRISTVS? Fugiamus cum illo & tanquam aquilæ transuolemus de loco in locum, vbicunque cadauer istud

4. Conclus.

erit,

erit, donec tandem in cœlos euecti perfecte cum Christo viuamus. Sed, inquis, multi sunt, qui parati omnia pro Christo & cum Christo subire & ferre incommoda & pericula, conquerantur, se non sentire præsentiam Christi, qua suis se offerre in æternum, promisit & contestatus est. Hinc sæpe oriuntur tot diffidentiæ, tot dubitationes, tantæque tentationes, tũ incommunibus & publicis afflictionibus, tum in priuatis atque domesticis castigationibus. Quoties, quæso, videntur fideles Christum sequi, & ille fugere? quoties eo trãsuolare, vbi est illius cadauer, nec tamen efficacis ejus præsentiæ sensum experiri? Fateor quidem, hujusmodi tentationem esse peracerbam. Verum vtvt sit, semper stabilis & immota manet hæc sententia, *vbi cadauer, ibi aquilæ*. Nimirum vnio nostri cum Christo semper est perfecta in Christo, sed in nobis, dum hic viuimus, imperfecta est, & sæpe quantum ad sensum nostrum nulla. Videtur tamen, etiam dũ non videtur. Videtur oculis fidei, dum non videtur oculis corporis. Videtur ab aliis in medio tribulationum æstu, ab aliis in prospero rerum statu. Ne igitur nos pudeat cadaueris Christi. Ne hanc cogitationem apud animum nostrum prævalere sinamus, Christum fugere nos, quando ipsũ persequimur alis fidei. Videtur fugere, sed non fugit. Ad tempus sub nube latet sol, sed ideo non deserit orbem terrarum. Ita Christus, sol ille justitiæ, sæpenumero se abscondit sub nube tentationum, sed non deserit nos gratia Spiritus sui. Tam arcta est Christi cum suis vnio, & vicissim suorum cum ipso, vt vbi ille sit, etiam hi sunt, & vbi hi, ibi quoque ille. Nunquam hic almus seruator deserit suos, semper illis præsens est, vt illos seruet, protegat, nutriat, & denique secum subleuet in cœlos. Consolemur itaque nos hac arcta vnione, sanctaque communione. Semper nobis in mentem veniat dulcissimæ hujus paræmiæ: *Vbi cadauer, ibi aquilæ*. Hac enim breui sententia significatur, vbi Christus est, ibidem Christianos esse, quos ille nutrit, seruat, & protegit omnibus in locis, & inter extrema quæque afflictionum & mortis pericula ita vt nec ad vitæ huius securitatem, nec ad tentationum leuamen illis aliquid desit, quod quidem sit necessarium ad salutem animæ. Confirmant hoc singularum promissionum testimonia quæ Christus tam crebro, & tantõ cum zelo suis proposuit & exposuit: velle se suis adesse ad consummationem seculi: se suos non relicturum orphanos in hoc mundo: se cum Patre & Spiritu Sancto veluti sedem, habitationem & domicilium inter suos fixurum & habiturum. Perpende hæc & similia, anima mea, & ne tibi à diabolo hanc persuasionem injici patere. Christum fugere, quando cupis ad ipsum aggregari. Non ita est. Videtur ita carni & sanguini. Christus exercet patientiam, fidem & constantiam tuam. Has virtutes ipsi proba, & instar aquilæ subuola in altum, omnesque hujus mundi illecebras & persecutiones despice. Ita fiet, vt

5. Consolatio.

experiaris vnionem illam, quæ est inter Christum & te, prorsus esse indissolubilem.

VI. APPLICATIO. Quæ hactenus dicta sunt, ea omnibus nobis, qui hic sumus, dicta putemus: inprimis autem iis, qui admodum frigidi & somnolenti sunt in prouehenda communione illa, quam hactenus expossuimus. Parentes debebent hoc agere, vt liberos suos congregarent ad cadauer Christi. Verum illi ablegant illos ad cadaueroſas huius mundi opes corradendum. Magistratus quoque officium suum non facit congregando subditos suos ad dulcissimum cadauer Christi, & efficiendo vt illi fiant aquilæ: sed potius hoc agit, vt ex subditis fiant alii quidem corui rapaces, alii vulpes doloſæ, alii leones formidabiles. Ah illi non sentiunt dulcedinem hujus cadaueris: quia scil. ipsi sunt cadauera graueolentia omni spirituali vita carentia. Redeant illi in viam, & congregentur ad cadauer Christi, ne fiant in inferno cadaueroſa diaboli mancipia.

VII. EPILOGVS. Sed vt extremum aliquid habeat concio nostra, concludamus illud de huius paræmiæ explicatione, vbi audiuimus, cur Christus se quidem comparet cadaueri, fideles vero suos aquilis, & indicauimus illud fieri propter arctam illam vnionem & communionem Christi & electorum, qua fit, vt caro Christi sit nobis cibus spiritualis, & nos ad illum cibum percipiendum per media etiam pericula properemus.

1. *Recapitulatio.*

2. Αἴνεσις. Digna sane hæc sunt, quæ diligenter considerentur, diligentius seruentur, diligentissime applicentur in omni vita nostra, vt ita, dum in hac miseriarum valle oberramus, tanquam aquilæ transuolemus vbicunque Christus prædicatur, vt nobis cadauer ipsius fiat odor vitæ ad vitam, vtque adeo viuamus in Christo, & Christus in nobis, vt viuamus denique cum Christo in futura illa gloria. Quam gratiam nobis largiatur Deus Pater, Filius & Spiritus Sanctus, cui sit laus, honor, decus & gloria in omne æuum, Amen.

3. *Precatio.*

4. Δοξολογία

VIII. RECESSVS A CONCIONE. Expediuimus primam officii nostri partem, videl. explicationem & applicationem verbi Dei: superest vt alteram pari passu exequamur, quæ posita est in precatione ad Deum. Quare supplices fiamus Deo, & in hanc sententiam oremus: Agimus tibi gratias, Domine Deus Pater cœlestis, cum pro vniuersis beneficiis tuis, quæ hactenus in nos nihil tale merentes confers, tam inprimis pro ineffabili hac gratia, quod Filium tuum vnigenitum, Jesum Christum, in hunc mundum miſisti, vt fieret pronobis cadauer bonæ fragrantiæ, quo nutriremur ad vitam æternam. Magnum & inæstimabile hoc est beneficium. Rogamus te, clementissime Pater, vt nobis etiam hanc facias gratiam, vt tanquam aquilæ congregemur ad hoc cadauer, gustemusque quam suaue il-

lud

lud sit. Da porro, ne vlla calamitas nos auocet ab hoc cadauere. Adesto ecclesiæ tuæ, & fac vt ibi per prædicationem euangelii cadauer illud salutare nobis offeratur. Benedic vniuersæ reip. & singulis familiis, vt ibi nihil nobis sit prius aut antiquius, quam hoc procurare, vt plurimæ aquilæ congregentur ad cadauer Christi. Hæc à te petimus in nomine Filii tui, Domini nostri Jesu Christi, qui in quibusuis calamitatibus & necessitatibus pro nobis & nostris fratribus ita te precari docuit, *Pater noster* &c.

Atque hoc est exemplum dispositionis dogmaticæ. Unde videre est, lemmata marginalia continere methodum concionis, adeoque esse velut hermas. Quod si concionem redigas in tabellam mnemonicam, vel in charta adumbres præcipua capita, non opus erit his lemmatibus.

CAP. XIX.

De elocutione ecclesiastica.

PRÆCEPTA.

Satis de dispositione ecclesiastica: sequitur elocutio seu exornatio ecclesiastica, quæ est conuenua verborum ad res ab ecclesiaste inuentas & dispositas accommodatio.

Leges ipsius sunt numero nouem: videlicet, vt sit spiritualis, ad ecclesiæ ædificationem directa, pura perspicua, bene morata, ornata, efficax, decora, & copiosa.

REGVLÆ.

I. Elocutio oratoria omnino ab ecclesiaste inter concionandum est vsurpanda. *Elocutionis necessitas.*

Elocutio siquidem id est in oratione, quod caro & cutis in corpore, & ornatus honestus atque decorus in casta matrona. Deinde elocutio facit ad ædificationem ecclesiæ: quia sine illa concio est plane frigida, hoc est, ad populum docendum, permouendum & persuadendum prorsus inepta. Hinc videmus prophetas, Christum, & apostolos in suis concionibus adhibuisse elocutionem seu exornationem commodam. Sed hic cauto est opus, ne ecclesiastes adhibeat elocutionem pomposam & turgidam, quæ ad affectationem & ostentationem ambitiosam est comparata, qualis in quibusdam oratoribus mundanis reperitur, & merito damnatur.

II. Leges

Leges elocutionis ecclesiasticæ.

II. Leges elocutionis ecclesiasticæ respiciunt partim intellectum, partim affectum: & aliæ pertinent ad rhetoricam, aliæ ad ethicam.

Principio requiritur, vt elocutio ecclesiastica sit diuina & spiritualis, hoc est, verbis & phrasibus scripturæ, quoad ejus fieri potest, constet. Nam qui loquitur in ecclesia Dei, loqui debet eloquia Dei, hoc est, non tantum res à Deo patefactas enarrare, sed etiam verba, quibus Deus est vsus, retinere. Hinc apostolus 2 *Tim.* 1. v. 5. jubet retinere ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων. Et sane interest reip. Christianæ, vt retineantur modi loquendi vsitati & recepti: quia mutato genere dicendi, nouum genus docendi in ecclesiam introducitur, vnde omnis generis errores & suspiciones pullulant. Quæ cum ita sint, necesse est, vt candidatus sacri ministerii sacras literas frequenter legat, familiaresque sibi reddat, vt pro concione magis Scripturæ verbis & phrasibus, quam suis vtatur. *Secundo* elocutio ecclesiastica dirigi debet ad ædificationem ecclesiæ. Id vero fit, si elocutio sit apposita ad docendum, delectandum & permouendum populum. *Tertio* elocutio sit pura, hoc est, partim barbarismi & solœcismi expers, partim vsui emendate loquentium accommodata. *Quarto* sit perspicua, hoc est, constet verbis vernaculis, vsitatis, popularibus, certis & claris: non autem peregrinis, inusitatis, argutis, ambiguis & obscuris. Habeat insuper structuram verborum facilem, consuetam & vsitatam, non vero inuolutam, intricatam & inusitatam. Hic incidit quæstio, An liceat interdum ecclesiastæ vti vocabulis peregrinarum linguarum? Respondetur, ordinarie abstinendum esse ab hujusmodi vocabulis. Si vero in vulgus illa sint nota, & auditores sint docti & denique hoc modo operæpretium fieri possit, peregrina vocabula gratiam aliquam habent in concione. *Quinto* sit morata adeoque deuota, verecunda, modesta, & grauis: ita vt nihil inest profanitatis, leuitatis & scurrilitatis inueniatur. *Sexto* sit ornata tropis & figuris, rerum sacrarum majestati conuenientibus. Ita enim fiet, vt elocutio neque sit nimis abjecta & vilis, neque nimis comta, pomposa & turgida; sed ab omni verborum fuco, pompa & lenocinio, ideoque ab omni ambitiosa humanæ facundiæ affectatione & ostentatione aliena. *Septimo* sit efficax & neruosa, hoc est, constet partim verbis, epithetis & antithetis emphaticis & ponderosis, partim figuris patheticis. *Octauo* sit decora, hoc est, personæ ipsius ecclesiasticæ, & rebus, quas tractat analoga. *Nono* sit copiosa, sed ita, vt concionator neque sit verbosus & tautologus, neque in vsu synonymorum & epitheton nimis frequens & redundans. Quod vitium quibusdam battologis est nimis quam familiare, ita vt illis objici possit, quod vulgo dicitur: *Mare verborum guttarerum.* Atque hæ sunt

leges

leges elocutionis ecclesiasticæ; contra quas qui peccant næ illi animam concioni adimunt. Ita enim est, vt ille ait, *Oratio dum scribitur, mortua est, dum bene recitatur, vitam accipit.*

III. Artificium elocutionis ecclesiasticæ potissimum cõsistit in formulis. *Formulæ elocutionis ecclesiasticæ.*

Formulæ istæ disparãtur in tres classes. *In prima classe* sunt formulæ partium concionis: puta formulæ exordii, propositionis, epilogi, transitionis &c. *In secunda classe* sunt formulæ luminum rhetoricorum: quales sunt formulæ troporum & figurarum dictionis & sententiæ. *In tertia classe* sunt formulæ practicæ, quæ positæ sunt in consolando, expostulando, redarguendo, instituendo &c. Hujusmodi formulas oportet in locos communes comportare, idq; partim ex classicis concionatoribus, partim ex libellis peculiaribus in hunc vsum scriptis.

IV. Ecclesiastes exornaturus concionem percurrat viginti genera figurarum rhetoricarum. *Vsus figurarum rhetoricarum.*

Viginti sunt figuræ apud rhetores, palmariæ quidem & maxime luminosæ. Ex illis sunt decem figuræ dictionis, & totidem sententiæ. Singulæ habent peculiares formulas, vt prolixe in Rhetoricis nostris adnotauimus. Quod si concionator velit pathetice docere populum, percurrat omnia figurarum genera, inprimis sententiæ, & habito delectu diligenter meditetur illas figuras & formulas, quæ ipsi videbuntur insigniores & commodiores. Hæc enim res præterquam quod faciat ad copiam & flumen orationis, insigniter juuat memoriam concionatoris, & plurimum conducit ad mouendum affectus auditorum.

CAP. XX.

De impressione concionis.

PRÆCEPTA.

Hactenus fuit concionis formatio: sequitur illius impressio, qua concio formata imprimitur memoriæ.

Adminicula memoriæ ab ecclesiaste peculiariter adhibenda, sunt tria: Ordo, Scriptura & Meditatio conueniens.

REGVLÆ.

I. Memoriæ firmitudo tribus de causis necessaria est cõcionatori. *Memoriæ firmitudo necessaria est ecclesiastæ.*

Primo consuetudo hæc obtinet, vt conciones memoriter recitentur. *Secundo* populus magis afficitur, quando videt ecclesiasten ex memoria prountiare concionem, quam si ex charta illam recitet. *Denique* promtitudo memoriæ facit, vt concionator sit hilaris, animosus & excitatus in dicendo.

Adminicula memoriæ.

II. Adminicula memoriæ sunt partim generalia, partim specialia.

Adminicula generalia sunt, quæ adhibentur ab omnibus artificibus in omni materia: cujusmodi sunt temporatia, justa diæta, exercitatio crebra, intelligentia rerum, ordo, scriptio, meditatio, notæ mnemonicę, exoneratio ingenii à curis & occupationibus, & similia. *Adminicula specialia* sunt, quæ non omnibus, neque in omni materia conueniunt; qualia sunt loca & imagines. Ex his adminiculis concionator peculiariter adhibebit tria: ordinem videlicet, scripturam, & meditationem concionis. *Ordo* exigit, vt ecclesiastes ante omnia textum sacrum, quem concione vult declarare, memoria teneat, & ad singula ejus membra filum concionis suæ tanquam ad statuam Mercurialem dirigat: deinde vt dispositionem concionis memoria comprehendat, idque beneficio tabellæ, in qua exprimat artificium logicum & rhetoricum, nisi malit vtrumque in margine certis lemmatibus exprimere. *Scriptura* requirit, vt ecclesiastes concionem in charta consignet, quantum attinet ad præcipua capita: deinde, vt notas mnemonicas adhibeat, quibus præstantissimi artifices vtuntur. *Meditatio* exigit, vt ecclesiastes concionem scriptam subinde relegat; inter relegendum habeat animum tranquillum, & ab omnibus aliis cogitationibus, curis & affectibus liberum & vacuum; & denique sibi inter ruminandum imaginetur fortiter res ipsas, templum, suggestum, auditores, & similia.

CAP. XXI.

De promulgatione concionis.

PRÆCEPTA.

Promulgatio concionis sequitur, qua concio privatim formata, publice recitatur.

In illa requiritur occultatio humanæ sapientiæ, & demonstratio spiritus, quæ cernitur partim in voce, partim in gestu.

REGV-

REGVLÆ.

I. Occultanda est humana sapientia, tum in materia cõcionis, tum in ornatu verborum.

Occultatio humanæ sapientiæ in promulgatione concionis.

Promulgare concionem, est illam animare. Quemadmodum autem anima in occulto velati latet, & nihilominus vitales & manifestas operationes edit: ita artificium logicum & oratorium oportet occultare in cõcione, verum ita vt vtriusq; vis & efficacia sentiatur. Occultare, inquam, oportet humanam sapientiam in concione, siue fuerit in materia concionis, siue in ornatu verborum: quia prædicatio verbi, est testimoniũ Dei, & professio scientiæ Christi, non humanę peritię. Deinde auditores non debent fidem suam acceptam ferre donis hominum, sed potentię verbi Dei. Quam in sententiã vide præclarum apostoli testimonium 1. *Cor.* 2. *v.* 1. 2. 5. Neq; vero est, quod existimes barbariem & tumultuarium concionandi genus hac ratione in pulpita ecclesiastica inuehi. Nã aliud est, nullam adhibere artem, aliud artem occultare. Prius illud est in vitio, posterius in laude ponitur, juxta vsitatam sententiam *Artis est artem prudenter celare.*

II. Demonstratio spiritus actuosum & viuum facit ministerium.

Demonstratio spiritus in concione.

Demonstratio spiritus est, cum minister verbi inter concionandum ita se gerit, vt non tam eum, quam spiritum Dei in eo, & per eum loqui omnes intelligant, etiam idiotæ & infideles. Qua de re apostolus 1. *Cor.* 2. *v.* 4. sic ait: *Neque oratio mea & prædicatio mea versata est in persuasoriis sapientiæ humanæ verbis, sed in demonstratione spiritus & potentiæ.* Confer 1. *Cor.* 14. *v.* 24. 25. *c.* 4. *v.* 19. 20. *Mic.* 3. *v.* 8. Hæc itaque demonstratio spiritus viuum & actuosum reddit ministerium.

III. Sermo ecclesiastæ debet esse spiritualis & gratiosus.

Sermo concionatoris qualis.

Sermo spiritualis est is, quem docet Spiritus Sanctus. 1. *Cor.* 2. *vers.* 13. Hic igitur necesse est, vt adhibeantur verba majestati spiritus exprimenda accommoda. *Sermo gratiosus* est, in quo exprimitur gratia cordis. *Luc.* 4. *versiculo* 22. Cæterum gratia ista est vel personæ, vel ministerii. *Gratia personæ* est sanctitas cordis & inculpata vita. Nam pastor, qui est clam vel aperte impius, neque dignus est qui stet coram majestate Dei; neque habet in corde suo interiorem sensum & experientiam verbi Dei, vtcunq; illud intelligat; neque potest populum docere; quia qui bene docet, & male viuit, is quod vna manu extruxit, altera destruit. Hinc recte monent theologi, Arcanum ecclesiasticum

esse, debere ministrum verbi occultare quam studiosissime infirmitates suas ne prodeant. Nam plebs non tam ministerium, quam ministri personam respicit. Ideo apostolus monet ecclesiæ doctores, vt ita se gerant, vt videantur esse τύποι, *exemplaria* gregis. 1. *Petr.* 5. *v.* 3. Confer 1 *Tim.* 4. *v.* 12. *Esa.* 6. *v.* 6. 7. 8. *Psalm.* 50. *v.* 16. 17. Porro sanctitatis hujus præcipue partes sunt bona conscientia (quæ si deest, os loquentis est clausum) timor Dei, amor populi, temperantia & grauitas cum mansuetudine juncta. *Gratia* ministerii est διδακτικὸν εἶναι; item authoritas, qua minister loquitur veluti magni illius Domini, Jehouæ, legatus, & zelus, quo cupidissimus gloriæ Dei, nil nisi salutem populi eius quærit. *Tit.* 2. *vers.* 19. *Job.* 32. *vers.* 18. 19.

Leges generales pronuntiationis.

III. Generales leges pronuntiationis, respiciunt tum vocem tum gestum.

Suntque numero quatuor, hoc ordine. 1. vt pronuntiatio ecclesiastica sit ad docendum, delectandum & permouendum apposita. 2. vt sit bene morata, hoc est, ad deuotionem, verecundiam, & grauitatem exprimendam composita. 3. vt sit decora, hoc est, tum rerum diuinarum majestati, tum personæ concionatoris, tum denique circumstantiis loci & temporis conueniens. 4. vt omnis tum metus & trepidationis, tum ostentationis sit expers. Si enim vna ex his quatuor virtutibus desit, concio gratiam nullam meretur.

Leges de voce concionatoris.

IV. Leges, quæ respiciunt & gubernant vocem cõcionatoris, sunt numero tres.

Nam requiritur 1. vt vox ecclesiastæ sit naturalis emendata, clara, distincta suauis, & pro rerum, sententiarum, & affectuum varietate varia: non vero affectata, somnolenta, aspera & vnisona. 2. vt sit moderata, hoc est, neque nimis intensa vel velox, neque nimis remissa vel tarda. 3. vt in principio concionis sit submissa & sedata, deinde paulatim assurgat, eleuetur, & intendatur, donec circa amplificationem & perorationem sit maxime excitata & intensa: Nimirum vt natura non agitur per saltus, sed per gradus, ita vox gradatim assurgere & incalescere debet.

Gestus ecclesiastæ qualis.

V. Leges, quæ gestum respiciunt, aliæ gestum totius corporis, aliæ gestum partium corporis moderantur.

In gestu corporis sit ea grauitas, quæ Dei legatum ornet. Qua de re sequentes leges obseruandæ sunt, sed ita, vt grauissimorum in hoc genere

genere ministrorum exemplum, & consuetudo recepta, regulæ vicem obtineant. Quod attinet ad gestum totius corporis, hæ sunt leges: Primo, vt gestus Ecclesiastæ, tum voci, tum rebus & verbis, quæ vocè proferuntur, respondeat, illisque sit accommodatus tanquam regulæ & cynosuræ. Secundo, vt sit decorus & grauis, hoc est, ab omni deformitate & histrionica gesticulatione alienus. 3. Vt pro affectuum diuersitate sit diuersus. 4. Vt status corporis sit erectus, non vero incuruus. 5. Vt corpus non sit instar trunci immobile, & inflexibile, sed per vices moderate flectatur ad auditores ab vtroque latere stantes vel sedentes; ita tamen, vt absit omnis indecora corporis inclinatio, mutatio & vacillatio, vel in anteriorem aut posteriorem, vel in dexteram aut sinistram partem. Conuenit enim, vt erecto & quiescente trunco corporis, reliquæ partes, vt brachia, manus, frons, oculi, tales habeant motus, qui pios animi affectus exprimant & quasi eloquantur juxta hos canones. 1. Caput Ecclesiastæ secundum naturam sit erectum, omnisque motus indecori & immoderati expers. 2. Vultus apte sit compositus, & ad exprimendum affectum accommodatus. 3. Oculi sint aperti & moderate mobiles. 4. Motus oris, brachiorum & manuum sit decorus & moderatus. 5. Humeri sint stati ac quieti. 6. Manus in principio concionis sint compressæ, post leniter expandantur: sed ita vt sinistra semper dexteræ in gestu absoluendo inseruiat, eique se accommodet. 7. Manus inter concionandum ne fricentur, aut inter se conterantur. 8. Barba ne subinde prensetur, demulceatur, vel intorqueatur. 9. Pectus tundere & suggestum ferire non licet, nisi in causis vehementioribus. 10. Omnis indecora jactatio vestis, submissio item, sublatio & reuolutio ejus est vitanda. 11. Oculi & manus eleuatio fiduciam, oculorum depressio dolorem & anxietatem significat, &c.

CAP. XXII.

De officio Ecclesiastæ post concionem.

PRÆCEPTA.

Vidimus media, per quæ concionator hoc obtinere potest, vt officium suum rite faciat ante promulgationem concionis, & in ipsa promulgatione: superest, vt videamus media per quæ concionator hoc assequitur, vt faciat officium suum post promulgationem concionis.

Ejusmodi media sunt numero quinque: videlicet. Precatio, Censura concionis, Examen auditorum, vel saltem collatio cum illis instituta, censura vitæ auditorum, & pia vita concionatoris.

REGVLÆ.

Quam necessarium sit officium Ecclesiastæ post concionem?

I. Si concionator existimet, se officio suo defunctum esse, postquam concionatus est, non implet omnes numeros muneris sui.

Quemadmodum enim agricolæ nequaquam cessant, aut conquiescit, agro stercorato, & semente sulcis commissa, sed quotidiana ferme inspectione, & solicitis oculis observant, an semen agro datum germinet, an herbæ, cardui, lolium aut zizania segetem obducant & suffocent, an eruca, locustæ, aliaque id genus insecta segetem teneram infestent, an aquæ vel torrentes rapidi inundent agros & segetem; quibus incommodis magno studio & cura medentur, ne omnis labor, quem agro & semini impenderunt, ipsis pereat: adeo, vt nunquam sibiipsi, vel ferias indicant, vel inducias faciant, donec segetes de messe, & in horrea congregatæ sint: eundem ad modum pij concionatores, rigatores & agricolæ illi, qui spirituale semen verbi Dei jaciunt in aruum cordis, nõ cessant, aut conquiescunt, quando è suggesto descendunt, neque ferias sibi indicunt, quasi penso prorsus absoluto, aut causa euicta, sed industrios agricolas imitati, hoc vnice agunt, vt concio habita multiplicem fructum ferat in cordibus auditorum.

Officium Ecclesiastæ post concionem.

II. Quinque sunt partes officii Ecclesiastæ post habitam concionem.

Principio Deus est orandus, ne doctrina ex verbo ejus proposita in tenues euanescat auras, sed vt ille pro paterno suo amore cordibus suorum electorum illam inscribat. Orabit autem hic Ecclesiastes, tum pro se, tum pro auditoribus curæ suæ pastorali commissis. Ac pro se quidem, vt in suo ipsius animo vinam illam, efficacem, & penetrantem verbi diuini vim experiatur: ne videlicet ad ignem, quem alijs accendit, ipse frigeat: & ne ipsi idem accidat, quod architectis arcæ Noe, qui alijs quidem vitæ præsidium & munimentum præparabant, ipsi vero nihil emolumenti exinde percipiebant. Sic Paulus Apostolus laborabat, ne quomodo, cum alijs prædicarit, ipse reprobus efficeretur, aut in vanum curreret. *1. Corinth. 9. vers. 27.* Pro auditoribus vero suis, ne ad vocem Dei, cum ipsis per ministerium verbi loquentis, aures illi suas obdurent, sed cum lenitate admittant sermonem salutis, & admissum in corda ipso opere præstent. Hoc fecit Apostolus Paulus post discessum suum ab Ephesijs, Philippensibus, & reliquis suis auditoribus. *Ephes. 3. vers. 14. Phil. 1 vers. 4. 9. Colos. 1. vers. 9. 1. Thessal. 1. vers. 2. 3. Deinde* Ecclesiastes accurate examinabit concionem

à se

à se habitam, ita, vt ipsemet accurati censoris officio fungatur, & censuram suorum collegarum exposcat, & denique aliorum piorum judicia requirat. In censuris autem duo extrema summopere cauenda sunt censoribus: vnum, vt dissimulationibus & occultationibus non demus locum; alterum, ne priuatis affectibus præoccupati nodum in scirpo quæramus, aut instar momi sandalia veneris reprehendamus. Quod attinet ad censitos, illi censuram sine suspicionibus, indignatione, altercationibus, aut malevolentia, placidis gratisque animis accipere debent, & cogitare illud: *Quo quisque est doctior, eo æquiori animo fert censuras moderatas.* Exemplum hujusmodi censuræ illustre admodum proponitur *Actor. 18. vers. 27.* in Aquila & Priscilla conjugibus. *Tertio* boni Ecclesiastis est, cum auditoribus de concione habita conferre, atq; ĕt illos examinare, qui sunt nouitioli. *Quarto* Ecclesiastes dispiciet, an auditores proficiant ex habitis concionibus. Quod si videat illos proficere, agat Deo gratias, illumque oret, vt porro benedicat: ipsos etiam auditores moderato encomio exstimulet. Si vero illos nihil aut parum proficere videat, debet quidem hanc ob rem tristari & indignari, verum ita ne modum excedat, sed hanc suam tristitiam justamque iram temperet mansuetudine Spiritus sancti ad Deum precibus, & majori diligentia, quæ non cadit malis, sed contra audentiori ire solet. *Quinto* Ecclesiastes, qui est frugi, vita sua totaque conuersatione doctrinam, quam publice proposuit, & indies proponit, exprimere, & praxin illius viuam, tanquam in illustri speculo, ob oculos Ecclesiæ ponere debet. Christus enim Apostolis suis, illorumque successoribus, hoc est, omnibus Ecclesiæ suæ pastoribus, dicit: *Vos estis Sal terræ: quod si Sal infatuatus fuerit, quo salietur? Ad nihil valet amplius, nisi vt abijciatur foras, & conculcetur. Vos estis lux mundi, &c. Matth. 5.*

CAP. XXIII.

De concionibus pertinentibus ad Theologiam naturalem, siue ad lectionem libri naturæ.

PRÆCEPTA.

Tradita est Rhetorica Ecclesiastica generalis: deinceps tradenda est Rhetorica Ecclesiastica specialis, quæ persequitur artificium concionandi juxta certas classes & species: vnde conciones Sacræ sunt propadeutica, vel padeutica. Illa sunt libera, ha textuales.

Conciones propadeutica sunt, quæ tractant thema propadiæ Theologicæ: vti sunt conciones pertinentes ad lectionem libri naturæ. Conciones Catechetica, & conciones locorum communium.

Conciones padeutica sunt, quæ tractant thema padiæ Theologicæ: vti sunt cõciones pœnitentiales, nuptiales, funebres, dominicales, festales, typicæ, parabolicæ, &c.

Hinc

Hinc itaque exsistunt quatuor classes concionum. In prima classe sunt conciones pertinentes ad Theologiam naturalem sive ad lectionem libri naturæ. In secunda classe sunt conciones Catechetice. In tertia sunt conciones locorum communium. In quarta classe sunt conciones pædeutica per totum Scripturæ systema.

REGVLÆ.

Prōtuarium concionum quale debeat esse?

I. In promptuario concionum debent tradi regulæ & paradigmata.

Non satis est habere præcepta & regulas Rhetoricæ Ecclesiasticæ generalis. Oportet insuper habere promtuarium concionum, in quo sint omnis generis conciones, ita vt ibi tradantur regulæ quædam generales, & exempla varia saltem quantum ad dispositionem & methodum. Hujusmodi promptuarium nos cum bono Deo trademus, illudque in quatuor classes disparabimus secundum propædiam & pædiam Theologicam. Propædiam vocamus librum naturæ, Catechesin & locos communes: quatenus illa nos præparant ad plenam & solidam Scripturæ lectionem. Pædia complectitur conciones, quibus textus Scripturæ ad varia vitæ negotia accommodatur.

Methodus concionum Theologiæ naturalis.

II. Methodus concionum Theologiæ naturalis est plena, vel contracta.

Methodus plena debet constare theoria & praxi. *Theoria* exhibebit considerationem naturæ, & historias naturales. *Praxis* exhibebit Vocem creaturæ, Vocem creatoris, & Vocem hominis, eamque partim ad Deum, partim ad seipsum, partim ad proximum. Vnde patet septem esse capita hujus methodi: quæ de re vide Theologiam Naturalem, in qua occurrunt 29. conciones juxta hunc Indicem.

PRI-

PRIMA CLASSIS
Exhibens

CONCIONES DE LIBRO NATVRÆ

IN QVIBVS

Traditur modus proficiendi in cognitione & cultu Dei ex consideratione creaturarum prout illa proponuntur in Theologia Naturali.

I. Modus legendi librum naturæ *Theol.nat.part.2.cap 1.*
II. Concio angelographica de Angelis: *ibid.cap.2.*
III. Concio Physiologica de proprietatibus corporum naturalium. *ibid.cap.3.*
IV. Concio Vranoscopica, de cœlo. *ibid.cap 4.*
V. Concio Photoscopica, de Luce. *ibid.cap.5.*
VI. Concio Astrographica, de Stellis. *ibid.cap.6.*
VII. Concio Heliographica, de Sole. *ibid.cap.7.*
VIII. Concio Chronographica, de quatuor anni temporibus hyeme videlicet, vere æstate & autumno. *ibid.*
IX. Concio Selenographica, de Luna. *ibid.cap.8.*
X. Concio Pyrographica, de Igne. *ibid.cap.9.*
XI. Concio Aërographica, de Aëre. *ibid.cap.10.*
XII. Concio Hydrographica, de Aqua. *ibi cap.11.*
XIII. Concio Geographica, de Terra. *ibid.cap.12.*
XIV. Conciones meteorologicæ, de Meteoris ignitis, aërijs, aqueis, apparentibus. *ibid.cap.13.14.15.16.*
XV. Conciones Lithographicæ, de Lapidibus vulgaribus. *ib cap.17. & c.18.* de lapidib. preciosis & de gemmis ignobiliorib. *c.19*
XVI. Concio Metallographica, de Metallis. *ibid cap.20.*
XVII. Concio Oryctologica, de Medijs mineralibus. *ibid.cap.21.*
XVIII. Concio Botonologica, de Herbis. *ibi. cap.22.*
XIX. Concio de Fruticibus. *ibid.cap.23.*
XX. Conciones Dendrographice, de arboribus. *ibid.cap.24.*
XXI. Concio Theologica, de Bestijs *ibid.cap 25.*
XXII. Concio Ornithologica de volatilibus. *ibid.cap.26.*
XXIII. Concio Ichthyologica, de Aquatilibus. *ibid.cap.27.*

XXIV. Concio Bucolica, de bestijs terrestribus. *ibid. cap. 28.*

XXV. Concio Anthropologica, de Homine. *ibid. cap. 29.* occurrit descriptio hominis spiritualis. *ibid.*

XXVI. Concio Oeconomica, de statu œconomico. *ibid. cap. 30.*

XXVII. Concio Scholastica, de statu Scholastico. *ibid. cap. 31.*

XXVIII. Concio Ecclesiastica, de statu Ecclesiastico. *ibidem capit. 32.*

XXIX. Concio politica de statu politiæ. *ibid. cap. 33.*

Atque in his concionibus obseruata est *methodus plena*. *Methodus contracta* est, quæ monstrat nudas dispositiones harum concionum, cum qualicunque praxi, juxta hæc exempla.

CONCIO I.

De ascensione mentis in Deum per scalas rerum creatarum.

Exordium. Scriptura frequenter nos admonet, vt solicite quæramus Deum. *Psal. 61. 104. Thren. 3. Esa. 49. Deut. 4.* Quamuis enim Deus non longe absit ab vnoquoq; nostrũ, quippe in quo sumus, viuimus & mouemur. *Act. 17.* quiq; nos assidue videt, de nobis assidue cogitat, & nos assidue tangit atque regit: nos tamen longissime absumus ab illo, quia Deum nec videmus, nec pio affectu tangimus, neque facile de illo cogitamus, neque illi adhæremus, sed rebus temporalibus occupati, facillime ipsius obliuiscimur, & corde ardo vix Dei nomen in psalmis & precibus sonamus. Oportet itaque tenere rationem meditandi Deum, & meditando ascendendi, & ascendendo transformandi se in Deum per intellectum & affectum. Tres autem sunt hic scalæ, è quibus duæ priores sunt ordinariæ, tertia est extraordinaria. Prima est scala ascensionis in Deum per opera creationis: Secunda per opera redemtionis: tertia per singularem illuminationem, qualis fuit in prophetis & Apostolis.

Propositio. Explicabimus scalam ascensionis in Deum per opera creationis, ita vt ostendamus hujusmodi scalam esse, & explicemus modum ascendendi.

De primo. Posse hominem per creaturas ascendere ad notitiam & amorem creatoris, Apostolus docet *Roman. 1.* & ratio ipsa satis confirmat, cum ex effectus causa efficiens, & ex imagine exemplar cognosci possit. Hic agatur de lumine naturæ, & de causis corrumpentibus istud lumen.

De secundo. Modus ascendendi per hanc scalam respicit gradus scalæ, &

la, & hominem ascendentem, per istos gradus. Quantum attinet ad *gradus*, illi sunt nouem, hoc ordine: Homo, Mundus, Terra, Aqua, Aer, Ignis, Cœlum, Anima, Angelus. *Homo, qui ascendit per istos gradus*, in singulis gradibus adhibebit tres mansiones seu stationes: videlicet precationem, contemplationem, & deuotionem. *Precatio* facit, vt inuocet creatorem, rogetque ab illo luminis naturæ rectum vsum circa hanc vel illam creaturam. *Contemplatio* est, qua perpendit naturam creaturæ. *Deuotio* est, qua erumpit in lachrymas per alloquium animæ suæ. Nimirum precatio est cibus animæ, contemplatio somnus ejus, deuotio actus ejusdem.

Conclusio. Per nouem istos gradus, & tres stationes disponuntur ascensiones in corde, vt videatur Deus deorum in Sion, quomodo in hac lachrymarum valle videri potest ab homine constituto in Schola naturæ.

CONCIO II.

Gradus primus Scalæ ascensionis in Deum, ex consideratione hominis.

Exordium. Si quis vere cupiat scalas in Deum erigere, à suiipsius consideratione debet incipere. Vnusquisque enim nostrum, & creatura, & imago Dei est: nihilque nobis est vicinius, quam nos ipsi. Et vero cum homo sit compendium totius mundi facile à seipso ad effectorem rerum omnium ascendet.

Propositio. Considerabimus quatuor communes causas; quis sit author hominis: ex qua materia cum fecerit, quam formam ipsi dederit, & ad quem finem sit conditus. *Deductio propositionis.*

I. Ad causam hominis efficientem quod attinet, quis, amabo ô homo, tibi dedit, vt esses, cum ante non multum tempus nihil esses? Certe non parentes carnis tuæ te genuerunt; quia quod natum est ex carne, caro est; tu autem spiritus es: neque cœlum aut stellæ, aut elementa te produxerunt; illa enim corporea sunt, tua autem anima est incorporea: neque vero angeli tibi dederunt vt esses, quia optima tui pars ex nihilo est. Non potest autem nisi Deus omnipotens, ex nihilo aliquid facere. Ille igitur solus sine socio, sine administro, manibus proprijs, quæ sunt ejus intelligentia & voluntas, te, quando voluit, procreauit. Ipsum quoque corpus tuum DEVS produxit. Quamuis enim ille parentes tuos ad carnem gignendam, vt infimos administros ad domum fabricandam, adhibeat, ipse tamen architectus, ipse author, ipse pater est, non solum animæ, sed etiam corporis, atque adeo totum tuum

esse tibi dedit. Nam si genitores carnis tuæ, architecti essent corporis tui, scirent vtique quot in corpore tuo essent musculi, quot venæ, quot nerui, & id genus alia: possent præterea eadem arte, qua condidissent, instaurare corpus tuum, quando ægrotat: quomodo ij, qui horologia componunt, aut domos ædificant, norunt etiam ea temperare, vel instaurare. At parentes nihil horum possunt. Adde quod conjunctio animæ cum corpore à nullo fieri potuit, nisi ab artifice potentiæ infinitæ, qui spiritum & corpus vinculo tam arcto solus potest conjungere. Hinc *Deuter.32.* Deus dicitur Pater noster, qui possedit, & fecit & creauit nos. Confer. *Iob.10. Psal.119.139.* vbi Deus dicitur nos pelle & carnibus vestiuisse, & manus ejus nos plasmasse. Ita Christus *Matth.23.* dicit: *Vnus est Pater vester, qui est in cœlis.* Quo pertinet egregia sententia matris puerorum Machabæorum *2.Mac.7. Nescio, quomodo in vtero meo apparuistis: neque enim Spiritum & animam donaui,* &c. Age nunc, anima mea, si Deus tibi est author animæ & corporis; si ille tibi pater; si quidquid es, illius es; si quidquid habes, ab illo habes; si quidquid speras, ab illo speras: cur de tanto Patre non gloriaris? cur illum non toto corde diligis? cur propter illum non omnia terrena contemnis? cur finis tibi dominari cupiditates vanas? Noli timere hostes tuos, quia Pater tuus est omnipotens & multæ miserationis. In hoc pone fiduciam tuam. Quod si feceris, nullum erit tam ingens bonum temporale, aut malum, quod possit, ab ejus charitate te diuellere. Porro quia Deus est pater omnium hominum, fac diligas proximum tuum, qui æque est plasma patris tui, atq; tu ipse. II. Materia, ex qua formatus est homo est omnium vilissima. Sed quo vilior est, eo nobis aptiorem dat materiam humilitatis. Quod attinet ad animam, illius materia est nihil, quo nihil vilius & inanius fingi aut cogitari potest. Corporis materia prima est terra rubra, puluis & lutum *Genes.1.ca. 3.& 18.* materia proxima est sanguis menstruus, res adeo fœda, vt refugiant eum oculi cernere, & manus contingere, & horreat etiam animus cogitare. Ipse porro pulluis ex quo homo formatus est, ex nihilo prodijt. Nihil igitur est in homine, superbo illo animali, vnde gloriari possit, quasi illud non acceperit à Deo. Opera quidem hominum, quæcunque illa sint, siue ex ingenio, siue ex labore prodeant, semper aliquid habent, de quo si rationem haberent, gloriari possent contra authorem suum. Siquidem vas aureum, arca lignea, domus lapidea, si loqui possent, dicerent vtique singula opifici suo: Tibi debeo formam, sed non materiam: & pretiosius est, quod ex me habeo, quam quod à te accepi. Homo vero, qui nihil ex se habet, & in se nihil est, in nullo gloriari potest. *1. Corinth. 4. Galat.6.* Hinc Cyprianus eleganter ait: *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil est.* At, inquies, multa præclara opera

faciunt

faciunt homines, ob quę merito laudẽtur. Ita est, inquã multa præclara faciant opera, ob quæ laudari ab aliis, & ipsi etiam gloriari possunt, sed in Domino, non in se. 2. *Cor.* 10. Quæro enim, cum egregium opus homo facit, ex qua materia facit? qua virtute facit? quo dirigente & adjuuante facit? Certe ex materia, quam Deus, non quam ipse homo creauit: ex ea virtute facit, quam Deus ipsi dedit, non quam ipse sibi peperit: & dirigente & adjuuante Deo facit, sine cujus directione & auxilio nihil boni faceret. Multa enim bona facit in homine sine homine Deus, sed nihil boni facit homo, quod non faciat Deus, vt faciat homo: sed nihil boni facit homo, quod non faciat Deus, vt faciat homo. Itaque dignatur Deus ministerium hominis adhibere in rebus bonis faciendis, quæ per se facere posset, vt hinc magis debitorem Deo se fateatur homo, non vt superbiendo, in se, non in Domino glorietur. Ergo, anima mea, si sapis, noli furari Deo gloriam suam, nec in modico, nec in maximo: descende ad nihil tuum, quod solum tuum est: ac proinde discе humilitatem, quæ nec in libris philosophorum, nec in moribus gentium inuenitur. Discе illam à Christo, magistro humilitatis. *Phil.* 2. si non vis discere ab hominibus.

III. Forma hominis tanto est nobilior, quanto materia ipsius est vilior. Nam forma siue figura corporis præcellit formas omnium animantium. Forma totius hominis est anima, in qua inprimis cernitur imago Dei, ad exemplar & archetypum infinitæ sapientiæ & potentiæ expressa. *Gen.* 2. Erige nunc anima mea, mentem ad exemplar tuum, & cogita, omne bonum imaginis in similitudine ad exemplar suum positum esse. Nam quale est exemplar, talis est imago: vt quia diabolus deformis est, etiam ipsius imago, quæ vulgo pingitur, est turpis & deformis. Ita si exemplar sit formosissimum, formosissima quoque fuerit imago, si quidem pulchritudinem exemplaris quam proxime imitetur. Et hujusmodi imago, si sensum haberet, nihil magis optaret, quam perpetuo exemplar suum adspicere, & ad illius imitationem se componere. Jam vero exemplar tuum, ô anima mea, Deus est, pulchritudo illa infinita, lux illa, in qua nullæ sunt tenebræ. *Joh.* 1. Quemadmodum autem pulchritudo corporis in proportione membrorum, & suauitate coloris consistit: sic in substantia spirituali, coloris suauitas est lux sapientiæ, membrorum proportio est justitia: quæ duo in exemplari tuo, Deo nimirum, sunt summa. Hic enim est ipsa sapientia, ipsa justitia, & ideo pulchritudo tua. Hinc Deus ad imagines suas ita clamat: *Sancti estote, quoniam ego sum sanctus, Dominus vester Levit.* 11. Ergo si cupis, anima, vt Deo exemplari tuo tanquam vera imago fias quam simillima, sapientiam & justitiam præ omnibus rebus ama. Sapientia vera est, judicare de omnibus rebus secundum altissimam causam, quæ est voluntas Dei, quam lex nobis manifestat. Itaque si sapientiam

esse tibi dedit. Nam si genitores carnis tuæ, architecti essent corporis tui, scirent vtique quot in corpore tuo essent musculi, quot venæ, quot nerui, & id genus alia: possent præterea eadem arte, qua condidissent, instaurare corpus tuum, quando ægrotat: quomodo ij, qui horologia componunt, aut domos ædificant, norunt etiam ea temperare, vel instaurare. At parentes nihil horum possunt. Adde quod conjunctio animæ cum corpore à nullo fieri potuit, nisi ab artifice potentiæ infinitæ, qui spiritum & corpus vinculo tam arcto solus potest conjungere. Hinc *Deuter.32.* Deus dicitur Pater noster, qui possedit, & fecit & creauit nos. Confer. *Iob.10. Psal.119.139.* vbi Deus dicitur nos pelle & carnibus vestiuisse, & manus ejus nos plasmasse. Ita Christus *Matth.23.* dicit: *Vnus est Pater vester, qui est in cœlis.* Quo pertinet egregia sententia matris puerorum Machabæorum *2. Mac.7. Nescio, quomodo in vtero meo apparuistis: neque enim Spiritum & animam donaui,* &c. Age nunc, anima mea, si Deus tibi est author animæ & corporis; si ille tibi pater; si quidquid es, illius es; si quidquid habes, ab illo habes; si quidquid speras, ab illo speras: cur de tanto Patre non gloriaris? cur illum non toto corde diligis? cur propter illum non omnia terrena contemnis? cur finis tibi dominari cupiditates vanas? Noli timere hostes tuos, quia Pater tuus est omnipotens & multæ miserationis. In hoc pone fiduciam tuam. Quod si feceris, nullum erit tam ingens bonum temporale, aut malum, quod possit, ab ejus charitate te diuellere. Porro quia Deus est pater omnium hominum, fac diligas proximum tuum, qui æque est plasma patris tui, atq; tu ipse. 11. Materia, ex qua formatus est homo est omnium vilissima. Sed quo vilior est, eo nobis aptiorem dat materiam humilitatis. Quod attinet ad animam, illius materia est nihil, quo nihil vilius & inanius fingi aut cogitari potest. Corporis materia prima est terra rubra, puluis & lutum *Genes.1.ca. 3.& 18.* materia proxima est sanguis menstruus, res adeo fœda, vt refugiant eum oculi cernere, & manus contingere, & horreat etiam animus cogitare. Ipse porro puluis ex quo homo formatus est, ex nihilo prodijt. Nihil igitur est in homine, superbo illo animali, vnde gloriari possit, quasi illud non acceperit à Deo. Opera quidem hominum, quæcunque illa sint, siue ex ingenio, siue ex labore prodeant, semper aliquid habent de quo si rationem haberent, gloriari possent contra authorem suum. Siquidem vas aureum, arca lignea, domus lapidea, si loqui possent, dicerent vtique singula opifici suo: Tibi debeo formam, sed non materiam: & proxios est, quod ex me habeo, quam quod à te accepi. Homo vero, qui nihil ex se habet, & in se nihil est, in nullo gloriari potest. *1. Corinth. 4. Galat.6.* Hinc Cyprianus eleganter ait: *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil est.* At, inquies, multa præclara opera

faciunt

faciunt homines, ob quę merito laudétur. Ita est, inquã multa præclara faciant opera, ob quæ laudari ab aliis, & ipsi etiam gloriari possunt, sed in Domino, non in se. *2. Cor.* 10. Quæro enim, cum egregium opus homo facit, ex qua materia facit? qua virtute facit? quo dirigente & adjuuante facit? Certe ex materia, quam Deus, non quam ipse homo creauit: ex ea virtute facit, quam Deus ipsi dedit, non quam ipse sibi peperit: & dirigente & adjuuante Deo facit, sine cujus directione & auxilio nihil boni faceret. Multa enim bona facit in homine sine homine Deus, sed nihil boni facit homo, quod non faciat Deus, vt faciat homo: sed nihil boni facit homo, quod non faciat Deus, vt faciat homo. Itaque dignatur Deus ministerium hominis adhibere in rebus bonis faciendis, quæ per se facere posset, vt hinc magis debitorem Deo se fateatur homo, non vt superbiendo, in se, non in Domino glorietur. Ergo, anima mea, si sapis, noli furari Deo gloriam suam, nec in modico, nec in maximo: descende ad nihil tuum, quod solum tuum est: ac proinde discе humilitatem, quæ nec in libris philosophorum, nec in moribus gentium inuenitur. Discе illam à Christo, magistro humilitatis. *Phil.* 2. si non vis discere ab hominibus.

III. Forma hominis tanto est nobilior, quanto materia ipsius est vilior. Nam forma siue figura corporis præcellit formas omnium animantium. Forma totius hominis est anima, in qua inprimis cernitur imago Dei, ad exemplar & archetypum infinitæ sapientiæ & potentiæ expressa. *Gen.* 2. Erige nunc anima mea, mentem ad exemplar tuum, & cogita, omne bonum imaginis in similitudine ad exemplar suum positum esse. Nam quale est exemplar, talis est imago: vt quia diabolus deformis est, etiam ipsius imago, quæ vulgo pingitur, est turpis & deformis. Ita si exemplar sit formosissimum, formosissima quoque fuerit imago, si quidem pulchritudinem exemplaris quam proxime imitetur. Et hujusmodi imago, si sensum haberet, nihil magis optaret, quam perpetuo exemplar suum adspicere, & ad illius imitationem se componere. Jam vero exemplar tuum, ô anima mea, Deus est, pulchritudo illa infinita, lux illa, in qua nullæ sunt tenebræ. *Joh.* 1. Quemadmodum autem pulchritudo corporis in proportione membrorum, & suauitate coloris consistit: sic in substantia spirituali, coloris suauitas est lux sapientiæ, membrorum proportio est justitia: quæ duo in exemplari tuo, Deo nimirum, sunt summa. Hic enim est ipsa sapientia, ipsa justitia, & ideo pulchritudo tua. Hinc Deus ad imagines suas ita clamat: *Sancti estote, quoniam ego sum sanctus, Dominus vester Levit.* 11. Ergo si cupis, anima, vt Deo exemplari tuo tanquam vera imago fias quam simillima, sapientiam & justitiam præ omnibus rebus ama. Sapientia vera est, judicare de omnibus rebus secundum altissimam causam, quæ est voluntas Dei, quam lex nobis manifestat. Itaque si sapientiam

annas, oportet te in rebus omnib. audire, nõ quid lex carnis dictet, quid sensus judicent esse bonũ, quid mũdus probet, quid cognati suadeãt, sed quid Deus tibi p̃cipiat. Similiter justitiã Dei imitare, adeoq; charitatẽ Patris tui. Nã si Pater tuus exercet justitiã & charitatẽ erga omnes, tuum est imitari hunc talẽ tantumq; Patrem. *Eph. 5.* Filius n. est imago patris, & imaginis totũ bonum, est suo exẽplari esse quam simillimũ. O si hæc plane intelligeres, mi homo, & exẽplari tuo per veræ sapiẽtiæ & justitiæ pulchritudinẽ similis fieri quotidie studeres, magis magisq; placeres oculis summi regis, indeq; pace summa fruereris, gaudio maximo exultares, omniaq; mũdi oblectamẽta contemneres. Cogita, quæso, quã vehementer indignetur Deus, si videat imaginẽ suã destitutam luce sapientiæ & decore justitiæ, inquinari, fœdari & obscurari, & hominẽ jumentis fieri similẽ *Ps. 48.* Ingemisce toto corde ad Deum, & dic: Quia, Domine Deus Pater cœlestis, continuo indigeo auxilio tuo, tũ vt in similitudine jam acquisita permaneam, tum vt quotidie tibi similior, adeoq; lucidior & formosior reddar, per fice quæso imagunculam tuam, adauge sapientiam & justitiam vt neque luto carnalis concupiscentiæ, neq; fumo secularis honoris, neq; pulvere terrenarum cogitationum illa fœdari queat.

IV. Finis hominis, tum intrinsecus, tum extrinsecus, ad quẽ ille creatus est, non est alius, quam Deus. Sicut enim palatii finis intrinsecus est ipsius complementum & perfectio (tum enim finitum esse dicitur, cum nihil ei deest eorum, quæ palatii structura requirit) & sicut finis intrinsecus arboris est status perfectus, quem ejus natura requirit: ita homo, qui ad celsissimum finem creatus est, tunc finem suum consecutus dici poterit, cum mens ejus Deum videt, sicut est: quippe cum hanc visionem in intellectu consequatur scientia rerum omnium, quæ quidem cadere potest in creaturam; & fruitio summi boni in voluntate, & in corpore immortalitas, in toto deniq; homine perpetua pax. Sicut enim Deus ideo est beatissimus, quia seipsum sẽper videt, sicuti est, seq; ipso summo bono clarissime viso, & ardentissime amato sine vlla cessatione ab æterno in æternum fruitur: ita angelos & homines illos participes facit beatitudinis, qui ipsum contemplari cupiunt & conantur. Hos jubet intrare in gaudium suum. *Matt. 25.* hos invitat ad mensam suam. *Luc. 22.* facitq; vt fruantur illo gaudio & honore, quo ipse fruitur. Ad hanc itaq; celsitudinem finis nostri quotidie cogitatione ac spe conscendamus, neq; litigemus de possessione terræ, aut affligamur ob quamcunq; jacturam bonorum temporalium, aut de lucro temporali simus soliciti, aut inhiemus voluptatibus, aut magni faciamus nebulas terrenarum cupiditatum. Sumus enim facti participes amicitiæ Dei, ac proinde inæstimabilium bonorum ejus: quoniam amicorũ omnia sunt communia. Porro finis extrinsecus hominis, ipse quoq; Deus

est,

est, sicut palatii finis, est habitator ejus; arboris, possessor ejus. Quemadmodum itaq; palatium est propter habitatorē, & arbor propter possessorē: ita homo est propter Deum. Hic solus est finis hominis. Ipse n. hominem fecit de suo fecit, pro se fecit. Itaq; merito dicit *Deu. 6. Dominum Deum tuū adorabis, & ipsi soli seruies.* Sed attēde diligenter, anima deuota, quod jā dictum. Res cæteræ, quæ propter hominē factę sunt, ipsi homini vtiles sunt, nō sibi: homini laborāt iumēta, non sibi: hominis cellā, horreū & marsupium implent agri, vineæ, horti, non suum: deniq; seruorū est labor, & sudor, & defatigatio, domini autem lucrum, & quies, & voluptas. Ac Dominus Deus tuus, qui nulla re indiget, seruire quidem sibi vult hominem, sed vtilitatem, & lucrum, & præmium vult esse seruientis hominis, non suum. O Domine suauis & mitis, quis non toto corde seruiat tibi, si dulcedinem paterni tui domini vel saltem primoribus labris degustare incipiat? Quid iubes Domine: *Tollite*, inquis, *iugum meum super vos. Matth. 11.* Et quale est iugum tuum? *Iugum meum*, inquis, *suaue est, & onus meum leue.* Quis non libentissime ferat iugum, quod non premit, sed fouet: & onus, quod non grauat, sed reficit, quale est onus auri vel gemmarum? Merito igitur addidisti: *Et inuenietis requiem animabus vestris.* Quod vero, Domine, est iugum tuum, quod non fatigat, sed requiem adfert? Nempe mandatum illud tuum *Matth. 22. Diliges Dominum* &c. Quid enim facilius, suauius, dulcius, quam diligere bonitatem, & pulchritudinem, & amorem, quod totum es tu Domine Deus meus? Recte iudicauit se vnus tuus Dauid, qui mandata tua esse censuit desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum, & dulciora super mel & fauum *Psalm. decimonono.* Et addit: *In custodiendis illis retributio multa.* Quid est hoc, Domine? Etiamne præmium polliceris custodientibus mandata desiderabilia super aurum multum, & dulciora super mel & fauum? Ita omnino. Præmium, & præmium amplissimum polliceris. Coronam enim vitæ præparasti diligentibus te *Iac. 1.* Et quid est corona vitæ? Nempe maius bonum, quam vel cogitare, vel desiderare possimus, vt Paulus 1. *Corinth. 2.* ex *Esa 64.* docet. Quare si sapis, anima, firmiter tibi persuade, Deum esse finem, ad quem sis condita: hoc erit centrum tuum, hic thesaurus tuus. Ad hunc finem si peruenieris, beata eris: si excideris ab illo, misera eris. Proinde illud tibi vere bonum existimes, quod ad finem tuum perducit: illud vere malum, quod à fine tuo te facit excidere. Prospera & aduersa, opes & inopia, sanitas & ægritudo, honor & ignominia, vita & mors, apud sapientem nec per se expetenda, nec per se fugienda sunt. Sed si conferunt ad gloriam Dei, & sempiternam felicitatem tuam, bona sunt, & expetenda: si eandem impediunt, mala sunt, & fugienda.

Conclu-

Conclusio.I. nunc, deuota anima, & discе teipsam humiliare: discе adhærere Deo: discе illo solo confidere. Nam si quæras *authorem* tuum, inuenies solum Deum: si quæras *materiam*, vnde te fecerit, inuenies omnino nihil; vnde colliges quidquid in te est, à Deo factum esse, & totum Dei esse: si quæras *formam*, inuenies te esse imaginem Dei: si quæras *finem*, inuenies ipsum eundem Deum, esse summum & totum bonum tuum. Itaque intelligis tantam tibi esse conjunctionem & necessitudinem cum Deo, vt ipse solus tibi sit conditor, ipse author, ipse pater, ipse exemplar, ipse beatitudo, ipse omnia. Cur itaque non ardentissime illum quæris? illum cogitas? illum suspiras? illum videre & complecti desideras? Cur nó exhorres tam densas tenebras cordis tui, quod tam longo tempore nihil minus cogitasti, aut desiderasti, aut quæsiuisti, quam Deum, qui solus tibi est omnia?

CONCIO TERTIA.

Gradus secundus scalæ ascensionis in Deum, ex consideratione mundi.

Exordium. Scalæ ascensionis in Deum gradum primum construximus ex consideratione hominis, qui dicitur mundus minor: nunc secundum gradum superstruere consilium est ex consideratione mundi majoris, qui dicitur vniuersitas rerum.

Propositio. Etsi vero in eo multa sunt admirabilia: hæc tamen quinque potissimum considerabimus, videl. magnitudinem, multitudinem, varietatem, efficacitatem & venustatem. Quæ omnia, si, Deo illuminante, attentissime cogitentur, non paruam vim habent ad animam sic eleuandam, vt in admiratione immensæ cujusdam magnitudinis, & multitudinis, & varietatis & efficacitatis, & pulchritudinis quasi deficiat: & ad se reuersa, quidquid extra Deum videt, quasi nihilum & inane despiciat.

Deductio.I. Magnus certe est orbis terrarum, & adeo magnus, vt Ecclesiasticus dicat *cap.* 1. *Latitudinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est?* Quod inter alia ex eo potest intelligi, quod in tot millibus annorum, qui fluxerunt ab orbe condito, non dum superficies terræ, nostris hominibus, eam assidue inquirentibus, innotuerit. Sed terra est instar puncti, si ad cœli supremi ambitum comparetur. Et si stella quælibet firmamenti major est toto terrarum orbe, vt communis est sapientum opinio, & tamen nobis, ob infinitam prope distantiam, stellæ illæ minutissimæ videtur, quis cogitando assequi poterit amplitudinem firmamenti, vbi tot millia stellarum lucent? Ergo si de superficie & profunditate terræ Ecclesiasticus dixit, *Latitudinem terræ, & profunditatem abyssi quis dimensus est:* quid quæso de superficie exteriore cœli supremi, & de profundo totius

mundi

mundi ab vno polo ad alterum, diceret? Omnino tanta est hujus mundi machina, vt cogitatio nostra illã assequi non possit. Age nunc, anima mea, interrogo te: si tantus est mundus, quantus est, qui fecit mũdum? qui mẽsus est pugillo aquas & cœlos palmo ponderauit, qui appendit tribus digitis molem terræ? *Esa.* 40. Nimirum ita est, vt Salomon ait 2. *Chro.* 6. *Cœlum, & cœli cœlorum non capiunt te.* Quod adeo verum est, vt si mũdus alius crearetur, illum quoq; repleret Deus. Et, si plures, etiam infiniti fierent mundi, illos omnes Deus impleret. Quare si Deus est vbiq; præsens, totus in toto mundo, & totus in qualibet parte mundi, ne timeat cor tuum, etiãsi aduersus te consistant castra. Quid enim timeat, qui apud se habet patrẽ, amicum & sponsum omnipotentẽ? Sed si meritò culpæ tuæ habeas Deum iratum, & inimicum omnipotentem, tum verò jure times. Da itaq; nullã requiem oculis, nec pedibus tuis, nisi Deo placato per veram pœnitentiã respiraueris in luce misericordiarum ejus. Cæterum vt in mundo ea dicuntur magna, quæ magnas habent dimensiones, longitudinem, latitudinem, altitudinem & profunditatem: ita in Deo omnia sunt magna juxta has dimensiones. *Eph.* 3. In Deo enim vera latitudo est immensitas, & plena viscera misericordiæ; vera longitudo, æternitas, & perfecta justitia; vera altitudo naturæ sublimitas & omnipotentia; vera profunditas, sine fundo, incomprehensibilitas, & infinita sapientia. Hinc quatuor istæ dimensiones sunt quatuor veluti gradus, ex quibus essentiam & attributa Dei cognoscere, & spiritualiter metiri possumus.

II. Jam vero multitudinem rerum, à Deo vno conditore cœli & terræ productarum, quis enumerabit? quot sunt arenæ maris? quot metalla, lapides, gemmæ & margaritæ intra terram & maria? quot supra terram genera, species & individua herbarum, fruticum, arborum; animalium quadrupedum, reptilium & volatilium? quot in mari genera, species & individua piscium? quis enumeret capita hominum in toto mundo? quot sunt in cœlo sidera? quot supra cœlum angeli? De stellis vide *Gen.* 15. & 22. de angelis *Dan.* 7. Hęc igitur prope infinita rerum multitudo ab vno Deo cõdita, demonstrat ipsum esse infinitum, & in ipso esse perfectiones omniũ rerum modo eminentissimo. Nã perfectio effecti cum modo eminentiæ est in causa sua. Et multę perfectiones creaturarũ conueniunt in vna creatoris perfectione, ita vt Deus infinitas perfectiones sub vnius simplicissimæ essentiæ perfectione complectatur, ad eum fere modum, quo nũmus aureus continet valorem multorum nummorum æreorum. Ergo, anima mea, quidquid oculis aut cogitationi tuæ occurrit, quod admirabile videatur, id scala tibi sit ad perfectionem conditoris agnoscendã, quæ sine vlla cõparatione major & mirabilior est. Ita fiet, vt res creatę, quę pedibus insipientiũ sunt veluti decipulæ *Sap.* 14. nõ te decipiant, sed erudiant: nec

te dejiciant, sed gradum tibi ad meliora faciant. Itaq; si aurum, vel argentum, vel lapides pretiosi occurrãt, dicas in corde tuo, pretiosior est Deus, qui seipsum mihi daturum promisit, si ista contẽsero. Si regna & imperia terrena miraris, dic in corde tuo: Quanto præstantius est regnum cœlorũ, quod in æternum manet, & quod promisit diligentibus se, qui non mentitur Deus? si te voluptas carnis incipiat titillare; dicas in corde tuo, Multo jucundior est voluptas spiritus, quam voluptas carnis. Has enim præbet creatura mortalis, illas Deus immortalis: quas qui gustat, dicere potest cũ apostolo: *Repletus sum consolatione, & superabũdante gaudio in omni tribulatione nostra.* 2. *Cor.* 7. Deniq; si quid pulchrũ, nouũ, insolitum, magnum, mirabile, offeratur, ne discede à Domino Deo tuo: sed dic, Quidquid est in illis boni, illud est à summo bono; & vero multo plura, & multo meliora in Domino Deo meo reperiuntur. Ideo nõ est mihi vtile, nummũ æreum pro aureo, vitrũ pro gẽma pretiosa, parua pro magnis, certa pro dubiis, & sempiterna pro temporalibus commutare.

III. Sed quanquam admirabilis est multitudo rerũ creatarũ, & multiplicé vnius Dei perfectionẽ arguit, multo tamẽ admirabilior est varietas rerũ, quæ in illa multiplicatione cernitur, & facilius ad Dei cognitionẽ ducit. Nõ enim difficile est, vno sigillo multas figuras omnino similes exprimere, nec iisdẽ typis innumerabiles literas excudere. Sed variare formas infinitis prope modis, quod Deus fecit in creatione rerũ hoc plane diuinũ est opus, & admiratione dignissimũ. Omitto genera & species rerũ quę cõstat esse maxime varia & diuersa. In ipsis individuis herbarũ, plantarum, florũ, fructuũ, quanta varietas inest? Figuræ, colores, odores, sapores, nõne infinitis modis prope modũ variantur? Nonne idẽ omnino in animãtibus cernitur? Sed quid de hominib. dicã, cum in numerosissimo exercitu, vel vt confidentius dicã, in toto mundo vix inueniantur duo homines omnino similes? Quod ipsum etiã in stellis inuenitur (nã *stella a stella claritate differt* 1. *Cor.* 15.) itẽq; in angelis. Erige nunc, anima mea, oculos mẽtis tuæ ad Deũ, tanquã fontẽ & puteũ infinitæ profunditatis, in quo latent thesauri diuitiarũ sapientiæ & potentię, quę tantã rerũ varietatẽ parere potuit. Hinc *Deus dicitur esse omnia*: quoniã varia bona, quę in reb. creatis inueniuntur sparsa & diuisa, in vno Deo inueniuntur modo quodã meliore & altiore collecta. Illa igitur apud te firma manea cõclusio: Qui inuenit Deũ, inuenit omnia; qui perdit Deum, perdit omnia. Neq; refert, quod Deũ non videmus oculis, aut manibus tangimus, aut ore gustamus, aut auribus audimus, quẽadmodum vtimur fruimur creaturis, vnde illæ hominẽ animalẽ magis afficiunt. Etsi n. Deum nõ possidemus tanquã rẽ corpoream, spiritualiter tamẽ illo fruimur, etiã in ipsis creaturis corporeis: & post hanc vitã fruemur ipso perfectissime 1. *Cor.* 13. vbi ille erit omnia in omnibus 1. *Cor.* 1. nimirũ sol, vita, cibus, vestis, domus, honor, diuitiæ, delectatio, sapiẽtia, & vno ver-

bo,omnia.Deinde cogita,quanta mundi hujus pars ad te pertineat? Certe nec totus mundus,nec pars media,aut tertia,aut quarta, sed vix particula quædam est tua.Annon igitur satius est,Deo adhærere:quem qui habet,omnia habet;qui non habet,nihil habet.

IV.Sequitur nunc,vt à virtute & efficacia,quã Deus reb. creatis tribuit, ad infinitã creatoris virtutẽ & potentiã ascẽdamus. Nulla verò res est,quæ admirabilẽ vim & efficacitatẽ non habeat. Terra & lapides, si ab alto decidant,quanto impetu ruunt? Aqua,quæ leniter fluit,quando irascitur,& intumescit in fluminib.vel torrẽtibus,obuia quęq; prosternit:neq; solum casas rusticorũ,sed etiã portas,mœnia,& põtes lapideos diruit.Porro vẽti, qui aliquando suauissime spirant,naues maximas ad scopulos allidũt, annosas quercus eradicant,pagos & vrbes cõcutiunt & interdũ terra obruunt sepultasq; relinquunt. Quid de igne dicemus? Qua velocitate modicus ignis crescit in flãmam tantã vt domos,siluas,oppida,quasi momento tẽporis deuoret atq; cõsumat? Quis enumeret virtutes herbarũ,magnetis, succini,& similiũ? Porro in animalib.alia robustissima esse videmus,vt leones,vrsos,tauros,elephãtes:alia ingeniosissima,quãuis minutissima,vt formicas,araneas,apes. Quid hic dicã de potentia angelorum,& de virtute solis & stellarũ? Quale tandẽ est ingenium hominis,quo tot tantę artes inuẽtę sunt,vt sępe dubitemus,vtrũ arti natura,an potius ars naturę palmã cõcedat. Attolle nunc,anima,oculos mẽtis ad Deum,& cogita quanta virtus,quanta efficacitas,quãta potẽtia in Domino Deo tuo sit, de quo scriptura dicit: *Quis similis tui in fortibus Domine? Exo* 15.& *quis facit mirabilia magna solus. Ps.*136.& *qui solus est potẽs.*1.*Tim.*6 Quidquid n. virium habent res creatæ,à Deo habẽt: & tamdiu habẽt,quamdiu Deo placet, vt habeãt. Quis enim effecit,vt Jonæ in vẽtre ceti cõcluso neq; maris aquę,neq; dẽtes ceti nocerent,nisi Deus? *Jon.*2. Quis cõclusit ora leonũ famelicorũ,vt Danielem nõ attingerent,nisi Deus? *Dan.*5. Quis tres pueros in camino ignis ardẽtis illæsos seruauit,nisi Deus? *Dan.*3. Quis imperauit vẽto furẽti, & mari insanienti,nisi Christus verus Deus? *Mar.*4. Hanc potentiã infinitã Deus à se habet,& sẽper habet,& vbiq; habet:omnisq; hominũ vis & potẽtia,nõ parua & exigua,sed nulla omnino est,si cõparetur cũ potẽtia Dei. *Esa.*40. Nõne ignorant,qui timẽt res creatas, & Deum omnipotentẽ nõ timent? & qui confidunt in virtute sua,aut amicorũ suorũ,& in Deo omnipotẽte non cõfidunt? Nos dicamus cũ apostolo:si *Deus pro nobis, quis cõtra nos? Rõ.*8. Et,si Deus cõtra nos,quis erit pro nobis? Ergo anima mea,si sapis,humiliare sub potẽti manu Dei.1.*Pet.*5.illiq; adhære per veram pietatẽ, & nõ timẽbis,quid faciat tibi homo,vel dæmõ,vel creatura alia. Sed si forte à pietate excidisti,& Deũ ad iram prouocasti,fac vt ipsi recõcilieris,ne incidas in manus Dei irati,quod est horrendũ valde. *Hebr.*10.

V. Reſtat, vt pulchritudinem rerum creatarum inſpiciamus, de qua dixit propheta *Pſal. 93. Delectaſti me, Domine, in factura tua.* Et certe, quæ fecit Deus, vt bona ſunt omnia, ſic etiam pulchra ſunt. Magna enim eſt pulchritudo prati viridis, horti bene culti, ſyluæ amœnæ, maris tranquilli, aeris ſereni, fontium, fluuiorum, gemmarũ cœli micantis, atq; innumerabilibus ſtellis, quaſi gemmis, diſtincti. Deinde quã delectat pulchritudo arboris florentis, vel fructu onuſtæ? quam recreant quadrupedum variorũ formæ, auium volatus, piſcium luſus? Quid dicam de pulchritudine ſtellarum, & inprimis de juba ſolis, maximo ſane illo & clariſſimo quod ex ortu ſuo mundum exhilarat vniuerſum? Homines denique, quid magis quã ſua ipſorum venuſtas ſpecieſq; delectat? *Propter ſpeciem mulierum multi perierunt*, inquit *Eccleſiaſticus c. 9.* Experientia hoc abũde docet. Videmus enim, viros alioqui ſapientiſſimos fœminarum venuſtate; & contra fœminas etiam graues & honoratas, virorum pulchritudine, ad eam inſaniam redigi, vt rem familiarem, & dignitatem, & filios, ac parentes, & etiam vitam ipſam, addo etiã æternã ſalutẽ, amori hominũ formoſorum poſtponant. Nota ſunt, quæ de Samſone, Dauide, & Salomone, hac de re lẽguntur. Plenæ ſunt hiſtoriæ ſimilium exemplorum. Ipſi quoque hæc talia videmus. Ergo, anima mea, ſi tanta eſt pulchritudo in res creatas à Deo conditore effuſa, quanta putas, & quam admirabilis eſt pulchritudo conditoris? Nemo enim dare poteſt, quod non habet. Et ſi ſolis ac ſtellarum ſpecie delectati homines, lumina illa corpora *deos putauerunt. ſciant quanto dominator eorum ſpecioſior eſt: ſpeciei enim generator hæc omnia conſtituit*, vt eſt *Sap. 13.* Quanta vero ſit pulchritudo Dei, non ſolũ ex eo certo cognoſcitur, quod omnium creaturarum pulchritudo eminentiore modo in ipſo collecta reperitur, ſed etiam ex eo, quod, cum inuiſibilis ſit nobis, dum ab ipſo peregrinamur, & ſolum per fidem ſcripturarũ, & in ſpeculo creaturarum vtcunq; cognoſcatur, multi tamen ſanctorum ita exarſerunt in amorem ejus, vt alii in loca deſerta ſeſe abdiderint, vt ejus vnius cõtemplationi vacare poſſent: alii cõjuges, liberos, domos, prædia, & quidquid in terris poſſidebant, deſerentes, Chriſtum ejuſq; religionem ſecuti ſint: alii vitam ipſam cũ acerbiſſimo dolore libenter exponere nõ dubitauerint, ne viſione illius infinitæ pulchritudinis priuarẽtur. Audi vnũ ex illis, ſanctũ videl. Ignatiũ, qui in *epiſt. ad Rom.* inter alia ſic ait: *Ignis, crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diuiſio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant: tantum Chriſto fruar.* Si ergo pulchritudo Dei, nondũ viſa, ſed ſolum credita & ſperata, tantum deſiderii & amoris ignem excitat, quid fiet, cũ remoto velo, vt in ſe eſt, cõſpicietur? Omnino id faciet, vt *torrẽte voluptatis illius inebriati Pſ. 35.* neq; poſſimus, neq; velimus vel ad punctũ temporis oculos ab ea diuertere. Et quid mirũ, ſi angeli & beatæ animæ ſemper

videant

videant faciem Patris, qui est in cœlo, nec visio illa tædium, vel societatem illam pariat, cum ipse Deus ab æterno pulchritudinem suam semper aspiciens in ea penitus acquiescat, & ex ea visione beatus, nihil aliud velit, & quasi in hortum omnium deliciarum ingressus, nunquam inde exierit, neque in æternum sit exiturus. Hanc pulchritudinem quære anima mea: ad eam suspira dies & noctes. Dic cum propheta: *Sitiuit anima mea ad Deum viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Psal. 42.* Neque vero est, quod metuas vt vehemens amor pulchritudinis hujus te inquinet. Amor enim diuinæ pulchritudinis perficit corda, non inficit: Sanctificat, non inquinat. Hinc vere dixit Agnes martyr & virgo. *Amo Christum, cujus mater virgo est, cujus pater fœminam nescit; quem cum amauero, casta sum; cum tetigero, munda sum; cum accepero, virgo sum.* Sed heus anima mea: si vere Domini tui increatam speciem concupiscis, oportet te implere, quod Apostolus 2. *Cor. 5.* ait: *Ideo contendimus, siue absentes, siue præsentes, illi placere.* Si placet tibi Deus, debes & tu placere Deo. Caue inquineris lutopeccati in peregrinatione tua. In statu patriæ sine omni dubio placebis Deo tuo. Ergo fac in statu vitæ inchoes placendi desiderium. Assiduo magnoque labore cane maculas, quæ fœdam reddunt faciem tuam: & si quæ inhæserint, non minori studio & labore contende illas abstergere. Nonne vides mulierculas, quæ cupiunt placere maritis suis, aliquot horas consumere in componendis capillis, & poliendo vultu, & maculis vestium abstergendis. Quid igitur te facere oportet, vt placeas oculis sponsi immortalis, & qui semper te videt? Ne attende ad sermones & judicia hominum. Non enim simul placere potes Deo & hominibus, vt Apostolus docet *Gal. 2.*

Conclusio. Atque hæc est ratio contemplandi mundum majorem: quæ omnibus pijs debet esse commendata, ne hoc admirandum Dei opus aspiciant, vt vacca portam albam. Dici non potest quam pias & fœcundas cogitationes pariat contemplatio magnitudinis, multitudinis, varietatis, efficacitatis & pulchritudinis mundi.

CONCIO QVARTA.

Gradus tertius Scalæ ascensionis in Deum, ex consideratione terræ.

Exordium. Considerauimus mundum majorem: nunc partes ejus principales considerare aggredimur, vt ex ijs scalam nobis ad contemplandum opificem, qualem possimus, erigamus. Incipiemus autem ab infimis mundi partibus, & progressi per intermedias, subsistemus in supremis.

Propositio. Dicemus de terra, quæ passim in Scripturis vna cum cœlo absoluit totum Dei opificium. Legimus enim, Deum creasse cœlum & terram *Genes.1.* & alibi sæpe. Nimirum cœlum est veluti palatium Dei, & terra palatium hominum, vt colligitur ex *Psal.115.* Sunt autem tria consideratione dignissima in hoc elemento, per quæ, si mens vigilet, non difficulter ad Deum ascendere possumus: videlicet quod terra sit fundamentum mundi; quod sit hominis nutrix; quod denique sit matrix metallorum & lapidum pretiosorum. Quas tres proprietates terræ hac vice considerabimus.

Methodus deductionis.

I. Prima terræ proprietas est, quod sit firmissimum totius mundi fundamentum, quod nisi haberemus, non possemus ambulare, aut quiescere aut operari, aut vitam vllo modo ducere. Hinc *Psal. 93.* dicitur Deus firmasse orbem terræ: & *Psal.104.* illam fundasse super stabilitatem suam. Atque hoc est symbolum conditoris nostri. Quemadmodum enim terra est locus, in quo corpora nostra quiescunt, cum in aqua, aere, vel igne quiescere nequeant: ita in solo Deo anima locum quietis & centrum suum inuenire potest. Hinc *Augustinus lib.1. Confess.* eleganter ait: *Fecisti nos, Domine, ad te: & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Hoc in Salomone videre est. Nam ille quæsiuit requiem in suis regnis, quæ habuit amplissima & pacatissima *3.Reg.4.* in diuitiis, quibus abundauit. *3.Reg.9. & 10.* deniq; in voluptatibus ventre *83.Reg.11.* Verum enimvero tantum abest, vt in his inuenerit quietem, vt nil nisi afflictionem & vanitatem habuerit pro præmio, quod ipse fatetur *Ecclesiast.2.* Neque hoc fuit mirum. Etiamsi enim & plura, & maiora habuisset bona terrena: non tamen illa potuissent animum ipsius reddere quietum. Cur vero hoc? Animus humanus immortalis est: bona terrena sunt mortalia. Nec potest fieri, vt animus capax infiniti boni, satietur bonis finitis. Quemadmodum igitur corpus humanum non potest in aere, quantumuis latissimo, nec in aquis, quamuis profundissimis, requiescere, quia centrum ejus est terra, non aer, vel aqua: sic animus humanus nunquam requiescet in aerijs dignitatibus, vel luteis diuitijs, vel aqueis voluptatibus, vel in sapientiæ vento, sed in solo Deo, qui est centrum animorum, & verus ac solus locus quietis ipsorum. Interrogemus Salomonem, an in suis regnis, opibus, voluptatibus & sapientia quietem inuenerit, & an ista capacitatem animæ ipsius implere potuerint: respondebit, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Quemadmodum itaque viri, qui pollent judicio, deridentur nugatores & crepundia puerorum: ita ipse factus vir Dei derisit & contemsit suas diuitias & delicias, in quibus sibi placuerat, non aliter atque pueri in suis nucibus. O quam vere igitur, & quam sapienter exclamauit pater

Salo-

Salomonis. *Psal. 72. Quid est mihi in cœlo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*: ac si dicere voluisset: Nihil invenio, nec in cœlo, nec in terra, nec in alia re creata vlla, quæ sit in cœlo vel sub cœlo, quod mihi veram quietem possit adferre. Tu, Deus, es petra cordi meo. Sic enim habet Hebraica veritas. Tu solus ego petra firmissima es cordi meo, in te vno quiescam. Tu solus pars mea, hæreditas mea, omne bonum meum. Cætera nihil sunt, & nihil animæ replendum & satiandum valent. Agnoscis ne, anima mea, solum Deum esse petram tuam, in qua requiescas, & tuta permaneas sæuientibus ventis & procellis hujus mundi, cætera vanitatem & afflictionem Spiritus, quæ non solentur, sed crucient, quoniam acquiruntur cum labore, possidentur cum timore, & amittuntur cum dolore? Despice igitur ista omnia, quæ transeunt, & in vno permane, qui manet in æternum. O anima mea, si sapis, sequere consilium Christi *Matth. 7.* & domicilium tuum, quod ex varijs potentijs & virtutibus, quasi cubiculis & aulis constat: hoc, inquam, domicilium in Deo, tanquam in petra, fundato, hoc est, firmissime confide in Domino, tota tua fiducia sit in hoc summo bono, in hoc sis radicata per charitatem. Ita enim consequeris, vt neque spirituales nequitiæ, quæ supra nos sunt, neque carnales concupiscentiæ, quæ infra nos sunt, neque domestici hostes nostri, qui à latere nos oppugnant, contra te vnquam suis machinis prævaleant. Magnæ quidem sunt vires, & magna calliditas spiritualium potestatum: sed potestas & sapientia Spiritus Sancti est major, qui præsidet illi domui; quæ in Deo fundata est. Vehementer omnino contra Spiritum pugnat caro, & carnales concupiscentiæ fortissimos quosque debellare student: sed amor Dei amorem carnis facile superat, & timor Dei timorem mundi facile prosternit.

Denique amici & sodales hominis, & ipsi quoque peruersis consilijs & blanditijs ad consortium peccatorum animas trahunt: sed anima, quæ Dominum & patrem, & fratrem, & sponsum in cœlo se habere confidit, carnales amicos non solum contemnere, sed etiam odisse potest, & dicere cum Apostolo: *Quis me separabit à charitate Christi? Certus sum, quod neque mors, neque vita &c. hoc potest. Romanor. ultimo.* Sed illa vere misera est anima, cujus domus in arena fundata est. Hæc enim non potest diu subsistere, sed breui ruina illius magna fiet: quippe cum credat mendacio, & confidat in baculo arundineo, & ejus Deus, aut venter, aut pecunia, aut fumus honoris sit, quæ omnia velocissime transeunt, & animam illis adhærentem in exitium sempiternum præcipitant.

II. Se-

II. Secunda terræ proprietas in eo posita est, quod illa tanquam bona nutrix herbas cæteroſque fructus large profundat in eſcam hominum & cæterarum animantium. *Geneſi.* Atqui hæc ipſa proprietas ad Deum conditorem, vt verum nutritium nos deducit. Non enim terra, ſed Deus in terra omnia bona producit. *Pſal.104. Matth.6. Actor.14.* Tametſi enim terra germinat herbas, & omnis generis fructus: non tamen hoc per ſe præſtat, ſed ex virtute Dei, qui produxit illam, hancque vim ipſi indidit, & inditam conſeruat, & illi dat incrementum. Ideo *Pſal.148.* & *Daniel.3.* in cantico trium puerorum, omnia germinantia & fructifera inuitantur, vt laudent Dominum, quemadmodum & reliquæ creaturæ. Et cum omnia ſuo modo Deum laudent, quanto affectu, deuota anima, tu debes Deum pro his omnibus beneficijs, quibus aſſidue ex terra frueris, laudare? Tuum eſt, agnoſcere occultam Dei manum, hæc omnia largientem, & non occultum, ſed liberaliſſime atque clariſſime patentem, vere paternum Dei tui amorem, qui nunquam ceſſat tibi de cœlo benefacere, & in omnibus rebus prouidere. Sed parum hoc eſt in oculis Domini tui. Ipſe enim eſt, qui in te, vt in ſpirituali horto & agro ſuo, producit germen nobiliſſimum charitatis, ex qua, tanquam arbore cœleſti & diuina, prodeunt flores candidiſſimi & odorati cogitationum ſanctarum, folia virentia verborum vtilium ad ſalutem, & fructus bonorum operum, quibus Deus glorificatur, & proximus adjuuatur. Hæc charitas non eſt ex mundo, ſed ex Deo. *1. Iohan.4.* Tu igitur, anima mea, ſi hortulus es cœleſtis agricolæ, caue ne ſpinæ vel tribuli inueniantur in te: ſed omni ſolicitudine foue arborem charitatis & illa caſtitatis, bonarum humilitatis. Caue ne eradices cœleſtia iſta germina virtutum, aut contriſtes Spiritum ſanctum, qui eſt dominus virtutum, & ſeminator ſancti conſilij. Sed & conſeruationem & incrementum, & fructum bonorum operum, non tibi attribue ceu terræ ſterili, ſed Deo tuo commenda, & ad illum ſemper ſit fortitudo tua. O te felicem, ſi hæc facis! Væ autem illis, qui more jumentorum fructibus terræ ſatiari deſiderant, eoſque auidiſſime colligunt & recondunt, de authore autem non cogitant, neque illi gratias agunt! Illorum anima eſt ſimilis terræ, cui maledixit Deus. *Geneſ.3.* Quæ ſpinas & tribulos germinat. Quid enim cogitant illi, in quibus Deus non ſeminat caſta conſilia, quique ipſi ſeminant fornications, adulteria, homicidia ſacrilegia, furta, proditiones, blaſphemias, periuria, conuitia, calumnias, falſa teſtimonia, & id genus alia, quæ ab Apoſtolo. *Galat.6.* appellantur opera carnis. Iſti nimirum ſunt tribuli, hi fructus venenati, hæ ſpinæ, quæ primo pungunt animos germinantium eas, punctionibus amariſſimis timorum & ſolicitudinum: deinde pungunt famam, & corpora atque animos proximorum læſione grauiſſima.

III. Re-

III. Restat vltima terræ laus, quod videlicet aurum & argentum, & lapides pretiosos intra sinum suum contineat. Sed certe non virtute sua producit terra res tam pretiosas, sed ille, qui per *Haggæum cap. 2.* dicit: *Meum est aurum, & meum est argentum.* O amator hominum! Itane hoc etiam placuit dulcedini tuæ, vt non solum produceres humano genio lapides, & ligna, & ferrum, & æs, & plumbum, & alia id genus necessaria ad domos & naues ædificandas, & instrumenta varia conficienda: sed etiam aurum, & argentum & lapides pretiosos, ad ornatum & decorem? Et si hæc tribuis peregrinantibus in terra, & sæpe etiam inimicis tuis blasphemantibus nomen tuum, quid dabis dilectis tuis tecum in cœlo regnantibus? Dabis vtique non frustula Auri vel Argenti, nec paucas gemmas, sed ciuitatem illam, quæ tota est ex jaspide, auro lapide pretiolo & margaritis. *Apocal. 21.* quæque adeo est excellentior omnibus ciuitatibus peregrinationis hujus, quanto ciuitas aurea & gemmata præstat omnibus catis rusticorum, & palatijs regum: Erige igitur, anima mea, oculos mentis ad cœlum, & cogita quanti sint facienda bona, quæ illic sunt: cum aurum, argentum & lapides pretiosi, quæ hic tanti sunt, illis bonis comparata, vix luti & palearum nomine censeantur, quippe quæ reuera sunt ex luto, & ideo sunt corruptibilia. Sed quia per manus pauperum hoc ipsum corruptibile aurum & argentum, quod hic habes, ad cœlestem patriam transfertur, adeoque fit incorruptibile, quid cessas illud pauperibus elargiri, atque ita tibi comparare thesaurum in cœlo? *Matth. 19. Luc. 12.* O incredulitas filiorum hujus seculi? Promittit homo mendax decem pro centum & sortem integram se mutuanti repræsentaturum, & creditur ei. Promittit, qui mentiri non potest Deus, centum, vel potius infinitas myriades se daturum pro vno, vitam puta æternam pro eleemosyna, & trepidat auarus homo, nec facile potest adduci, vt hoc credat, & mauult thesaurum suum abscondere, vbi ærugo consumit, & fures effodiunt, quam in cœlo reponere, quo fur non pertingit, & vbi ærugo non consumit. Sed etiamsi aliquando neque fures auferant, neque tinea vel ærugo corrumpat, quæ tanto labore parasti & conseruasti, ô homo infelix cujus tandem erunt? Tua certe non erunt, cujus tamen esse poterant, si per manus pauperum in cœlestes thesauros collegisses vsus quidem docet, ea quæ auari diuites collegerunt, ad hæredes prodigos peruenire, qui multo breuiori tempore profundunt, quam auari parentes collegerant: atque interim peccatum auaritiæ manet, æternumque manebit, & vermis conscientiæ non morietur, & ignis inferni non extinguetur. *Esa 66. Marc. 9.* O auare infelix, ergo ne tam solicite congregasti pecunias, vt fomentum parares igni gehennæ, & vermem generares, qui non morietur! Audi Jacobum *cap. 5.*

Agite nunc diuites plorate, &c. & Prophetam *Psal. 144. Beatus populus cujus Dominus est Deus.*

Conclusio. Intelligitis, quomodo terra debeat esse nostra magistra: nempe his tribus modis. Doc. 1, Deum esse centrum locumque quietis nostræ, nostrumque nutritium Opt. Maxim. & res pretiosas, quas ille in sinu suo fouet, nobis ob oculos ponere decorem cœlestis patriæ. Nostrum partium est sic calcare terram, & illius bonis vti frui, ne corda nostra his terrenis adhæreſcant, sed ab illis assurgant ad cœlestia & æterna bona, quæ Deus præparauit dilectis suis filijs.

CONCIO V.

Gradus quartus scalæ ascensionis in Deum, ex consideratione aquarum.

Exordium. Secundum locum inter elementa tenet aqua. Ex ea quoque, si recte inspiciatur, gradus ascensionis in Deum construi potest.

Propositio. Primo considerabimus aquam vniuersè: deinde specialem ascensionem in Deum è fontibus hauriemus.

Deductio. I. Aqua humida est & frigida, & inde quinque proprietates habet: nam lauat & abstergit maculas; extinguit ignem; refrigerat, & temperat ardorem sitis; conjungit res multas & diuersas in vnum; denique quam profunde descendit, tam alte ascendit. Hæc omnia sunt manifesta symbola & vestigia conditoris rerum omnium.

Ac *primo* aqua lauat maculas corporales. lauat Deus maculas spirituales. *Psal 51 Esa. 43.* vnde Spiritus Sanctus confertur cum aquis. *Ezech. 36.* Magna vero est differentia inter hanc mundationem. Nam aqua corporalis lauat maculas corporum, sed non omnes: aqua spiritualis omnes omnino maculas tollit *Ezech 36.* Aqua creata sæpe ita lauat maculas, vt vestigium aliquod & vmbra maculæ relinquatur: aqua spiritualis sic lauat, vt res lota candidior pulchriorque reddatur, quam esset antequam inquinaretur. *Psal 51. Esa. 1.* Denique aqua corporalis tergit maculas illarum rerum, quæ sponte sua admittunt aquam: aqua spiritualis etiam penetrat petras corda que lapidea. Hinc *Augustinus de prædic. Spiritus S. ca. 8.* ait: *Quis capiat, Domine, quam admirabili ratione in corda infidelium inspires fidē, & in corda superborum infundas humilitatem, & in corda hostium insinues charitatem?*

Deinde aqua extinguit ignem. Ita Spiritus S. aqua illa cœlestis, extinguit ignem carnalium concupiscentiarum. Hic enim in nobis creat amorem Dei, qui tanquam princeps omnium affectuum, reliquos omnes regit, ita vt illi

vt illi vni obtemperent. Amor nihil timet, omnia audet, omnia vincit nihil sibi difficile aut impossibile arbitratur, denique nulli cedit. Vbi ergo est amor Dei, ibi sunt reliquæ virtutes. Cur vero hic amor nulli cedit? Quia amor minor cedit amori majori & valentiori. Sed amore Dei nullus potest esse major & valentior.

Tertio aqua sedat sitim. Et aqua illa cœlestis sola potest desiderijs cordis humani varijs,& molestissimis, finem imponere. *Johan.4.* Omnino sic res habet: *Non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu Eccles.1.* Quidquid rerum mundanarum homini offeratur, non potest ejus desiderium sedare, cum ille capax sit infiniti boni, & res omnes creatæ certis terminis circumscribantur. Sed qui bibere incipit aquam cœlestem, in qua sunt omnia nihil, expetit, nihil requirit amplius.

Quarto aqua conjungit & in vnum redigit, quæ vix vniri posse videbantur. Sic multa grana farinæ per aquæ ad mixtionē vnus panis efficiuntur: & ex multis partibus terræ per aquæ adjunctionem lateres fiunt. Sed multo facilius & arctius aqua Spiritus Sancti facit, vt multi homines sint cor vnum,& anima vna. *Actor.4. Iohan.17. Eph.2.* O felix & dulcis vnio, quæ multos homines facit esse vnum corpus Christi, quod ab vno capite regitur, & de vno pane comedit, & de vno calice bibit, & de vno Spiritu vivit, & adhærens Deo vnus fit Spiritus cum eo! *1. Corinth.6. & 10.* Quid amplius desiderare potest seruus, quam vt non solum particeps fiat omnium bonorum Domini sui, sed etiam vinculo amoris indissolubilis vnum fiat cum ipso omnipotenti, & sapientissimo, & pulcherrimo domino suo? Atqui hoc totum facit Spiritus S. gratia, tanquam aqua viuens & viuificans, quando in corda recipitur deuote, & omni diligentia atque solicitudine custoditur.

Quinto aqua tam alte ascendit, quam ex alto descendit. Sic quoniam Spiritus S. descendit ex cœlo in cor hominis, facit vt cogitationes sanctæ ascendant in cœlum. Descendit gratia, & ascendit fides.

Quæ cum ita sint, anima mea, gemitibus inenarrabilibus dicas patri tuo cœlesti: Da mihi hanc aquam, quæ maculas omnes detergat, quæ concupiscentiæ calorem extinguat, quæ sit in omnem & omnia desideria sedet, quæ vnum Spiritum cum Deo tuo te faciat, quæ fiat in te fons aquæ salientis in vitam æternam. Filius tuus dixit: *Si vos cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris, quanto magis pater vester de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus se? Luc.11.* Ecce, Pater sancte, hunc Spiritum ego abs te peto in nomine Filij tui! Adimple, precor, promissionem Filij tui dilecti, & cor mūdum in me crea. Spiritum tuum sanctum ne auferas à me. *Psal.51.*

II. Venio nunc ad similitudinem, quam habent fontes aquæ cum Deo. Vnde animus deuotus multa vtilia potest colligere, | pertinentia

nentia ad cognitionem & amorem Dei. Est autem Deus fons essentiæ, vitæ & sapientiæ, vt colligitur ex *Psal.36.Eccles.1.& Jerem.2.* Vnde Apostolus *Actor.17.* ait : *In ipso viuimus, mouemur, & sumus. Principio* Deus est fons essendi : quia sicut fons hoc habet proprij, vt ab eo nascantur flumina, & si desinant à fonte fluere, continuo exarescenti, fons autem ipse non pendet à fluminibus, quia non accepit ab illis aquas, sed ipse in se habet, & cum alijs communicat: ita Deus, verissimus ille fons essendi, esse suum à nulla re accepit, sed omnia accipiunt ab ipso: A nulla re Deus accipit esse; quia de essentia ipsius est esse, & ipsa essentia est ejus existentia, vt nec fieri, nec cogitari possit, Deum non semper extitisse, aut non semper existere. Res cæteræ possunt ad tempus esse, & ad tempus non esse : quoniam ad eorum essentiam non necessario pertinet esse: vt exempli causa, de essentia hominis est, vt sit animal rationale, atque ideo non potest homo esse & non esse animal rationale : at vero si de essentia hominis esset etiam existere, non posset non semper existere. Ideo potest existere, & non existere. Deus ergo est fons essendi, quia in sua essentia includit actu semper existere. Atque hoc significant illa verba *Exodi 3. Ego sum, qui sum,* hoc est, ego sum ipsum esse, & non aliunde accipio esse, sed in me habeo, mihi soli conuenit, vt essentia mihi sit esse. Atque hinc etiam propria Deo est æternitas & immortalitas. *1.Timoth.1.& 6.* Ita vero cæteræ res omnes à Deo accipiunt esse, vt nisi semper ab ipso dependeant, & ejus quodam influxu conseruentur, continuo desinant esse. Hinc Apostolus *Hebr.2.* dicit, Deum portare omnia verbo virtutis suæ. Ergo, anima mea, suspice & mirare bonitatem infinitam conditoris, qui res omnes facit esse & porro esse, cum tamen earum opera non indigeat. Nec minus admirare, & imitare patientiam ipsius, qui tam benignus est super ingratos & malos *Luc.6.* vt sustentet, qui eum blasphemant, & conseruet, qui ad nihilum redigi digni essent. Non itaque tibi graue videatur, si quando infirmitates fratrum portare, & ijs, qui te oderunt, benefacere jubearis.

Deinde Deus est fons vitæ; quia viuit, & res omnes viuere facit. Ipse vitam habet in seipso; & res omnes, quæ viuunt, ab illo fonte accipiunt vitam, illoque cessante vitam subministrare, deficiunt, & in puluerem suum rediguntur. *Psal 104.* DEVS itaque tuus, ô anima, verissime viuit, & est author ac fons vitæ. Vnde ipse in Scripturis passim inculcat illud: *Viuo ego, dicit Dominus. Numer. decimo quarto.* Et prophetæ subinde repetunt istud, *Viuit Dominus.* Et apud Jeremiam *capit. decimo sexto* ita conqueritur DEVS : *Me dereliquerunt, fontem aquæ viuæ.* Ad hanc vitam aspira, anima mea, neque ægre ferto, quod tibi hæc vita cor-

corporalis & temporalis est deserenda. Quid enim magni imperat tibi Deus, cum vitam istam animalem, imperfectam vtique & egenam, te relinquere iubet, aut illam exponere pro gloria sua, vt vitæ æternæ, ditissimæ & felicissimæ particeps fias? *Denique* Deus est fōs sapientiæ; quia ipse sapientiam largitur & in vita æterna seu schola gloriæ, & in hac vita, partim in schola gratiæ, partim in schola naturæ. Vnde tria existunt flumina sapientiæ, gradus perfectionis, amplitudinis & charitatis distincta. Ades dum igitur anima mea, & bibe ex his fluminibus: sed ita, ne confundas gradus, & forte hic discere velis illam sapientiam, quæ propria est beatis angelis & hominibus. Aspira ad flumē gloriæ, immerge te flumini gratiæ, & linge flumen naturæ. Ita fiet, vt Christus tibi det omnes thesauros sapientiæ qui in ipso solo sunt absconditæ. *Col. 2.*

Conclusio. Ex his, quæ diximus de aqua, & nominatim de fonte, disce, quisquis es, quidquid boni est in creaturis, illud à Deo fonte omnis bonitatis defluere, vt hoc pacto discas cum Francisco fontalem Dei bonitatē in creaturis, tanquam in riuulis deguſtare.

CONCIO VI.

Gradus quintus scalæ ascensionis in Deum, ex consideratione aeris.

Exordium. Aeris elementum varia nos docere potest, si commoda, quę humano generi ex diuina ordinatione præstat, attendamus. Audiamus inque & hunc magistrum.

Propositio. Sex sunt proprietates & vtilitates aeris: seruire respirationi animalium, adeoque vitam ipsorum conseruare: oculorum, aurium & linguæ vsui inseruire, ita vt si aer forte subtrahatur, etiamsi cætera adsint omnia, continuo cæci, surdi & muti omnes efficiamur: inseruire motui animalium, adeo, vt aere remoto motus omnis impediri, atque omnes artes & omnia fere hominum opera cessare sit necesse: cedere omnibus corporibus: esse receptaculum meteororum: denique esse habitaculum volatilium.

Tractatio propositionis. I. Si incipiamus à primo, deprehendemus vitam sine respiratione conseruari non posse: ex quo vsitatum est, vt pro eodem accipiantur viuere & spirare: Nimirum corpus eget continua respiratione, quoniam calor naturalis, quo cor exæstuat, ministerio pulmonis aerē attrahentis, & calidum eiicientis ita temperatur, vt vitam conseruet. Sic & tu, anima mea, vt viuas vita spirituali, indiges continua respiratione, quæ fit omittendo ad Deum per orationem calida suspiria; & recipiendo à Deo nouam Spiritus S. gratiam. Et quid aliud significant verba illa Do-

mini tui: *Oportet semper orare, & nũquam deficere, Luc.* 18. nisi, oporteat semper suspirare, & spiritum bonum recipere, vt spiritualis vita in te non extinguatur? Quod idẽ docetur *Luc.* 21. 1. *Thes* 5. & 1. *Pet.* 4. vbi studiũ precãdi ardentissimũ & frequentissimum nobis cõmendatur. Ratio hujus mãdati hęc est. Quia omni tẽpore egemus auxilio Dei oportet vt omni tẽpore illud petamus. Scit quidẽ Pater noster cœlestis, quib. rebus indigeamus, & paratus est nobis illas suppeditare liberaliter ac præsertim, quæ ad salutem æternã pertinẽt: sed vult per orationis instrumentũ illas largiri, quoniã hoc est illi honorificẽtius, & nobis vtilius, quã si dormientibus, & nihil agentibus cũcta donaret. Porro, quod nobis præcipue sit petendũ, docet Dominus *Luc.* 11. vbi ait: *Quãto magis Pater vester de cœlo dabit spiritũ bonũ petentibus se?* Hoc igitur est in primis assidueq; petendum, vt nobis detur spiritus bonus, per quẽ respiremus in Deo, & respirando vitã spiritualẽ conseruemus. Quod Dauid fecit *Ps.* 119. *Os meũ aperui, & attraxi spiritũ.* q.d. Os meũ aperui desiderando, suspirando, postulando, gemitib. inenarrabilibus: & attraxi aurã suauissimã Spiritus Dei, quę ẽstũ concupiscentiæ refrigerauit, meq; in omni bono opere cõfirmauit. Quę cum ita sint, quis dicet eos viuere, secundum Deum, qui dies integros, vel etiã menses & annos nõ suspirant ad Deum, nec respirant in Deo? signũ enim mortis euidẽs est, nõ spirare. Nã omnis qui spirat, viuit; & qui spirare desinit, viuere etiam desinit. Vita spiritualis, per quã filii Dei sumus, in charitate sita est 1. *Joh.* 3. At quis amat, & nõ desiderat videre eum, quẽ amat: quis desiderat, & non petit, quod cupit, abeo quẽ scit posse & velle dare, si petatur? Ergo qui non orat assidue, vt videat faciem Dei sui, non desiderat eum videre: qui non desiderat, non amat: qui non amat, non viuit: quid ergo sequitur, nisi vt judicemus, mortuos esse Deo, quamuis mundo viuant, qui serio in orationis studium non incumbunt? Neq; vero orare, ac per hoc spirare atq; viuere, dicendus est is qui sola corporis voce preces fundit. Oratio enim non est eleuatio vocis in aerem, sed eleuatio mentis in Deum, etiam in mediis occupationibus. Macte ig esto, anima mea, & in variis tuis occupationibus in cœlo per desideriũ versare, neq; vnquã dilecti tui obliuiscere.

II. Altera proprietas aeris est, vt sit medium, per quod ad oculos nostros perueniant species colorũ, & ad aures species sonorum, sine quibus nec videre, nec audire, nec etiam loqui possemus. In qua re primum Deo gratias agere debemus, quod tam insigni beneficio naturam nostram ornare, & quidem per hoc medium, tam commodum & opportunũ voluerit. Deinde admirari nos decet conditoris nostri sapientiam in opere tantæ sublimitatis & tenuitatis, quod cum aer sit verum corpus, & tantum, vt repleat spatium pene immensum, tamen nec videatur, nec sentiatur ob tenuitatem. Mirata est antiquitas subtilitatem lineæ alicujus, quam

Apel-

Apelles pinxerat. Sed ea linea & videbatur, & tangebatur. At aer, ſubtiliſſimum illud velum, quod omnes ambit & contingit, à nullo cernitur. Admirationem hanc auget, quod cum aer ſit ſubtiliſſimum, & tenuiſſimum corpus, tamen cum ſcinditur, ſub-to iterum conjungitur, & continuatur, ac ſi ſciſſum nunquam fuiſſet. Certe diſruptam telam araneorum, vel ſubtiliſſimum velum ſciſſum, nullus artifex ita re arcire poteſt, vt prior ſciſſura non appareat. Adde, quod eſt omni admiratione diuiſſimum, & ſolius Dei ſapientiæ proprium, quod per eandem aeris partem impermixte & ſimul tranſeant innumerabiles colorum ſpecies. Nam innumeras ſtellas, varias arbores, campos, flores, & alia id genus multa, vno momento videmus, adeoque rerum illarum omnium ſpecies in aere nobis propinquo impermixtas contineri intelligimus. Quis hoc capiat? quis intelligit? Quomodo enim fieri poteſt, vt res tenuiſſima tantam formarum varietatem ſimul contineat? De ſono idem eſt judicium. Nam ſi eodem loco, & eodem tempore quo videmus corpora jam dicta, reſonent cantus auium, inſtrumenta muſica, & murmur cadentium aquarum, nonne ſimul in eodem aere neceſſe erit recipici cum tot formis colorum, etiam illos omnes ſonos? Quis hæc facit, anima mea niſi conditor tuus, qui facit mirabilia magna ſolus? Et ſi tam mirabilia ſunt opera eius, quanto admirabilior erit ipſe? Porro conditor tuus clare & diſtincte videt & nouit omnes iſtas colorum & ſonorum ſpecies, impermixtaſque conſeruat. Firmiter itaque tibi perſuade, illum quoque clare videre ac nouiſſe cineres ſingulorum hominum, qui moriuntur, illoſque cõſeruare impermixtos, vtvt nobis illud videatur impoſſibile.

III. Tertia natura aeris eſt, non impedire, ſed juuare motum omnium rerum, quæ de loco in locum tranſeunt. Nouimus omnes, quanto labore naues trahantur per aquas, quamuis & ipſæ liquidæ ſint & facile ſcindantur. Sæpenumero enim oportet equos hanc ad rem adhibere. Et, ſi forte per montes & colles, aperienda ſit via, quantis ſudoribus, & quam longo tempore via, quamuis breuiſſima, aperitur? At per aerem nullo labore, ſumma facilitate & maxima celeritate currunt equi, volant aues, tela & miſſilia jaciuntur homines denique ad varia exercenda miniſteria deſcendunt, aſcendunt, deambulant, diſcurrunt, mouent manus, brachia & pedes ſurſum, deorſum, à dextris & ſiniſtris. Hinc diſces, anima mea, lõge ſubtiliorẽ eſſe naturam ſpirituum, quos Deus produxit, facitq; flammam volantem & ventos celeres. *Pſal.* 104

IV. Quarta indoles aeris eſt, ita cedere omnibus, & in omnem formam ſe mutare, vt ſe ſcindi & diſſipari patiatur, prout homines volunt. Hinc videtur nobis datus in magiſtrũ humilitatis, & patiẽtiæ, & charitatis, vt omnibus fiamus omnia, omnibus inſeruiamus, omniũ commoda promouea-

moueamus. Atque hęc aeris proprietas ob oculos nobis etiam ponit suauitatem maximam, & benignitatem incredibilem conditoris sui. Quid enim? Colligite, anima mea, & attentissime cogita, Deum tuum omnibus creaturis semper adesse, cum omnibus semper operari, nullum vacuum relinquere, & quod est infinitæ suauitatis ad singularem naturam & cooperationem se accommodare. Cum agentibus necessariis cooperatur, vt necessario agant; cum voluntariis & liberis, vt voluntarie & libere. Ignem ita mouet & juuat vt ascendat; terram, vt tendat deorsum; aquam, vt labatur per loca declinia, aerem, vt transeat. quocunque pellitur; stellas, vt in circulum versentur perpetuo; herbas, frutices, plantas, arbores, vt fructus secundum naturam suam proferant; animantia terrestria, aquatilia & volatilia, vt ea faciant, quæ natura eorum postulat. Er, si suauitas Deifice eminet in cooperatione cum creaturis suis in operibus naturæ, quid fieri cẽsebimus in operibus gratiæ? Attribuit quidem Deus homini liberum arbitrium, verum ita, vt ipsum regat imperio terreat exitio, alliciat beneficio. Cujus rei exempla passim obuia sunt in scripturis. Eia nunc, anima mea, si conditor tuus tam suauis & mitis est erga seruos suos, vt incredibili benignitate peccatores toleret, vt conuertat, & justos consoletur annõ tuum est imitari Deum & proximos tuos tolerare, & cum apostolo omnibus omnia fieri 1. *Cor. 9.* Imitare Deum Patrem, qui finit solem suum oriri super bonos & malos. *Math. 5.* Imitare Deum filium, qui suos hostes mansuete tractauit. Imitare Deum Spiritum S. quia sua dona indigis & indignis distribuit.

V. Aer est receptaculum meteororum, quorum varietas, elegans aut horrifica species, vtilitas aut noxa, tibi ob oculos ponit maiestatem sapientiæ, bonitatis, potentiæ & iræ Dei. Magnam hic habes, anima mea, magistrorum turbam, è qua imprimis delige pluuiam, nubes, niuem, tonitru, & terræmotum.

VI. Aer est domicilium volatilium, quorum vtilitas Dei benignitatẽ, varietas sapientiam, tibi potentiam, natura tuum officium tibi ob oculos ponit, anima deuota. Ingredere itaq; hoc Dei viuarium, & ζωογνωδειαν istam ne asperna re.

Conclusio. Quotidie in regno potentiæ aerem attrahimus, illoque ceu balsamo vtimur. Simile quid à nobis debet fieri in regno gratiæ. Attrahamus ibi auram Spiritus Sancti, vt aliquando in regno gloriæ innumeras species colorum, qui ruut labunt è corporibus sanctorum hominum, & infinitas species sonorum qui existent è musica angelorum & hominum, percipere possimus, Amen.

CONCIO

CONCIO VII.

Gradus tertius Scalæ ascensionis in Deum, ex consideratione ignis.

Exordium. Ignis elementum est vsque adeo purum & nobile, vt Deus ipse ignis appellari voluerit, & sæpe apparuerit in forma ignis. *Deut. 4. Exo. 3. & 19. Act. 2.* Non itaque fuerit difficile, ex natura & proprietatibus ignis gradum nobis conficere, per quem ad Deum meditando & orando ascendamus, atque ita cum Elia sursum feramur, curru igneo subuecti.

Propositio. Considerabimus sex proprietates ignis, quæ sunt, destruere, perficere, illustrare, calefacere, emollire, & eleuare. Vbi hoc est mirabile, quod ignis in rebus diuersis diuerso, ac sæpe contrario modo operetur. Nam ligna, fœnum, & stipulas continuo absumit; aurum, argentum, lapides pretiosos, puriora & pulchriora reddit. Ferrum, quod sua natura est nigrum, frigidum, durum, & graue, in contrarias qualitates ita transmutat, vt continuo calidum, lucidum, molle & leue reddatur; imo vt stella fulgeat, vt aqua liquescat, vt res leuis moueri attolique facillime possit. Quæ omnia satis aperte in Deum & homines conueniunt.

Tractatio. I. Quemadmodum ignis consumit ligna, fœnum & stipulas: sic ignis judicij Dei qui est purissimus, destruit omnia peccata. Vnde *1. Cor. 3.* ligna, fœnum & stipulæ significant opera mala, quæ examen diuini judicij ferre non possunt. Incredibile est profecto, quam vehementer omnia peccata Deo qui est ignis purissimus, displiceant, & quanto Zelo illa destruat, vel puniat. Ac primo quidem illa destruit, si per pœnitentiam destrui possint, hoc est si peccator sit in eo statu, vt pœnitētiam agere possit. Verum si peccator sit pœnitētiæ expers, vt sunt dæmones, & homines reprobi, ira Dei manet super illum. Quantum porro hoc sit odium, testis est Diabolus, qui propter peccatum fuit de cœlo dejectus, & omni decore & splendore destitutus, in monstrum deformissimum fuit commutatus. Testis est Christus, qui de cœlo descendit, vt opera diaboli dissolueret. *1. Ioh. 3.* & infinita passus est, vt peccata nostra tolleret. *Esa. 53.* Testis est lex Dei, quę omne peccatum prohibet. Testis est deniq; gehenna, quam Deus parauit impijs, qui sanguine agni non fuerunt loti. Ergo, anima mea, cum tam ingens sit Dei odium contra peccatum, si amas Deum super omnia, debes et super omnia odisse peccatum. Si peccatum tibi in teipso aut alijs non displicet. Deum non amas: si Deum non amas, perijsti. Deinde si Christum amas, cogita quantum debeas charitati ejus? laboribus ejus? sanguini & morti ejus? An tibi graue erit pro Christo aliquid pati, vel ejus in gratiam, & cum ejus gratia, vsque ad sanguinem peccato resistere? Denique si gehennæ pœnam non vis pati, nec patere peccatum, sed illud fuge instar co-

lubri, & hoc apud te maneat ratum & fixum, peccati odium maximum cum maximo Dei amore cohærere nexu indiuiduo.

II. Ignis perficit, & nitidare facit aurum, argentum, & lapides pretiosos: quæ *1. Cor. 3.* significant bona opera, quæ igne diuini judicij approbantur. Facta enim sunt ipso jubente, juuante, & per legem suam nos dirigente. Aurum designat opera charitatis; argentum, opera sapientiæ; lapides pretiosi, opera continentiæ seu temperantiæ, vt quidam explicant. Hæc vero omnia non possunt non placere Deo, qui est charitas, sapientia & mens casta. Intellige anima mea, quãtum interest inter opera & opera? & quid stultius atq; miserius, quam te in eo loco & tempore, in quo potes, si sapis, facili negotio, aurũ argentum & lapides pretiosos comparare, malle tamen non paruo labore lignа, fœnum & stipulas colligere? Vtinam perpenderes, hæc omnia igne diuini judicij examinanda, & illa priora laudanda & coronanda, hæc posteriora cremanda, & in fauillas ac fumũ redigenda. Cur nunc eligis, quod te elegisse certissime pœnitebit? Quod si non vides discrimen inter ista opera, ora Deum, vt remoueat velamen rerum præsentium, quod oculos tuos impedit, ne videant puram & liquidã veritatem: & dic cum cæco illo *Luc. 18. Domine, da vt videam*: vel cum propheta *Psal 119. Reuela oculos meos: & considerabo mirabilia de lege tua.*

III. Ignis ex ferro obscuro facit lucidum. Ita omnis peccator lumine gratiæ carens & pœnitentiam agens, à Spiritu S. illuminatur. Quamuis enim homo ψυχικὸς in scientijs & commerciis humanis non solum ingenio, sed etiam judicio polleat: tamen in bono spirituali & æterno dijudicando cæcus est, & omni cæco miserior. Cæcus enim nihil videt, & ideo sine duce non audet progredi: At peccator putat se videre, quod non videt, vel certe vnum pro altero videt & judicat bonum malum, malum bonum; magnum paruum, & paruum magnum; longum breue & breuelõgum; & ea de causa in eligendo perpetuo fallitur. Hoc est, quod Christus Phariſæis exprobrat *Matth. 15.* ipsos esse cæcos, & duces cæcorum. Hoc est, quod Esaias prædixit, Messiam aperturum oculos cæcorum. *cap. 42.* Hoc est quod dixit Apostolus, gentiles idololatras habere intellectum tenebris obscuratum, & cor excæcatum. *Eph. 4.* Neq; mirum est, quod cæci sint, qui à Deo, vera illa luce sunt auersi animo & volũtate sua *1. Ioh. 1. & 2.* Quæ accedit malitia, quæ homines à Deo auersos magis excæcat, *Sap. 2.* Nam passiones animi, amor peccati, odium justitiæ, ira, inuidentia, & similes affectus, ita excæcant animum, vt non patiantur verum cerni; cum sint veluti perspicilla colorata, quæ res albas repræsentant vt rubras; vel perspicilla sic composita, vt res paruas exhibeant tanquam magnas, vel cõtra; aut valde distantes vt propinquas, vel contra. Qui vehementer amat peccatum, reum tam deformem, inutilem & malum, opinatur illud esse pulcherrimum, vtilissimum & optimum. Sed si ferrum istud tetrum & ni-

gnum admoueatur ad ignem, id est, si peccator à peccato se auertat, & ad Deum conuertat, paulatim incipit illustrari, & rei veritatem perspicuam in isto lumine videre. *Psal. 34. & 36.* Et tunc demum fracto perspicillo colorato passionum, & assumto crystallino, quod est fides, res æternas judicat magnas, & temporales exiguas, ac pene nullas, vt reuera sunt.

IV. Ignis ferrum non solum efficit lucidum ex obscuro, sed etiam calidum ex frigido: nec tantum calidum, sed ita feruens & ardens, vt ignis esse videatur. Ita Deus hominem natura frigidum, atq; omnia timentem, qui nec loqui, nec se prodere, nec vllam rem spiritualē tentare audet, igne charitatis accendit, audaciorem q; efficit leone, qui & rugitu omnes terreat, & bellando omnes vincat, & cum Apostolo, qui ipse hoc igne fuit accensus, dicat: *Omnia possum in eo*, qui me confortat. *Phil. 4.* Ita videmus, Petrum *Act. 2.* tam potenter, ardenter & efficaciter docuisse, vt vno sermone multa hominum millia ad fidem conuerteret. Similiter reliqui Apostoli sola charitate armati euerterunt breui labore idololatriam in toto orbe terrarum, fundarunt vbique Ecclesias, & erexerunt trophæum crucis, sine militum exercitu, & sine vllo bellico apparatu. Nimirum charitas facit, vt vox concionatoris sit velut i tormentum, quod non tantum sonitū magnum edit, sed etiam pilam ferream vel lapideam efficaciter ejaculatur: cum vox magna sine charitate sit instar bombardæ, quę sine pila ferrea vel lapidea sonitum magnum edit, sed absq; fructu. Neq; solū charitas armat dicta pastorū verbi Dei, sed ēt facta omnium Christian. reddit efficacia. Nā charitas foras mittit timorē, omnia suffert, omnia sperat. *1. Cor. 13. 1. Ioh. 4.*

V. Ignis illud etiam proprium habet, vt ferrum ex duro efficiat molle, vt facile extenuari, atq; extendi in laminas, & ad omnes figuras accommodari ab artifice possit. Magna est efficacitas ignis in ferrum: sed longe major est virtus Dei nostri in pectora nostra lapidea, obstinata, & obdurata. Si enim ille scintillam ignis amoris sui in corde, quantumuis duro, accendat, continuo illud mollescit, vt instar ceræ liquescit, atq; ex corde lapideo fit carneum, & ex congelatis niuibus, flante Spiritu Domini, & lucente Sole justitiæ, fluunt aquæ. Tanta vis est ignis diuini.

VI. Restat vltima proprietas ignis, quod res graues extollat, & facili negotio sursū attollat. Hoc modo Sp. S. homines graues corde ita regenerat, vt sursum ferātur ad Dñum. Furor, timor, iracūdia, & similes passiones, sunt instar jugi & oneris, q̄ hominē ita grauat, vt nihil aspicias nisi terrā cui prostratus inhæret: & nec ad Deum quærēdū assurgere, nec viam mādatorū Dei expedite currere possit. Sed cū incipit ignis diuin⁹ exalto corda humana succēdere, cōtinuo passiones illæ diminui & mortificari, & on⁹ graue leuius fieri incipit. Tūc cor exoneratū accipit pēnas sicut colūbæ, & cū Ap. dicit: *Cōuersatio nostra in cœlis est. Ph. 3.* & quasi corde dilatato, cū Dauide ait:

Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Psal. 112. Certe posteaquam Saluator dixit *Luc. 12. Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt ardeat?* Plurimi adeo leues effecti sunt, vt omnem honoris, carnis, & diuitiarum affectum, ceu sarcinam, deposuerint, & Christo dixerint ex *Cant. 1. Trahe nos post te.*

Conclusio. O beatus ignis, qui consumis vitia, & humorem noxium, ne vitam extinguat: qui purgas corda nostra impura: qui illuminas intellectum nostrum obtenebratum: qui corda dura emollis: qui animam onere peccatorum pressam ad Deum eleuas? Quis mihi dabit, vt isto igne corripiar, qui nigredinem ignorantiæ, & conscientiæ obscuritatem luce veræ sapientiæ purget ac tollat? qui frigus pigritiæ in deuotionis ardorem commuter, & gelu negligentiæ in flammã amoris? qui cor meum indurari nunquam sinat, sed calore suo semper emolliat, & obediens efficiat? qui denique jugum graue terrenarum curarum & desideriorum auferat, & pennis sanctæ contemplationis, quæ charitatem nutrit & auget, cor meum sursum attollat, vt dicere cum propheta possim: *Letifica, Domine, animam serui tui, quoniam ad te, Domine, leuaui animam meam, Psal. 86.*

CONCIO VIII.

Gradus septimus scalæ ascensionis in Deum, ex consideratione cœli.

Exordium. Non laborabimus hoc loco, vt ex consideratione cœli gradum nobis ad Deum considerandum erigamus. Habemus enim præeuntem regium prophetam, qui *Psal. 19.* ita canit: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiant firmamentum.*

Propositio. Quoniam duo sunt tempora, quibus è cœlo ad Deum pennis contemplationis ascendimus, diurnum videlicet & nocturnum, & de die inprimis videmus solem, de nocte lunam & reliquas stellas, tria erunt hujus considerationis capita. Cur vero tria cœli ornamẽta consideramus, & non ipsum etiam cœlum? Resp. quia cœlum non videmus: nobis autem propositum est ea percurrere, quæ sensibus sunt obuia.

Tractatio. I. De sole quatuor laudes canit Spiritus S. per os Dauidis *Psal. 19.* quod sit tabernaculum Dei; quod sit pulcherrimus; quod velocissime, sine vlla defatigatione, currat semper, sine intermissione; quod illuminando & calefaciendo virtutem suam maxime manifestet. Propter hæc omnia *Ecclesiasticus c. 34.* solem vocat *vas admirabile. Primum* igitur conditor rerum voluit, vt cœlum esset palatium solis, in quo libere spatiaretur & operaretur. ipsum vero solem delegit sibi palatium, seu, vt Psalmes loquitur, in sole posuit tabernaculum suum, i. e. inter omnes res corporales elegit Deus solẽ, vt in ipso, tãquam in palatio regio vel diuino sanctua-

rio,

rio, habitaret. Tametsi enim cœlum & terram Deus implet, ac cœli cœlorum eum non capiunt: tamen ibi magis habitare dicitur, vbi majora signa præsentiæ suæ, mirabilia operando manifestat. Ex hoc palatio magnifico & admirabili colligimus magnitudinem & eminentiam Dei. *Deinde* pulchritudo solis est longe maxima. Ideo Dauid solem comparat cum sponso egrediente ex thalamo suo. Nam homines nunquam magis se ornant, quam cum sponsi sunt. Cæterum pulchritudo solis pendet à luce: vtpote qua nihil est pulchrius. Hinc absente luce omnis colorum pulchritudo euanescit. Adde, quod pulchritudo solis æquali semper modo se habet, neque vnquam minuitur aut extinguitur, cum pulchritudo rerum inferiorum, ac hominis præcipue, breui marcescat. Porro videmus in exortu solis res omnes quodammodo exhilarari, ventos suaues spirare, flores aperiri, herbas exurgere, auiculas aerem cantu mulcere. Age igitur, anima mea, reputa tecum, si sol creatus exortu suo ita lætificat omnia, quid faciet sol increatus, infinita ratione pulchrior & lucidior, quando puris cordibus in æternum videndus orietur? & quam tristis & infelix hora succedet perditis hominibus quando in tenebras æternas sepeliendi amandabuntur, quo nec solis increati, neque creati, radii vllo vnquam tempore penetrabunt. *Tertio* propheta celebrat cursum solis admirabilem prorsus, & ait: *Exultat vt gigas, ad currendam viam suam.* Gigas certe, si pro magnitudine corporis passus extendat, & pro virium robore velociter currat, ingens omnino spatium breui tempore conficiet, respectu aliorum hominum. Ita vult dicere propheta, solem velocissime moueri respectu aliarum rerum, puta auium volantium, sagittarum, ventorum & fulminum. Sol enim vigintiquatuor horis percurrit totum ambitum sui orbis, qui infinitis pene partibus orbem terræ superat. Proinde quia ambitus terræ circiter vigintimillia milliariorum Italicorum complectitur, oportet vt sol singulis horis multa milliariorum millia currendo conficiat, octaua scil. horæ parte spatium majus quam sint septem millia milliarium Italicorum. Nam totũ corpus solare ascendit supra horizontẽ minori temporis spatio, quam sit octaua horæ pars, vt probant artifices. Si quis nunc addat corpus, quod tam velociter mouetur, esse molèm toto orbe terrarum longe majorem, & motum tanti corporis, & tam velocem sine vlla intermissione vel fatigatione peragi: certe nisi stipes aut truncus fuerit, non poterit infinitam conditoris potentiam non admirari. *Quarto* efficacitas luminis & caloris tanta est, vt vnum hoc corpus omnia sidera, omnem aerem, omnia maria, omnem terram collustret, atque calore suo viuifico vbique terrarum omnia germina, omnes segetes, omnes arbores virere & frondere faciat, omnes fructus ad maturitatem perducat, & infra terram etiam virtutem suam diffundat, ac metalla omnis generis

producat. Hinc sol merito appellatur pater luminis & caloris. Quæ consideratio valde vtilis est ad intelligendum illud Jacobi c. 1 vbi omnis bona donatio dicitur descendere à patre luminum, hoc est, à Deo. Quemadmodum n. sol est pater lumini corporalis: ita Deus est pater luminis spiritualis. Rursus vt sol omnia peragit lumine & calore: ita bona & perfecta dona Dei sunt lux sapientiæ, & calor charitatis. Lux sapientiæ est q̄ docet contemnere temporalia, & magnifacere sempiterna, ne forsan de exilio faciamus patriam, aut amemus peregrinationem, quæ hic est toleranda. Calor & flamma charitatis est, qua Deum, qui finis est omnium desideriorum, sine fine & mensura diligimus, res vero cæteras, quæ sunt media ad finem, cum mensura & modo, quantum videl. necesse est ad finem, hoc est, ad beatitudinem consequendum. Tu igitur, anima mea, dum peregrinaris à patria, & inter medios hostes versaris, ingemisce toto corde ad Patrem luminum, vt tibi det dona illa bona & perfecta, lucem sapientiæ, & ordinatam charitatem, vt tandem ad patriam peruenias, vbi de ipso sapientiæ fonte bibitur, & de puro charitatis lacte viuitur.

II. Luna duas habet proprietates, quæ nobis vtiles esse possunt ad ascendendum in cognitionem Dei. *Prior* est, quod quo magis propinquat ad solem, eo magis illustratur in parte superiore, qua respicit cœlum, & obscuratur in parte inferiore qua respicit terram: & quando est omnino subjecta soli, & cum eo omnino conjuncta tum tota est lucida versus cœlum, & obscura versus terram & contra, cum est opposita soli, tota illustris cernitur à nobis nihilque lucis habet à parte superiore. Hæc lunæ proprietas magnum nobis est documentum, vel exemplum, vt intelligamus, quam soliciti esse debeamus de propinquitate, subjectione, & conjunctione ad Deum, Patrem illum luminum. Nimirum vt luna, quando longissime à sole recessit, pulcherrima apparet habitātibus in terra, sed deformissima habitantibus in cœlo: ita mortales, quando longissime recesserunt à Deo, vt filius ille prodigus *Luc.* 15. tunc abundant lumine rationis, quod à patre luminum acceperunt, ad solam terram inspiciendam, & obliti Deum, solam terram cogitant, solam terram amant, & in ejus bonis adipiscendis toti occupantur, & tunc à filiis hujus seculi sapientes & beati prædicantur: sed ab iis, qui degunt in cœlo, pauperes, & nudi, & cæci, & deformes, & miseri judicantur. Contra quemadmodum luna soli conjuncta, illi perfecte subiicitur, tota lucet ex parte superiore, & cœlū solum respicit, terræ vero terga quodammodo vertit, & à nostris oculis penitus euanescit: sic cū peccator ad pietatem reuertitur, & per verā conuersionē Deo, vero animarum soli, subijcitur, tunc quærit quæ sursum sunt, & tunc à filiis hujus seculi contemnitur, & quasi mortuus reputatur. Vere n. qui talis est, mundo est mortuus, & vita ejus abscōdita est cū Christo in Deo.

Atq;

Atq; hanc causã existimat esse *August. epist. 19. ad Ianuariũ*, cur pascha tam in lege veteri, quã in noua, nõ posſit rite celebrari, nisi plenilunio peracto, id est, cũ luna, quę in plenilunio est opposita, incipit per conuersionẽ redire ad cõjunctionem cũ sole. Voluit n. Deus hoc pacto demõstrare, per passionẽ & resurrectionẽ Christi fieri, vt homo per iniquitatẽ suã Deo contrarius, incipiat reuerti ad Deũ. Age igitur, anima mea, subjicere Deo tuo: &, ſi adſpirante gratia Dei inuenias te subiectam Patri luminum per verã humilitatẽ, eiq; feliciter coniunctã per ardentẽ charitatẽ, noli ſtultos imitari, qui tanquã luna mutantur, ſed ſapiẽtes imitare, qui vt ſol permanent. *Eccl. 27.* Luna quã velociter ad coniunctionẽ accedit, tã velociter à cõiunctione recedit. Tu vero ſemel cõiuncta Deo ne recede, ſed dic cum Petro, *Bonũ eſt hic eſſe. Mat. 17.* & cũ Ignatio: *Bonum mihi eſt cum Chriſto viuere, quã regnare in finibus terræ.* Et parũ tibi ſit, quid de te iudicẽt homines terreni. Nõ enim ille probatus est, quẽ mundus, ſed quẽ Deus cõmendat. *Deinde* alia est lunæ cõſuetudo, quã Deus cum electis ſuis in hac vita ſeruare ſolet. Sicut enim ſol totũ diem colluſtrat, luna vero nocti præest, nũc exiguo, nunc magno, & aliquãdo etiã nullo lumine: ita Deus electos angelos & homines in cœlis perpetua claritate illuſtrat: *Apoc. 21.* noſtræ autẽ hujus peregrinationis & exilii noctem, vt luna, per vices illuminat, & aliquando in tenebris deſolationis relinquit. Ita Paulus aliquando repletus fuit conſolatione & ſuperabundo gaudio. 2. *Cor. 7.* aliquando lamentatus & ejulatus fuit *Rom. 7. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & me captiuantem* &c. Hinc *Chryſoſtomus homil. 8. in Matth.* eleganter ait, Deum in omnibus ſanctis hoc facere, vt neque tribulationes, neq; jucunditates eos ſinat habere continuas: ſed tum ex aduerſis, tum ex proſperis juſtorum vitam, quaſi admirabili varietate contexere.

III. Reliquæ ſunt ſtellæ inter ornamenta cœli, de quibus Eccleſiaſticus dicit *c. 6. Speciẽs cœli, gloria ſtellarũ.* In quibus hoc est admirabile, quod cum velociſſime moueantur, & nũquam à curſu illo incitatiſſimo ceſſent, & aliæ tardius, aliæ celerius moueantur in orbẽ, tamen ſemper modum ſuum, & proportionẽ cum alijs ſeruent, vt inde concentus veluti harmonicus oriatur. *Job. 38.* in quo ſtellæ fixæ Baſſum imitari videantur, & planetę quaſi contra punctum perpetuum & ſuaviſſimũ facere. Et quia ſtellæ ſeruata proportione, ſemper in orbem ſe conuertendo non fatigantur, videntur inſtar virginũ honeſtarum & ſaltandi peritarum, in cœlo ſemper choreas jucundiſſimas agere. Hunc ſuaviſſimum concentum oportet nos in omnibus ſtatibus, & in omnibus noſtris actionib. imitari. Porro Deus vocat ſtellas, quę vocatę dicũt, adſumus, & lucẽt ei tũ jucunditate. *Baruch. 3.* hoc est, Deo, pro infinita ſua potẽtia, incredibili facilitate, corpora tam vaſta & formoſa producit, & ornat, & operari facit: & ſtellę cõtinuo ad vocem

impe-

imperantis adsunt,& ita promte ac facile obediunt conditori suo, ac si in obediendo, magna jucunditate & gaudio afficiantur. Hinc, anima mea, disce,quanta sit Dei potentia,& quam promta debeat esse tua obedientia erga Deum tam potentem,vt nutu regat stellas,& tam clementem,vt ille tibi luceat per stellas.

Conclusio. Quod supereſt,tu,anima mea,paulo altius iam ascende à sublimibus istis corporibus,& à splendore solis maximo, à pulchritudine lunæ,à multitudine & varietate reliquorum luminum,à concentu illorum admirabili,& à choreis stellarum jucundissimis:& cogita quid erit supra cœlum videre Deum,solem illum,qui habitat lucem inaccessam: intueri ecclesiam triumphantem,lunam illam soli suo semper conjunctam: aspicere choros multorum millium angelorum & hominum, quorum illi sunt veluti stellæ fixæ,hi tanquam planetæ; audire denique perenne illud Alleluja.

Sic enim fiet,vt nec ipsa cœli pulchritudo tibi magna videatur, & quæ infra cœlum sunt, omnino perexigua, ac pene nulla, ideoque parui facienda.

CONCIO IX.

Gradus octauus scalæ ascensionis in Deum, ex consideratione animæ rationalis.

Exordium. Percurrimus hucusq; res omnes corporales,& ex iis ad creatorem ascendere conati sumus: jam supra omnium corporum dignitatem inuenimus animam rationalem,quæ cum maximam cum Deo conditore habeat similitudinem, vtique commodissima erit via ascendendi ad Deum ex consideratione propriæ animæ.

Propositio. Considerabimus in anima essentiam,facultates & vnionem cum corpore.

Tractatio. I. Quod attinet ad animæ rationalis essentiam, illa est spiritus,& quidem immortalis. Magnam igitur habet prærogatiuam præ corporibus & præ animabus brutorum,ita vt homo hinc sumere possit materiam lætitiæ & gloriæ: verum ita,vt quantum lætatur & gloriatur de animæ suæ præ aliis creaturis excellentia, tantum humilietur in ordine ad Deum, qui est spiritus infinitus, creator animæ & dator immortalitatis ejus.

II. Deinde facultates animæ sunt vis intelligendi, volendi, & agendi. Quod attinet ad vim intelligendi,cernitur ibi triplex lumen; puta lumen scientiæ speculatiuę, actiuæ & factiuæ. *Lumen scientiæ speculatiuæ* facit, vt anima intelligat sensibilia & insensibilia, & discurrendo cœlos transcendat, penetret abyssos,& ex causis scrutetur effecta, & ex effectis recurrat

currat ad causam: denique Deum ipsum acie mentis attingat. Magna hæc est animæ dignitas, per quam homo similis est Deo, & bestiis dissimilis. Atque hinc colligere potest ac debet homo, quanta sit eminentia & sublimitas Domini conditoris sui. Anima enim lumine intelligendi est prædita, sed Deus est ipsa lux & intelligentia. Anima discurrit magno cum labore: Deus vno intuitu omnia simul perfecte cognoscit. Animę intelligẽtia pendet à rebus, quæ iam sunt: Deus intelligendo facit, vt res sint. Anima de rebus quibusdam futuris vtcunque coniectat: Deus omnia futura non minus perspicue, quam præterita & præsentia semper intuetur. Anima multis indiget, vt intelligentiæ munus exerceat, obiecto, specie, phantasmate & aliis: Deus nulla roeget, quoniam ipsa sua essentia est illi omnia, imo etiam ipsa sua essentia est illi intelligentia. Denique anima, dum est in corpore, non solum Deum non videt, sed neq; angelos, neque seipsam, neque vllam substantiam corporalem proprie videt, & in multis fallitur, plurima ignorat, de pluribus opinionem, de paucissimis scientiam habet. Deus autem nihil ignorat, nihil opinatur, nunquã fallitur aut errat. Quare si homo tanti facit scientiam suam, quantum admirari debet scientiam conditoris, cui vniuersa nostra scientia comparata, est mera ignorantia? Quæ collatio in nobis accendere debet veram humilitatem. *Lumen scientiæ actiuæ* in anima facit, vt homo virtutis actionem coniungat cum veritatis cognitione. Etsi autem hoc lumine rationis homo longissime præstet bestiis: nihil tamen est illud, si conferatur cũ lege archetypa & ętcrna, quę in mẽte cõditoris viget, & ex qua omnia iura legesq; vniuersę tanquã ex fonte manarũt. Proinde nunquã artẽ bene beateq; viuẽdi reperies, donec ad scholã Christi admissus, ejus verbo & exemplo didiceris, quę sit vera illa iustitia, abundãs super iustitiã Pharisæorũ & scribarũ *Mat. 5.* & conformis æternę illi legi in mẽte Dei. *Lumen scientiæ factiuæ* cernitur in artibus, quas anima rationalis inuenit innumeras, per quas ager colitur; multa & magna ædificia, arces & vrbes ædificantur; naues fabricantur & gubernantur; imagines viuę pinguntur & sculpũtur; bestię capiuntur, domantur & reguntur. Cuiusmodi artes adeo multæ sunt, vt numerari vix possint. Age igitur, anima mea, gratias age Deo, quod tãto interuallo voluerit distare naturã tuam à natura cæterorum animantium. Etsi enim araneæ norint telas texere, & aueculę nidos ædificare, & apes mella conficere, & vulpes foueas, quasi domos sibi parare: non tamẽ ista opera perficiunt vi aliqua intellectus, sed naturę quodã instinctu tẽ vnam, & eandẽ, & eodẽ modo faciunt. Porro, anima mea, oculos mentis tuæ attolle ad ipsum conditorẽ tuum, in quo est verus fons ingenii, & sapientię effectricis rerũ. Ab illo fonte ingenii defluxit, quidquid ad naturam tuã est deriuatũ. Et, si miraris ingeniũ hominis, qui animantibus ratione ca-

rentib. imperat, magis admirare Deum, cui omnes in vniuersum res seruiunt & obediunt. Et, si magnũ tibi videtur, quod homo inuenerit tot artes, nauigandi maria, colendi agros, ædificandi domos; cur non maius videri debet, quod Deus sua sapiẽtia fabricauit cœlũ, terram, & omnia quæ in eis sunt, eadẽq; moderatur & regit? Si deniq; obstupescis artẽ pingẽdi & sculpendi; cur non obstupescis artẽ conditoris tui, qui de luto itemq; de costa formauit verum ac viuum hominem? Præsertim si addas, quæ faciunt homines, sine Dei auxilio non fieri: quæ autem facit Deus, ab ipso solo, nullo alio cooperante fieri. Porro anima hominis habet *voluntatem*, qua non solum appetere potest bona corporalia, qualia appetunt etiam bestiæ; sed etiam spiritualia, quæ per orationem aut fidem ostenduntur, atq; adeo ipsum summum & infinitum bonum, quod est Deus. Tu ergo, anima mea, capax facta es à Deo illius doni, quod cum summo bono, ipso nẽpe Deo, ita te conjungit, vt ille in te maneat, & tu in illo. Quodnam vero est illud donum? Charitas, siue dilectio, qua diligis Deum supra omnia. 1. *Joh* 4. Sed si hoc bonum voluntatis creatæ est tantum, quantum erit illud bonum, quo plena est voluntas increata? Sola Dei voluntas capax est infiniti amoris quo digna est amari infinita Dei bonitas. Porro hæc voluntas animæ donata est *libertate*, seu libero arbitrio: quæ profecto est magna dignitas & excellẽtia. Quam enim miserum est, seruum esse & mancipium alienæ libidinis? Verum libertas in conditore rerum omnium Deo infinitis parasangis superat libertatem voluntatis nostræ, ita vt hęc cũ illa cõparata vix vmbra libertatis videatur. Primum libertas humanæ voluntatis infirma est, & ad mala, sibiq; noxia eligendũ facilis & prona: libertas voluntatis diuinæ robustissima est, vt deficere, vel inclinari ad malũ nullo modo possit. Quam libertatem Deus in cœlesti patria nobis conferet per gratiam, vt possideamus per misericordiam, quod ille possidet per naturã. Quomodo enim posse mori infirmitas est corporis mortalis, nõ posse mori sanitas corporis glorificati: sic posse peccare infirmitas est libertatis arbitrij, nõ posse peccare, sanitas ejusdẽ. Deinde etsi voluntas nostra est libera, tamen non est satis *potens*: quia nequit efficere, quod vult, vel impedire, quod non vult, vt docet apostolus *Rom* 7. Et quis nostrum hoc non experitur? Volo attente orare Deum, & jubeo imaginationi meæ, dum ad orandum adsisto, vt nusquam euagetur, nec me trahat ad alia cogitanda; sed eam retinere non possum in officio, ac dum minus hac de re solicitus sum, inuenio me ab imaginatione delusum orationeq; intermissa ad alia cogitanda delapsum. Volo non concupiscere, & irasci præter ordinem rationis, ideoq; impero facultatibus concupiscibili & irascibili, vt rationis imperio subjaceant, neq; sinant eà sensibus abduci. Sed quid fit? Sæpe non obeditur, & fit, non quod volo, sed quod nolo. Sed prorsus miserabile hoc est, quod

corpus

corpus imperat animo, & ſtatim paretur: imperat animus ſibi ipſi vel corpori, & reſtitur. At libertas arbitrii Domini Dei mei cum plena & abſoluta voluntate ita eſt conjuncta, vt nemo poſſit illi reſiſtere. *Eſth.* 15. Quare anima mea, ſi ſapis, noli de viribus liberi arbitrii tui gloriari, ſed aſſidue ingemiſce, & cum propheta ora: *Adiutor meus eſto, ne derelinquas me. Pſal.* 26. Aſpira & ſuſpira ad cœleſtem patriam, vbi Deus ſanabit languores tuos, & replebit omne deſiderium tuum, & dabit tibi velle & perficere nil niſi bonum.

III. Unio animę rationalis cum corpore ſupereſt, vbi primo cernitur magnum diſcrimen inter animã hominis & brutorum. Nã horũ animæ, cũ ſint materiales, ad extenſionem corporis ita extenduntur, vt pars ſit in parte, & totæ in toto. Anima vero humana, quippe ſpiritus indiuiſibilis, admirabili modo tota eſt in toto, & tota in ſingulis partibus: & cum totum corpus repleat, nullum tamen in corpore locum occupat: & quãdo corpus creſcit, anima non creſcit: ſed incipit ibi eſſe, vbi antea non erat: &, ſi membrum areſcit vel minuitur, anima non ſiccatur, neque minuitur, ſed deſinit in eo membro eſſe, vbi antea erat, abſque omni læſione vel mutatione ſua. Hoc eſt verum ſpeculum exiſtentiæ Dei in rebus creatis. Deus enim, ſpiritus infinitus & indiuiſibilis, totum mundum, & omnes ejus partes replet, nec locum vllum occupat, & totus eſt in toto mundo, & totus in qualibet mundi parte & cum noua creatura producitur, Deus in ea ſtatim eſt, quia vbique eſt, nec mouetur tamen: & cum creatura aliqua deſtruitur aut moritur, Deus non indeſentit aliquam ſui mutationem, ſed idem eſt, qui ante erat. Atque in his conueniunt Deus & anima: ſed in multis tamen eminet Deus. Anima ſiquidem eſt forma corporis: Deus non eſt forma vel anima mũdi, ſed ex immenſitate ſua hoc habet, quod vbique ſit; ex indiuiſibili vnitate, quod totus vbique ſit; ex omnipotentia, quod omnia regat, portet, moueat. Deinde anima non eſt niſi in corpore ſuo, eoque ſatis anguſto, breui, & tali, in quo omnes partes ſimul ſunt colligatæ: Deus autem eſt in tota rerum vniuerſitate, quæ profecto magna eſt, & cuius partes non ſunt colligatæ. 2. *Chron.* 6. Et, ſi noui cœli, & nouæ terræ in infinitum fierent, Deus omnia repleret, ac vbi non eſſet, nihil omnino eſſet. Porro anima ita eſt in corpore, vt, quamuis non videatur, nec audiatur, nec mutetur, ac vix in eo eſſe intelligatur, & ea recedente, corpori nihil ſubſtantiale deeſſe videatur: tamen ipſa tribuat corpori omnia bona, ſenſum, motum, loquelam, ſubſiſtentiã, pulchritudinem, robur. Cur enim homo quãdiu viuit, iſta prędicta habet, niſi quoniã anima eſt in eo? & cur poſt mortem illa ipſa non habet, niſi quoniam anima receſſit? Sic

Deus tuus, ô anima, dum per gratiam suam in te viuit, ipse facit, vt videas, quæ tibi fides ostédit, & audias quid loquatur in te Dominus, & ambules per viam mandatorũ eius ad cœlestem Hierosolymam, & loquaris partim in oratione ad Deum, partim in exhortatione ad proximũ, deniq; vt subsistas in bonis operibus, & robustus sis in acie aduersus hostes inuisibiles, & formosa iudiceris à Deo & angelis ejus. Caue autẽ, ne recedente gratia Dei, qua est vita tua, experiaris dãna, quæ secum adfert mors prima, vnde rapiaris ad mortem secundã, vnde nulla conceditur resurrectio. O si mẽtis oculos tibi aperiret Deus, & speciem eximiã, atq; splendorem admirabilẽ intueri posses, quo prædita est anima grata Deo, & per fidem atq; charitatẽ ei conjuncta; & quibus oculis eam Deus aspicit, quẽ locum illi præparat, quæ gaudia illi promittit; & quanto desiderio ipsã expectatur ab angelis! Certe ferre non posses, vt tanta pulchritudo, vel aliqua leui macula fœdaretur: & si id forte contingeret, enitereris saltem, vt maculas illas, quantumuis paruas, lachrymarum fluminibus deleres. O si per gratiã Dei aperirentur oculi tui, vt videre posse fœditatem peccati, quod instar cadaueris longe teterrimum [illegible] odorem, qui abigit Deum & angelos, sine dubio illa sic odisses, vt nulla ratione patereris, te talem fieri, aut in eo statu diutius permanere.

Conclusio. Diligenter perpendamus animæ nostræ conditionẽ, vtpote quæ est potior nostri pars: & id demus sedulo operã, vt illã accuratius ornemus quã corpus nostrũ. Sicut enim princeps alio habitu incedit quam subditus: ita par est animam præ corpore sibi subdito habere vestem pulchriorem.

CONCIO X.

Gradus nonus scalæ ascensionis in Deum, ex consideratione angelorum.

Exordium. Peruenimus ad supremum gradum scalæ ascensionis ad Deum: videl. ad angelum, qui dici potest anima perfecta, quemadmodum anima angelus imperfectus. Hinc *Psal.* dicitur, quod homo sit inferioris conditionis quam angeli.

Propositio. Considerabimus angelos quoad excellentiam naturæ sublimitatem gratiæ, & officia quibus funguntur.

Tractatio. I. Excellẽtia naturæ posita est in his quatuor. *Primo* angelus est spiritus à societate corporis liber, siue totus est spiritus: homo est partim spiritus, partim caro, siue partim angelus, partim bestia: quomodo si quis diceret, angelum totum esse aureum, hominem partim aureum, partim luteum. Hinc etiam angelus dicitur substantia integra & perfecta, anima vero humana dimidiata & imperfecta, quia est forma, & proinde pars, hominis. Ex his efficitur, angelum Deo similiorem esse, quam sit homo, vel anima ejus: quia Deus spiritus est, non corpus, neque

corporis

corporis forma. Nec tamen hæc similitudo angeli cum Deo facit, vt Deus non sit Spiritus infinito interuallo superior angelo. Ipse enim est Spiritus increatus, aternus, immensus, solus potens, solus sapiens, solus altissimus. Quare, anima mea, si confiteris, suscipiendam esse naturam angelicam, quanto magis suspicere debes naturam diuinam, quæ supra mensuram excellit angelicæ dignitati. *Deinde* non solum in natura, sed etiam in intelligentia & scientia dici potest angelus homo perfectus, & homo angelus imperfectus. Siquidem homo multum laborat in rebus intelligendis, cum anima necesse habeat vti ministerio sensuum, & paulatim per multiplicem discursum à causis ad effecta, & vicissim ab effectis ad causas, scientiam sibi comparare: vnde etiam sæpe dubius hæret, sæpe miserè fallitur, & raro ad scientiam certam peruenit. Sed nihil horum est in angelo. Hic enim naturas rerum, siue sint corpora, siue Spiritus, intelligit per species sibi implantatas, item in speculo Trinitatis seu in prima causa, & clare nouit omnia, quæ ad salutem sunt necessaria. Quare, anima mea, ne tibi placeat tenui illa vmbra cognitionis, quam habes: cum sis puer & infans, si compareris cum angelo. Sectare autem scientiam salutis, & sapientiam sanctorum, quæ posita est in eo, vt Deum timeas, & mandata ejus obserues: delectet te magis precatio, quam disputatio, & charitas ædificans, quam scientia inflans. Hæc enim est via, quæ ducit ad vitam, & regnum cœlorum, vbi dabitur nobis paruulis æqualitas angelorum, qui semper vident faciem patris, qui est in cœlis. *Matth. 18.*

Tertio discrimen hic est magnum, si spectetur potentia & imperium super corpora. Nam anima humana corpus suum imperio duntaxat voluntatis mouere potest, alia corpora hoc modo non potest: & corpus suum motu progressiuo mouet super terram, non autem potest illud super aquam suspendere, vel super aërem euehere, & quo voluerit asportare: angeli vero solo impetu Spiritus corpora grauia sursum euehunt, & ferunt quocunque libuerit, Deo jubente vel permittente, vt docet historia Habacuc in *Adjectionibus ad Danielem*. Potest angelus sine armis contra exercitum armatorum hominum, solo impetu Spiritus sui præliari, & vincere. Sic angelus vnus occidit centum octoginta quinque millia Assyriorum. *4. Reg. 19.* Quod si hæc potest angelus, quid poterit conditor & dominus angelorum? Vtique poterit, qui ex nihilo fecit omnia, in nihilum omnia redigere: qui angelos creauit, & tantam illis potentiam attribuit, & veluti admensus est. Omnino sicut scientia angelorum & nostra cum Dei scientia comparata, ignorantia est: & sicut justitia angelorum & nostra justitiæ Dei comparata, injustitia est: sic omnis potentia angelorum & nostra, potentiæ Dei comparata, infirmitas est.

Denique angeli locus est cœlum, hominis terra: & anima sic allegata

est corpori, vt sine illo locum mutare non possit; angelos autem Deus nulli corpori alligauit, sed eis dedit potentiam, vt de cœlo in terram, & de terra in cœlum, & quocunque voluerint, velocissime transeant. Sic angelus, naturæ dignitate proximus Deo, hac sua subtilitate vtcunque imitatur omni præsentiam Dei. Deus enim semper vbique est per naturæ immensitatem, angelus per motus velocitatem omnibus locis præsentiam suam potest exhibere. Tu vero, anima mea, hanc tantam naturæ dignitatem non inuidebis angelis, sed hoc à Deo petes, vt det tibi in hac vita inchoare vitam angelicam, vt post hanc vitam æqualis fias angelis, & corpus tuum conforme fiat corpori Christi. Consistit autem vita angelica in eo, vt Deo seruias, illique soli te & tua approbes, adeoque Christi vestigia sequaris. Duo sunt vestigia Christi, à quibus si aberras, viam perdidisti, & ad patriam nunquam peruenies. Oportet mala non facere, sed pati; & quod inde sequitur, bona facere, & bona hic non expectare; hoc est, Deum diligere, dilectione amicitiæ, non concupiscentiæ; gratis, non propter retributionem hominis, contentum retributione Dei, quæ omnem mensuram superat.

II. Dignitas angelorum secundum gratiam in eo vertitur, quod illi confirmati sunt in gratia creationis, ideoq; nullam miseriam experti, sed beatitudine æterna coronati. Nos autem homines excidimus gratia creationis, & licet per Christum simus liberati, & in statum gratiæ translati: tamen dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino, & in exilio constituti versamur inter innumerabiles hostes. Hinc disces, anima mea, liberrimam Dei voluntatem, qui voluit stare quosdam angelos, quosdam labi & perire, te vero labi quidem, sed liberare. Adora hoc judicium, & prædica hoc beneficium.

III. Quatuor sunt officia angelorum. *Primum* est, laudes & hymnos perpetuo canere conditori, idque cum reuerentia & affectu. Nam *Esa. 6.* Seraphim velant faciem & pedes, quod est signum reuerentiæ: & assidue volant, quod significat affectum & desiderium magis ac magis appropinquandi Deo, & ipsi seruiendi. Quæ duo sunt necessaria iis, qui placere Deo volunt, dum laudes ejus decantant: vt videlicet amorem cum reuerentia, & reuerentiam cum amore conjungant. *Psal. 2.* Hinc discas, anima mea, quanta veneratione dignus sit Deus, cum angeli, qui semper ei assistunt, eum reuereantur, dum laudes ejus decantant. Quid respondebis tu puluis, cum in judicio argueris de somnolentia & frigiditate tua? Disce saltem deinceps, tam magno exemplo edocta, cum timore & tremore, cum attentione & vigilantia, cum amore & desiderio laudes debitas hymnosque Deo tuo persoluere. *Alterum* officium angelorum in eo positum est, vt legati mittantur ad ea significanda, quæ Deus significari voluerit, ac

præser-

præsertim ad negotia redemtionis. *Hebr.1.* Exempla vide *Genes.18. Dan.9. Luc.1.& 2. Matth.28. Actor.1.* Cur autem Deus, qui vbique est, & facile potest per se in cordibus hominum loqui, velit tamen angelos mittere, illa videtur ratio esse, vt intelligant homines, Deo curæ esse res humanas, & ab eo regi: item vt suam bonitatem illis hac veluti familiaritate magis & magis ob oculos ponat. Tu igitur, anima mea, hanc Dei benignitatem exosculare qui te hoc velut honore afficit; vt angelos expediat ad te, qui tuam salutem procurent. O magnum honorem! ô dignitatem eximiam! *Tertium* officium est protectio hominum, siue singulorum, siue multitudinis. Placuit enim pietati Patris nostri commendare potentissimis seruis suis infirmitates mortalium, eosque præficere, vel quasi pædagogos pueris, vel quasi tutores paruulis, vel quasi patronos clientibus, vel quasi pastores ouibus, vel quasi defensores pupillis, vel quasi protectores subditis. De protectione & custodia singulorum hominum est *Psal.91.& Matth.18.* De protectoribus regnorum & prouinciarum est *Dan.11.* De protectoribus Ecclesiarum est *Apocalyp.2. & 3.* Itaque in regnis singulis duo sunt reges, vnus visibilis, homo, & vnus inuisibilis, angelus; & in Ecclesijs singulis duo sunt Episcopi, nunc visibilis, homo, alter inuisibilis, angelus. Vides ne, anima, quam sit solicita illa majestas, quæ honorum nostrorum non eget, de nobis seruulis suis? quid potuit facere, vt charitatem suam magnam ostenderet, & non fecit? Obruit nos beneficijs, vt apud eum Opt. Max. patronum libenter maneremus: vallauit nos custodijs, ne aufugeremus: circumdedit protectoribus, ne abriperemur. Quid amplius desideras? quid vlterius expetis? Ergo, anima mea, tandem aliquando cede huic tantæ charitati, & totam te, nulla tui parte relicta, conditoris tui obsequio & voluntati mancipa, trade, dona, obstringe voto & juramento irreuocabili. *Quartum* officium angelorum est, vt sint milites, vel duces, armati, ad faciendum vindictam in nationibus, & increpationes in populis. *Gen.19. Exod.12.4 Reg.19. Matth 25.* Ergo diligant viri pij ciues suos & amicos intimos, angelos sanctos: horreant impij potentiam illorum, quos Deus omnipotens constituit ministros iræ suæ, à quorum manibus nemo potest illos eripere.

Conclusio. Audiuimus quanta sit dignitas angelorum quantum ad naturam, gratiam & officium eorum. Quid superest, nisi vt Deum oremus, vt nobis sanctos hos Spiritus præficiat, qui stant à nostris partibus aduersus diabolum & angelos ejus.

CAP.

CAP. XXIV.

De concionibus Catecheticis.

PRÆCEPTA.

Conciones Catechetica sunt, in quibus doctrinæ Christianæ capita breuiter & popularitèr explicantur ex Symbolo Apostolico, Decalogo, oratione Dominica, Institutione baptismi & S. Cœnæ.

In iis obseruatur methodus, vel plenior, vel contractior.

REGVLÆ.

Methodus plena concionum Catecheticorum.

I. Methodus plena concionum Catecheticarum informabitur juxta has regulas: è quibus prima est generalis, reliquæ speciales.

1. In singulis capitibus Catecheticis, & singulorum capitum particulis tria possunt considerari: videlicet miseria, liberatio, & gratitudo. 2. In explicatione symboli possunt spectari octo capita, vt sunt confirmatio articuli per dicta Scripturæ, Expositio Patrum atque adeo consensus orthodoxus, Expositio Analytica, Confirmatio dogmatum religionis seu deductio locorum communium, Refutatio errorum & objectionum solutio, Institutio sanctæ vitæ conjuncta cum reprehensione malæ vitæ, Consolatio, & denique Applicatio, in qua sit mutua promissio Dei & hominis.

Ex his capitibus tria priora pertinent ad articuli sensum, quatuor inter media ad vsum articuli, postremum ad applicationem. 3. In explicatione baptismi & S. Cœnæ ad singula membra debent tradi sensus & vsus. 4. In singulis præceptis Decalogi possunt esse octo considerationis capita, hoc ordine: Analysis, Paraphrasis, Finis & ratio præcepti, Collatio cum alijs legibus Mosaicis, item que ciuilibus, Res mandatæ. Res vetitæ, Res permissæ, Errores circa præceptum explicatum & applicatum. 4. In singulis petitionibus Orationis Dominicæ debent esse sex capita considerationis, hoc ordine: Sensus, Paraphrasis, Agnitio boni omissi, Deploratio & deprecatio defectuum, Dona petenda, Gratiarum actio. Exempla istarum methodorum vide in Theologia Catechetica, vbi occurrunt variæ conciones, vt & in Theologia Casuum, juxta hunc Indicem.

SECVN-

SECVNDA CLASSIS
EXHIBENS

CONCIONES CATECHETICAS
IN QVIBVS

Capita Catecheseos Christiana solide explicantur.

I. De natura, dignitate & vtilitate Catechismi Christiani. *Theolog. Catech. sect. 1. cap 1.*

II. De religione Christiana. *Theol. Catech. ibi.*

III. Conciones in Symbolum Apostolicum.

I. Quomodo cognoscatur hominis miseria. *Theol. Catech. sect. 1. cap. 4.*

II. De natura, dignitate, & interpretatione Symboli apostolici. *Theol. Catech sect. 2. cap 1.*

III. Primus symboli articulus. *Theol. Catech. sect. 11, cap. 2. Theol. Casuum. cap. 5.*

IV. Secundus articulus. *Theol. Catech. sect. 2. ca. 3. Theol. Casuum. cap. 6.*

V. Tertius articulus. *Theol. Catech. ibid. cap. 4. Theol. casuum. cap. 6.*

VI. Quartus articulus. *Theol. Catech. ibid. cap. 5. Theol. casuum. cap. 6.*

VII. Quintus articulus. *Theolog. Catech. ibid. ca. 7. Theol. casuum. cap. 6.*

VIII. Sextus articulus. *Theolog. Catech. ibid. cap. 8. Theol. casuum. cap. 6.*

IX. Septimus articulus. *Theolog. Catech. ibid. cap. 9. Theol. casuum. cap. 6.*

X. Octauus articulus. *Theolog. Catechet. ibid. cap. 10. Theol. casuum. cap. 7.*

XI. Nonus articulus. *Theolog. Catechet. ibid. cap. 11. Theol. casuum. cap 8.*

XII. Decimus articulus. *Theolog. Catech. ibid. cap. 12. Theol. casuum. cap. 9.*

XIII. Vndecimus articulus. *Theol. Catech. ibid. cap. 13. Theol. casuum. c. 10.*

XIV. Duodecimus Articulus. *Theol. Catech. ib. cap. 14. Theol. cas. cap. 11.*

XV. Quomodo ex Symbolo discamus gratitudinem nostram erga Deum. *Theol. Catech. sect. 3. cap. 26.*

XVI. Controuersiæ circa Symbolum. *Theol. polem. part. 3. contr. 13.*

IV. Conciones in Decalogum.

I. Quomodo inde cognoscas miseriam hominis. *Theol. Cat. sect. 1. cap. 5.*

II. Quomodo inde petatur agnitio liberationis? *Theol. Catech. sect. 2. cap. 17.*

III. De natura & interpretatione Decalogi. *Theol. Catech. sect. 3. cap. 1. Theol. Casuum. cap. 12.*

IV. De præfatione Decalogi. *Theol. Catech. sect. 3. cap. 2.*

V. Primum præceptum. *Theol. Catech. ibid. cap. 3. Theol. casuum. cap. 13.*

VI. Secundum præceptum. *Theol. Catech. ibid. cap. 4. Theol. casuum. cap. 14.*

VII. Tertium præceptum. *Theolog. Catech. ibid. cap. 5. Theol. casuum. cap. 15.*

VIII. Quartum præceptum. *Theolog. Catech. ibid. cap. 6. Theol. casuum. cap. 16.*

IX. Quintum præceptum. *Theol. Catech. ibid. cap. 7. Theol. casuum. cap. 17.*

X. Sextum præceptum. *Theolog. Catechet. ibid. cap. 8. Theol. casuum. cap. 18.*

XI. Septimum præceptum. *Theol. Catech. ibid. cap. 9. Theol. casuum. cap. 19.*

XII. Octauum præceptum. *Theol. Catech ibid. cap. 10. Theol. casuum. cap. 20.*

XIII. Nonum præceptum. *Theol. Catech. ibid. cap. 11. Theol. casuum. c. 21.*

XIV. Decimum præceptum. *Theol. Catech. ibid. cap. 12. Theol. casuum. cap. 22.*

XV. Controuersiæ circa Decalogum. *Theolog. polem. part. 5. pag. 523. & seqq.*

V. Conciones in orationem Dominicam.

I. De precatione. *Theolog. Catech. sect. 3. cap. 13. Theolog. Casuum. cap. 23.*

II. De ratione intelligendi & interpretandi Orationem Dominicam. *Theol. Catech. ibid. cap. 14.*

III. Methodus orationis Dominicæ. *Præcogn. Theol. lib. 2. cap. 3.*

IV. Quomodo ex Oratione Dominica petatur cognitio miseriæ hominis. *Theol. Catech. sect. 1. cap. 8.*

V. Quo-

V. Quomodo ex Oratione Dominica cognoſcatur liberatio hominis. *Theol. Catech. ſect. 2. cap. 18.*

VI. Præfatio Orationis Dominicæ. *Theol. Catech. ſect. 3. cap. 15.*

VII. Prima petitio. *Theol. Catechet. ibid. cap. 16. Theol caſuum. cap. 24.*

VIII. Secunda petitio. *Theol. Catech. ibid. cap. 17. Theol. caſuum. cap. 24.*

IX. Tertia petitio. *Theol. Catechet. ibid. cap. 18. Theol. caſuum. cap. 24.*

X. Quarta petitio. *Theol. Catech. ibid. cap. 19. Theol. caſuum. cap. 25.*

XI. Quinta petitio. *Theolog. Catech. ibid. cap 20. Theol. caſuum. cap. 25.*

XII. Sexta petitio. *Theolog. Catechet. ibid. cap. 21. Theol. caſuum. cap. 26.*

XIII. Controverſiæ circa orationem Dominicam. *Theol. polem. par. 5. p. 585. & ſeqq.*

VI. Conciones Baptiſmaticæ.

I. Quando ex Inſtitutione Baptiſmi cognoſcamus noſtram miſeriam? *Theol. Catech. ſect. 1. cap. 6.*

II. Explicatio verborum Inſtitutionis baptiſmi? *Theol. Catech. ſect. 2. cap. 15.*

III. Quomodo inſtitutio baptiſmi ſit norma gratitudinis? *Theolog. Catech. ſect. 3. cap. 26.*

IV. Quæſtiones conſcientiæ circa baptiſmum. *Theol. caſuum. ca. 26.*

V. Controverſiæ circa baptiſmum. *Theol. polem. par. 5. p. 593. & ſeqq.*

VII. Conciones Euchariſticæ.

I. Quomodo ex Inſtitutione S. Cœnæ cognoſcamus miſeriam noſtram? *Theol. Catech. ſect. 1. cap. 7.*

II. Explicatio verborum Inſtitutionis S. Cœnæ. *Theol. Catech. ſect. 2. cap. 16. Præcognit. l. 2. p. 251.*

III. Quomodo Inſtitutio S. Cœnæ ſit norma gratitudinis? *Theol. Catech. ſect. 3. c. 26.*

IV. Quæſtiones conſcientiæ circa ſacram Cœnam. *Theolog. caſuum. cap. 26.*

V. Controverſiæ circa Sacram Cœnam. *Theolog. polem. par. 5. p. 598. & ſeqq.*

VIII. Conciones de diſciplina Eccleſiaſtica.

I. Quomodo ex formula diſciplinæ Eccleſiaſticæ cognoſcamus miſeriam noſtram? *Theol. Catech. ſect. 1. cap. 9.*

II. Quomodo ex diſciplina Eccleſiaſtica peti poſſit agnitio liberationis? *Theol. Catech. ſect. 2. c. 19.*

III. Plena explicatio diſciplinæ Eccleſiaſticæ. *Theol. Catech. ſect. 3. cap. 24.*

Methodus contracta concionum Catecheticarum.

II. Methodus contracta concionum Catecheticarum monstrat nudas dispositiones cum qualicunque praxi, juxta sequentia exempla.

CONCIO I.

Cur Catechesis in pretio sit habenda, & quomodo discenda atque vsurpanda.

Exordium. Deus Opt. Max. *Gen. 18.* commendat hoc in Abrahamo, quod filijs suis sit præcepturus, vt obseruent vias Domini. Quibus verbis duo continentur. Primo Catechetica paruulorum institutio commendatur: deinde quid Catechesis sit, indicatur, nempe ars obseruandi vias Domini.

Propositio. Indicabimus, cur Catechesis in pretio sit habenda, &, Quomodo sit discenda atq; vsurpanda.

Tractatio primæ partis. Ratio 1.a definitione. Catechismus est cõpendium religionis Christianæ, adeoq; nucleus Bibliorum: vnde magnificus ille titulus, quod Catechesis sit Biblia parua. Quemadmodum enim ex varijs floscul is fragrantissimum sertum, & ex varijs medicamentis theriaca, & ex plurimis floribus mel, paratur: ita Catechismus est sertũ ex horto Dei medicamentum πάνχρηστον ex pharmacopolio Dei, & mel ex floribus Scripturæ compositum.

Ratio 2. ab antiquitate. Origo Catechismi est eadem, quæ hominis. Nã Deus in prima creatione implantauit homini fidem, legemq; naturæ: quę duo faciunt vtramq; paginam Catechismi. Hinc Decalogus dicitur pictura imaginis Dei. Addidit etiam sacramentalem arborem, quæ dicta fuit vitæ. Deinde post lapsum primi parentes amiserunt thesaurum Catechismi, & tum Deus ipse fuit Catechista, quando protoplastis corrupti promulgauit proseuangelium de semine mulieris. Quam promulgationem tum ipsi tum sequentes patriarchæ vera fide acceptarunt, pieque viuendo & Messiam expectando fidem suam sunt testati: vnde Deus sacrificijs & sacramentis institutis horum fidem sustentauit. Ecce omnia capita Catechismi ante diluuium! Post diluuium Abrahamo facta est promissio, & obsignata sacramẽto circumcisionis, vsq; ad Mosen, per quem Deus promulgauit legem suam, & instituto sacerdotio Leuitico, erecto que æneo serpente, nucleum Symboli, Jesum Christum, credẽtibus ob oculos posuit. Quid attinet ad precationem, voluit Deus, vt faciem suam precatur; conuerterent ad tabernaculum, & templum, quo fuerunt figuræ Christi: Ad circumcisionem quoq; accessit Pascha. Porro à Mose vsq; ad captiuitatem Babylonicam prophetæ vrsẽ ũt omnia capite Catecheseos in concionibus, legalibus, & promissionib. de vẽturo Messia.

Ad

Ad nouum testamentum quod attinet, Johannes Baptista fuit primus Catechista: vtpote qui vrgebat pœnitentiam juxta decalogum, tradebat compendium symboli his verbis, Ecce agnus Dei &c. & instituebat baptismum. Quid? Christus ipse docuit Catechesin, quando legem explicauit, compendium euangelii *Iohan. 3* tradidit de sua morte est cõcionatus, ipsemet orauit atque orare nos docuit, sacramenta deniq; baptismi & cœnæ instituit. Post Christis ascensionem apostoli Catechismum sparserunt per totum orbem terrarum, hoc est, nihil aliud nisi capita Catechetica tradiderunt, & sanxerunt vt illa passim docerentur *Gal 6.* vnde in primitiua ecclesia extiterunt Catechumeni. & Catechistæ, quales in ecclesia Alexandrina fuerunt Clemens Alexandrinus, Origenes, Dionysius, Optatus; in Carthaginensi Gregorius Neocæsariensis, Didymus, Cyrillus. Post annum Christi 300. inprimis 600. Catechismus in Papatu est obscuratus & corruptus. Nam homines superstitiosi symbolum corruperunt mantissa suorum operum, decalogum infinitis traditionibus, orationem Dominicam inuocatione sanctorum, baptismum superstitiosis ceremoniis, S. cœnam abominando sacrificio Missæ. Semper tamen fuerunt aliqui testes veritatis, qui fundamentum Catechismi retinuerunt, puta martyres, & alii, qui retinuerunt illud Christianorum symbolum: *Sanguis Jesu Christi purgat nos ab omni peccato.* Tandem Deus excitauit Lutherum, Zwingliũ, & alios, qui doctrinam Catechismi postliminio reuocarunt. Videte mihi, dilecti in Domino, antiquitatem Catechismi quem publice & priuatim docemus. Nihil noui adferimus, sed antiquissimam doctrinam explicamus: quem Patriarchæ, Prophetæ, Johannes Baptista, Christus, apostoli & illorum successores vixerunt, & ad nos transmiserunt.

Ratio 3. à modo patefactionis. Deus legem suam magna cum maiestate promulgauit. Euangelium in festo primo pentecostes N. T. miraculose fuit confirmatum. Ipse Christus docuit nos precari. Cum baptismus per Johannem institueretur, & Christus ab ipso baptizaretur, quam magnifica ibi fuit sacrosanctæ Trinitatis apparitio? Christus mortem gustaturus instituit cœnam, & hoc testamentum nobis reliquit.

Ratio 4. à mandatis promissionibus & comminationibus Dei. Deus mandat, vt verba sua inculcemus filiis nostris *Deut. 6.* promittit iis benedictionem, qui verbum hoc meditantur. *Psal. 1. & 19.* & comminatur contemtoribus verbi sui omnis generis pœnas *Deut 28. Hos. 4.*

Ratio 5. a fine hominis. Homo est à Deo creatus, & à Christo redemtus, vt vitam suam impendat cognitioni & cultui Dei: quæ duo proponuntur in Catechismo.

Ratio 6 ab vtili. Ex lege oritur cognitio & detestatio peccati. Ex symbolo petitur solida consolatio in vita & in morte. Ex oratione Dominica

manant benedictiones corporales & spirituales. Baptismus est symbolū regenerationis, S. cœna redemtionis.

Tractatio secundæ partis. Intelligentia & vsus Catechismi pendent à tribus regulis. 1. Catechesis quotidie est repetenda in familia, in omnibus concionibus vrgenda, & sæpius ex professo tractanda, institutis etiam solennibus Catechisationibus. 2. Analogia fidei & charitatis ex Catechismo est petenda, ita vt ille sit regula fidei, vitæ & vocationis. Si dogma aliquod sit examinandum capita Catechetica percurrantur. Si in vita quotidiana sit aliquid incipiendum, hæc cynosora in medio mari nos dirigat. Si riuuli consolationum in æstuantes animas sint deducendi, ad hunc fontem recurratur. 3. Catechismus vita ipsa exprimatur. Hic nobis ob oculos versetur Christus Iesus, qui est speculum Catechismi perfectissimum & politissimum. Quid enim? Annon ille est speculum fidei, quia in Deum collocauit omnem suam fiduciam, & factus est noster redemtor, & accepit Spiritum S. variaque ipsius dona? Annon idem est speculum decalogi, hoc est idea virtutum, quæ præcipiuntur in prima & secunda tabula? Annon ille est speculum precationis, quam nullo tempore intermisit? Quid dicam de sacramentis? Ille & baptizatus est, & celebrauit S. suam cœnam, adeoque nobis exemplo suo præiuit. Ille denique vsum potestatis clauium docuit, & eandem potestatē exercuit. Quid restat, dilecti, nisi vt Christum in his omnibus imitemur, & Catechismū ore recitemus, in corde conseruemus, & factis ipsis, manibus scil. & pedibus, exprimamus?

Conclusio. Agite, dilecti, Catechismum in pretio habeamus, tanquam fundamentum Christianissimi, columnam ecclesiarum atque scholarum, imo & familiæ atque politiæ, denique tanquam arcam fœderis, in qua habemus tabulas Mosis, virentem virgam Aharonis, id est Christum, & manna cœleste. Hæc arca est auro obducta. Hic Deus responsa dat. Hic sancti angeli habitant. Confer cum *Exod.* 25. & prudenter applica.

CONCIO II.

Primus symboli articulus.

Exordium. Vita æterna in eo est posita, vt cognoscamus Deum & Christum: illum, vt summum finem; hunc, vt vnicum medicum quo ad finem peruenitur. *Ioh.* 17. Vtriusq; cognitio proponitur in symbolo: de quo hæc summatim tenenda. *Symbolum* est summa breuis earum rerum, quas, Deus in scripturis dignatus est reuelare per prophetas & apostolos. Dicitur *symbolum*: quia est tessera Christianorum, hoc est, signum, quo discernuntur

cernuntur fideles ab infidelibus. Dicitur *apostolicum*, quia continet doctrinam apostolicam, & quia, vt quidam volunt, confectum est ab apostolis. Duodecim ipsius sententiæ dicuntur *articuli*, quoniam sunt sententiæ breuissimæ, sicuti articulus est membrum exiguum. *Necessitas* ipsius est tanta, vt nemo possit saluari, nisi teneat hanc doctrinam, vt Athanasius bene monet. Hinc nemo baptizatur, nisi hoc symbolum recitare possit, si adultus sit, aut nisi patrinus ejus loco recitauerit, si fuerit infans. Vtilitas ejus est longe maxima. *Primum* enim, qui memoria tenet atque intelligentia hos articulos, plura nouit de rebus altissimis, quam omnes sapientes Judæorum & paganorum. *Deinde* hoc scuto repelluntur ictus hæreticorum. *Tertio* cognitio symboli facit ad vitandum peccata. Qui enim nouit, Deum esse omnipotentem, & Christum pro nobis esse passum, & ecclesiam esse ciuitatem Dei &c. is scuto fidei superat omnes tentationes, quibus diabolus, mundus & caro nostra conantur nos pellicere ad peccandum. *Quarto* innumeri riuuli consolationum ex symbolo deduci possunt in omnis generis calamitatibus. Porro tres sunt *partes* symboli, prout tres sunt personæ SS. Trinitatis, & tria principalia Dei opera. Prima est de Deo Patre, & creatione: secunda de Deo Filio, & redemtione: tertia de Spiritu S. & sanctificatione. In præsentia primum articulum expendemus.

Propositio. Adferemus sensum & vsum hujus articuli.

Tractatio. I. *Sensus.* Quinq; sunt nobis ordine videnda. CREDO, hoc est, omnem meam fiduciam collOco in Deum, qui est primum principium, & vltimus finis noster. In hoc super omnia confido, hunc rebus omnibus antepono. In hoc deliciæ meæ sunt. Ille mihi est asylum, anchora & portus, *Psal. 18.* Quo pertinet illud:

In rebus dubiis vna est medicina, Jehoua
Cor patrium, os verax, omnipotensq; manus.

IN DEUM, ita vt & Deum esse, & esse vnum, & esse meum firmiter sim persuasus. *Deus est*, hoc est, reuera existit mens quædam, qua nihil maius aut melius cogitari potest: quæ non est corpus, aut spiritus creatus, sed spiritus immensus, æternus, omnipotens, omniscius, nulla re indigẽs. *Psal. 139. Apoc. 1. Gen. 17 Heb 4. Act. 12.* Huiusmodi mẽtẽ esse, præter scripturam sacram testatur confessio omniũ hominum, & docet admirabilis hæc moles, quæ *mundus* dicitur. Quemadmodũ enim, si palatium aut domunculam in aliqua solitudine reperias, recte colligis illa certa ratione sic ab aliquo extructa esse, non autẽ temere, aut sine aliquo opifice coiisse: ita qui considerat hanc rerum vniuersitatem, nisi plene desipiat, non potest existimare, eam nõ habere mentem aliquam architectatricẽ, infinitæ sapiẽtiæ & potentiæ. Nec refert, quod Deum nõ videmus.

Sicut

Sicut enim animam nostram non cernimus oculis corporis, sed mentis, quatenus ex loquela, motu, sensu ratione, & variis ejus effectis, præsentiam ipsius deprehendimus: ita licet Deum non videamus oculis corporis, nihilominus tamen ex operibus ejus concludimus ipsum esse, & nobis præsentem esse. *Act.* 14. Atque ita constat ex libro naturæ & scripturæ, Deum esse. Porro hic Deus *est vnus*. Non enim dicimus, *Credo deos*, sed, *in Deum*. Hoc testatur Scriptura *Deut.* 6. & *Johan.* 17. & Ecclesia semper credidit: vt nihil dicam de eo, quod hoc dogma rationi est valde consentaneum, & à melioribus ethnicis assentum. Deniq; quod hic Deus sit *noster Deus*, docet particula *in*. Non enim dicimus, *Credo Deum* hoc est, statuo esse aliquod summum bonum: sed, *Credo in Deum*, hoc est, illum habeo pro meo clypeo & mercede mea magna. *Gen.* 15. PATREM. Hac voce ostenditur, Deum esse originem & fontem omnium rerum, idque tribus modis: per generationem, creationem, & regenerationem seu recreationem. *Per generationem* Deus est pater Filii sui vnigeniti. *Per creationem* Deus est pater omnium rerum, quæ sunt in hac vniuersitate, id est, angelorum, hominum, cœlorum, stellarum, plantarũ, animantium &c. Hæc enim omnia produxit ex nihilo, & illa sustentat, alit, conseruat protegit. Ideo non dicitur opifex rerum, quippe quod opifex domum à se conditam non sustentat, neque portat, sed aut vendit, aut domino proprio tradit: sed Pater, cujus hæc vnica est cura, vt curet & procuret commodum domus suæ & filii sui. Hinc *Deut.* 32. & *Matth.* 23. dicitur pater noster, qui nos creauit, qui nos possidet, qui in cœlis est, & ibi nostri curã gerit. Porro illem ferretur nostri. *Psal.* 103. *Esa.* 49. & innumerato habet omnes capillos nostros. *Matth.* 10. adeoque conseruat oculos, aures, pedes, omnia membra omnes facultates nostras, & animam nostram. *Per regenerationem seu recreationem*, Deus est noster Pater: quia nos denouo generat, creat, formatinos adoptat in filios per Christum: nobis denique hæreditatem promittit & assignat. *Johan.* 1. *Eph.* 1. Hic pater multo præstantior est terrenis nostris patribus. in his enim est duntaxat gutta amoris, cum in Deo sit fons veri, sinceri & ardentissimi amoris. Illi sunt mortales hic viuit in æternum. Illi interdum deserunt natos *Psal.* 28. hic non potest à se impetrare vt recedat à filiis suis. *Esa.* 49. & 54. Illi promittunt & relinquunt temporalem hæreditatem: hic æternam. OMNIPOTENTEM. Hoc attributum Dei solum hic exprimitur, tum quia omnipotentia Dei est fundamentum fidei secundum omnes articulos, siue creationem, siue redemtionem, siue sanctificationem spectemus, tum quia infinita potentia præsupponit infinitam essentiam, durationem, sapientiam &c. adeoque reliqua Dei attributa includit. Dicitur autem Deus omnipotens, quia potest facere quidquid vult, quamuis nobis impossibile videatur. *Psal.* 135. *Luc.* 1.

Luc.1. CREATOREM COELI ET TERRÆ. Hic sub opere creationis comprehenditur prouidentia, quippe quæ nihil est aliud, quam continuata creatio. Quod attinet ad creationem, illa est opus solius Dei: vtpote qui solus ex nihilo, sine materia, adjutore ac instrumentis, sine labore, solo imperio voluntatis suæ, produxit omnia *Psal.148. Gen.*1. Produxit, inquam, hoc ordine. *Primo die* creauit lucem, quæ est prima gratia domus, & rudimenta cœli & terræ, quemadmodum pictor primo delineat figuram, sine distinctione & ornatu operosiore. Cum luce producti fuerunt angeli, spiritus lucidissimi, vt essent inspectores, testes & ebuccinatores totius hexaemeri. *Secundo die* Deus produxit expansum, corpus vtique amplissimum: tantæ, inquam, amplitudinis, quãtam animo nostro concipere non possumus. Nam si quælibet stella firmamenti, magnitudine sua superat terrarum orbem, vt certa ratione docti viri affirmant, quanta erit magnitudo cœli, quo stellas innumerabiles continet? *Tertio die* creator de cœlo ad terram quasi descendens, imperio suo, ac dicto citius, aquas, quæ orbem terrarum vndique operiebant, in loca terræ decliuiora concluſit, vt terræ magna pars remaneret arida: & simul omnipotenti verbo suo terram ab aquis liberam germinare jussit herbam virentem, & omnia ligna pomifera. Quid fit? Terra, quæ paulo ante fuerat vacua & inanis, in momẽto tota virens, & florida, & diues apparuit. Mirabilis prorsus sapientia & potentia creatoris. Nondum semina jacta fuerant, neque sol terram calefacerat, neque agricolæ vlli aderant, qui Deum colerent. Solo Dei nutu & imperio hæc sunt peracta. Ex quo intelligimus, quod rerum procreatio & conseruatio nunc ageat ministerio humano, vel creaturarum cœlestium, id non arguere impotentiam, sed gratiam conditoris, qui voluit honorare creaturas suas, dum eas ad consortium productionis & conseruationis assumeret. *Quarto die* rursum creator ad cœlum quasi rediens, posuit in firmamento cœli solem, lunam, & exercitum stellarum innumerabilem, quæ velocissime semper discurrerent, & luce sua terram calefacerent, omniaque lætificarent, & simul distinguerent tempora. Hic prorsus est mirabile, quod ista luminaria quinque iam annorum millia, & quod excurrit, continue luxerint, vt ne vnum quidem illorum sit extinctum, neque ex tam celeri cursu fatigatum, vel etiam stationem suam deseruerit. *Quinto die* creator iterum quasi descendens ad inferiorem partem operis sui, imperio & omnipotenti suo verbo produxit pisces & aues, jussitque vt crescerent & multiplicarentur. Quod Dei præceptum istæ creaturæ sic diligenter vsque ad hunc diem implent, vt quamuis ab hominibus pisces & aues sine numero comedantur, semper tamen multitudo eorum prope infinita supersit. *Sexto die* formauit Deus

ex terra omne genus terrestrium animantium. Et quoniam homo quoque terrestre est animal, eodem die illum produxit, & corpus quidem eius formauit ex terra, vt non superbiret, animam vero rationalem ex nihilo produxit, vt non vilesceret, sed vt tanquam dominus bestiarum illas regeret, non imitaretur, sed angelis cognatus angelos æmularetur. Quia vero idem homo, dominus erat futurus orbis terrarum & compendium mundi totius, ideo par fuit, vt palatium ejus ædificaretur, & ornaretur, & famuli ac ministri ejus præparentur, antequam ipse in mundum introduceretur. *Psalm. 8.* Eodem die vltimo produxit Deus mulierem: quam formauit ex costa Adami, sine dolore viri, & in momento attribuit ipsi omnia membra ætatemque ad conjugium aptam. Formauit autem illam, non ex limo terræ, sed ex viro, vt intelligerent mulieres, principium sibi esse ex viro, & proinde ipsum vt superiorem agnoscerent, neque de primatu contenderent. Formauit porro non ex capite, neque ex pedibus viri, sed ex latere: vt intelligerent viri, vxorem non debere esse, neque dominam, neque ancillam, sed sociam & collateralem; & subjectam quidem viro, sed subjectione politica, non despotica: Atque hæc est consideratio hexaemeri & πεντουλίας, quæ nos manuducit ad *opus providentiæ Dei*, qua fit, vt Deus qui creaturis suis dedit esse, ipsis quoque det porro esse & bene esse. *Psalm. 104. Hos. 2. Matth. 6. & 10.*

11. *Vsus* hujus articuli αὐτάρκης respondet quinque particulis jam expositis, hoc modo.

1. Cum dicis, *Credo*, in mentem tibi veniat, te pertinere ad numerum filiorum Dei, vtpote quorum est credere. & proinde te esse justum, te salvatum iri te in medijs calamitatibus fore superiorem. *Rom. 3. Hab. 2. Joh. 1. Eph. 2.* Et quia non ex te ipso, sed à Deo habes, quod lumine fidei es præditus, inq; corde tuo dicis, *Credo*: age ipsi gratias pro hoc tali tantoque dono.

2. Cum dicis, *Deum*, face essere jube dubitationes & disputationes illas, quod non sit Deus, quod sint plures dii, quod Deus sit corpus: & in corde tuo habe Deum pro re tali, qua nulla celsior, nulla melior cogitari possit. Huic adhære fide, spe & charitate. Est enim Deus tuus.

3. Cum dicis, *Patrem*, solare te affectu & effectu Dei paterno, daque operam vt huic affectui & effectui paterno respondeat affectus & effectus tuus filialis, sepositoquoad eius fieri potest, omni defectu odii & ingratitudinis. *Malach. 1. & 2.*

4. Cum dicis, *Omnipotentem*, hanc columnam suppone fidei tuæ in variis dubitationum & tentationum procellis atque fluctibus. Nam ex hoc verbo magnam spem & lætitiam concipere possunt omnes amici

Dei,

Dei, dum cogitant, se amicum habere omnipotentem, vt cum apostolo gloriari possint & dicere: *Si Deus pro nobis &c. Rom.* 8. E contrario omnes impij hac voce, tanquam fulmine, percutiuntur: quia norunt, se habere inimicum omnipotentem, in cujus manus incidere, prorsus est horrendum. *Heb.* 10. Cuius rei consideratio nos quoque in officio nostro continebit, vt Deum omnipotentem timeamus, & sub potenti eius manu humiliemur.

5. Cum dicis, *Creatorem cœli & terræ*, numina gentium damnato, quippe quæ non fecerunt cœlum & terram. *Ierem.* 10. & ex creatione omnium rerum & existentiam & omnipotentiam Dei colligito: & hinc consolationem istam sumito, quod sis opificium Dei, quod ipsi est charũ, non aliter atq; artifici opus suum. *Iob.* 10. *Esa.* 64. *Psal.* 104. item, quod Deus continue adsit & præsit suis operibus. *Act.* 17. & illa exhilaret. *Psal.* 65. & 104. illa protegat & defendat *Mat.* 10. quodq; nulla calamitas, siue publica, siue priuata, possit esse tanta, quam Dei omnipotentia non superet, quamq; Deus non sit dimensus & numerauerit, quemadmodum mẽsus est cœlos & terram, & numerauit guttas & arenã maris. *Sirach.* 1. Porro articulus de creatione facit, vt teipsum recte cognoscas, quod neq; sis bestia, abjecta ad pactum, neq; Deus creator, sed creatura eius, condita ad hunc finem, vt conditorem tuum cognoscas, cognitum ames, amatum colas, & illius omnipotentiam, sapientiam & bonitatem prædices. Adhæc, cum ex hoc articulo discas, Deum esse fontem omnium bonorum, puta prædiorum, pecudum, auri & argenti & similium, quæ possides, bonorum, gratitudinem tuam sic proba Deo tuo, vt ne donũ præferas datori, sed ipsi hoc acceptum feras, donoq; tibi dato recte vtaris quemadmodum decet œconomum frugi. In summa, locus de creatione est speculum beneficiorum Dei, & nostri officii stimulus.

Conclusio. Atq; hic est primus articulus, per quem veluti januam intramus, & tanquam clauem reseramus palatium fidei amplissimum juxta & splendidissimum. Faxit Deus, vt quotidie quilibet ex nobis in corde suo sonet ista verba, *Credo in Deum &c.* iisque se partim consoletur in omnibus tentationibus & angustiis, partim excitet ad gratitudinem erga creatorem & benefactorem suum.

CONCIO III.

Secundus symboli articulus.

Exordium. Posteaquam homo nefarie à Deo desciuit, & hac sua apostasia aduersus omnia decalogi præcepta præuaricatus fuit, Deus ex pura puta misericordia promisit ipsi saluatorem *Gen.* 3. qui

ex terra omne genus terrestrium animantium. Et quoniam homo quoque terrestre est animal, eodem die illum produxit, & corpus quidem eius formauit ex terra, vt non superbiret, animam vero rationalem ex nihilo produxit, vt non vilesceret, sed vt tanquam dominus bestiarum illas regeret, non imitaretur, sed angelis cognatus angelos æmularetur. Quia vero idem homo, dominus erat futurus orbis terrarum & compendium mundi totius, ideo par fuit, vt palatium ejus ædificaretur, & ornaretur, & famuli ac ministri ejus præparentur, antequam ipse in mundum introduceretur. *Psalm. 8.* Eodem die vltimo produxit Deus mulierem: quam formauit ex costa Adami, sine dolore viri, & in momento attribuit ipsi omnia membra ætatemque ad conjugium aptam. Formauit autem illam, non ex limo terræ, sed ex viro, vt intelligerent mulieres, principium sibi esse ex viro, & proinde ipsum vt superiorem agnoscerent, neque de primatu contenderent. Formauit porro non ex capite, neque ex pedibus viri, sed ex latere: vt intelligerent viri, vxorem non debere esse, neque dominam, neque ancillam, sed sociam & collateralem: & subjectam quidem viro, sed subjectione politica, non despotica. Atque hæc est consideratio hexaemeri & πρωτολογίας, quæ nos manuducit ad *opus providentiæ Dei*, qua fit, vt Deus qui creaturis suis dedit esse, ipsis quoque det porro esse & bene esse. *Psalm. 104. Hos. 2. Matth. 6. & 10.*

11. *Vsus* hujus articuli κατ' ἀκόλουθον respondet quinque particulis jam expositis, hoc modo.

1. Cum dicis, *Credo*, in mentem tibi veniat, te pertinere ad numerum filiorum Dei, vtpote quorum est credere, & proinde te esse justum, te salvatum iri te in mediis calamitatibus fore superiorem. *Rom. 3. Hab. 2. Joh. 1. Eph. 2.* Et quia non ex te ipso, sed à Deo habes, quod lumine fidei es præditus, inq; corde tuo dicis, *Credo*: age ipsi gratias pro hoc tali tantoque dono.

2. Cum dicis, *Deum*, facessere jube dubitationes & disputationes illas, quod non sit Deus, quod sint plures dii, quod Deus sit corpus: & in corde tuo habe Deum pro re tali, qua nulla celsior, nulla melior cogitari possit. Huic adhære fide, spe & charitate. Est enim Deus tuus.

3. Cum dicis, *Patrem*, solare te affectu & effectu Dei paterno, daque operam vt huic affectui & effectui paterno respondeat affectus & effectus tuus filialis, seposito, quoad eius fieri potest, omni defectu odii & ingratitudinis. *Malach. 1. & 2.*

4. Cum dicis, *Omnipotentem*, hanc columnam suppone fidei tuæ in variis dubitationum & tentationum procellis atque fluctibus. Nam ex hoc verbo magnam spem & lætitiam concipere possunt omnes amici Dei,

Dei, dum cogitant, se amicum habere omnipotentem, vt cum apostolo gloriari possint & dicere: *Si Deus pro nobis &c. Rom.* 8. E contrario omnes impii hac voce, tanquam fulmine, percutiuntur: quia norunt, se habere hostem omnipotentem, in cujus manus incidere, prorsus est horrendum *Heb.* 10. Cuius rei consideratio nos quoque in officio nostro continebit, vt Deum omnipotentem timeamus, & sub potenti eius manu humiliemur.

5. Cum dicis, *Creatorem cœli & terræ*, numina gentium damnato, quippe quæ non fecerunt cœlum & terram. *Jerem.* 10. & ex creatione omnium rerum & existentiam & omnipotentiam Dei colligito: & hinc consolationem istam sumito, quod sis opificium Dei, quod ipsi est charũ, non aliter atq; artifici opus suum. *Job.* 10. *Esa.* 64. *Psal.* 104. item, quod Deus continue adsit & præsit suis operibus. *Act.* 17. & illa exhilaret. *Psal.* 65. & 104. illa protegat & defendat *Mat.* 10. quodq; nulla calamitas, siue publica, siue priuata, possit esse tanta, quam Dei omnipotentia non superet, quamq; Deus non sit dimensus & numerauerit, quemadmodum mẽsus est cœlos & terram, & numerauit guttas & arenã maris. *Sirach.* 1. Porro articulus de creatione facit, vt teipsum recte cognoscas, quod neq; sis bestia, abjecta ad pactum, neq; Deus creator, sed creatura eius, condita ad hunc finem, vt conditorem tuum cognoscas, cognitum ames, amatum colas, & illius omnipotentiam, sapientiam & bonitatem prædices. Adhæc, cum ex hoc articulo discas, Deum esse fontem omnium bonorum, puta prædiorum, pecudum, auri & argenti & similium, quæ possides, bonorum, gratitudinem tuam sic proba Deo tuo, vt ne donũ præferas datori, sed ipsi hoc acceptum feras, donoq; tibi dato recte vtaris quemadmodum decet œconomum frugi. In summa, locus de creatione est speculum beneficiorum Dei, & nostri officii stimulus.

Conclusio. Atq; hic est primus articulus, per quem veluti januam intramus, & tanquam clauem reseramus palatium fidei amplissimum juxta & splendidissimum. Faxit Deus, vt quotidie quilibet ex nobis in corde suo sonet ista verba, *Credo in Deum &c.* iisque se partim consoletur in omnibus tentationibus & angustiis, partim excitet ad gratitudinem erga creatorem & benefactorem suum.

CONCIO III.

Secundus symboli articulus.

Exordium. Posteaquam homo nefarie à Deo desciuit, & hac sua apostasia aduersus omnia decalogi præcepta præuaricatus fuit, Deus ex pura puta misericordia promisit ipsi saluatorem *Gen.* 3. qui

illum redimeret redemtione vera, perfecta & æterna. Ista antiquissima promissio est veluti origo fidei nostræ circa redemtionem generis humani, cuius admirandi operis veritas, perfectio & æternitas in secunda parte symboli describitur, ita nempe vt mediatoris persona, officium, beneficia & status pleniſſime hic describantur. Qua in re cum vertatur cardo salutis, nihil mirum est, hãc secundam partem prima esse prolixiorem.

Propositio. Considerabimus verba huius articuli πιστεύω εἰς, & singulis vsum subiungemus.

Tractatio. I. Et. Repete πιστεύω *Credo*: hoc est, non solum fateor & confiteor, Jesum Christum esse vnigenitum Dei Filium, promissum illum in V. T. & in plenitudine temporis missum redemtorem, qui nos ab æterna morte liberaret, justitiamque & vitam æternam donaret: sed etiam omnem meam fiduciam in ipso colloco, corde meo in ipso acquiesco & omnem consolationem ab ipso expecto in vita & in morte, adeoq; ipsum habeo pro meo redemtore.

II. Jesvm. Quid significet hoc nomen, discamus ex angelo *Matth.* 1. Nimirum significat saluatorem, hoc est, talem, qui liberat ab impendente periculo, quomodo medicus dicitur saluare hominem à morte, quando ipsum morti vicinum arte sua restituit in integrũ. Dominus itaq; noster est Jesus, quia nobis datus est à Deo Patre saluator, & nos reuera saluos facit, *liberando* videlicet nos à peccato, morte, maledictione & condemnatione: *dando* justitiam, pacem, gaudium & vitam: *dando gratis* hæc omnia, citra nostrum meritum. 1. *Cor.* 1. *Rom.* 3. 4. 8. Proprie igitur & vere Christus est saluator, quia solus ipse saluat à morbo grauissimo, quod est peccatum, à quo nobis impendet periculum mortis æternæ. Cætera mala, si comparentur ad peccatum & gehennam, vix mala nominari possunt. Vtrumque istud malum tollit Christus. Hinc apostolus Petrus *Act.* 4. testatur, non esse aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Confer *Act.* 15. & *Iohan.* 4. Quam magnum hoc sit Dei beneficium, saluum facere à morte sempiterna, facile potest intelligi ex iis, quæ faciunt homines, vt salui fiant à morte temporali. Quos enim sumtus non libenter faciunt homines, vt mortem corporis, non dicam euadant, sed ad tempus differant? Ex quo intelligimus, quam multum debeamus huic nostro saluatori Opt. Max. qui non auro aut argento, sed pretioso suo sanguine nos liberauit. 1. *Pet.* 1. Deinde, cum diabolus nos exagitat, opponamus ipsi nomen hoc Jesus, tanquam clinodium cordis nostri, epitomen omnis consolationis, & monile precationis nostræ. Vera, inquam, fide obiiciamus hoc nomen, non simplici murmure. Ita fiet, vt Jesus sit mel in ore, melos in aure & jubilus

bilus in corde. Flectamus denique genua noſtra, non cum ſuperſtitioſis hominibus ad pronuntiationem nominis Jeſu, ſed cum angelis adoremus illum, cui hic titulus tribuitur. *Phil. 2.*

III. CHRISTVM. Hoc nomen ſignificat tres eminentiſſimas dignitates ſiue prærogatiuas, videlicet prophetæ veraciſſimi, Pontificis maximi, regis potentiſſimi. Chriſtus enim proprie ſignificat vnctum: & in populo Dei Prophetæ ſacerdotes & reges inungi ſolebant. Fuit autem Jeſus vnctus non ab hominibus, neque oleo corporali, ſed à Deo Patre, & oleo ſpirituali, hoc eſt, Spiritu Sancto. *Pſal. 45. Act 10.* Eſt igitur Chriſtus ſummus Prophera, ſummus ſacerdos, & ſummus Rex. Eſt Prophera. *Deut. 18. Joan. 6.* Quippe qui omnem Dei voluntatem de redemtione noſtra nobis annuntiauit, per omnes muneris prophetici numeros: videlicet docendo, redarguendo, inſtituendo corrigendo, & conſolando. Eſt ſacerdos; quia ſeipſum obtulit pro nobis. *Hebr. 10.* & pro nobis orat. *Iohan. 17. Rom. 8. 1. Joh. 2* Eſt Rex; quia eſt caput noſtrum, quod nos regit & defendit aduerſus hoſtes noſtros conſtituendo in medio illorum regnum gratiæ per verbum & ſacramenta, & tandem nos introducendo in regnum gloriæ. *Col. 1. Ioh. 14 & 16. Matth. 25.* Ex his intelligimus, qualem habeamus Meſſiam, perfectum videlicet & omnibus numeris abſolutum. Quæ ſi inſtitui vis? Hunc doctorem adi & audi. Si purgari vis? Sanguinem hujus ſacerdotis adhibe. Si defendi cupis! Solicita hunc regem. Deinde quia Chriſtiani denominamur à capite & duce noſtro Chriſto, quotidie offeramus Deo preces, tanquam ſpirituales ſacerdotes, & militemus tanquam reges contra peccatum, mundum & Satanam. Conſolemur denique nos hoc auguſtiſſimo titulo, quod ſumus ſacerdotes & reges Deo noſtro. *1. Pet. 2. Apoc. 1.* Nam ex Chriſti plenitudine omnes accipimus. *Joh. 1. 1. Joh. 2.*

IV. FILIVM EIVS VNIGENITVM. His verbis docemur, Chriſtum eſſe verum Deum. Nam filius verus & naturalis eſt ejuſdem cum patre naturæ. Proinde Filius Dei verus, etiam eſt verus Deus; quod in Concilio Niceno & Conſtantinopolitano ſic expreſſerunt Patres; *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero.* Quod miniſterium etſi eſt ineffabile: tamen Apoſtolus *Hebr. 1.* duabus ſimilitudinibus illud vtcunque explicare voluit. Prior ſimilitudo ſumta eſt à luce, quæ ſplendorem producit. Sicut enim lux ſplendorem producit, in momento, ſine auxilio conjugis, cum ſumma puritate, ita vt lux non ſit prior ſplendore: ſic Deus Pater, lux illa æterna, ab æterno producit Filium, qui eſt lumen de lumine: & producit ſine conjugis auxilio, ita vt non ſit prior Filio. Poſterior ſimilitudo ſumta eſt ab imagine, quæ reſultat in ſpeculo, cum quis in ſpeculo ſeipſum contemplatur. Quæ ſimilitudo demonſtrat, Filium Dei

generari per intelligentiam, Deo Patre, seipsum, quasi speculum sine macula, mentis oculo aspiciente, & Deo Filio, quasi imagine perfectissima resultante. Porro Christus dicitur Filius Dei vnigenitus: quia Filius Dei naturalis non potest esse nisi vnus isque per generationem æternam: cum filij Dei per adoptionem multi sint, & multi plures per creationem. Cum vero Messiam nostrum oportuit esse verum Deum? Resp. 1. Vt ipsius mors esset perfectum ἅπαξ, & æternam redemtionem afferret. *Hebr. 9.* id quod hominibus omnibus in vnum conflatis non fuisset possibile: quia, vt est *Esa. 40.* omnes populi nihil sunt coram Deo. 2. Vt esset satis potens ad debellandum Satanam, mundum & mortem. 3. Vt haberemus certum fundamentum salutis nostræ, aduersus quod portæ inferorum prævalere non possent. 4. Vt esset verus mediator inter Deum & homines. 5. Vt nos Deo vniret: id quod nulla creatura poterat. 6. Vt nostros gemitus & preces exaudire, nobisque in omnis generis calamitatib. præsto esse & manum porrigere posset. Intelligis, anima mea, quantopere te dilexerit Deus, qui tibi dedit Filium suum vnigenitum, vt tu fieres filius per adoptionem. Intelligis, quantum hoc sit, quod ipse Jehoua sit tua justitia. Quin igitur huic sospitatori gratias agis? & hoc tanto beneficio te solaris aduersus calamitates tuas.

V. DOMINVM NOSTRVM. Duplici titulo hoc competit in Christum: titulo videlicet seu jure creationis, & redemtionis. Ipsa enim vna cum Patre nos creauit *Jo. 1. Col. 1.* Deinde cum essemus facti mancipia diaboli, ille nos liberauit. *1. Cor. 6. 1. Pet. 1.* Merito igitur Dominum vocamus eum, qui nos redemit: quamuis ex infinita benignitate sua nos & amicos, & fratres & cohæredes esse voluerit. Merito huic Domino seruimus. *Malach. 1. Psal. 123. & Luc. 12.* Merito sub auspicijs hujus domini, cujus persona est omnipotens, & cujus officium est sublimius omnibus rebus, militamus contra tyrannidem diaboli & peccati.

CONCIO IV.

Tertius Symboli articulus.

Exordium. In historia *Gen. 18.* legimus, tres viros apparuisse Abrahamo, è quibus vnus procul dubio fuit Filius Dei. Nam in textu vnus ex illis appellatur Jehoua. Hoc itaque fuit præludium incarnationis seu inhumanationis Christi: quod est magnum & consolationis plenum mysterium. De hoc agit præsens articulus.

Propositio. Duo sunt hujus articuli commata: vnum de conceptione, alterum de natiuitate Christi.

Tractatio. I. CONCEPTVS EX SPIRITV SANCTO. Conceptio Christi

Christi similis fuit vna in re conceptioni aliorum hominum: sed in alijs rebus multis diuersa. Similis fuit, quantum ad matrem: quia reuera conceptus fuit in vtero matris suæ, & ex illius sanguine, & proinde est verus filius Mariæ, ideoque & Dauidis, quia Maria ducebat originem à Dauide: vnde Christus in Euangelio non semel vocatur *Filius Dauid. Matth. 1 & 22. Luc. 1. & 18.* item ortus *ex semine Dauid. Roman. 1.* Dissimilis autem fuit conceptio Christi conceptioni aliorum hominum ratione causæ efficientis. Siquidem cæteri homines habent causam efficientem immediatam, alium hominem, videlicet patrem suum: Christus vero non habet patrem in terris, sicut nec matrem in cœlis. Nam conceptus fuit de Spiritu Sancto, qui solus, absque concursu viri, virtute sua infinita, formauit ex virgineo sanguine corpus Christi in vtero ejusdem virginis, & animam ejus creauit, & in primo momento conceptionis infudit illius corpori. Neque difficile fuit Deo in hoc negotio supplere causam efficientem: siquidem in principio solus Deus produxit herbas & arbores, cum nondum creatus esset homo, qui seminaret vel plantaret, neque Sol, qui calore suo foueret, neque pluuia, quæ humectaret. Nempe verbum illud Domini. *Germinet terra*, hæc omnia præstitit. Ex hac prima differentia aliæ sunt consecutæ. Primum enim nos omnes concipimur in peccato originali: Christus autem sine peccato est conceptus: vnde est illud angeli ad virginem. *Luc. 1. Quod ex te nascetur, sanctum est.* Oportuit autem Christum concipi absque peccato, tum vt ipse plenus esset Spiritu sancto, tum vt sancta ipsius conceptio impuram nostram cõceptionem tegeret, tum vt esset pura victima pro peccatis nostris. Hinc sanguis agni immaculati dicitur nos redemisse *1. Pet. 1.* Deinde differentia conceptionis nostræ & Christi posita est in eo. Nos ita concipimur, vt multis morbis simus obnoxij. Christus autem, perfectissimam conceptionem consecutus, neque ægrotauit vnquam, neque vlli deformitati fuit obnoxius, sed fuit speciosus valde, quomodo etiam Adam & Eua, quos solus Deus produxit, præstantissima corpora gerebant. Postremo nos completa cõceptione, & corpore animato anima rationali, (quæ corpori Christi, quod in momento fuit formatum & omnibus membris instructum, statim fuit infusa, cum res in nobis aliter habeat) incipimus esse homines: Christus autem completa conceptione, incepit esse simul Deus & homo, seu Deus inhumanatus. Nam in eodem instanti, in quo formatum est corpus, & infusa anima, fuit etiam ineffabili modo corpus cum anima, vnitum diuinitati in secunda persona sanctissimæ Trinitatis: & tunc *Verbum caro factum est. Iohan. 1.* & qui erat Filius Dei ab æterno, cœpit esse etiam filius hominis in plenitudine temporis. Neque tamen duo sunt Filij: quia non sunt duæ personæ.

Vnus

Unus enim Filius Dei à Patre habet diuinam subsistentiam, à Maria humanam existentiam. Hic tria occurrunt dubia. 1. Cur conceptio Christi tribuatur Spiritui Sancto, cum omnia opera ad extra sint communia toti Trinitati? Resp. Quia licet communis fuerit operatio trium personarum in hac conceptione: singularis tamen fuit actio Spiritus S. vti Patris in creatione, & Filij in redemtione. 2. Quomodo Filius Dei solus sit incarnatus, non incarnata tota Trinitate? Resp. Quemadmodum tres sorores vnam togam texunt, quam secunda, reliquis duabus adjuuãtibus induit: sic tres personæ SS. Trinitatis produxerunt vnam carnem, quam sibi aptauit Filius. 3. Cur Spiritus S. non possit dici pater Christi, cum sit ex illo conceptus? Resp. Ille dicitur pater, qui de substantia sua filium generat: qui autem opus aliquod non de substantia sua, sed alunde producit, non pater, sed opifex dici debet. Jam vero solus Pater de substantia sua Christum genuit, secundum deitatem, & virgo Maria eundem genuit, secundum deitatem. Proinde Pater recte hoc nomine vocatur, & Maria titulo matris insignitur. Spiritus autem Sanctus non pater Christi, sed opifex corporis & animæ ejus dici debet. Cæterũ hoc fuit beneficium maximum exhibitum à Deo toti humano generi, pro quo æquum est, vt quotidie gratias agamus Deo; qui cum esset supremus Dominus noster, voluit etiam fieri frater noster; & ad tantam sublimitatem genus nostrum euexit, vt vnus homo, Christus, sit vere Rex & Dominus angelorum, totiusque vniuersitatis: & vna mulier, virgo Maria, sit θεοτόκος, & hoc ipso superior omnibus angelis. Etsi enim Christus, non vt Deus, sed vt homo, genitus est à Maria: non tamen inde sequitur, Mariam non esse Deiparam; quia genuit Christum, qui est Deus, licet non genuerit Christum, vt est Deus. Magnum sane discrimen est inter ista, *Deus vt Deus, Homo vt Homo*, & proinde inter hæc, *Christus Deus, Christus vt Deus: Christus homo, Christus vt homo.*

II. NATVS EX MARIA VIRGINE. Natiuitas Christi in hoc similis fuit natiuitati aliorum hominum, quod detentus fuit in vtero matris nouem mensibus, sicut & alij homines, apertoque vtero ejus in hanc lucem editus. Dissimilis fuit; quia Christus natus fuit absque peccato; & non nudus fuit homo, sed θεάνθρωπος. Debuit autem Christus nasci ex virgine; quia sublimitas personæ requirebat, vt mater esset intacta: & vt hoc modo significaretur, Christum habitare in corde virgineo, quod non est contaminatum desideriis hujus seculi. Porro debuit nasci ex vero homine, vt haberet veram carnem & sanguinem, adeoque nobis esset cognatus, hoc est, frater noster ratione generationis. Nam, & justitia Dei requirebat, vt illa natura, quæ peccauerat, pro peccatis penderet, *Deut. 28.* & nostra conditio postulabat, vt haberemus ejusmodi mediatorem, qui partim noster

ter frater esset, adeoque intime nos diligeret. *Hebr. 2. & 5.* partim nostram naturam, quam Diabolus dehonestauerat præcipitando è cœlo, maximo illo honore afficeret, vt illam supra angelos collocaret. Quod posterius membrum illustrari potest historia Estheræ, quam licet captiuam Ahasverus sibi despondebat, vnde Judæi fuerunt liberati ab exitio, quod ipsis intentabat Haman. Sane si hodie potentissimus Monarcha filiam mendici hominis sibi jugeret matrimonio, totum illius genus hocipso nobilitaretur. Hæc res seruit nostræ consolationi, vt ad Christum fratrem in omnib. necessitatibus confugiamus: & institutioni, vt naturam nostram, quam Christus nobilitauit, non dehonestemus per peccatum. Cæterum ex hoc articulo collato cum præcedente discimus, Christum esse διάθηκον: cujus rei hæc fuit ratio. Nos indigebamus mediatore apud Deum. Jã vero mediator debet esse cognatus vtrique parti dissidenti, & necesse est vt apud partem illam, cui vult alteram reconciliare, polleat gratia, authoritate, & potentia. Quorum nihil fuisset in Christo, nisi fuisset verus Deus, & verus homo in vnitate personæ. Nostrum itaque est, Deo agere gratias pro ineffabili hac gratia, quam nobis fecit, dum Filium suum nobis dedit, qui assumeret nostram naturam, eamque redimeret, cum nullum aliud super esset remedium huic malo profligando.

Conclusio. Quoniam Deus vsque adeo nobilitauit naturam nostram, vt illam sibi copulauerit, nostrarum partium est ita viuere, vt dignitas hujus desponsationis requirit, vt ita nobilitemus majestatem Dei per nostras preces & sanctam vitam.

CONCIO V.

Quartus Articulus Symboli.

Exordium. Post explicatam Christi conceptionem & natiuitatem agitur in Symbolo de passione & morte Christi, omissa historia de curriculo vitæ Christi, illiusq; dictis & factis. In hoc enim compendio illa duntaxat proponi debuerunt, quæ habent peculiarem difficultatem, & vtilitatem longe maximam. Jam vero ijs, qui credunt, Christum esse verum Deum, & verum hominem, non est difficile credere, quod fuerit sapientissimus, optimus & potentissimus in opere & sermone. Sed quod Deus-homo crucifixus & mortuus fuerit, id omnino difficulter credi poterat. *1. Cor. 1* Huc accedit, quod conciones & miracula Christi non eam habent vim & efficaciam, quæ cernitur in ijs, quorum hic traditur epitome. Recte igitur factum, quod in Symbolo in humanationem Christi sequitur ipsius passio, cujus modum & fructum jam explicabimus.

Propositio. Quatuor sunt periculæ hujus articuli, de quibus ordine ac distincte tractare instituimus. Deinde conclusionis loco aliquid dicemus de authoribus & fructibus passionis & mortis Christi.

Tractatio. I. PASSVS SVB PONTIO PILATO. Passio Christi hic significat id totum, quod perpessus est in vltima die vitæ suæ. Quæ passio facta est sub Pilato, non solum ipso præside, sed etiam judice, & sententiam condemnatoriam in Christum ferente. Quamuis enim Pilatus quæsierit Christum absoluere, cum sciret injuste accusatum: tamen humano timore superatus, injustam sententiam in Christum tulit, vnde eo simul calamitatibus breui obrutus fuit, vt ipse sibi propria manu mortem attulerit. *Euseb. 2 hist. c. 7.* Cur vero, anima mea, Christus à judice ordinario fuit condemnatus? Resp. Pilatus hanc potestatem à Deo acceperat, reste Christo: & judicium est Dei *2. Chron. 2.* Christus itaq; coram hoc judicio mundano comparuit, tanquam à Deo citatus ob peccata nostra, & accepit sententiam condemnatoriam, vt tu acciperes à Deo judice absolutoriam.

II CRVCIFIXVS. Hæc vox significat acerbissimum, longissimum & infamissimum supplicij genus, quod vilibus personis adhibebatur. Atque hoc totum factum est, vt plenissima esset satisfactio Christi pro peccatis. Nam quia nos eramus à Deo maledicti *Deut. 27.* Christus debuit loco nostro pati mortem maledictam à Deo *Deut. 21.* atq; supremum obedientiæ gradum Deo Patri probare exinaniendo se vsq; ad mortem crucis *Phil. 2.* denique maledictionem hoc pacto à nobis tollere *Gal. 3.* & summam suam erga nos charitatem facere contestatam.

III. MORIVVS. Non solum pati & crucifigi, sed etiã mori voluit. Potuisset enim, si voluisset de cruce descendere, vt Judæi ab eo petebant, cum ei insultantes dicerent: *si Filius Dei es, descende de cruce: &, si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. Matt. 27.* Sed ille complere voluit opus suum, & mortis calicem amarissimũ gustare, vt justo illi judicio Dei, *moriendo morieris, Gen. 2.* Satisfaceret; vt testamentum Dei morte sua confirmaret, ne illud mutationi alicui videri potuisset obnoxium; vt moriendo mortem nostram æternam destrueret; denique vt mortem nostram temporalem sanctificaret, illamque suo exemplo mitigaret. Adesdum, anima mea, quæ in peccatis es mortua. Mors Christi tibi adfert vitam. Mors Christi te docet, testamentum Dei, in quo te instituit & scripsit hæredem vitæ æternæ, jam esse irreuocabile. Adesdum, corpus meum, & contemplare mortem Christi, quæ facit vt tibi non oppetenda sit mors ignominiæ æternæ, sed illa, quæ est janua vitæ ac proinde sancta. Noli vero existimare, hanc mortem Christi esse nudi hominis, vti Nestorius arbitratus est, quando in hanc impiam vocem erupit. *Noli gloriari Iudæe: non Deum sed hominẽ crucifixisti.* Aliter Paulus docet, quando ait: *Dominum gloriæ crucifixerunt.* Audin' anima mea? Ille, qui pro te mortuus est, non est homo nudus, sed etiam Deus. Macte igitur esto. Nã hic Dominus gloriæ sic mortuus est, vt

non

non gustauerit in æternum mortem æternam (ita enim succubuisset,) sed illam superauerit gustando. Accurre igitur & intuere hunc serpentem, qui præfiguratus fuit ab æneo serpente *Ioh.3.*

IV. ET SEPVLTVS. Sepeliri voluit Dominus, & in sepulchro tribus diebus jacere, vt vere mortuus fuisse crederetur: & voluit in sepulchro nouo reponi, & sepulchrum publico sigillo cõmuniri, vt vera resurrectio probaretur. Placuit enim diuinæ sapientiæ sic humanam astutiam vincere, vt per ea ipsa resurrectionem verissimam fuisse demonstraret, quæ ad resurrectionẽ impediendã impij Judæi, Diabolo instigante, præparauerant. Accede, anima mea, & contemplare mysteria sepulturæ Christi Oportuit Christum sepeliri, vt impleretur veritas prophetiæ. *Esa.53.* vt veritas typi Prophetæ Jonæ. *Matt.12.* & sabbatum redemtionis. Deinde nostra peccata cũ Christo sunt sepulta. Tertio Christus hoc modo sanctificauit sepulchra nostra, vt non sint barathra corruptionis, sed cameræ refectionis. Denique sepulti sumus vna cum Christo, vt non amplius in peccatis viuamus, atque ita moriamur, sed resurgamus ad nouam vitam. *Rom.6.*

Conclusio. Hic est articulus de passione Christi in quo velim attendatis, dilecti, ad causas efficientes & finales mortis Christi, seu, quis fuerit author & quis sit finis atque fructus mortis ejus Quod attinet ad authores passionis Dominicæ, multi fuerunt. Nam & Deus Pater Filium suum tradidit. *Rom.8.* & Filius ipse posuit animam suam. *Ioh.10.* seq; ipsum tradidit pro nobis *Eph.4.* & deniq; homines nefarij, puta Judas, Judæi, Pilatus, & Pilati ministri, fuerunt authores hujus passionis. Isti autem omnes, nõ ob eundem finem, sed plane diuersos, passionem Christi operati sunt. Ac vt incipiamus ab vltimi, *ministri præsidis* peccarunt, quod sententiam judicis injustam executioni mandarunt, neq; contenti supplicio, quod judex constituerat, ex propria malitia & crudelitate addiderunt coronam de spinis & varias illusiones. Itaq; finis illorum fuit, tum vt placerent Judæis & præsidi, tum vt sæuitiam suam explerent. *Pilatus* damnauit Christum, quẽ sciebat esse innocentem, ne incurreret offensam Cæsaris. *Ioh.19.* Ille igitur offendit Deum, ne offenderet hominem. *Iudæi* tradiderunt Christum partim ex inuidia, quia videbant Christum pluris fieri à populo quã scribas & Pharisæos, partim ex timore mundano, ne regnum Judaicum penitus interiret. *Matth.27. Iohan.11.* Ideo & illi grauiter peccarunt, atque merito amiserunt regnum & temporale & spirituale. *Iudas*, mercator pessimus, vt eum vocat Ecclesia, ex auaritia Christum vendidit. Sed nihil ei profuerunt triginta denarij, quos pro mercede proditionis accepit. Nam eos paulo post restituit, & desperabundus laqueo vitam finiuit. Omnes auari similes sunt Judæ. Nam nec fruuntur bonis, quæ auide colligunt in hac vita, & in futuro seculo grauissime puniuntur.

Restant *Deus & Christus*, qui causæ fuerunt passionis, sed ob finem longe diuersum, quam reliqui. Deus enim & Christus in passione illa quæsierunt salutem generis humani, & gloriam diuinitatis. Siquidem primum Adæ peccatum, quod in omnes homines per generationem transfunditur, abstulit honorem Deo, & homini salutem. Quæ duo mala tolli non poterant, salua justitia, nisi satisfactio inueniretur infinitipretij. Hinc igitur æterna Dei sapientia misericordiam atque justitiam ita conjunxit, vt Deus Pater ex infinita misericordia sua Filium suum dederit, & Filius semetipsum obtulerit, pretium scilicet infinitum, ad satisfaciendum diuinæ justitiæ. *Humiliauit* enim *seipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Phil. 2.* Et gratior multo fuit in oculis justitiæ diuinæ ista humilis obedientia secundi Adami, quam displicuit superba inobedientia primi Adami. Itaque Deus Pater in passione Filij ab æterno decernenda non peccauit, sed infinitam suam dilectionem declarauit *Iohan. 3.* Et Christus, seipsum offerens ad mortem pro redemtione mundi, non peccauit, sed præclarissimum opus fecit, obedientiæ scilicet erga patrem, & charitatis erga nos. Quilibet ergo nostrum dicat cum Apostolo: *Christus dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Galat. 2.* Vnde porro quilibet nostrum colligat & concludat, peccata sua vere, causam fuisse passionis Filij Dei. Ego itaque tradidi Christum in mortem, tu hoc fecisti, ille hoc fecit. Nos illum cruci affiximus. Nisi enim homo peccasset, Filius Dei innocentissimus non fuisset læsus, ne dicam occisus. Nequeat quid contra Filium Dei valuisset astutia Judæorum, aut auaritia Judæ, aut potentia Pilati, aut crudelitas ministrorum. Quid? Ipsi claui, & spinæ, atque flagella vel in satellites vim suam conuertissent, aut cecidissent in puluerem redacta essent, ne carnem innoxiam & sacrosanctam Filij Dei lædere possent. Proinde cum passionem Christi contemplamur, nostra potissimum peccata detestari debemus, & Christo compati, atque eidem huiusmodi agere gratias: ac firmissimo proposito statuere, nos peccata omnia pro viribus deinceps euitaturos, & Christi obedientiam, patientiam, charitatem, atque humilitatem, diligentissime imitaturos: ac denique non solum facultates & propinquos, sed etiam vitam ipsam contemturos potius, quam vt DEVM & Dominum nostrum dulcissimum offendamus. Atque hæc dicta sunto de authoribus passionis Dominicæ. Superest, vt paucis dicamus de finibus ejus & fructibus.

Principio perfecta mortis Christi obedientia est nostra justitia coram DEO, quemadmodum inobedientia Adami est nostra injustitia coram DEO. *Romanorum 5.* Nam quia CHRISTVS non tolum est sanctus Homo, sed etiam verus DEVS, vtpote Filius DEI, ex eo fit, vt obedientia humillima personæ hujus longo interuallo superet

obedien-

obedientiam angelorum & omnium creaturarum in cœlo & in terra. Ex quo porro sequitur, remissionem peccatorum plenissimam & absolutissimam pendere ab vnico sponsoris nostri sacrificio. 1. *Tim.* 2. *Dan.* 9. *Hebr.* 7. Reconciliati ergo sumus Deo, illiusque amici effecti verè mutatis in statu nobiliori, quam Adam. *Deinde* Christus moriendo vicit diabolum, mortem & infernum. *Heb.* 2. *Tertio* mors Christi in electis gignit mortificationem veteris hominis. *Rom.* 6. & 12. *Quarto* mors Christi est speculum ineffabilis illius amoris, quo Deus nos complectitur. *Quinto* crux & mors Christi mitigant omnem nostram crucem, illamque velut condiunt. *Rom.* 8. 2. *Tim.* 2. *Heb* 13. *Denique* mors Christi mortem nostram convertit in dulcem somnum & suauem quietem. 1. *Cor.* 15. *Apoc.* 14.

CONCIO VI.

Quintus symboli articulus.

Exordium. Verba illa, *Descendit ad inferos*, quidam omittunt: quidam peculiarem ex illis articulum constituunt: quidam ad præcedentem articulum referunt: quidam denique ad quintum articulum pertinere docent. Nos communem sententiam secuti referimus ad hunc quintum articulum: quia existimamus hunc descensum posse accenseri statui exinanitionis & exaltationis, vt paulo post patebit.

Propositio. Dicemus de descensu Christi ad inferos, & ipsius resurrectione ex mortuis.

Tractatio I. Apostolus *Eph.* 4. diserte docet, Christum descendisse in partes infimas terræ. Quibus verbis docet, hoc esse opus personæ illius, quę pro nobis debuit implere munus mediatoris per omnes partes. Quomodo autem ista persona descendit ad inferos? R. Sp. duobus modis. Et primo quidem ratione corporis hæc persona Christus descendit ad inferos, quando expertus est statum mortuorum, qui habentur pro derelictis. Nam hostes Christi existimarunt ipsum à Deo iam esse derelictum, neque posse de inceps suum facere officium. Deinde ratione animæ hæc eadem persona descendit ad inferos, quando terrorem incussit Diabolo & omnibus ejus mancipiis, sal em ad momentum se illis ostendendo, & triumphum suum significando, quomodo reges victores solent suam præsentiam hostibus veluti fulmen quoddam ostendere vt videre est *Jos.* 10. Hinc multiplex vtilitas adire redit, anima mea. Nam primo non est, quod exhorrescas statum istum, quo corpus tuum post mortem jacebit in sepulchro. Etiam Christus suum sabbatum in sepulchro celebrauit. Quemadmodum itaque ille emersit ex isto statu: ita & tu, qui es membrum Christi, inde emerges. Deinde quia Christus victor & triumpha-

tor descendit ad infernum, non est quod trepides, si diabolus tibi obijciat aduersum inferni, & hoc terriculamento tibi conetur facessere negotium. Tu macte esto anima mea, & age gratias huic tuo Seruatori, qui tanto te beneficio affecit, vt infernum veluti obsignauerit, quo minus faucibus suis, alias patentibus, possit absorbere. Denique oportet, vt cum Christo quotidie descendas in infernum, hoc est, infernales terrores conscientiæ, quos nemo piorum non expetitur, vincas hoc descensu Christi ad inferos. Noli putare hujusmodi tentationes & angustias esse similes iis, quas experiuntur impii. Nam illi desperant in suis tentationibus & conscientiæ punctionibus. Tu vero non cedis, sed contra audentior is in Christo, & cum Christo, qui te liberauit ex inferno.

11. Christus in sepulchro moratus est triduum, vt intelligeremus eum vere fuisse mortuum. Si enim post vnam vel alteram horam surrexisset, potuissent homines suspicari, illum non vere mortuum, sed sensus eius sopitos, & vim motricem, ad tempus fuisse ligatam. Porro resurrectio Christi est magnum mysterium, quod semel creditum omnia alia mysteria facilia reddit. Qua de causa Christus post resurrectionem suam quadraginta diebus in terris commorari voluit, vt videlicet apparitionibus variis, multisque argumentis fidem veræ resurrectionis adstrueret. Hinc etiam apostolus Paulus *1. Cor.* 15. adeo prolixe vrget hunc ipsum articulum. Et apostoli dicunt, se missos fuisse, vt resurrectioni Christi testimonium præberent. *Actorum* 1. & 4. Ita nempe est, vt Augustinus docet, *Fides Christianorum, resurrectio Christi.* Nam mortem Christi etiam gentiles & Judæi credunt: sed resurrectionem soli Christiani credunt, ita nimirum, vt statuant Christum propria virtute animam corpori reddidisse, atque ita *vere*, & *glorioſe* resurrexisse à mortuis, vt testatum faceret se vere mortuum esse, & superata morte nobis peperisse justitiam, quæ coram Deo valet. Pende hoc mysterium, anima mea. *Principio* firmiter statue, corpus tuum non semper mansurum in sepulchro, neque crucem tuam fore æternam. Deus numerauerat illud triduum, quo Christus in sepulchro manere debebat. Illo tempore elapso Christus est excitatus à mortuis, & coronatus gloria triumphali. Ad eundem modum prudentes Christiani, cum in hac vita patiuntur calamitates varias, non mirantur, neque dolent, quia considerant, nunc earum rerum tempus esse: quomodo etiam rustici non concoqueruntur, si in hyeme vigeant niues & glacies, quia hæc tempus illud postulat. Et quemadmodum iidem rustici moleste ferunt, si videant hyemes humidas & calidas, quia sterilitatis hæc signa sunt: sic prudentes & pii Christiani suspectas habent huius vitæ prosperitates. *Deinde* quia Christus vere surrexit à morte, certissimum

nem habemus testimonium, quod ne minimum quidem peccatum sit reliquum, quod Deus electis suis non remiserit. Nam si peccatum vel leuissimum à Christo non fuisset expiatum, ille non potuisset à mortuis resurgere. *1. Corinth. cap. decimoquinto. Tertio* quemadmodum Christus propter peccata nostra est mortuus, ita propter justitiam nostram resurrexit. *Rom* 4. vt nempe justitiæ sua morte partæ nos participes efficeret. Hoc enim fine resurrexit. Et q emadmodum Deus Pater Christo v. reimposuit peccata nostra, vt illa po taret, morteque sua expiaret: ita quando illum excitauit à mortuis, sententiam absolutoriam tulit, quod satisfecerit in solidum. *Quartus* fructus resurrectionis Christi est, quod illa sit pignus nostræ resurrectionis. Si enim caput resurrexit, vtique & membra resurgent. *1. Cor.* 15. *Quinto* virtute resurrectionis Christi excitamur ad nouam vitam, vt resurgamus à morte peccati, & conformes fiamus capiti nostro, quod est speciosum & glorioſum. Turpe profecto fuerit, habere caput formosum, & corpus luto conspurcatum. 2. *Cor.* 5. In mentem nobis veniat illus apud Bernhardum: *Illi viuas, qui vt semper viueres, semel pro te mortuus est.*

Conclusio. Articulum hunc fi miter imprime cordi tuo: quia si hunc tenes tibique applicas, non amplius & in morte, sed cum Christo jam surrexisti.

CONCIO VII.

Sextus symboli articulus.

Exordium. Illustris est illa visio *Dan.* 7. de seniore, qui filio hominis dedit omnem potestatem. Hæc fuit typica & prophetica ascensionis Christi & gloriæ eius apud dextram Patris descriptio. Qua de re nũc differemus.

Propositio. Duo mẽbra huiꝰ articuli historice & practice cõsiderabimus.

Tractatio. 1. Christus post resurrectionem suam non mansit in terris, nisi ad breue tempus, quantum videlicet satis erat apostolis informandis: sed ascendit in tertium cœlum, sedem illam Dei regiam. Non enim decebat, vt corpus immortale & glorioſum, ac ipso sole lucidius, habitaret, in valle lachrymarum, & sub aere isto caliginoso, vbi omnia fluxa & corruptioni obnoxia degunt. Ascendit itaque corpus Christi, & *vere*, & *glorioſe*, vt pluribus describit Lucas *Act.* 1. Qua historia sic vtere, anima mea. *Primo* in ascensione Christi impletum est illud: *Qui se humiliat, exaltabitur.* Ipse enim, qui se humiliauit vsque ad mortem, mortem autem crucis, & qui descendit ad infimas vsque partes terræ, idem ipse exaltatus est supra omnes angelos, & ascendit supra omnes cœlos. *Phil.* 2. *Epheſ.* 4. Magna profecto, & hominis rationi cæcæ incredibilis est hæc ascensio, per quam terra ascendit supra cœlum,

cœlum, & corpus humanum ascēdit supra spiritus angelicos. *Deinde*, quia Christus propria virtute ascendit, hinc colligimus, illum esse verum Deum. Tametsi enim dicitur assumtus: hæc tamen assumtio non repugnat ascensioni: quia corpus assumptum est vi deitatis. *Tertio* Christus ascendit, vt testatum faceret, omnia in terris peracta esse, quæ ad salutem nostram ibi peragenda erant. *Quarto* ingressus est cœlum, vt apparet coram Patre suo, ibique pro nobis intercedat: quæ est altera pars officii ejus sacerdotalis. *Hebr.7. Rom.8. Quinto* ascendit Christus in cœlum, vt ibi occuparet patrimonium omnium credentium, inque illius plenam possessionem immitteretur. *Sexto* ascensio Christi est certissimum pignus nostræ ascensionis. Nam cœlum nobis est apertum: & vnio mystica inter Christum & ejus fideles requirit, vt vbi est caput, ibi etiam sint membra. *Septimo* ascensio Christi debet in nobis excitare sanctum desiderium patriæ cœlestis, ita vt conuersatio nostra sit in cœlis. *Phil.3.* vt quotidie ascendamus in cœlum, vbi est Christus, & vbi est illa domus, qua nulla potest amplior, firmior & pretiosior cogitari. Quam sit autem pretiosa, & amabilis domus illa, facile cognosci potest ex multitudine & pulchritudine stellarum, quas ex hoc loco videmus: illæ enim sunt quasi ornatus exterior pauimenti cœlestis. Quod si igitur pars exterior pauimenti tot gemmis pretiosissimis micat, quid erit pars interior domus? quid aulæ? quid atria? quid tecta? quid deniq; incolæ hujus domus? Huc ergo anhelemus: hac contemplatione nos oblectemus.

11. Sessio Christi in cœlo non est crasse intelligenda, qualis est apud nos. In terris enim sedemus vt quiescamus, quemadmodum jacemus, vt dormiamus. Corpora vero gloriosa non laborabunt, neque dormient, ideoque non sedebunt, neque jacebunt, sed stabunt, qui est naturalis corporis humani situs. Dicitur tamen Christus sedere, & sancti omnes dicuntur Christo assidere, duplici de causa. Primum quia sessio quietem significat & in cœlo requies æterna erit. *Apoc 14.* Quantum sit hoc bonum, facile intelliget, qui cogitabit, quam sit amara inquietudo, quam in hac vita patitur partim corpus ex variis laboribus, partim anima ex dolore, ex timore, ex inuidentia, ex odio, ex iracundia, ex variis suspicionibus & super omnia ex certa expectatione mortis, quæ omnes jucunditates hujus vitæ in amaritudinem vertit. Deinde sessio judiciariam potestatem significat. *Matth.19.* Dominus igitur in cœlo sedere dicitur, quia quiescit ab omni labore, & quia constitutus est judex viuorum & mortuorum. Porro Christus dicitur sedere ad dextram Patris; quæphrasis significat maximum dominium, quod Pater per Filium exercet in Ecclesia. Sedet enim Christus in cœlo, non supra neque infra Patrem, sed ad latus Patris, vt ita dicam. Proinde vox illa, *Ad dextram*, non est accipienda de

da de situ corporali, quasi Filius sedeat à dextris, Pater à sinistris, vel Pater in medio, Filius ad dextram, Spiritus Sanctus ad sinistram. Nam tres illæ personæ habent vnam communem essentiam, quæ immensa & infinita cum sit, omnia replet, & vbique tota est, neque dextram habet, neque sinistram. Hic quæritur, quomodo humana Christi natura sedeat ad dextram Patris, cum per sessionem istam significetur æqualitas Filii cum Patre? Resp. Sedere ad dextram Patris est attributum Christi neque diuinum, neque humanum, sed œconomicum, ideoque non significat æqualitatem Filii cum Patre ratione essentiæ, quam habet ab æterno, sed notat dignitatem ratione œconomiæ seu dispensationis, quę cœpit in tempore. Neque enim sessio Christi ab æterno fuit, sed cœpit post resurrectionem & ascensionem ejus, similitudo hic adferri solet de rege sedente in throno & purpura induto. Quamuis enim vestis illa purpurea, si separetur à persona regis, non sit digna tam alto loco, neque anteponenda sit personis principum, qui infra regem sedent: tamen vt est vnita regio corpori, iure sortitur locum eminentissimum, non ratione sui, sed ratione personæ regiæ, cui est vnita. Sic humana Christi natura hanc eminentiam, de qua jam verba facimus, non habet ex se, sed ex gratia vnionis. Accede, anima mea, ad hunc regem tuum, & illum adora. Nam quia sedet ad dexteram Patris sui omnipotentis, vtique est supra omnia, & tanquam rex dominatur in medio inimicorum suorum, quantumuis illi fremant & ferociant. *Psalm.* 110. Accede ad hoc caput tuum & totius ecclesiæ, quod donis suis replet omnia sua membra, inque illa influit spiritum & motum, atque illa regit: quæ duo à capite solent proficisci. Ab hoc tuo rege & capite pete & expecta omnis generis dona salutaria. Ne dubita ipsius intercessionem maximum habere pondus. *Hebræor.* 10. Denique quia frater tuus sedet ad dexteram Patris sui, sic firmiter conclude: Gloria fratris & sanguinis mei est etiam mea gloria. Cœlestis Josephus non abnegabit fratres suos in statu suæ gloriæ, sed ipsorum tandem miserabitur, quantumuis ab initio se duriorem erga illos exhibeat.

Conclusio. Hoc inprimis tempore diligenter meditemur hunc articulum, quia carni & sanguini videtur actum esse de ecclesia.

CONCIO VIII.

Septimus symboli articulus.

Exordium. Visio illa *Apoc.* 14. de filio hominis præfigurauit vltimum judicium, idq; admodum magnifice. Occurrit enim ibi persona judicis, illius majestas, & executio. Qua de re etiam agitur in hoc articulo, qui est vltimus de persona Christi.

Propositio. Indicabimus hæc duo: Cur, & Quomodo Christus sit judicaturus viuos & mortuos.

Tractatio. I. Primus Christi aduentus fuit ad redimẽdum genus humanum, & fuit opus infinitæ misericordiæ. Secundus erit ad judicandum genus humanum, & erit opus seueriſſimæ justitiæ: quia Christus omnes & singulos judicabit ex præscripto legis & euangelii. Unde appellatur vniuersale iudicium. Cur vero, inquiat aliquis futurũ est hoc judiciũ vniuersale, cum statim à morte perficiatur iudiciũ particulare vniuscujusq; ita vt illius vnusquisq; accipiat sententiam vel absolutoriam, vel condemnatoriã? Hujus rei quinq; sunt causæ. *Prima* est ex parte Dei. Nũc enim non desunt, qui cũ videant justos multa mala injuste pati, & impios affluere multis bonis tẽporalibus, suspicãtur, Deũ aut ista nõ videre, aut nõ curare, aut mundum nõ recte gubernare. Quare vt totũ genus humanum intelligat, mundum à Deo recte administratum esse, voluit Deus, vt in nouissimo die coram omnib. angelis & hominibus publicetur sententia justissima de operibus singulorum. *Altera* causa est ex parte Christi. Quoniã enim impii ausi sunt Christum judicare, æquum fuit vt ipse omnes impios publice judicet: vt hoc modo ignominia passionis injustæ Filii Dei compensetur per gloriam judicantis in throno totius mundi. *Tertia* ratio est ex parte justorum: vt retributio illorum sit integra. Cum enim merces virtutis sit honor, & vero multi sancti homines injuste interfecti sint, multisque ignominiis expositi, tanquam scelesti & impii: justum est, vt in publico totius mundi concilio iustitia eorum manifestetur. *Quarta* est ex parte impiorum hypocritarum. Non desunt enim ex impijs, qui cum opinione sanctitatis viuunt & moriuntur. Ideo necesse est, vt saltem in vltimo iudicio eorum hypocrisis publice detegatur, illique solenni confusione obruantur. *Quinta* est, vt simul anima & corpora iudicentur. Siquidem in iudicio particulari solæ animæ iudicantur, & præmia vel pœnam accipiunt. Sed in iudicio vniuersali comparebunt homines integri, & sicut animæ cum suis corporibus bene vel male se gesserunt in vita præsenti, sic in futura animæ cum suis corporibus accipient præmia vel pœnas. *Denique* accedit & illa causa, quod opera bona & mala nonnullorum hominum non finiuntur in morte, sed crescunt vsque ad finem & consummationem seculi. Sunt enim multi homines pij, qui conscriptis libris vtilibus, vel extructis hospitalibus, vel erectis scholis, post mortem suam longo tempore proximos adiuuent: nec desunt homines improbi, qui scriptis libris hæreticis, aut blasphemis, aut lasciuis, aut alia ratione perniciosis; vel extructis theatris ad comœdias obscœnas repræsentandas; vel ædificatis lupanaribus; vel inuentis, institutis, & confirmatis rigidis exactionibus, vel alio modo

proxi-

proximis nocent ad longum tempus post obitum suum. Quoniam igitur in fine mundi omnes processus finientur, & opera omnium hominum, tum bona, tum mala, finem accipient, æquum erit, vt tunc vltima sententia iudicis supremi, sapientissimi, potentissimi, atq; iustissimi proferatur.

II. Modus vltimi iudicii his verbis exprimitur in hoc articulo. INDE. Hæc vocula significat, Christum venturum ad iudicandum, non ex aliquo angulo, non ex deserto aliquo aut obscuro loco, sed ex augustali suo, cœlo videl. altissimo, cũ maximo splendore, vt nemo dubitare possit, ipsum esse verum Dei Filium & Dominum vniuersorum: quomodo cum sol exoritur post tenebras noctis, nemo est, qui ambigat, an ille sit sol. VENTVRVS EST, ita scil. vt humana ipsius natura conspiciatur in nubibus. *Mat. 25. Apoc. 1.* Tametsi enim suprema potestas iudiciaria diuinitati competat, tamen exercitium iudicii tribuetur humanitati: Deinde veniet gloriose. *Matth. 25.* & de improuiso. *Luc. 21. 1. Thes. . 2. Pet. 3.* AD IVDICANDVM. Hæc vox declarat finem aduentus Christi: qui erit vt iudicet omnes gentes, & rationem exigat ab omnibus & singulis, de omnibus operibus, verbis, & cogitationibus etiam occultissimis, necnon de omissionibus operum, verborum & cogitationum, ad quæ secundum leges diuinas & humanas tenebamur. *1. Cor. 4.* Quamuis autem tam multa examinanda sint, tamen examen erit breuissimum, quia Deus ineffabili lumine irradiabit conscientias singulorum, vt nullus inficiari aliquid possit. Atq; hi sunt libri illi *Dan. 7.* & *Apoc. 20.* quia in conscientiis singulorum scripta legentur opera tum bona, tum mala: & illę solę plus valebunt ad reos conuincẽdos & damnandos, quam mille testes. Post hoc examen sequetur sententia, à qua nulla dabitur appellatio, æternę beatitudinis pro justis, & supplicii sẽpiterni pro injustis: quę describitur ab ipso Domino *Mat. 25.* vbi Seruator processũ judicialẽ admodũ magnifice depingit, vt merito dies iudicii in Scripturis dicatur *dies Domini, dies magna, & dies horribilis. Joel. 2. 1. Thes. 5. 2. Pet. 3.* VIVOS ET MORTVOS. His verbis docemur, neminẽ ab hoc judicio excipiendũ. Dicuntur n. hoc loco viui & mortui, omnes homines, qui in vltima die inueniẽtur mortui, & qui adhuc erunt inviuis. Quãuis n. omnes homines morituri sint juxta illud apostoli *Heb. 9.* tamẽ illi, qui viui inueniẽtur in die nouissimo, tãta velocitate moriẽtur & resurgent, vt videri possint nõ esse mortui. Nam nec sepelientur, nec iacebũt inter mortuos, sed in ictu oculi moriẽtur, & ad vitã immortalem resurgent. *1. Thes. 4.* Itaque qui tunc erunt viui ex electis, in ipso raptu moriẽtur, & resurgent ad vitam immortalẽ & beatissimã: qui autẽ viui erunt ex reprobis, velocissime quoque morientur, & resurgent ad vitam immortalem, sed miserrimam. Ideo enim semper viuent, vt semper moriantur, & quærant mortem, sed non inueniant. Adesdum nunc, anima mea, & perci-

pe consolationem ex hoc articulo. *Principio* tua redemtio, plena scilicet, tunc appropinquabit, quando Christus veniet ad judicandum. *Luc.* 21. *Deinde*, tu non venies in judicium, sed judicabis impios, *Joh.* 3. *1. Cor.* 6. *Tertio*, tunc videbis redemptorem tuum. 1. *Johan.* 3. & audies lætissimam ipsius vocem, *Venite*. *Quarto*, rapieris in occursum Domini, vt hæreas ipsius lateri in æternum. *Johan.* 14. & 17. *Quinto*, corpus tuum conforme fiet glorioso corpori Christi. *Phil.* 3. Rursum ades, anima mea, & ex hoc articulo institutionem percipe. Institutionem dico, vt quotidie instaures pœnitentiam tuam *Act.* 17. & sine intermissione fundas preces *Luc.* 21. & studeas bonis illis operibus, quæ Christus in magno illo die allegabit. *Matth.* 25. & patienter expectes illustrem hunc aduentum. *Jacob.* 5. vt denique fugias securitatem carnis *Luc.* 12. Semper tibi cum Hieronymo & Bernhardo vox illa, *Surgite mortui, & venite ad iudicium*, sonet in auribus tuis.

Conclusio. Hic est articulus de aduentu Christi ad judicium, quem qui plena fide, & intenta meditatione considerat, vix fieri potest, quin vitam & mores suos primo quoq; tempore emendet.

CONCIO IX.

Octauus symboli articulus.

Exordium. In articulis superiorib. tractata est doctrina de Deo Patre & ejus opere, item de Deo Filio & ejus officio. Jam sequitur doctrina de Spiritu Sancto, & ejus operibus, quæ veniũt nomine sanctificationis, quę hic inchoatur in Ecclesia per communionem sanctorum & remissionẽ peccatorum & consummatur per resurrectionem carnis in vita æterna. Quæ est methodus tertiæ partis symboli, in qua sunt quinq; articuli quorum primus est de Spiritu S. Hunc in præsentia declarare aggredimur.

Propositio. Quatuor sunt videnda: è quibus primum est de persona Spiritus S. secundum de illius officio: tertium quomodo impetremus Spiritũ S. quartum, quæ sint τεκμήρια, ex quibus colligere possimus nos habere Spiritum sanctum.

Tractatio. I. Spiritus sanctus est verus Deus, distinctus à Patre & Filio. *Est verus Deus*: quia in symbolo dicimus, *Et in Spiritum sanctũ*, scil. credo. Quibus verbis demonstratur æqualitas trium personarum. In sequentib. n. articulis non dicimus, credo in ecclesiam, vel in remissionẽ peccatorũ, sed absq; particula *in*, Credo sanctam ecclesiam, remissionem peccatorũ. Deinde baptizamur æque in nomine Spiritus S. atque in nomine Patris & Filii. Tertio Scriptura diserte docet, Spiritum S. esse Deum. *Act.* 5. Quarto hoc euincunt proprietates & actiones Dei, quæ tribuuntur Spiritui S.

puta.

puta immensitas. *Psal.139.* creatio mundi. *Genes.1.* regeneratio. *Joh.3.* & similia. *Est distinctus a Patre & Filio:* quia tres sunt in cœlo *1.Johan.5.* & in trium personarum nomine baptizamur. *Matth.28.* & Apostolus à tribus personis precatur salutem. *1 Cor.13.* & profitemur distincte nos credere in Deum Patrem Filium & Spiritum Sanctum. Hoc idem satis aperte colligitur ex *Johan.15 & 14.* Ibi Spiritus S. dicitur procedere à Patre: hic Spiritus S. dicitur esse alius paracletus à Filio. Jam vero qui procedit ab alio, non potest esse vna & eadem persona cum illo, à quo procedit, cum nemo à seipso procedere possit. Et, si alius à Filio paracletus est Spiritus sanctus, certe non eadem persona sunt, Filius & Spiritus Sanctus.

II. Officium Spiritus Sancti nobis insinuatur per hæc duo vocabula *Spiritus Sanctus.* Etsi enim hæc duo nomina communia sunt, non solum Deo Patri & Filio, quorum vterque & Spiritus est, & Sanctus, sed etiam omnibus bonis angelis & animabus sanctorum: omnes enim isti & Spiritus sunt, & sancti: hic tamen peculiari ratione tertia persona SS. Trinitatis appellatur Spiritus Sanctus; quia videlicet ab æterno *spiratur* à Patre & Filio, & nobis *inspirat* sanctos motus, suaueque nobis afflictis *spirat:* & quia nos *sanctificat.* Vnde intelligitur, quodnam sit Spiritus S. officium: quod pluribus ita circumscribimus. *Primum* Spiritus S. officium est regeneratio, qua nos in peccatis genitos denuo gignit, vt ex filijs iræ fiamus filij gratiæ. *Johan.3 secundum* est illuminatio intellectus, qua fit, vt cognoscamus Christum. *1.Cor.2. Iohan.14. Esa.11.* Hinc Spiritus S. appellatur vnctio, quæ nos docet omnia. *1.Ioh.2.* & digitus Dei, qui inscribit legem cordibus nostris. *Tertium* est sanctificatio, qua fit vt vitemus opera carnis, & studeamus facere opera Spiritus. *Gal.5.* Quemadmodum enim ignis consumit scorias, & Sol pellit tenebras: ita Spiritus Sanctus consumit sordes peccatorum, & fugat opera tenebrarum. *Quartum* opus Spiritus San. est precatio. Ille enim docet & facit nos orare, compellit nos ad supplicandum Deo, excitat gemitus in nobis. *Rom.8. Gal.4. Zach.12. Ioel.2. Quintum* beneficium est, quod sit arrha salutis, & sigillum cordis nostri. *Ephes.1. & 4.2.Cor.1. Rom.8. Sextum* officium est positum in consolando. Nam Spiritus San. consolatur nos, reuocando nobis in memoriam dulcissimas promissiones Dei de reconciliatione nostri cum Deo, & induendo corda nostra spirituali fortitudine atque lætitia, qua fit, vt gloriemur de nostris afflictionibus, illasque velut ex alto despiciamus. Quam ob causam comparatur aquæ. *Iohan.7.* Porro totum hoc officium Spiritus S. nobis ob oculos ponitur in historia baptismi Christi & primæ pentecostes N. T. *Matth.3. & Act.2.* vbi Spiritus Sanctus in se inuisibilis, duobus modis se præbuit visibilem: videlicet per speciem columbæ, & per speciem linguarum ignearum. Quorsum vero apparuit super Christum baptizatum in

ſpecie columbæ? Nimirum, vt ſignificaret, Chriſtum eſſe plane innocentem & purum, & fœcundiſſimum operum bonorum, & habere pennas, quibus volare poſſit vſque ad cœlum motu perniciſſimo; & item ſignificaret eos, qui per baptiſmum renaſcuntur in Chriſto, acquirere innocentiam & fœcunditatem, itemque pennas quaſi columbæ, vt aſcendere poſſint & ipſi ab ima terra vſque ad ſummum cœlum. Linguæ autem ignea ſignificant eloquentiam, ſapientiam & charitatem, quam Deus per illapſum Spiritus S. Apoſtolis donauit, hodieque ſuis electis donat. Siquidem figura linguæ notat eloquentiam, qua eloquia Dei ſonamus; ſplendor ignis ſapientiam, qua ſimus ſapientes ad ſalutem; ardor ejuſdem ignis charitatem, qua Deum & proximum ardentiſſime ſuo quemq; ordine, complectimur.

III. Quia ſine Spiritu S. nulla fit regeneratio, illuminatio, ſanctificatio & conſolatio, multum in eo ſitum eſt, vt Spiritum S. accipiamus & retineamus. Id autem fit per verbum, preces & pœnitentiam. Quod attinet ad verbum, Apoſtolus *Epheſ. 1.* docet, per Euangelium nos obſignari Spiritu Sancto. Et *Galat. 3.* ait: *Nunquid Spiritum S. accepiſtis ex fide per prædicationem?* Cujus rei exemplum habemus in Lydia *Actor. 16.* Deinde Spiritus S. datur omnibus, qui illum à Deo petunt ex vera fide. *Luc. 11. Pſal. 51. Act. 4.* Denique pœnitentia, ſiue ſtudium ſanctæ vitæ, facit vt impetremus Spiritum S. *Act. 2. Eph. 4.* Quemadmodum autem Spiritum Sanctum per verbum, preces & pœnitentiam impetramus, ita per hæc ipſa eundem retinemus.

IV. Tres ſunt characteres illorum qui habent Spiritum Sanctum, adeoque tria γνωρίσματα illius. *Primo* Spiritus Sanctus cognoſcitur ex interioribus motibus & operationibus ſuis, puta ex filiali fiducia, fiduciali precatione, perpetuis ad Deum gemitibus. *Roman. 8.* Deinde lucta carnis & Spiritus eſt certiſſimum indicium præſentiæ Spiritus S. *Rom. 7. & 8. Tertio* Spiritus Sanctus cognoſcitur ex fructibus illis, qui cernuntur in pia conuerſatione, quales ſunt charitas, humilitas, patientia, manſuetudo, confeſſio, laus Dei, &c. *Epheſ. 4.* Quemadmodum enim anima non videtur, ſed adeſſe intelligitur, cum homo viuit, ambulat, loquitur, & alia vitæ munia obit: ſic Spiritus Sancti præſentia colligitur ex operationibus vitalibus hominis ſpiritualis. Neque eſt quod dicas, te non habere Spiritum S. illo gradu & menſura, vt in alijs vides. Satis eſt ſi habeas aliquid Spiritus Sancti. Nam dona Spiritus variant. Deinde ſi Spiritus Sanctus interdum videatur plane omittere ſuam fœcundam operationem, noli exiſtimare te illum amiſiſſe. Solet enim Spir. Sanct. interdum ſe occultare inſtar matris, quæ hoc modo exercet filiolum.

Concluſio. Si vis Spiritum Sanctum facere ſuum in te officium, da

operam

operam vt tu quoque recte facias officium tuum erga Spiritum Sanctum. Ita fiet, vt cum sanctis angelis in cœlesti gloria canas illud τρισάγιον, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Zebaoth. Esa. 6.*

CONCIO X.

Symboli Articulus Nonus.

Exordium. Articuli hactenus expositi docuerunt omnia mysteria, quæ ad ipsum Deum pertinent: in sequentibus articulis docentur ea, quæ pertinent ad Ecclesiam, & ejus dotes. Jam explicabimus articulum de Ecclesia & communione sanctorum.

Propositio. Quatuor hic proponuntur credenda de Ecclesia videlicet perpetuitas, sanctitas, Catholica vnitas, & Catholicorum communitas.

Tractatio. I. Profitemur nos credere Ecclesiam, hoc est, ejusmodi cœtum hominum, cum quibus ex miscella mundi turba euocatis Deus æternum fœdus pepigerit, illosque ita sibi desponderit, vt in æternum ipsis adsit, eosque protegat & defendat, ne portæ inferorum aduersus illos prævalere possint. *Esa. 59. Hos. 2. Iohan. 10. Roman. 8.* Quomodo autem dicimus nos credere Ecclesiam, cum illa sit congregatio hominum fidelium, adeoque sit visibilis, fides autem ad inuisibilia pertineat? Respond. Ecclesia est visibilis, quantum ad personas, quæ sunt de Ecclesia: sed est inuisibilis, quantum ad id, quod facit eas personas esse Christi, Ecclesiam. Ita Christus, Ecclesiæ sponsus, quoad corpus suum est visibilis: sed quoad beneficia & communionem mysticam est inuisibilis. Idem judicium est de sacramentis. Illorum enim cortex, vt ita dicam, videtur, nucleus creditur.

II. Ecclesia est sancta, partim imputatione. *Esa. 61. 2. Cor. 6.* partim renouatione & inchoatione. *Joh. 17.* Quamuis enim omnes electi, qui sunt in Ecclesia Catholica, sint peccatores: tamen caput Ecclesiæ sanctum est, & membrorum impuritas tegitur sanctitate capitis, & per Spiritum S. magis magisque abluitur. Quemadmodum inter mortales, qui habet pulcherrimam faciem, dicitur pulcher, quamuis in aliquo alio membro ejus fœditas reperiatur: sic Ecclesiæ corpus dicitur & est absolute sanctum, quia habet caput sanctissimum, licet membra illius non habeant absolutam istam & omnibus numeris perfectam sanctitatem.

III. Ecclesia est Catholica, & proinde vna. Est Catholica, id est, vniuersalis: quia non restringitur ad certa loca & tempora, sed per totum mundum dispergitur continua serie ab Abele vsq; ad Christum, & à Christo ad nostra tempora, & inde vsq; ad finem mundi. Est vna: quia vnum & Catho-

Catholicissimum est Ecclesiæ caput, Jesus Christus. *Psal.22.Mal.1.* quia vnam & Catholicissimam habet fidem, fideique fundamentum, Jesum Christum. *Eph 2.& 4.* denique; quia est vna via ad salutem, Jesus Christus. *Ioh.14.* Tametsi ergo Ecclesia dispersa sit in varia loca, & multa hominum genera contineat: tamen est vnum regnum sub vno rege Christo; & vnus exercitus sub vno imperatore; & vnum corpus sub vno capite; & vno Spiritu regitur, vnam habet legem, vnam fidem, eadem sacramenta. Atque hi sunt tres, augustissimi sane tituli Ecclesiæ, quod sit perpetua sancta & Catholica: qui lucem accipiunt ab illis, quos Scriptura tribuit Ecclesiæ, quando ipsam vocat sponsam Christi *Psal 45. Hos.2.in Cantico Canticorum, Ioh.3. Matth.25.* corpus Christi. *Ephes.4.& 5.1.Cor.12.* regale sacerdotium. *1.Pet.2.* hæreditatem Christi. *Psal.2.& 16.* ouile. *Ioh.10.* vineam. *Esa.5. Ioh 15* pusillum gregem. *Luc 12.* ciuitatem Dei pulchram, & nouam Hierosolymam. *Heb 12* domum Dei viuentis, columnam veritatis, &c. Audis, anima mea, quid debeas de Ecclesia credere. Ocyus igitur accede ad hunc cœtum; quia extra Ecclesiam non est salus, non aliter atque extra arcam Noe non erat vita. Ita fiet, vt à capite Ecclesiæ, Christo Jesu, accipias vitam, lucem, motum, robur, & sanitatem, idque in omnes seculorum sempiternitates. Fieri enim non potest, vt Ecclesia intercidat. *Psal.46. Matth. 6.* considera exemplum Noe, Loth, Josephi, Danielis & aliorum. Sed caue hic duo extrema: ne videlicet somnies in Ecclesia militante viuere homines more angelorum, ita vt sint sine labe peccati, vt docuerunt Cathari: & ne quemlibet cœtum pro Ecclesia habeas, sed eum tantum, cui competunt propriæ notæ Ecclesiæ, videlicet incorrupta verbi Dei prædicatio, legitima sacramentorum administratio, & obedientia Ecclesiastica seu reuerentia ministerij & disciplinæ Ecclesiasticæ. Vbi enim tres illæ notæ inueniuntur, ibi citra controuersiam sunt aliqui electi pertinentes ad Ecclesiam Catholicam, & exconsequenti ipsa Ecclesia Catholica cujus notæ non sunt externæ & visibiles, vti priores illæ, sed internæ & inuisibiles, nimirum fides, spes & charitas.

IV. In Ecclesia Catholica est sanctorum communio, quoniam Ecclesia est quasi corpus quoddam viuum, & ita inter se connexum, vt omnia membra pendeant à capite, & participent omnia bona, quæ ab illo capite influunt in membra: cujusmodi bona sunt justitia, pax, vita, gaudium, verbum Dei, sacramenta, &c. Omnes igitur sancti habent communionem inter se: quia sunt membra vnius corporis, Ecclesiæ videlicet sub vno capite Christo *Rom.12. Eph.4.* & proinde minimus inter electos eadem possidet bona salutaria, quæ maximus habet. Non enim est hic prærogatiua, sine fidem, sine verbum, sine sacramenta, sine alia spectemus. Nullus est, qui dicere possit, se habere meliorem fidem aut præstantiorem bapti-

baptismum, quam alius habet. Ex his efficitur, nostri muneris esse, vt, quia sumus membra vnius corporis, omnia nostra dona conferamus ad communem vtilitatem singulorum. *1. Cor. 12.* & aliorum crucem nostram putemus, ideoque illis condoleamus, & ipsos juuemus precibus & subsidiis. *1. Corinth. 12.* Hoc seruit insigniter consolationi nostræ. Quando enim in calamitatibus constituti recordamur totam Ecclesiam pro nobis orare Deum nobisque condolere, non possumus non ingenti perfundi gaudio.

Conclusio. Quia Deum non habent Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem, velis remisq; huc contendamus, vt ex immenso mundi mari nauigemus ad portum Ecclesiæ, vbi est pax & paritas conscientiæ.

CONCIO XI.

Decimus Symboli articulus.

Exordium. Quanti peccatores sint homines, & quantus miserator sit Deus, egregie docet historia *Num. 14.* in qua Moses remissionem peccatorum à Deo petit & impetrat tribus argumentis, quæ sumit à gloria Dei, ab illius misericordia, & ab exemplo. Nos eandem doctrinam in præsentia explanabimus.

Propositio. Ostendemus, esse remissionem peccatorum, & modum illius circumscribemus.

Tractatio. 1. Esse remissionem peccatorum docet symbolum, in quo suauissima hæc vox, *Remissionem peccatorum*, scilicet *Credo*, ponitur. Jubemur igitur credere, esse in Ecclesia remissionem peccatorum. Deinde vniuersa Scriptura hoc ipsum docet, quando quinque fundamenta remissionis peccatorum proponit: è quibus *primum* est misericordia & promissio Dei, qua docemur, Deum delere iniquitates nostras. *Esa. 43.* & apud illum esse propitiationem multam. *Psa. 130.* & illum esse propensum ad peccata nobis condonandum. *Esa. 1.* Confer *Exod. 34. Esa. 44. 55. Ps. 32. 103. Secundum* fundamentum est fœdus Dei gratuitum, quod pepigit cum peccatoribus, & in quo promisit remissionem peccatorum. *Ier. 31. Psal 111. Esa. 54. Tertium* est mors Christi. *Rom. 5. 2. Cor. 5. Coloss. 2. Quartum* fundamentum est œconomia siue dispensatio mysteriorum Dei, hoc est, praxis ministerij Ecclesiastici in prædicatione verbi & administratione sacramentorũ. Nam lex Dei nobis monstrat infirmitatem nostram, & est pædagogus ad Christum tanquam medicum. Euangelium nobis exhibet medicum & medicinam, nihilq; est aliud, quam concio læta, siue lætum nuntium de remissione peccatorum nostrorum. Sacramenta deniq; sunt sigilla gratiæ, & testimonia remissionis peccatorum. *Quintum* fundamentum sunt exempla

illorum hominum peccatorum, qui fuerunt justificati per fidem in Christum: puta Davidis, Manassis, publicani *Luc.18.* Mariæ Magdalenæ, Apostoli Petri, & Pauli *1.Tim.1.* Est igitur aliqua remissio peccatorum, atq; ita justificatio hominis peccatoris gratuita, quæ facit hominem filium Dei per adoptionem, atque ita hæredem quidem Dei, cohæredem autem Christi. Hoc magno bono, & super omne bonum, quod in hac vita obtineri possit, desiderabili, carent omnes, qui sunt extra Ecclesiam. Ideo remissio peccatorum in hoc nostro symbolo immediate additur articulo de Ecclesia & communione sanctorum. Certa igitur fide nos qui sumus in Ecclesia credamus, peccata nostra, quantumuis magna & sæpe repetita, remitti posse, & etiam remitti solere omnibus in vniuersum credentibus. Certa, inquam, & immota fide hoc credamus, neque rationis judicium consulamus. Qui enim considerat infinitam Dei majestatem, quam homo, qui est terræ vermiculus, collatus cum Deo, grauissime offendit, desperare posset reconciliationem, nisi fides ex verbo Dei concepta nobis fiduciam remissionis daret.

II. Posteaquam credimus esse remissionem peccatorum, sequitur vt dispiciamus quomodo fiat ista remissio. Fit autem gratis, perfecte, & efficaciter. Fit *gratis:* quia solus Deus nobis remittit peccata propter Christum, qui tollit peccata mundi *Johan. capit primo.* & cujus sanguis nos lauat ab omni peccato. *1.Petr.capit.1. 1.Johan.capit primo.* Nimirum Deus nos aspicit oculis misericordiæ, & nobis imputat justitiam Christi per fidem, sine nostris operibus, illorumque meritis. *Rom.3.& 4.* Quomodo autem fit hæc imputatio? Nos inserimur Christo, quemadmodum furculi trunco suo implantantur. Hinc fit, vt justitia Christi sit nostra justitia. Item Christus est sponsor & sponsus noster. Illius ergo satisfactio est nostra satisfactio: illius bonum est nostrum bonum, quomodo videmus inter sponsum & sponsam esse vnionem, & communionem bonorum. Fit *perfecte:* quia condonantur nobis omnia in vniuersum peccata, originale & actuale, maxima & minima, publica & priuata, cognita & incognita, infirmitatis & malitiæ, &c. *Exod.34. Esa.1.43.44.45. Mich.7.1.Joh.1.* Fit denique *efficaciter*, hoc est ita, vt percipiamus sensum justificationis, vnde oritur gaudium, detestatio & fuga peccati, & studium sanctæ vitæ, sicut enim ille, cui remittuntur debita, maximo afficitur gaudio, cauetque quam solicitissime, ne denuo conflet æs alienum: ita homo electus, cum sentit peccata sibi remissa, maximopere lætatur, & vnice sibi cauet ab his animæ suæ morbis. Vnde patet, peccata non remitti impœnitentibus, canibus illis & porcis *Apoc vlt.* sed credentibus & pœnitentibus. *Esa.1.& 51.Ps.51.* Oportet itaque vt habeamus cor contritum. Si enim cor nostrum sit durum instar lapidis, non potest admittere balsamum gratiæ

Dei.

Dei. Oportet insuper, vt proximo reconciliemur, illique offensas ipsius ex animo condonemus. *Matth.6.& 18* Sed, inquis, non possum à me impetrare, vt quotidianas infirmitates carnis meæ deponam. O igitur me miserum! Audio enim non remitti peccata nisi credentibus & pœnitentibus. Atqui mea fides est infirma, mea vita est peccatis contaminata. Heus, bene habet, quod sentis fidem, vtut illa sit infirma. Bene habet, quod agnoscis tua peccata, eaque detestaris. Credis itaque, & pœnitentiam agis. Etiam manus infirma pueruli potest capere cleinodium, quod manus robusta viri capit. Sitis & esuries justitiæ Christi est character filiorum Dei. Displicentia peccati, lucta carnis & Spiritus, gemitus ineffabiles orti ex sensu peccati, arguunt hominem electum & justificatum, vt videre habes ex Apostoli Paulo exemplo. *Rom.7.* Omnes sancti conflictantur cum hujusmodi infirmitatibus. *Esa.64. Iob.9. Psal.51.* satis est, si peccatum non regnet in nobis. Nam reliquiæ peccati inhabitantis tibique displicentis, ô anima mea, teguntur purpura sanguinis Christi, quæ magis magisque te lauat, vt induaris paulatim niuea veste sanctitatis: quæ duæ vestes Deo tuo non possunt non esse gratissimæ propter Filium, in quo acquiescit.

Conclusio. Cum beatus sit homo, cujus peccata sunt remissa, quotidie à Deo petamus remissionem peccatorum in nomine Christi sponsoris nostri.

CONCIO XII.

Articulus Symboli vndecimus.

Exordium. Memorabilis est illa visio *Ezech.34.* quippe quæ est speculum clarissimum resurrectionis mortuorum: de qua agit hic articulus, ad cujus explicationem jam accingimur.

Propositio. Docebimus quod sit futura, & quomodo sit futura resurrectio carnis.

Tractatio. I. Quia resurrectio mortuorum, præsertim ad vitam incorruptibilem, difficulter admodum creditur à mortalibus, & Apostolum Paulum de resurrectione concionantem viri Athenienses, qui sapientes haberi volebant, cum irrisione exceperunt: ideo diuina prouidentia fecit, vt hujus rei firmissima fundamenta habeamus in libro Scripturæ & naturæ. Quod attinet ad librum Scripturæ, ibi occurrunt testimonia & exempla. Quantum ad testimonia, semper extiterunt viri sancti, qui resurrectionem mortuorum apertissime prædicarunt, tempore videlicet legis naturæ, & legis scriptæ, & legis gratiæ. Ex lege naturæ habemus, Job, authorem antiquissimum &

veracissimum, qui præclare admodum hac de re disserit *capit. 12.* Extempore legis scriptæ habemus Danielem Propheram, vnum ex quatuor primarijs, qui *cap. 12.* docet, eos, qui dormiunt in terræ pulvere, *euigilaturos*, quia tam facile erit Deo, efficere vt mortui resurgant, quam facile est nobis facere, vt dormientes euigilent. Cum autem dicit, *multos* euigilaturos, non negat omnes resurrecturos, sed significat ingentem fore multitudinem resurgentium, quasi dicat, omnes euigilabunt, qui non erunt pauci, sed multi valde: quo modo loquendi etiam vtitur Apostolus *Roman. 5.* Primum enim dicit, *per vnius delictum in omnes homines*: & paulo post id ipsum repetens dicit, *per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi.* Vbi quos vocauerat *omnes*, paulo post vocat *multos*, vt intelligamus, omnes illos non fuisse paucos, sed multos. In libris quoque Maccabæorum legimus, matrem illam cum septem suis filijs hac potissimum de causa fortiter pertulisse acerbissimam mortem, quia certo sperabant, se in die nouissimo certo resuscitatum iri. *2. Machab. 5.* In lege gratiæ Christus frequentissime in Euangelio resurrectionis mortuorum mentionem facit, adeo vt Martha ab ipso edocta, cum audisset, *Resurget frater tuus*, responderit *scio, quia resurget in resurrectione, in nouissimo die. Iohan. 11.* Et Apostolus *1. Corinth. 15.* multis persequitur hoc argumentum. Exempla Enochi, Eliæ & Lazari idem confirmant. Itaque sicut resurrectio mortuorum, res est sublimis & difficilis valde: sic etiam Deus voluit, vt per Prophetas & Apostolos apertissime, & verbis disertissimis prædicaretur. Quantum attinet ad librum naturæ, ratio naturalis huic mysterio non repugnat; quin potius si quis attente omnia consideret, inueniet non paucas rationes, quæ fidei nostræ Catholicæ plurimum deseruiunt. Primum enim justitia Dei requirit, vt anima & corpus, quæ bene vel male egerunt in hac vita, post hanc vitam accipiant præmium, vel sustineant pœnam: quia videmus in hac vita ferme bene esse malis, & male esse bonis. Quis, amabo, persuadere sibi posset, Deum justum esse judicem, si martyres & alij sancti viri non resurgerent ad aliam vitam, in qua pœnitentiæ sua præmia reportarent? Deinde natura docet, idem granum, quod terræ commendatur, germinare, etiamsi mille hujusmodi grana proijciantur vnum in locum. Videmus infinita grana commisceri à satore, ita vt internosci à se inuicem non possint: at cum germinant & fructum ferunt, nullo negotio discernuntur. Tale quid etiam est in morte & resurrectione hominis. Nam ossa defunctorum hinc inde jacent confusa & permista: at quando vestientur à DEO, facile fuerit illa discernere. Teneant ergo fideles omnes sine nulla dubitatione futuram carnis resurrectionem, præsertim cum CHRISTVS non solum animas nostras,

sed

sed etiam corpora nostra redemerit. Sed occurrit dissoluendi breuiter ingens quædam & molesta dubitatio. Scimus enim multos obiisse infantes, multos senes, multos cæcos, multos surdos, multos variis corporis vitiis dehonestatos. Isti vero si cum istis suis vitiis resurgent, erunt in omnẽ æternitatem vitiati, quod non conuenit corpori glorioso: quod si autem absque istis vitiis resurgent, non erunt iidem, qui antea fuerant. Denique multi nihil omnino nunc habent in terris, cum vel à canibus, vel à piscibus deuorati, in carnes illarum bestiarum transierint: non pauci conuersi in terram, in olera & herbas mutati, aliorum esca facti sint: vt omnino difficile sit capere, vnde isti resurgere queant, cum nihil eorum inueniatur inter is. Sed si recolamus primum articulum, in quo firma fide credimus, Deum esse omnipotentem, & ex nihilo fecisse quidquid nunc est in rerũ natura, & in momento, sine labore, sine adjutore, sine instrumento, solo imperio suæ voluntatis omnia fecisse: non laborabimus in credẽdo, posse eundem Deum, omnes omnino defunctos ad sua propria corpora reuocare. Neque accidentia naturalia, v.g. parua statura, ætas infantilis aut senilis; aut vitia præternaturalia, quæ tunc aberunt, impedient, quo minus corpora illa sint eadem, quæ antea fuerunt. Ista siquidem non sunt de substantia corporis. Sic ergo homines paruæ admodum staturæ, & puerilis ætatis, etsi non resurgent cum eadem statura & ætate, tamen omnino erunt iidem homines, sed quales fuissent, si ad eam staturam vel ætatem peruenissent, vel eam non excessissent.

II Resurrectio carnis consideratur communiter quoad omnes homines, & singulariter quoad electos & reprobos. Quod attinet ad illa, quæ in resurrectione communia erunt electis & reprobis, ea sunt numero tria. Primo necesse est vt omnes resurgãt, tum pij, tum impij: vnde hæc resurrectio dicitur vniuersalis *Ezec.* 37. 1. *Cor.* 15. 1. *Thess.* 4. *Ap.* 22. Deinde eadem numero caro resurget. Vbi diligenter notandum est, quod in symbolo dicatur *carnis* resurrectio, non vero hominis vel corporis resurrectio. Nam si authores symboli (qui putantur fuisse apostoli) dixissent, *Hominis resurrectionem*, potuissent aliqui suspicari, totum hominem mori, quoad animum & quoad carnem. Id enim resurgit, quod mortuum est. Itaque ad tollendam suspicionem, & asserendam animæ immortalitatẽ, rectissime dictum est, *Carnis resurrectionem*. Rursus si dixissent authores symboli, *Corporis resurrectionem*, potuissent aliqui sibi persuadere, post resurrectionem nos habituros quidem corpora, sed aerea, non carnea, in quo errore olim fuit Eutychius patriarcha Constantinopolitanus. Porro in voce illa, *Resurrectionem*, significant apostoli, carnem in resurrectione non solum futuram esse veram carnem, sed eandem ipsam, quæ antea erat. Alioqui enim non potuisset dici resurrectio, sed nouæ rei productio.

Erit igitur resurrectio, & carnis ejusdem, & in sexu eodem: quia sexus pertinet ad identitatem istam numeri. Tertio omnes homines erunt immortales in resurrectione: quia, vt Dominus testatur *Iohan. 5.* justi resurgent in resurrectionem vitæ, injusti vero in resurrectionem judicii, hoc est, damnationis ad supplicia æterna. Ex quibus verbis colligitur manifestum discrimen, quod erit inter resurrectionem piorum & impiorum. Nam illorum corpora resurgent cum gloria & ad gloriam. *Matth. 22. Phil. 3. 1. Corinth. 15.* horum vero corpora resurgent cum ignominia & ad ignominiam sempiternam. *Esa. 66. Dan. 12. Matth. 25.* Hæc doctrina seruit consolationi & institutioni nostræ. Nam si corpora nostra resurgent, & quidem clarificata, non est quod trepidemus, si nobis occurrat tetra illa & horrifica mortis imago, spectrum illud & terriculamentum, quod est omnium terribilium terribilissimum. Cur enim trepidemus, vbi est permutatio nobilissima & vtilissima? Seritur corpus mortale, & resurgit immortale 1. *Cor 15.* Merito itaque dicimus cum apostolo, *Christus mihi est vita, mors lucrum. Phil. 1.* Mors non tollit animam, quia illa redit ad dominum, vt docet exemplum latronis in cruce & S. Stephani: neque etiam tollit corpus, sed illud extollit, quia per mortem ceu januam tendimus ad vitam, vbi corpora nostra lucebunt instar solis, & erunt velut aurora, quæ omnes res exhilarat sua amœnitate. Deinde quotidie resurgamus à peccatis, adeoq; morte animæ, si volumus resurgere ad vitam sempiternam, hoc est sancte & pie instituamus vitam nostram, vt desiderare potius possimus diem resurrectionis, quam timere.

Conclusio. Hac doctrina nos consolemur, ne cum Adriano imperatore necesse habeamus dicere. *Animula, vagula, blandula, Hospes, comesq; corporis, Quæ nunc abibis in loca, Horridula, frigida, nudula?* sed cum apostolo *Phil. 1. Cupio dissolvi, & esse cum Christo.*

CONCIO XIII.

Articulus symboli duodecimus.

Exordium In historia sancti martyris Stephani *Act. 7.* legimus, quodin supplicio suo crudelissimo viderit cœlos apertos, & Christum stantem ad dextram Patris. Hæc summa est consolatio, quæ homini in hac mortali vita potest contingere, si videre possit gloriam vitæ æternæ. Id vero omnes electi habent commune. Tametsi enim non vident apertos cœlos eodem gradu & mensura cum Stephano: omnes tamen habẽ prægustum vitæ æternæ, quę est vltimus finis non solum hominis Christiani, sed etiam hominis absolute. Atque ad hunc finem consequendum pertinent

omnia

omnia adjumenta, diuina & humana, concliones, sacramenta, libri sancti, virtutes, patres, doctores: quin etiam bona temporalia, leges ciuiles, magistratus, diuitiæ, dignitates, & in summa, omnes res creatæ. De hoc finem in præsentiarum instituemus dicere, atq; ita claudemus breuem & simplicem symboli nostri explicationem.

Propositio Duo breuiter considerabimus: primum, cur æterna beatitudo dicatur *vita*, & sempiterna infelicitas dicatur *mors*, cum tamen omnes omnino homines resurrecturi sint à morte ad vitam: deinde, quã magnũ bonũ sit vita æterna, & contra, quam ingens malũ mors æterna.

Tractatio. I. Quod attinet ad primum, illa dicuntur viuere, quæ seipsa mouent, illa dicuntur esse mortua, quæ seipsa mouere non possunt. Hinc enim & aquæ fluminum dici solent viuæ, & aquæ paludum mortuæ, quia illæ fluunt, istæ immotæ jacent, nisi forte à ventis moueantur. Sic igitur beati vitam habent, quia non tantum habent vitam naturæ, ita vt videant, audiant, loquantur, intelligant, ament, lætentur, atque alia peragant officia vitæ sine vllo impedimento: sed etiam quia possident vitam gloriæ, quemadmodum in hac vita possederunt vitam gratiæ in ecclesia. Consistit autem vita gloriæ in visione Dei Patris, quæ non sine causa dicitur beatifica. Huiusmodi enim visio est fruitio ipsius Dei, qui est summum bonum. E contrario reprobi dicuntur experiri & pati mortem æternam, quia licet retineant vitam naturæ, carent tamen vita gloriæ, quemadmodum in hac vita caruerunt vita gratiæ. Nimirum non mouebunt se ipsi ad officia vitæ illius, cum nec orare, neque Deum laudare, neque in Domino gaudere possint. Dicuntur etiam mortui, quia in tenebris & carcere jacent, ac in æternum jacebunt, quasi mortui in sepulchris: &, si quem motum intelligentiæ, voluntatis & sensuum habent, vt reuera habent, eum habent, non vt agãt, sed vt patiantur. Intelligunt enim infelicitatem suam, deplorant calamitatem suam, sentiunt ardorem ignis vrentis, & sulphuris bullientis, & vermis corrodentis. Denique sic viuunt, vt mortem semper exoptent, illamque quærent, sed non inueniant. *Apoc. 9.*

II. Si velimus scire, quã ingẽs bonũ sit vita æterna, intelligi hoc aliqua ex parte potest per cõparationem ad bona tẽporalia, quę ab omnibus naturaliter appetuntur. Quid enim optant communiter in hac vita mortales? Quoad corpus, bonam valetudinem, pulchritudinem, robur, atque agilitatem amant: quoad animam, qui recte sapiunt, optant cognitionem multarum rerum, virtutes animi, & complementum omnium desideriorum: quoad res externas, cupiunt diuitias, honores, potentiam, voluptates, amicos fideles, & denique vt nemo eis vllo modo nocere queat. Hæc omnia, & alia eminentiora, quæ desiderium nostrum supe-

superant, habebunt, qui vitam æternam habebunt. Pro bona valetudine corporali habebunt immortalitatem & impassibilitatem corporis. 1. Cor. 15. pro pulchritudine habebunt splendorem maximum. Matth. 13. pro agilitate corporis habebunt corpus spirituale. 1. Cor. 15. pro robore habebunt virtutem resistendi sine labore omnibus contrariis. Itaque non timebunt beati, neque dæmonum, neque hominum, neque vllius rei creatæ impetum. Quod attinet ad animi bona, erunt omnes beati pleni altissima sapientia, qua non solum intelligent naturas & proprietates rerum creatarum, sed etiam videbunt ipsam Dei essentiam & pulcherrimum illud Trinitatis speculum. 1. Joh. 3. Habebunt præterea voluntatem plenissimam gratia Dei, charitate perfecta, omnibusque virtutibus, & proinde in amicitia Dei adeo confirmati erunt vt ne minimum quidem peccatum vltra committere velint aut possint. Denique completa erunt omnia ipsorum desideria, & ea pace fruentur, quæ superat omnem sensum. Quod ad res externas, diuitiæ illorum erunt, nulla re prorsus indigere. Erit enim Deus omnia in omnibus. 1. Cor. 15. atque hæ solæ sunt veræ diuitiæ. Honor eorum, ac dignitas, sublimissima erunt. Vocabuntur enim *filii, & hæredes Dei, cohæredes autem Christi. Rom. 8.* & cum ipso regnabunt in secula seculorum. Voluptas autem & gaudium tale erit, vt nulla lingua explicari possit. Ideo non dicetur. Intret in te gaudium Domini, sed, *Intra in gaudium Domini tui Matth. 25.* Potentia quoque ejusmodi erit, vt omnipotentia quædam nominari possit. Sic enim conjunctæ erunt voluntates eorum cum voluntate Dei, vt illa omnia velint, quæ Deus volet. Denique conjuncti erunt arctissima & indissolubili amicitia cum omnibus sanctis angelis & hominib. & omnes eorum persecutores & hostes, dæmones & homines mali, non erunt in aliquo loco ipsis propinquo, sed in profundissima abysso, ita vt nullum periculum ab iis timeri possit. Hæc est igitur summa bonorum, quæ in duabus illis vocibus continetur, *vitam æternam*. Aberit ibi omne malum, putà peccatum, paupertas, contemtus, dolor, exilium tristitia, labor, & curarum contrario aderit omne bonum, æterna justitia, æterna valetudo, æternæ diuitiæ, æternum gaudium, æterna gloria, æterna lux, æterna quies &c. Hinc admodum magnifice describitur gaudium vitæ æternæ. *Esa. 65. & 66.* ipsius gloria *Joh. 17. Col. 3.* visio ejusdem. *Joh. 19. 1 Joh. 3* diuitiæ. *Matth. 25. 1. Cor. 15. 1. Pet. 1. Apoc. 7. & 21.* sapientia. *1 Cor. 13.* claritas *Matth. 13. Apoc. 7.* denique cohabitatio Dei. *Joh. 14.* Atque hæc sunt testimonia vitæ æternæ, quæ nobis suppeditat S. Scriptura. Præter hæc sunt etiam duo infallibilia testimonia vitæ æternæ, videl. internum testimonium Spiritus S. in cordibus nostris, adeoque pax, gaudium & exultatio in Deo. *Rom. 8. Eph. 1. 1 Joh. 5. Psal. 42. 63. 84.* & studium sanctimoniæ, quod est initium vitæ æternæ, quia hoc modo versa-

mur

mur in cœlis. *Phil.3.* Porro mors æterna non solum est carentia omnium bonorum, quæ modo enumerauimus, sed est etiam cumulus malorum omnium, quæ in Scripturis dicuntur tenebræ exteriores, vermis qui nunquam moritur, fletus & stridor dentium, denique stagnum ignis & sulphuris. *Matth.8. & 13. Marc.9. Apoc.20. & 21.* Quæ omnia frequenter & diligenter in timore Dei considerare debemus, ne tam incredibili auiditate temporalia bona, & sensuum carnalium oblectamenta quæramus, & bona sempiterna negligamus, profecto si bene nosſemus, vel serio consideraremus bona vitæ æternę, & mala mortis æternę, longe aliter vitam nostram instituemus, quam vulgo fit. Sed videamus consolationem, quę ex hoc articulo ad nos redit. Omnis in vniuersum consolatio in vita & in morte scaturit ex considèratione vitę æternę, tanquam ex fonte. Principio confer vitam hanc mortalem cum vita æterna. Illa est plena molestiæ *Psal.90.* hęc est plena lætitię. Deinde si amittis bona temporalia, honorem, vitam, & quidquid tibi est charum in hoc mundo, hæc omnia tibi restituentur in vita æterna cum millecuplo fœnore. Contristat te peccatum? Illud abolebitur in vita æterna. Cõtristat te crux? Ah illa nihil est, si ponatur in bilance cum vita æterna. *1.Cor.4. Rom.8.*

Conclusio. Quemadmodum læto lubentique animo loquimur & alios loquentes audimus de vita nostra animali ejusque prorogatione & conseruatione: ita libenter loquamur & alios loquentes audiamus de vita æterna. Et quemadmodum studiosissime vitamus ea, quæ vitę nostræ vim aliquam adferre nouimus; ita vitemus peccata, quæ inimica sunt vitę æternę, & in vtero suo gestant mortem æternam. Ah inchoemus hic vitam æternam! paremus nobis vestem nuptialem! meminerimus nos esse hic peregrinos, neque habere hic permanentem ciuitatem? *2. Cor. 5. Hebr.13.*

CONCIO XIV.

Præfatio Decalogi.

Exordium. Quemadmodum princeps subditis suis præscribit leges fundamentales, quibus nititur salus reip. ita Deus, rex ille regum, & dominus dominantium populo suo præscripsit leges, de quibus longe rectius possumus vsurpare illud, quod Cicero de legibus duodecim tabularum pronuntiat, illas videl. omnes philosophorum bibliotheças complecti. Ad harum legum explicationem & applicationẽ jam nunc descendimus. Postquam enim de fide egimus in symbolo, consequens est, vt de vita, sine de bonis operibus, adeoq; fructib. fidei aggrediamur dicere. Cæterum

decalogus, siue lex Dei absoluitur præfatione, & præceptorum recitatione. Nos hac vice præfationem explicabimus.

Propositio. Commemorabimus causas, cur Deus legi suæ hanc præfationem voluerit præmittere.

Tractatio. Duæ sunt hujus rei causæ. I. Deus voluit legi suæ conciliare authoritatem. Ideo dicit, *Ego sum Dominus*, seu Jehova: hoc est, Ego non sum legislator terrenus, sed verus Deus, rex regum, cui soli competit summa & absoluta potestas ferendi leges, quæ obligent vniuersum genus humanum. Ego sum dominus omnium. Jure igitur omnibus do leges. Ego sum rex æternus. Jure igitur do. leges æternas. Ego sum ex justitiæ. Non igitur possum præscribere leges injustas, sed quidquid præcipio, id omne est sanctum, justum & æquum. Unde sequitur decalogum esse cynosuram omnis justitiæ & æquitatis apud homines, ideoque jurisprudentiam esse examinandam juxta has Dei leges, quibus nihil sanctius, nihil vtilius potest excogitari. Nimirum vt Deus est scaturigo omnis justitiæ & sanctitatis: ita decalogus est fons omnium legum, quæ dicuntur morales. II. Deus voluit nostros animos sibi conciliare. Ideo dicit, *Deus tuus.* q.d. sum Deus, qui te amat, tibi bene vult, tibi bene facit, suamque potentiam & misericordiam conuertit ad salutem animę & corporis tui. Hoc enim est esse alicujus Deum, vt colligitur ex *Psal 33. & Esa. 41. & 43.* Quemadmodum itaque vox *Dominus* sonat majestatem, ita vox *Deus tuus* notat suauitatem & consolationem. Porro verba illa, *Qui eduxi te* &c. illustrant vtrumque illum titulum, quem Deus sibi tribuit. Nam Deus educendo populum suum ex Ægypto, testatam fecit partim majestatem & omnipotentiam suam, partim bonitatem & clementiam. Quid vero, inquies, illa verba ad nos pertinent? Resp. Deus voluit commemoratione insignis illius beneficii populo suo ante oculos ponere redemtionem illam, qua Christus nos eduxit ex domo seruitutis plus quam Ægyptiacæ Pharaonis infernalis. Ex his efficitur, præfationem istam repetendam esse ad singula decalogi præcepta, idque per modum enthymematis: v.g. Ego sum Dominus Deus tuus. Ergo non habebis deos alienos coram me. Item: Ego sum Dominus Deus tuus. Ergo non facies tibi sculptile: non assumes nomen Domini in vanum &c. Hæc quippe est causa, cur Deo obedire debeamus, quod ille sit Dominus Deus noster. Hoc perpendant illi, qui legem Dei vilipendunt. Non est ipsis negotium cum legislatore terreno, qui neque est omniscius, neque omnipotens. Deinde quia legislator est Deus noster, bene speremus de ipsius misericordia, quod nobis sit daturus vires, vt legem, quam dedit, seruemus.

Conclusio. Quoties recitamus aliquod decalogi præceptum, debemus

hæc

hæc mia meminisse, quis sit legislator, quanto nos complectatur amore, & quanta beneficia nobis exhibuerit.

CONCIO XV.

Primum decalogi præceptum.

Exordium. Septem inprimis sunt argumenta, quæ commendant decalogum. *Primo* quidem, quia hæc lex à Deo est lata, & duabus tabulis incisa. *Secundo* quia est antiquissima omnium legum, & veluti reliquarum fons & origo. *Tertio* quia est generalissima, ita vt obliget omnes in vniuersum homines, Christianos & paganos, itemque Judæos; viros & fœminas; diuites & pauperes; principes & subditos; doctos & indoctos. *Quarto* quia hæc lex est immutabilis, nec hominis cuiusquam dispensationem admittit. *Quinto* hæc lex ad salutem æternam omnibus est necessaria: & si obseruetur, vtilis est ad omnis generis benedictiones temporales à Deo impetrandum. *Deuteron.* 28. *Sexto*, quia maxima cum solennitate in monte Sinai fuit promulgata, tubis nimirum angelicis personantibus, item cum tonitru & fulgure in populi Dei præsentia. *Denique* quia est ordine breuissimo & diuinissimo concepta. Quod attinet ad breuitatem, illa neque obscuritatem, neque imperfectionem parit. Ordinis accuratio in eo cernitur, quod summa diuisio decalogi est optima, & insignis inter omnia & singula præcepta est connexio. Primo enim decalogus diuiditur in duas tabulas, quia homo velut in medio positus est inter Deum & proximum & vtriq; est obligatus, illi tanquam patri, huic tanquam fratri. Hinc itaq; decalogus in priori tabula agit de obligatione hominis erga Deum, in posteriori de obligatione eiusdem erga proximum. Vnde discimus, nostri officii esse, quotidie vitam nostram examinare, & dispicere ordine, an Deo & proximo tribuerimus id, quod ipsis debetur. Connexio singulorum præceptorum ita habet. *In primo præcepto* Deus à nobis requirit fiduciam, adeoque cor nostrum sibi consecrari postulat: *in secundo* vult, vt internum nostrum affectum ergo ipsum manifestemus gestibus externis: *in tertio*, vt ipsum honoremus verbis, quatenus illa sunt indicium amoris & fiduciæ, quam in ipso collocamus: *in quarto*, vt solenniter nostrum animum erga ipsum prodamus. In secunda tabula primum locum occupat *præceptum de honorandis parentibus*, quia secundum Deum nihil est, quod nobis magis sit addictum & bene cupiat, quam parentes, qui nos in hanc lucem edunt, & vitam animalem ceu organa Dei largiuntur. De vitæ istius defensione agit *præceptum sextum*; quod si violetur, omnes vitæ humanæ status, qui in præcepto quinto sunt

decalogus, siue lex Dei absoluitur præfatione, & præceptorum recitatione. Nos hac vice præfationem explicabimus.

Propositio. Commemorabimus causas, cur Deus legi suæ hanc præfationem voluerit præmittere.

Tractatio. Duæ sunt hujus rei causæ. I. Deus voluit legi suæ conciliare authoritatem. Ideo dicit, *Ego sum Dominus*, seu Jehova: hoc est, Ego non sum legislator terrenus, sed verus Deus, rex regum, cui soli competit summa & absoluta potestas ferendi leges, quæ obligent vniuersum genus humanum. Ego sum dominus omnium. Jure igitur omnibus do leges. Ego sum rex æternus. Jure igitur do. leges æternas. Ego sum ex justitiæ. Non igitur possum præscribere leges injustas, sed quidquid præcipio, id omne est sanctum, justum & æquum. Unde sequitur decalogum esse cynosuram omnis justitiæ & æquitatis apud homines, ideoque jurisprudentiam esse examinandam juxta has Dei leges, quibus nihil sanctius, nihil vtilius potest excogitari. Nimirum vt Deus est scaturigo omnis justitiæ & sanctitatis: ita decalogus est fons omnium legum, quæ dicuntur morales. II. Deus voluit nostros animos sibi conciliare. Ideo dicit, *Deus tuus*. q.d. sum Deus, qui te amat, tibi bene vult, tibi bene facit, suamque potentiam & misericordiam conuertit ad salutem animę & corporis tui. Hoc enim est esse alicujus Deum, vt colligitur ex *Psal 33. & Esa. 41. & 43.* Quemadmodum itaque vox *Dominus* sonat majestatem, ita vox *Deus tuus* notat suauitatem & consolationem. Porro verba illa, *Qui eduxi te* &c. illustrant vtrumque illum titulum, quem Deus sibi tribuit. Nam Deus educendo populum suum ex Ægypto, testatam fecit partim majestatem & omnipotentiam suam, partim bonitatem & clementiam. Quid vero, inquies, illa verba ad nos pertinent? Resp. Deus voluit commemoratione insignis illius beneficii populo suo ante oculos ponere redemtionem illam, qua Christus nos eduxit ex domo seruitutis plus quam Ægyptiacæ Pharaonis infernalis. Ex his efficitur, præfationem istam repetendam esse ad singula decalogi præcepta, idque per modum enthymematis: v.g. Ego sum Dominus Deus tuus. Ergo non habebis deos alienos coram me. Item: Ego sum Dominus Deus tuus. Ergo non facies tibi sculptile: non assumes nomen Domini in vanum &c. Hæc quippe est causa, cur Deo obedire debeamus, quod ille sit Dominus Deus noster. Hoc perpendant illi, qui legem Dei vilipendunt. Non est ipsis negotium cum legislatore terreno, qui neque est omniscius, neque omnipotens. Deinde quia legislator est Deus noster, bene speremus de ipsius misericordia; quod nobis sit daturus vires, vt legem, quam dedit, seruemus.

Conclusio. Quoties recitamus aliquod decalogi præceptum, debemus hæc

hæc tria meminisse, quis sit legislator, quanto nos complectatur amore, & quanta beneficia nobis exhibuerit.

CONCIO XV.

Primum decalogi præceptum.

Exordium. Septem inprimis sunt argumenta, quæ commendant decalogum. *Primo* quidem, quia hæc lex à Deo est lata, & duabus tabulis incisa. *Secundo* quia est antiquissima omnium legum, & veluti reliquarum fons & origo. *Tertio* quia est generalissima, ita vt obliget omnes in vniuersum homines, Christianos & paganos, itemque Judæos; viros & fœminas; diuites & pauperes; principes & subditos; doctos & indoctos. *Quarto* quia hæc lex est immutabilis, nec hominis cuiusquam dispensationem admittit. *Quinto* hæc lex ad salutem æternam omnibus est necessaria: & si obseruetur, vtilis est ad omnis generis benedictiones temporales à Deo impetrandum. *Deuteron.* 28. *Sexto*, quia maxima cum solennitate in monte Sinai fuit promulgata, tubis nimirum angelicis personantibus, item cum tonitru & fulgure in populi Dei præsentia. *Denique* quia est ordine breuissimo & diuinissimo concepta. Quod attinet ad breuitatem, illa neque obscuritatem, neque imperfectionem parit. Ordinis accuratio in eo cernitur, quod summa diuisio decalogi est optima, & insignis inter omnia & singula præcepta est connexio. Primo enim decalogus diuiditur in duas tabulas, quia homo velut in medio positus est inter Deum & proximum & vtriq; est obligatus, illi tanquam patri, huic tanquam fratri. Hinc itaq; decalogus in priori tabula agit de obligatione hominis erga Deum, in posteriori de obligatione eiusdem erga proximum. Unde discimus, nostri officii esse, quotidie vitam nostram examinare, & dispicere ordine, an Deo & proximo tribuerimus id, quod ipsis debetur. Connexio singulorum præceptorum ita habet. *In primo præcepto* Deus à nobis requirit fiduciam, adeoque cor nostrum sibi consecrari postulat: *in secundo* vult, vt internum nostrum affectum ergo ipsum manifestemus gestibus externis: *in tertio*, vt ipsum honoremus verbis, quatenus illa sunt indicium amoris & fiduciæ, quam in ipso collocamus: *in quarto*, vt solenniter nostrum animum erga ipsum prodamus. In secunda tabula primum locum occupat *præceptum de honorandis parentibus*, quia secundum Deum nihil est, quod nobis magis sit addictum & bene cupiat, quam parentes, qui nos in hanc lucem edunt, & vitam animalem ceu organa Dei largiuntur. De vitæ istius defensione agit *præceptum sextum*; quod si violetur, omnes vitæ humanæ status, qui in præcepto quinto sunt

fundati, penitus periclitantur. Porro, quia homo post vitã animalem nullum habet majus clinodium & ornamentum quam castitatem, *in præcepto septimo* prohibetur omnis generis impuritas. Et quia post castitatis studium nihil magis commendat hominem quam integritas & justitia in contractibus *præceptum octauum* prohibet furtum. *Nono præcepto* prohibetur injustitia in verbis, quemadmodum in octauo injustitia in contractibus. *In decimo præcepto* est generalis clausula, quæ se extendit ad totam secundam tabulam, & docet modum frænandi seu castigandi nostras cupiditates. Unde intelligimus, quam sapienter supremus legislator decem ista præcepta disposuerit. Sed videamus singula præcepta.

Propositio. Hac vice considerabimus primum præceptum, & in eo (vt & in sequentibus) hunc seruabimus ordinem, vt primo purã doctrinam seu geminum sensum, deinde verum vsum præcepti adferamus. Rursus in sensu eruendo videbimus partem negatiuam, seu vitia, quæ Deus prohibet; deinde partem affirmatiuam, seu virtutes & bona opera, quæ Deus præcipit. In vsu ostendemus, quomodo imago Dei per singula præcepta instauretur, quomodo Christus sit exemplar istius imaginis, & quomodo imago diaboli opponatur imagini Dei, additis exemplis eorum, qui gestarunt fœdam istam diaboli imaginem.

Tractatio. I. Pars negatiua. Hic primo explicabimus illam quæstionem, Cur Deus in decalogo fere meadhibuerit formulas interdictorũ? Sunt autem duæ huius rei causæ: primo, quia natura nostra magis est propensa ad malum, quam ad bonum. Quemadmodum itaq; liberis & discipulis inobedientibus primo interdicimus, deinde præcipimus: ita & Deus nobiscum agit. Deinde voluit Deus hoc modo nos docere ordinem, qui in pœnitentia est seruandus. Ibi enim oportet primo desinere à malo, & deinde facere bonum. *Psal.* 34. *Esa.* 1. Oportet vt prius imago Diaboli exturbetur, quam imago Dei in corde nostro collocetur. Ita Deus in primo præcepto ait: *Non habebis deos alienos coram me*, h.e. nullam creaturam in cœlo vel in terra tanto amore, timore vel fiducia honorabis, quanto Deus est honorandus. Cor tuum non adhærebit, vel acquiescet vlla in re, quæ non est Deus. Non itaq; facies idolum ex donis tuis, puta ex sapientia, eruditione & eloquentia tua: non ex diuitiis tuis, non ex amicis tuis, non ex principibus, ita vt fiduciam tuam in iis colloces. Non consules diabolum, & ipsius juratos ministros. Non vagaberis fide tua extra oleas verbi Dei. In summa, fugias omne id, quod te abducit à Deo, & deducit ad id, quod non est Deus. Hæc enim est interna illa & occulta idololatria, de qua Dominus *Jer.* 17. ita pronuntiat: *Maledictus omnis qui confidit in homine.* Prohibentur itaq; hoc loco ignoratio Dei, infidelitas, desperatio, odiũ Dei, timor Dei seruilis, superbia coram Deo, impatientia, inconstantia in cultu & amore Dei.

II. Pars

II. Pars affirmatiua. Octo virtutes hic præcipiuntur, hoc ordine. Primo vera Dei cognitio; & qua secundo loco pullulat fides; vnde manat Spes; ex qua oritur charitas; inde nascitur timor Dei; hinc humilitas coram Deo; inde patientia; quæ parit perseuerantiam *Circa cognitionem Dei* quæritur. 1. Quid sit? Lumen in intellectu, de Dei essentia, operibus & voluntate. 2. Quotuplex sit? Naturalis, hausta ex libro naturæ, speculo illo maiestatis Dei: & supernaturalis, quæ petitur ex libro scripturæ. *Psalm. 19.* 3. Quid nos debeat impellere ad cognitionem Dei? Finis, ad quem creati sumus: æquitas & lex naturæ, quæ iubet agnoscere benefactorem: deniq; vtilitas, *Iohan. 17. 4.* Quomodo peruenire possimus ad veram Dei agnitionem? Per inspectionem operum Dei, meditationem verbi eius, precationem ardentem, & operationem Spiritus S. *De fide* quæritur. 1. Quid sit? Fiducia, quam collocamus in Deo, tanquam Patre nostro. 2. Quæ sint fundamenta fidei? Dei misericordia in Christo, verax ipsius promissio, & omnipotentia. 3. Quis sit lydius lapis, siue quæ sit proba fidei? Charitas & cruc. *Gal 5. 1 Pet. 1. Esa. 48. De spe* quæritur. 1. Quid sit? Indubitata expectatio complementi promissionum Dei. 2. Quæ sint eius proprietates? In media cruce expectare liberationem: &, si Deus non auferat vel mitiget crucem certo statuere, fore vt Pater noster cœlestis humeros suos supponat nostræ calamitati, & illam ad optimum finem dirigat. *De charitate* quæritur. 1. Quid sit amare Deum? Illum ceu summum bonum intimo affectu complecti; idque non ob vtilitatem & mercedem aliquam, sed ideo, quia ille est summum bonum, & quia nos prior dilexit: adeoque illius voluntatem facere, & in ipso solo quiescere, neque ab illo deficere in cruce. 2. Quomodo peruenianus ad amorem Dei? Si maiestatem & beneficia ipsius meditemur. *De timore Dei* quæritur. 1. Quid sit timere Deum? Eum tanquam Patrem reuereri, & ideo quam solicitissime cauere, ne in conspectu ejus scientes volentes patremus aliquod peccatum. 2. Quomodo peruenire possimus ad timorem Dei? Si naturam Dei, & vtilitates timoris ejus consideremus. *De humilitate coram Deo* quæritur. 1. Cur illi sit studendum? Quia hoc postulat infirmitas nostra, item vtilitas hujus virtutis, & exemplum Christi atque omnium sanctorum. 2. Quomodo peruenianus ad hanc virtutem? Si instituamus collationem hominis cum Deo, & nostri ipsorum cum alijs hominibus. *De patientia* quæritur. 1. Cur illi sit studendum? Quia crux est breuis, vtilis, & à Deo prouisa nobisque imposita. 2. Quomodo ad illam pertingamus? Per preces ardentes, abnegationem nostri ipsorum, & imitationem Christi. *De perseuerantia* quæritur. 1. Quodnam sit illius fundamentum? Promissio Dei. *Iohan. 10. 14. 17. Luc. 22. Phil. 2.* 3. Quomodo ad hanc virtutem perueniatur? Si cogitetur, quod perseuerantia sit corona omnium virtutum. *Matt. 24.* & à Deo insigne hoc donum quotidie petatur.

III. Vsus primi præcepti consistit in exercitatione fidei, spei & reliquarum virtutum, quæ in eo est posita vt imitemur Christum, adeoque dispiciamus, quomodo imago Dei in hoc præcepto ostendatur, perque illud recuperetur, & quomodo Christus fuerit exemplum imaginis Dei, denique quam turpis sit imago diaboli, oppositæ imagini Dei, & quam turpe sit exemplum hujus imaginis in impijs. Considera igitur anima mea, quam pulchra sit imago Dei in corde tuo *cognitio Dei*, in qua consistit vita æterna. *Io.17* quam pulchrum exemplum hujus imaginis Dei sit Christus, qui cognouit Patrem *Ioh.8.* quam turpis & caliginosa sit illa imago diaboli, quæ consistit in ignoratione veri Dei, vt docet exemplum gentilium *Rom.1.* qui imaginem Dei inuisibilis transformarunt in imaginem rerum visibilium & corruptibilium. Considera quam pulchra *imago Dei* sit vera fides, quæ nos vnit Deo Patri, Filio & Spiritui Sancto, facitque vt simus Filij Dei *Ioh.1.* & adipiscamur vitam æternam. *Ioh.3.* Hæc imago Dei admodum illustris fuit in Christo. *Esa.11.* qui in passione sua fiduciam omnem collocauit in Deo, & illa tanquam cingulo seipsum & Deum suum complexus est & circumcinxit. E contrario infidelitas est fœdissima illa diaboli imago, qua fit vt homo à Deo benefactore suo deficiat, & vna cum diabolo præcipitetur in æternam miseriam. Porro expende, anima mea, quam pulchra Dei imago sit *spes*, quæ non confundit, sed expectat complementum promissionum Dei *Psal.25.* Quam pulchrum exemplar hujus virtutis fuit Christus in vita & in morte? Quam fœda imago Diaboli est desperatio, quæ Judam adegit ad laqueum? Videamus etiã *charitate erga Deum.* In hac potissimum consistit imago Dei; quia Deus est charitas; & qui manet in charitate, manet in Deo. Viua hujus imaginis Dei imago & pictura fuit Christus, qui nil nisi amor fuit. O speciosam hanc imaginem! ô pulchrum exemplar! E contrario quam turpis est illa imago Diaboli, odium Dei & proximi, qui sunt duo flammei oculi impiorum, puta Caini, Saulis, Judæ. Quid hic dicam de *timore Dei?* Hæc virtus est illa imago Dei in cordibus nostris, qua ille, creator & patronus noster, vnice delectatur. *Malach 1. Luc.2.* Hæc est initium sapientiæ. *Prou.1.* Exemplum hujus imaginis est Christus. *Esa.11.* Si vero exulet timor Dei, dici non potest, quã fœda imago Diaboli regnet in corde hominis. Intellige timorem filialem. Nam timor Dei seruilis est imago diaboli: quia diabolus, Cain & alij Deum non timent, vt benignum Patrem, sed vt iratum judicem. Porro quam pulchra pars imaginis Dei est *humilitas?* Per hanc enim homo nihil fit coram Deo, vt Deus in ipso fiat omnia. Quam insigne humilitatis exemplum habemus in Christo! *Matth.11.* Quam fœda imago diaboli est superbia! Hæc enim hominẽ à Deo abalienat, à cœlo præcipitat, omnis generis benedictionibus orbat: vt lapsus diaboli & protoplastorum, itemq;

Pharao-

Pharaonis & Nebucadnezaris exemplum nos docet. Ex humilitate sequitur *patientia*, quæ non est infima pars elegantissimæ imaginis Dei, cum per illam nos totos Deo cõsecremus & offeramus. Hac sua imagine supra modum delectatur Deus. *Thren. 3.* Hæc imago Dei facit, vt Deo assimilemur per fortitudinem Spiritus. *Esa. 30.* Vide, amabo, anima mea, quam pulchra imago Dei fuerit patientia Christi. *Esa. 53.* Rursus vide, quam deformis imago diaboli, sit impatientia & murmur Israelitarum in deserto. Caue, gestes deformissimam illam imaginem. Ad extremum contemplare *perseuerantiam in amore Dei.* O quam pulchra est hæc imago Dei tui! Nam qui perseuerat vsque ad finem, is demum est beatus, & cum Deo conjungitur. *Matth. 24.* is accipit coronam vitæ. *Apoc. 2.* aduersus illum non præualent portæ inferorum. *Matth. 16.* Quam pulchrum speculum hujus cõstantiæ est Christus in cruce pendens, Deoque Spiritum suum commendans! Ex aduerso inconstantia est terribilis imago diaboli, qui non perstitit in veritate, sed à Deo desciuit. Hanc imaginem Satanæ toto pectore abominemur, neque similes fiamus Judæ proditori, & Apostatæ illi Juliano, illorumque similibus.

Conclusio. Audiuimus hanc esse Dei voluntatem in hoc præcepto, vt nullam rem creatam pro deo habeamus, non solem, lunam, sapientiam nostram, opes, voluptates, amicos, vel etiam diabolum, vt faciunt gentiles, superbi, auari, voluptuarij & denique magi: sed vt ipsum solum pro Deo nostro habeamus, quod fit, quando in tribus illis virtutibus cardinalibus, fide, spe & charitate, nos exercemus. Nam si credimus in Deum, agnoscimus illum pro Deo, qui est summa veritas. Si speramus in Deum, habemus illum pro Deo, qui est fidelissimus, clementissimus & potentissimus, & confidimus, quod in omnibus necessitatibus & velit, & possit nobis ferre opem. In quo peccant illi, qui desperant de misericordia Dei, aut in hominem magis sperant quam in Deum, aut certe homini perinde, vt Deo confidunt. Porro si diligimus Deum super omnia, Deum vtiq; pro Deo habemus, id est, pro summo bono, quod est summe amabile, agnoscimus. In quo peccant grauiter, qui quamlibet creaturam, aut præ Deo, aut Deo æqualiter diligunt: grauius vero, qui odio Deum habent. Ex tribus his virtutibus conflata est religio nostra, quæ facit vt Deum summa cum reuerentia colamus, agnoscendo illum principium & authorem omnium bonorum, amando ipsum tanquam nostrum patrem, & seruiendo ipsi tanquam Domino nostro optimo & maximo. Quoniam vero hæc non sunt in nostra potestate, oremus Deum vt per Spiritum S.

primum hoc primæ tabulæ præceptum inscribat
cordibus nostris.

CONCIO

CONCIO XVI.

Secundum Decalogi præceptum.

Exordium. Deus legem suam digitis suis insculpsit lapideis tabulis, idque secundum *Exod.31.* Quo ipso voluit nos docere, corda nostra esse lapidea, quæ nonnisi per ipsius digitum fieri possint carnea *Ezech.36.1. Corinth.3. Jer.32.* & quod bis inscribat legem cordibus nostris: primo in creatione, deinde in regeneratione. Sicut enim Moses fregit priores tabulas: ita & nos fregimus tabulam legis primæuæ. Oportet itaque vt Deus denuo suam legem inscribat cordibus nostris, si debeamus saluari. Hoc cum in omnibus præceptis, tum in hoc secundo maxime est necessarium: quia vanitas crassæ idololatriæ maximam hominum partem dementauit.

Propositio. Explicabimus igitur hoc secundum Decalogi præceptum, nobisque applicabimus methodo consueta.

Tractatio. I. *Pars negatiua.* In hoc præcepto est interdictum, & ratio interdicti. Interdictū est in illis verbis, *Non facies tibi sculptile*, &c. In primo præcepto Deus præcipit, ne rem aliquam creatā pro deo habeamus, sed in ipso solo fiduciam omnem collocemus. Hic testatur, se nolle vt formemus sculpamusque rem aliquam, qua ipsum repræsentemus, aut in qua illum colamus. Qua in re peccarunt olim gentiles, qui sibi fabricarunt varia idola ex auro, argento, ligno & marmore: & hodie peccant, qui nescio quas imagines Dei & sanctorum, & crucē Christi, reliquias martyrū, & similia adorant: denique illi qui non cultus, sed repræsentationis causa imaginem Dei in templis & domibus collocant. Quæ omnia partim sint impia, quippe contra expressum Dei mandatum: partim ridicula. *Psal.115.* Ratio interdicti est triplex. 1. A natura Dei: *Ego sum Deus tuus fortis zelotes*, quasi dicat. Cur non obedires mihi, qui *sum Deus tuus*, benefactor & pater tuus: qui *sum fortis zelotes*, ita vt & justo zelo exardescam, & zelum meum exercere illiusque vires exserere queam, ita vt non sit vana mea ira. Zelo itaque Deus ducitur instar parentis, sponsi & martyrij, qui exardescunt Zelo, quando vident vel filium, vel sponsam, vel vxorem seduci. 2. A comminatione: *Visitans peccata patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me.* Magnus sane hic est zelus, Magnus iræ Dei ignis, quo conflagrauit Saul vna cum tota sua familia; qui corripuit Eli & ipsius filios; qui maledictionem minatur fructui ventris impiorum. *Deut.28.* Neque tamen hic violatur lex illa. *Filius non portabit iniquitatem Patris:* quia hoc intelligitur partim de pœna æterna; partim de filio, qui non communicat peccato parentis. 3. A promissione: *Et faciens misericordiam in milleſimam generationem illorum, qui diligunt me, & custodiunt præ-*

cepta

septa mea. Ex his videmus, Dei misericordiam nos debere inuitare ad obseruationem hujus mandati. Misericordiam dico, quæ multo major est, quam ipsius ira. Nam Deus nonnisi in eos posteros vult vindictam suam descendere, quos vita sua peccator poteſt attingere (homo enim nonnisi filiorum suorum nepotes, aut abnepotes videt, licet diu in viuis maneat), è contrario autem pijs non modo in tertiam aut quartam generationem exhibet bonitatem suam, sed eandem in millesimam generationem vsque se extensurum promittit. Quia nempe Dominus noster est promptior in præmium, quam in pœnam: & quia remuneratio, ab illius bonitate intrinsece fluit, cum punitio externe proueniat à nostris peccatis, ita vt Deus veluti coacte puniat, nostra nimirum malitia impulsus. Vide *Psal. 37. 112. 127.* Cur vero hæc sanctio huic præcepto peculiariter est addita? Resp. Quia homines ferme sunt eo ingenio, vt vltro & certatim ruant ad crassum istud idololatriæ genus, inque illo sibi placeant tanquam parte cultus Dei.

II. Pars affirmatiua. Dei voluntas est, vt adhibeamus illos ritus, gestus, ceremonias & adminicula in cultu ipsius, quæ quã longissime absunt ab idololatria & superstitione, siue precemur, siue verbum ipsius audiamus, siue sacramenta administremus, siue juremus, siue jejunemus, siue voueamus votum, &c.

III. Vsus. Vtere doctrina hujus præcepti ad exercitationem spiritualem in puritate ceremoniarum externarum, quibus deuotionem tuam deuote significes. Cogita imaginem Dei consistere in elegantia, non in deformitate ceremoniarum: in deuotione, non in superstitione: in sanctitatis & justitiæ ipsius imitatione & repræsentatione, non in repræsentatione per imagines lapideas, ligneas, chartaceas, aureas. Exemplum vtriusque hujus puritatis, tum circa ceremonias sacras, tum in vita tua, habes in Christo seruatore tuo. Ad quam pulchra fuit simplicitas Christi docentis in templo, orantis in horto, gratias agentis in mensa! Ex aduerso, quam deformis & turpis imago diaboli est multitudo idolorũ, & illorum veneratio! quam illa est ridicula! quam noxia! Intuere gentes, quæ exercitum cœli & terræ vniuersum varijs imaginibus expresserunt, & coluerunt. Vide reliquias sanctorum, & alia deliramenta Antichristi magni. Hæc, inquam, vide, anima mea, & sepem hujus præcepti, videlicet sanctionem Dei tui diligenter perpende: ne forte scorteris cum sculptilibus, & tuam pudicitiam prostituas.

Conclusio. Audiuimus voluntatem Dei in hoc præcepto. Nostri officij est, illam cognoscere, & cognitam facere, & vtrumque illud à Deo precibus impetrare. Hic enim legislator noster est dissimilis legislatorum

mundanorum, qui mandant aliquid, sed non dant vires, quibus fieri possit quod mandant.

CONCIO XVII.

Tertium Decalogi præceptum.

Exordium. Historia illa *Leuit. 24.* de pœna blasphematoris, est memorabilis explicatio tertij præcepti.

Propositio. Methodum tripartitam sequemur in hujus præcepti enarratione, quemadmodum fecimus in duobus præcedentibus.

Tractatio. I. Pars negatiua. Nomen Dei est ipse Deus. *Ps. 48.* & omne id, quod verbum ejus de ipsius natura docet, quod videlicet sit omnipotens, misericors, justus, creator cœli & terræ, redemtor & sanctificator generis humani; quodque eam ob causam sit dignus honore. *Exod. 34. Esa. 42. Jer. 32.* Assumere autem nomen Dei in vanum est abuti sacrosancto ipsius nomine, vel leuitatis causa, vel ad confirmationem idololatriæ, falsæ doctrinæ, mendacij, fraudis, magiæ blasphemiæ. Quod peccatum adeo est abnorme, vt Deus huic præcepto peculiarem appenderit commination em. Cogita, quæso, quam graue sit peccatum falsam doctrinam introducere sub specie nominis Dei! mendacium confirmare per nomen Dei! homines fallere sub prætextu nominis Dei! Perinde hoc est, atque si famulus regis aut principis injustitiam, homicidium, & alia id genus vitia, velit patrare sub nomine & mandato domini sui, qui abhorret ab istiusmodi sceleribus. Meminerimus, Deum esse omnipotentem, justum & omniscium, ac proinde illum non habeamus pro impotente, injusto, & non satis gnaro illarum rerum, quæ à nobis geruntur. Vitemus studiose blasphemiam nominis Dei, temerariam ejus enunciationem, perjurium, votum impium aut temerarium, & denique incantationem: quæ peccata diabolus ex faucibus impiorum solet euomere.

II. Pars affirmatiua. Virtutes hic præcipiuntur numero sex. *Prima* hujus præcepti virtus est honorifica nominis Dei enuntiatio, qua fit, vt nomen Dei, & titulos, qui illi tribuuntur in Scriptura, non proferamus sine deuotione & reuerentia, dissimiles illorum, qui ex praua consuetudine, quando vel irati sunt, vel jocantur, Dei nomen temere proijciunt. Hoc est nihil aliud, quam sanctissimum Dei nomen pedibus conculcare, & vestem pretiosissimam vbilibet & semper per humum trahere, imo luto conspurcare. *Secunda* virtus est precatio, qua Deum compellamus in nostris necessitatibus. *Tertia* est gratiarum actio, qua profitemur nos omnia nostra bona habere à Deo, & ea de causa ipsi gratias agimus.

Quarta

Quarta est confessio, qua intrepide confitemur & defendimus veritatem cœlestem. *Quinta* est juramentum, quo inuocamus Deum in testimonium veritatis, idque ita facimus, vt juremus cum veritate, justitia & judicio, quemadmodum Deus ipse per os Jeremiæ nos docuit. *Jerem. c. 4.* *Sexta* est votum, quod est promissio Deo facta de re bona, & diuinæ majestati grata.

III. Vsus. Vtere hoc præcepto tanquam regula & cynosura *locutionis* tuæ de Deo, ita scilicet, vt ex affectu charitatis nomen Dei eloquaris. Hæc enim est pulcherrima pars imaginis Dei, quippe qui nomen suum inconcipit vti est. In Christo videmus hanc pulcherrimam Dei imaginem modo eminentissimo resplendusse. Quoties enim Dei mentionem fecit, grauem illius rei habuit causam, & ex affectu puræ putæ charitatis, magna cum deuotione nomen Dei vsurpauit. Ecõtrario quam tetra imago & pictura Satanæ sit leuitas illa, qua nomen Dei temere vsurpatur, videre est in ijs, qui in rebus nauci, imo Fescenninis & putridis fermocinationibus, ad tertium quodque verbum adhibent augustum & sacrosanctum Dei nomen, non absimiles impudicis mulieribus, quæ subinde vsurpant nomen castitatis & pudicitiæ, vt hac veluti larua suam turpitudinem videantur tegere. Ad *precationem* quod attinet, videte mihi quam insignis illa sit pars imaginis Dei? Nam homo admittitur in conclaue diuinæ majestatis, & ab illa petit quidquid est bonorum, quod à fontali ista bonitate in nos deriuari expedit. O pulchram imaginem, in qua Deo soli datur gloria omnipræsentiæ, omniscientiæ, omnipotentiæ, misericordiæ & veritatis. *Psal. 91. Romanor. cap. 8.* In JESV CHRISTO hanc pulchram imaginem quis est nostrum qui non obseruet? Quoties ille Deum inuocauerit, testatur historia Euangelica: inprimis vero Johannes *cap. 17.* Hic contemplamini, amabo deformem illam imaginem diaboli, quæ cernitur in ijs, qui vel plane omittunt precationem ad Deum, vel frigide orant, alijve modis hic peccant. Annon illi simillimi sunt Diabolo, qui prorsus abhorret à precatione?

Porro *gratiarum actio*, qua DEVS laudatur, eo quod omne bonum ab illo proficiscatur, omniaque ipsius opera plena sint sapientia, justitia, & misericordia: annon hæc rursus est illustris & splendida DEI imago, vtpote sacrificium, quod ipsi placet. *Psal. 50. 54. 116.* Quam illustre hujus exemplum habemus in CHRISTO *Matth. cap. vndecimo.* Quam deformis autem est imago illa Diaboli, ingratitudo aduersus DEVM, quæ est metropolis aliorum vitiorum. Imaginem istam gestarunt Israelitæ in deserto, & eam ob causam innumeris malis fuerunt exerciti. Talis quoque est *blasphemia*,

quæ est maledictio nominis Dei, quod est omnibus modis laudabile. Atrox igitur est injuria, quæ Deo per hoc vitium irrogatur: idque sex modis. Primo enim Deo tribuitur id, quod illi non conuenit: vt quod habeat cornua, corpus, capillos. Deinde negatur de Deo, quod illi conuenit, vt sunt potentia, sapientia, justitia, & alia ejus attributa. Sæpenumero enim fit, vt blasphemus dicat, vel saltem cogitet, Deum non posse hoc vel illud facere, aut non videre, aut non esse justum. Tertio creaturæ tribuitur id, quod proprium est Dei, vt si quis dæmoni tribuat, quod possit vera edere miracula. Quarto interdum fit, vt blasphemus maledicat Deo. Quinto, malitia hominum interdum jurat per vulnera vel barbam Christi, aut per ejus membra. Sexto blasphemi quandoque Sacram Scripturam detorquent ad res amatorias & spurcas. Considera, quæso, anima mea, quam deformis sit hæc imago Diaboli. Potes illud colligere ex pœna lapidationis, quam Deus *Leuit. 24.* aduersus blasphematores constituit. Fuge igitur, anima mea, cane pejus & angue hoc peccatum. Caue tam grauiter offendas sacrosanctam & venerandam Dei majestatem. Potes autem tanto facilius cauere hoc peccatum, quia nulla vtilitas, aut delectatio inde colligitur, qualis ex alijs quibusdam peccatis videtur colligi. Veniamus nunc ad *confessionem nominis Dei*, qua constanter veritatem diuinam fatemur & tuemur, insuper habitis periculis innumeris. Annon etiam hæc virtus est pulchra imago Dei, qua ille supra modum delectatur. *Matth. cap. 10.* Hanc imaginem Christus expressit ad viuum, quando coram Pilato confessionem suam edere non dubitauit. Cum hac imagine Dei è diametro pugnat imago illa Satanæ, abnegatio Christi, cujus miserabile speculum habemus in Juda & Juliano Apostata. Ah chariſſimi, ne abnegemus CHRISTVM, quia ille omnes istos abnegabit, qui ex malitia erubuerunt sermones ipsius: abnegabit, inquam coram DEO & angelis. Tum patebit, quam tetra fuerit hæc Diaboli imago. Quinto non infima pars imaginis Dei est *juramentum* legitimum: quippe quo honoratur Deus, protestando, illum videre omnia, ipsumque esse summe veracem, atque acerrimum veritatis defensorem. Quod hæc virtus etiam pertineat ad imaginem DEI, vel ex eo videre est, quod DEVS ipse aliquoties juraverit.

Insignis locus est *Esa. cap. 54.* Similiter Christus docuit per solum Dei nomen esse jurandum. *Matth. cap. 5.* Idem fecit Apostolus. *2. Corinth. cap. 1.* E contrario turpissima est imago, & velut idea Diaboli, si quis juramentum sine veritate, sine justitia, sine judicio faciat: qui debent esse tres comites juramenti. Quoniam qui sic jurat, ostendit, vel Deum non esse conscium sui negotij, vel certe mẽdacij aut iniquitatis Patronũ esse. Sed plurib. depin-

depingamus imaginem Dei & diaboli hac in parte. Qui jurat *cum veritate*, nihil aliud iurejurando asseuerat, quam scit esse verum, nec quippiam iurando promittit, quod adimplere nolit atq; ita vtroq; modo exprimit imaginem Dei. At vero periuri, qui cum juramento illud affirmant verum esse, quod sciunt esse falsum, aut certe nesciunt, num verum sit, denique qui cum juramento quid promittunt, quod tamen adimplere in animo non habent: hæc, inquam quicunque faciunt, naturam & ingenium diaboli deformi admodum imagine exprimunt. Deinde qui iurat *cum iustitia* promittit cum iuramento se facturum, quod iustum est ac licitum, & hoc ipso ad Dei naturam accedit, illamque viuo quasi colore delineat. Qui vero cum iuramento iniurias illatas se vindicaturos promittunt, aut facturos aliquid, quod Deo displiceat, illi longissime abeunt ab imagine Dei, & imaginem Satanæ ad viuum exprimunt. Denique *qui cum iudicio* iurant, illi prudenter considerant circumstantias, & perpendunt inconueniens esse in testimonium aduocare Deum ad res non necessarias, nec magni momenti, & id quidem cum timore magno & reuerentia. Hi ipsi quoque fiunt participes imaginis Dei. Ex aduerso autem illi, qui in qualibet re parua, item inter ioca & facetias iuramenta effutiunt, vel ex mala consuetudine iurant frequentius facili negotio falsum iuramentum incurrunt quod vnum ex peccatis maximis est, quæ fieri possunt. Detestemur itaque hanc imaginem Satanæ, neque citra necessitatem iuremus. *Matth. 5. & Iacob. 5.* Nam quia iuramentum ad infirmam hominum fidem inuendam inuentum est, oportet illo vti ceu medicina, quæ non sæpe resumenda est, sed quam fieri potest rarissime, vt recte monet Chrysostomus. Superest *votum*, quod si recte nuncupetur Deo super re bona, ipsi grata, & tali, quæ est sita in nobis, magnopere Deo placet, adeoq; est pars non minima sanctæ ipsius imaginis: sicut è contrario est pars magna imaginis diaboli, si quis votum faciat super aliquo peccato admittendo, vel super opere aliquo ad cultum Dei non pertinente, vel certe bonum aliquod voueat, quod maiori bono sit impedimento. Ita grauiter quoque peccat, qui votum Deo nuncupat, & illud non implet. Quod nihil est aliud quam Deo illudere: quæ est vnica diaboli ars.

Conclusio. Ostendimus quæ sit voluntas Dei in tertio præcepto. Nostri officii est, magis magisque allaborare, vt imaginem Dei exprimamus recte enuntiando ipsius nomen deuote precando, ardenter gratias agendo, fortiter & hilariter confitendo, sancte iurando, & attente vota nuncupando. Quam gratiam nobis faciat Deus, cuius nomen est laudabile.

CONCIO XVIII.

Quartum decalogi præceptum.

Exordium. Memorabile est quod *Num. 15.* legimus de lapidatione viri illius, qui ligna collegerat in sabbato. Ubi miratur caro, quare Deus adeo exarserit erga istum sabbati violatorem, cum videatur fuisse res leuicula. Verum enimuero graue illud fuit peccatum, quia conjunctum fuit cum contemtu Dei, & sapientissimæ ipsius ordinationis, vt & maximi thesauri qui nobis offertur in prædicatione verbi. Quo accedit, quod Deus ferre non potest, vt cor nostrum in his terrenis defigamus, & illa cœlestibus præponamus. Quare cum tam grande sit peccatum, violare sabbatum, agite vim hujus præcepti videamus.

Propositio. Utemur methodo, quam in superioribus adhibuimus. Vos date operam, vt sabbatizent aures & corda vestra ne inquietis & peregrinis cogitationibus interturbetis quietem Dei in anima vestra.

Tractatio. I. Pars affirmatiua. Quoniam hoc præceptum est affirmatiuum, virtutes primo loco videbimus. Dicit autem Deus: *Memento*, id est, maneat alta mente repositum: *vt sanctifices*, id est, diem hunc pro sancto habeas, eumque in bonis operibus, præsertim in cultu diuino, transmittas; non vero operibus seruilibus impendas, quæ neque ad charitatem proximi, neque ad cultum diuinum sunt necessaria. Præcipua vero opera bona, quæ conueniunt diei sabbati, seu quietis, sunt amor verbi Dei; ejus lectio, prædicatio & auditio; obedientia & reuerentia ministerii ecclesiastici, quæ consistit in eo, vt verbum Dei & sacramenta vna cum aliis fidelibus libenter & frequenter in publicis congressibus partim audiamus, partim celebremus, & disciplinæ ecclesiæ patienter nos submittamus; eleemosynas demus; liberaliter conferamus in commune ea, quæ pertinent ad sustentationem ministerii, conseruationem templorum & scholarum; denique vt sabbatizemus à peccatis, & verbum Dei in puro corde conseruemus.

II. Pars negatiua. Profanatio & violatio sabbati est multiplex. Sunt enim qui hoc ipso die helluantur, sunt qui peregrinantur, sunt qui lustrant, sunt qui scortantur & choreis impuris delectantur, sunt qui sertendo transmittunt vel potius illum amittunt, sunt qui templum frequentant instar canum: & quis omnia vitia enumeret?

III Vsus. Hujus præcepti vsus in eo vertitur, vt Deus in te celebret sabbatum, & tu in Deo. Hoc autem nihil est aliud, quam supra creaturas assurgere, & in vno Deo quiescere. Nam si cor instar maris furibundi æstuet curis temporalibus, omnes thesauri per naufragium pereunt.

Et

sicut in domo plena vociferationum & tumultuum non potest exaudiri concentus musicus: ita in corde inquieto non potest dulcissima vox Dei audiri. Christus itaque ingrediatur cor nostrum. Ille enim est sabbatum & quies animæ. Ille facit, vt animus non amplius sit terrestris, sed fiat cælestis, per contemplationem scil. cœlestium, & conjunctionē cum cœlestibus. Adesdum igitur anima mea, & tei ipsum totam, quanta quanta es, Christo tuo deuoue: & hoc ipsō die memoria repete sabbatum creationis Gen. 1. & sabbatum redemtionis seu liberationis per Christum. *Matth. 28.* Celebra insuper sabbatum sanctificationis seu conuersionis & regenerationis, quo fit, vt Christus in te viuat, & moriatur vetus Adam. Quo etiā pertinet sabbatum crucis, quod consistit in eo, vt in silentio & spe perferamus calamitates à Deo immissas. Præterea celebra sabbatum prædicationis seu festiuitatis ecclesiasticæ, itemque sabbatum recreationis seu refocillationis corporis. Denique in memoriam tibi veniat sabbatum glorificationis. O pulcherrimam Dei imaginem, quam hoc præceptum exprimit! Nam quando homo recte sabbatizat, celebrando sabbatum externum & internum, & recordando sabbatum æternum, protinus Deus adest, & se associat cordi, quod non inuenit quietem nisi in ipso, tanquam in summo bono. Speculum hujus imaginis fuit Christus Seruator: qui sabbatum sanctificauit docendo sancte, & pie viuendo. Hoc exemplum nobis imitandum proponamus, totoque pectore auersemur deformissimam illam diaboli imaginem, quæ posita est in contemtu verbi Dei & derisione, aut saltem neglectu solennitatum ecclesiasticarum. Diabolus non delectatur verbo Dei, & sacris cœtibus, sed illa odit & fugit. Quicunque ergo hoc faciunt, charactere Satanæ sunt insigniti. E contrario, qui sabbatum recte celebrant, illi multis modis imaginem Dei exprimunt. Ita enim primo fit, vt faciant quod præscribit lex naturæ: vtpote quæ dictat, diem aliquem ex illis septem, quibus septimana constat, pro sancto esse habendum; vnde etiam in omnibus mundi partibus dies aliquis festus observatur. Deinde ita fit, vt faciant homines pii, quod præscribit lex Dei. Nam Deus determinauit nobis aliquem diem. Et in veteri quidem testamento determinauit diem septimum, quia in illo totius mundi fabricam complenit: in cujus rei memoriam (beneficii scilicet creationis mundi) voluit istum diem sanctificari, atque ita agnosci mundum non esse ab æterno, sed productum esse ab ente optimo, ideoque ab illo nil nisi bonum habere. Porro annon sanctificatio hujus diei ponit nobis ab oculos imaginem Dei misericordis, qui voluit septimo die nos, seruos nostros & jumenta nostra requiescere à laboribus, quibus delassati fuimus per sex hebdomadæ dies. Dominorum itaque est imitari

hanc

hanc Dei naturam,& induere commiserationem non tantum erga operarios,sed etiam erga ipsamet iumenta. Aque hæc diuinæ imaginis repræsentatio per hoc præceptum nobis communis est cum Judæis in V.Tité- que cum melioribus ethnicorum. Quod iam sequitur,nobis Christianis est proprium. Nam Deus grauissimis de causis sabbatum mutauit in diem Dominicum, vti & circumcisionem in baptismum, agnumque paschalem in sacramentum eucharistiæ, omnesque veteris testamenti ceremonias,bonas certe ,in meliores noui testamenti ritus. Unde si Judæi festiue coluerunt sabbatum in memoriam creati mundi, quod eo die creationi mundi finis fuerit impositus: potiori sane jure à nobis memoria ejusdem creationis celebratur, quia die dominica creationem illam Deus est exorsus.Et,si Judæi diem vltimum septimanæ detulerunt Deo, vtique nos Christiani recte facimus deferendo primum ex traditione apostolica. Hic nihil dico de eo, quod Patres nonnulli tradunt,nos in Dominica trium insignium beneficiorum redemtionis nostræ memoriam recolere: quia Christus in Dominica est natus,in Dominica resurrexit,& in Dominica Spiritum S. super apostolos demisit. Hoc tantum vrgeo,quod Christus resurrexerit die Dominico, atque ita colophonem imposuerit statui humilitatis. Merito itaque hoc tantum beneficium grata mente recolimus,& cum hoc sospitatore nostro resurgimus è sepulchro, adeoque inchoamus sabbatum glorificationis, seu quietem æternam, quam certe Dominica nostra significat. Age igitur,anima mea,veni ad congregationem sanctorum die Dominico, vt te præpares ad panegyrin consecratorum in statu cœlestis patriæ. Ne ducitor illa superstitione, qua multi laborant,dum innumera sanctorum festa idololatrice celebrant. Tu celebra Dominicam,festum illud antiquissimum. Hoc tempore cottuum imprimis præpara ad verbum Dei meditandum,legendum, audiédum,intelligendum,ipsaque praxi exprimendum: ad sacramentorum legitimum vsum,ad eleemosynæ distributionem, ad ægrotorum visitationem & similes res sanctas,quarum tractatio reddit hunc diem sanctum ex parte vtentis,qui alias sanctus est ex parte instituentis. Abstine ab operibus seruilibus,quæ neque ad charitatem proximi præcise sunt necessaria,neque cultui diuino inseruiunt. Licet enim tibi apparare mensam & officia ecclesiastica peragere,pulsando campanas & seruiendo circa administrationem sacramentorum: quia hæc non impediunt, sed promouent sanctificationem huius diei.

Conclusio. Intelligimus quæ sit voluntas Dei in hoc præcepto. O nos beatos,si quotidie contendimus,vt per sanctificationem sabbati Deo fiamus similes, qui perpetuum celebrat sabbatum ! Sed ô nos miseros,si Diaboli imaginem in nobis ipsis tãquam infelicos pictores exprimimus,

profanan-

profanando sabbatum, quæ illius est vnica ars, vtpote qui ne ad momentum quidem quiescit, sed perpetuo peccatis, operibus illis inquietis, dat operam.

CONCIO XIX.

Præceptum Decalogi quintum.

Exordium. Præcepta primæ tabulæ spectat ad ens primũ, Deum videl. præcepta secundæ tabulæ proximum attingunt, quem debemus secundum nos proxime diligere. Et quia inter proximos nemo conjunctior est, quimagis obligati simus, quam pater & mater à quibus nostrum esse habemus, & vitam, omnium bonorum temporalium fundamentum, ideo justissima de causa præcepta secundæ tabulæ ab honore patris & matris initium sumunt.

Propositio. Methodum hactenus obseruatam in hoc quoque præcepto retinebimus, initium facturi à parte affirmatiua, quoniam hoc præceptũ est affirmatiuum.

Tractatio. I. Pars affirmatiua. Deus conjungit patrem & matrem, ne filii nequam forte excutiant imperium matris sub hoc prætextu, quod pater sit princeps & caput. Deinde jubet illos honorare: vbi vox honor sub se complectitur sex virtutes, hoc ordine. 1. timorem propter ordinem à Deo sancitum. 2. amorem. 3. humilitatem. 4. patientiam. 5. obedientiam. 6. gratitudinem. Tertio Deus huic præcepto appendit ista verba: *Vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus dabit tibi:* ac si diceret, Qui patri & matri honorem debitum deferunt, pro mercede vitam longam reportabunt: qui vero id non faciunt, interalias etiam hac pœna vulctabuntur, vt vita longiore priuentur. Quæ pœna admodum rationabilis est: quia iniquum est illum vita longiore frui, qui non honorat illos, à quibus vitam accepit. Hic quærat aliquis, Cur, cum obligatio inter parentes & liberos reciproca sit, Deus præceptum dederit liberis tãtum, non etiam parentibus? Resp. Etsi obligatio ista est reciproca: est tamẽ amor parentum in filios adeo naturalis & ingenitus, vt alia lege scripta non sit opus, quæ eos obligationis suæ in filios admoneat. E contratio autem sæpissime videre est, filios non respondere amore suo amori parentum, ideoque necessarium fuit, legem aliquam ferri, quæ eos obligationis suæ erga parentes admoneret. Neque vero nudum præceptum satis fuit Deo: sed voluit etiam nos ad illius obseruationem promisso admodum grato prouocare. Hinc apostolus *Eph.* 6. docet, hoc esse primum præceptum, quod habet promissionem, scil. specialem, de certo bono. Cujus rei quinque causæ adferri solent. 1. quia conjugium est primus status à Deo institutus. 2. quia conjugium est fons, è quo reliqui status veluti

profluunt. 3. quia parentes secundum Deum maximis nos afficiunt beneficiis. 4. quia Deus inprimis delectatur obedientia, vtpote quæ plurimas virtutes in se complectitur, videl. timorem, amorem, humilitatem, patientiam & gratitudinem. 5. quia obedientia huius præcepti est speculum obedientiæ Filii Dei, qua tantum honorem exhibuit Patri suo cœlesti, vt seipsum exinaniuerit ad mortem vsque crucis. *Phil.* 2. Cæterum nomine parentum hic intelliguntur omnes constituti in eminentia, quales sunt parentes naturales, id est pater & mater: parentes ciuiles, puta magistratus, tutores, & omnes qui sunt loco patris & matris; parentes denique spirituales, vt sunt præceptores & pastores ecclesiæ. Unde non difficile est colligere, officia omnium istorum vna cum correlatiuis, hoc est, cum officiis inferiorum, hoc loco præcipi. Et *primo* quidem quantum ad parentes & liberos, hic imperatur φιλοστοργία, quæ in eo est sita, vt parentes liberis suis prospiciant de pia, frugali, & seuera educatione, illosq; defendãt, & in matrimonium recte collocent: & liberi vicissim parentes suos honorent amando, reuerendo, juuando, & defendendo. *Deinde* officium magistratus est, custodem esse vtriusq; tabulæ decalogi, adeoq; procurare vt justitia vniuersalis habeat locum inter subditos: subditorum est, amare, reueteri, & honorare magistratum, illiq; obedire in rebus justis. *Tertio* præceptores debent discipulos suos amare tanquam filios, illisq; adesse concilio & auxilio, atq; adeo illos exercere & coercere: discipulorum est, præceptores amare, honorare & pro viribus sua juuare. *Quarto* doctores ecclesiæ debent gignere filios spirituales, & genitos educare atque fouere: auditorum est, gemino honore afficere doctores suos, hoc est, omnia humanitatis & æquitatis Christianæ officia illis præstare. *Quinto* heri debent seruos tractare prudenter & mansuete: serui autem heris debent amorem, honorem & obsequium.

II. Pars negatiua. Deus prohibet hoc loco inobedientiam, rebellionẽ, contemtum, vim, austeritatem, superbiam, & similia vitia, quæ ab inferioribus erga superiores, & vicissim ab his erga illos proficisci possunt. Hanc in sententiam vide quoad liberos. *Exod.* 21. *Deut.* 27. *Prou.* 1. 19. & 20. *Amos* 3. quantum ad magistratus & subditos. *Exod.* 22. *Eccles.* 10 *Rom.* 13. 2. *Petr.* 2. quoad heros & seruos. *Gal.* 3. 1. *Petr.* 5. quoad doctores 1. *Timoth.* 5. *Hebræor.* 13. Confer hæc cum præceptis ethicis, œconomicis & politicis: vnde concionator multa potest depromere, quæ cum fructu tractari possunt pro concione.

III. Vsus. Dilectio proximi vna cum omnib. suis partibus, prout illæ in secunda tabula describuntur, est præclarissima pars imaginis Dei. Nam Deus intimo amore complectitur genus humanum, vnde ipsi tribuitur φιλανθρωπία. Et amor proximi cum amore Dei adeo cohæret, vt nullo modo

do

do diuelli queant. Ideo Christus neq; in doctrina, neq; in vita sua vnquam sejunxit hæc duo, sed semper conjunxit. Diabolus autem, osor ille Dei & hominum, non ferre potest duo ista neq; seorsim, neq; conjunctim. Adeo deformis est ipsius imago. Nihil enim lucis aut caloris habet, sed meras tenebras & purum putum frigus, quo enecantur animæ Cæterum legislator noster Opt. Max. orditur secundam tabulam à naturalissimo illo amore, qui in conjugio cernitur tum inter conjuges, tum inter parentes & liberos. Quo ipso nobis ob oculos ponit imaginem ardentissimi sui amoris, quo ecclesiam tanquam sponsam suam, & nos tanquam liberos tenerrime circumplectitur. Deinde amor reciprocus, qui est inter parentes & liberos, est character imaginis Dei, quatenus inter personas sacrosanctæ Trinitatis est ineffabilis amor. Porro honor, quem liberi parentibus deferunt, & obedientia, quam illis præstant, in exẽplo Christi est valde euidens. *Joh. 8. Psal. 40. Phil. 2.* Contemplamini, amabo, hanc pulcherrimam Dei imaginem in Christo doctore & fratre nostro: contemplamini in Setho, Semo, Japheto, Josepho, & aliis frugi filiis, qui benedictionem à Domino sunt consecuti. Contemplamini, inquam, & imitamini. E contrario videte deformitatem & noxam imaginis diaboli, quatenus illa posita est in contemtu, inobedientia & maledictione parentum. Ponite vobis ante oculos Cainum, Chamum, Absolomũ, & alios innumeros filios nequam. Satan est spiritus inobediens & contumax, & hanc suam imaginem turpẽ sane atq; abominabilem, imprimit liberis, subditis, discipulis, clientibus, pupillis & seruis, qui abjiciunt à se imaginem Dei, quam hoc præceptum in nobis instaurare debet per gratiam Spiritus S. & nostram quotidianam exercitationem.

Conclusio. Audiuimus sententiam legislatoris supremi in hoc præcepto. Quod restat, nos vita nostra exprimamus hoc præceptum, vt benedictionem à Deo consequamur, & per obseruationem hujus præcepti Christo magis magisq; conformes fiamus, deniq; vt per virtutes hujus præcepti præparemur ad virtutes sequentium præceptorum. Ita enim est, vt monẽt docti viri: Contemtus quinti præcepti secum trahit contemtum totius secundæ tabulæ.

CONCIO XX.

Sextum Decalogi præceptum.

Exordium. Historia *Gen. 4.* de fratricida isto Cain: similiter illa *1. Reg. 21.* de homicidio Nabothi est explicatio sexti præcepti, ad cujus explicationem jam descendimus.

Propositio. Methodum vsitatam retinebimus.

Tractatio I. Pars negatiua. Septẽ genera homicidij hoc loco prohibẽtur.

1. Crassum & corporale homicidium, quod perficitur manu, veneno, vel fascino. Grande est peccatum occidere proximum, qui est imago Dei, & frater noster, pro quo Christus sanguinem suum fudit. Vide hac de re *Gen. 9. Deut. 21. Exod. 21.* & alibi. Grande etiam est peccatum, seipsum occidere. 2. Homicidium, quod fit consensu, consilio & mandato. Quo pertinent insidiæ, fraudes, artes nefariæ proditio: vt in Dauide, Achabo, Juda, & similibus videre est. 3. Est species homicidii, quando homini creamus cordolium, & omnis generis molestias, quæ hominis medullam exedunt. 4. Ira, radix illa & mater homicidii, vt Chrysostomus vocat. Vide *1. Joh. 3.* 5. Gestus hostiles. *Gen. 4.* Qui hoc vitio laborant, similes sunt basilisco, qui per solum aspectum enecat hominem. 6. Homicidium fit mentiendo, calumniando, & conuitiando. Nam etiam lingua possumus occidere. *Jer. 18.* Ita Doeg effecit, vt aliquot centena hominum interficerentur. Ideo Dauid *Psal. 57.* ait, linguas hostium esse acutos gladios. 7. Est homicidium negatiuum, cum quis non juuat proximum, quando potest. Hinc illud: *si non pauisti, occidisti.* Reliqua genera modo enarrata veniunt nomine homicidii positiui, sub quo non comprehenditur supplicium, quod magistratus facinorosis juste decernit.

II. Pars affirmatiua. Hic præcipiuntur sequentes virtutes. 1. Defensio vitæ proximi. 2. Misericordia. 3. Placabilitas. 4. Mansuetudo. 5. Humanitas. 6. Patiens toleratio defectuum & infirmitatum proximi. 7. Fuga sodalitii praui & occasionum, quæ viam sternunt ad homicidium, percussionem, vulnera, duella, & similia.

III. Vsus. Utere hoc præcepto ad instaurationem imaginis Dei in te ipso, ita vt studeas mansuetudini, placabilitati & misericordiæ, adeoque misericordiam & longanimitatem Dei imiteris. *Luc. 6.* Pulcherrima hæc est imago Dei, cujus viuum exemplum fuit Christus Saluator, qui animam suam posuit pro hostibus, neque conuitia compensauit conuitiis, sed fuit lenis & mansuetus. *1. Pet. 2. Matth. 11.* Quanta fuerit ipsius humanitas, verbis exprimi non potest. Demus itaque operam vt similes simus Deo nostro, & Christo Seruatori nostro, adeoque dissimiles Satanæ, cujus imago inter alia etiam consistit inimicitiis, simultatibus, odiis, vindictæ cupiditate, iracundia, homicidio, & similibus. Nam diabolus est μιτάνθρωπος, homicida, leo rugiens, & draco, qui non potest ferre imaginem Dei in homine. Nos itaque velis & remis contendamus, vt nos ipsos vincamus, Deiq; longanimitatem adhibeamus tanquam medicinam nostræ iracundiæ. Vitemus omnem iram, odium, indignationem, rancorem, & similes affectus, qui & faciem corporis deformant, & animæ pulchritudinem vitiant. Meminerimus cor malum, iracundiæ plenum, & æstuans vindictæ cupiditate, esse ipsissimum homici-

homicidam, & omnia dicta atque facta, quæ proficiscuntur ex corde iracundo, esse abominationem coram Deo, ita vt sint opera & mortua & mortifera. Nam quale est cor tanquam fons, tale etiam est dictum & factum tanquam riuulus. Sed pluribus persequamur pulchritudinem imaginis Dei in hoc præcepto, & turpitudinem imaginis Diaboli. Deus vsque adeo est misericors & longanimis, vt sit tardus ad iram, finatque solem suum oriri etiam super malos. Ille Filium suum vnigenitum dedit hostibus suis. Deus condonat iniquitates. Deus tolerat infirmitates nostras. Christus pro suis hostibus orauit. Potuisset omnes interimere, immissis bestijs, fulminibus, phalangibus hominum, legionibus angelorum. Sed silendo & ferendo illos vicit. Spiritus Sanctus sua dona etiam impijs largitur. Quid hic vides, anima, quod non spiret misericordiam & longanimitatem? Nihil suauius excogitari potest quam φιλανθρωπία. Non est pulchrior pictura concordiæ, quam in sacrosancta Trinitate. Quin igitur oras Deum, vt hunc characterem tibi imprimat, & obliteret turpem illam diaboli imaginem, iracundiam, quæ tibi eripit charitatem & pacem, extinguit gaudium Spiritus, tollit misericordiam, transformat te in leonem & tigridem, imo in diabolum; aduersatur Deo Patri, Filio & Spiritui Sancto; reddit tibi omnes homines inimicos; impellit denique te ad audendum horribilia, vt in Caino, Juda, Theodosio imperatore, & alijs videre est.

Conclusio. Cum legislator, dator ille vitæ, præcipiat vt vitam tum nostram tum proximi nostri, tanquam κειμήλιον optimum, conseruare studeamus, agite hoc strenue faciamus, ne occidendo corpus occidamus animam nostram.

CONCIO XXI.

Septimum Decalogi præceptum.

Exordium. Quia post vitam hominis in hoc mundo nihil pluris æstimatur honore, ideo post præceptum de non occidendo legislator sapientissimus conuenientissime prohibuit adulterium, quo honor deperditur, imo & sæpe homicidium committitur, dum vel semen prolificum impie corrumpitur, vel sterilitas aut abortus procurantur, vel homines è medio tolluntur.

Propositio. Sanam hujus præcepti doctrinam, & vsum ipsius videbimus.

Tractatio. I. *Pars negatiua.* Deus prohibet omnis generis impudicitiam, siue illa in corde & cogitationibus latitet, siue se prodet per verba, gestus, vestes, opera: item occasiones & inhonesta opera, quæ viam ad

adulterium & fornicationem præparant, vt sunt lasciui aspectus, libidinosæ exosculationes, otium, ebrietas, choreæ impudicæ, & similia. Vide, anima mea, quot modis præuaricari possis aduersus hoc præceptum. Studiose igitur muni te ipsam, & semper in conspectu habe causas impellentes ad diligentem hujus præcepti obseruationem, cujusmodi sunt; 1. Quia per baptismum insiti sumus Ecclesiæ, quæ est sponsa Dei, separata ab impuris gentibus. 2. Q. Christus in nobis habitat. 3. Q. corpora nostra sunt templa Spiritus S. 4. Quia libidines fiunt templa & domicilia Satanæ. 5. Q. scortatio impedit preces. 6. Q. conjugium est imago magni illius mysterij, quod cernitur inter Christum & Ecclesiam. 7. Q. conjugium est scaturigo omnis honestatis. Tolle conjugium, & nulla erit in vllo statu vitæ honestas. 8. Q. Deus amplissimis præmijs afficit castitatem, vt in Josepho, Susanna, & alijs videre est. 9. Q. Deus horrendis supplicijs punit adulterium: vt testatur historia diluuij, Sodomæ & Gomorrhæ, Israelitarum *Num. 25.* Benjamitarum. *Judic. 20.* Huc pertinent pœnæ ciuiles. *Leuit. 20. Deut. 22.* item morbi, paupertas, & similia mala, quæ comitantur fornicationem. 10. Q. æterno exitio mulctantur scortatores & adulteri. 11. Q. gentes detestatæ sunt hoc vitium. Ægyptij adulteram plectebant amputatione nasi, adulterum mulctabant mille plagis. Locrenses adulteris effodiebant oculos. Athenienses adulterum ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehensum transfodiebant.

II. Pars affirmatiua. Deus à nobis requirit sex virtutes. 1. Cor castum. *Matth. c. 5. 1. Thess. c. 4. & 5.* 2. Os purum. *Ephes. c. 5.* 3. Gestus pudicos. *Job. 31.* 4. Pudica vestimenta. *Deut. 22. 1. Tim. 2. 1. Pet. 3.* 5. Temperantiam: ad quam nos impellent hæc duo: Dei mandatum *Luc. c. 21.* & vtilitas varia, quæ in eo cernitur, quod intemperantia impedit preces & laborem officij facitque vt abutamur creaturis Dei, corpori nostro vim faciamus, & æternam pœnam incurramus. 6. Castitatem virginalem, conjugalem & vidualem.

III. Vsus. Vtere hoc præcepto ita, vt Deo tuo conserues mundam habitationem *1. Cor. cap. 6.* & effugies horrendas pœnas impudicitiæ. *Proverb. 6.* & vites lasciua hujus mundi gaudia *1. Joh. cap. 2.* & studeas humilitati in vestitu: denique vt impetres à Deo veram sapientiam, quæ instar solis per vitrum purum, non vero per sordidatum, lucet. Quemadmodum candela pileo tecta non lucet: sic anima tua libidine & intemperantia grauata non potest lucem de se spargere. Adesdum igitur, anima mea, & indue pulcherrimam illam Dei imaginem, castitatem & temperantiam. Hic est ornatus pretiosior omni auro, & omnibus gemmis. Imaginem hanc oppido pulchram contemplare in Christo, Domino tuo. Castissimum hic vides cor, purum os, sanctos gestus, vestitum decorum.

Tua

Tua membra sunt Christi membra. Noli ergo committere, vt illa contamines. Noli contristare Spiritum Sanctum. Ne abige sanctos angelos. Imitare Josephum & innumerabiles sanctos, qui vasa sua possederunt in munditie summa. E contrario detestare fœdam illam Diaboli imaginem, incontinentiam, adulterium, fornicationem, ebrietatem, voracitatem, & similia monstra, per quæ homo transformatur in canem & porcum, quibus clausum est regnum cœlorum. *Apocalyp. vlt.* Vide, amabo, quam fœda sit fornicatio & scortatio. Infert illa damnum & injuriam tibi & mulieri, quia vos reddit infames: item proli, quæ illegitima nascitur: facit iniuriam Christo, ex cuius membris fiunt membra meretricis & diaboli: facit iniuriam Spiritui sancto, ex cuius templo fit cloaca Satanæ. Porro illa bestia eneruat corpus, conciliat morbos contagiosos, attrahit pœnas varias, ijsque implicat totas gentes, mortem denique æternam parit. Neque alia est imago intemperantiæ, quæ est germana soror fornicationis. Vnde ab Apostolo dicitur, quod in vino sit *luxuria.*

Conclusio. Audiuimus quæ sit Dei nostri voluntas in hoc præcepto. Hanc meditemur quam diligentissime hoc exulcerato seculo, quod non solum pronum ruit in libidines vagas, cæcas, surdas & mutas, sed etiam in ijs sibi placet, nec vllum peccatum subesse sibi persuadet.

CONCIO XXII.

Octauum Decalogi præceptum.

Exordium. Auspicabimur explicationem hujus præcepti historia illa *Genes. cap. 30. & 31.* vbi Patriarcha Jacobus benedictioni Dei tribuit opes & diuitias, & post benedictionem diuinam industriæ piæ, non vero modis acquirendi illegitimis, quos Deus in hoc præcepto damnat.

Propositio. Pro more nostro dicemus de sana doctrina & vsu hujus præcepti.

Tractatio. I. Pars negatiua. Prohibitio furti sequitur prohibitionem homicidij & adulterij: quia inter bona mundi hujus nihil post vitam pluris est honore, & post honorem bonis temporalibus. Peccatur autem in hoc præceptum duobus modis principalioribus, sub quibus reliqui omnes comprehenduntur. Prior modus est, quando alterius bona clam alienantur: alter est quando palam ista bona rapiuntur. Huc itaque pertinent fraus & dolus in emtione & venditione, vsura lucratoria & mordax, damna omnia, quæ irrogantur proximo, tametsi ille qui infert nihil inde lucretur, vt si quis alterius domum incendat, deten-

detentio rei alienæ inuito domino; retentio rei inuentæ; proprij commodi studium. Siue igitur sit furtum absque vi, siue cum vi; siue publicum, siue priuatum; siue clandestinum, siue manifestarium; siue rei mobilis aut immobilis, siue pecoris aut hominis: id omne in hoc præcepto prohibetur. Sed vt amplitudo hujus præcepti magis manifesta fiat, pressius persequamur genera furti. 1. Est furtum crassum, cum horti, prædia, nummi, & similia auferuntur. 2. Est vis illata bonis: vt quando Achabus Nabotho eripuit vineam, & quando magistratus expilat subditos. 3. Furtum ingeniosum & insidijs plenum: vt quando Laban cogitabat circumuenire Jacobum. 4. Fraus, injusta vlna & mensura, & contractus illiciti, quocunque tandem veniant nomine. 5. Vsura rodens. 6. Donorum captatio. 7. Processuum juridicorum infinita extensio. 8. Commodati retentio. 9. Infidelitas seruorum. 10. Retentio rei inuentæ. 11. Otium. 12. Lusus inhonestus & lucrosus. 13. Possessio rei injustæ. 14. Plagium. 15. Abigeatus. 16. Mercedis detentio injusta. Vnde patet varios dari gradus furti, qui omnes etsi sunt graues in sese, alij tamen alijs sunt graviores. Omne vero furtum hoc habet proprium, quod in maximum malum soleat hominem inducere. Furandi siquidem libido & pruritus facit, vt homo hominis vitam nihili faciat. Nam Judas eo tandem deuenit, vt sanctissimum suum magistrum proderet: & latrones mactant illos homines, quos nunquam viderunt, & à quibus nullam injuriam sunt passi.

II. Pars affirmatiua. Virtutes hic præcipiuntur numero nouem. 1. Justitia commutatiua in contractibus, puta in locatione & conductione, emtione & venditione, mutuo, commodato, & similibus. 2. Fides. 3. Fidelis administratio bonorum concreditorum. 4. Sedulitas. 5. Parsimonia. 6. Sufficientia. 7. Vsus bonorum. 8. Erogatio bonorum, & liberalitas. 9. Eleemosynæ. 10. Gratitudo. 11. Patientia in paupertate perferenda. Ad has virtutes in genere nos impellent ista: quod Deus amet justitiam; quod justitia conseruet societatem humanam; quod injustitia euertat respublicas, scholas, & familias; quod sancti homines studuerint omni tempore justitiæ, & inde amplissimum reportauerint præmium.

III. Vsus. Vtere hoc præcepto ad conseruandam bonam conscientiam in contrahendo: ad vitandum otium: ad exercendam liberalitatem: denique ad benedictionem diuinam impetrandam, & maledictionem auertendam. Hoc si feceris, imago Dei pulcherrime in te micabit. Nam Deus nemini facit injuriam, & semper est in actu aliquo, ita quidem vt omnibus bene faciat, noceat nemini. Hunc Patrem tuum imitare, justitiæ studendo, officium tuum diligenter faciendo, commodis aliorum inseruiendo.

tiendo. Propone tibi Christum Dominum tuum, qui conspicuus fuit hac imagine Dei. Detestare toto pectore furtum, fraudem, rapinam, otium, & similia cadaueresæ imaginis Diaboli vestigia. Diabolus hoc vnice agit, vt bonis nostris damnum inferat, vt historia Jobi docet. Omnes itaque, qui furto sunt dediti, Satanam tanquam ducem suum imitantur, illiusque imaginem non de collo suspensam, sed cordi appressam gerunt.

Conclusio. Ita videmus, quid sibi velit octauum præceptum. Id cum sit septum humanæ societatis, studiose caueamus, ne illud perrumpamus.

CONCIO XXIII.

Nonum Decalogi præceptum.

Exordium. Quid lingua mendax possit, docet historia Stephani *Act 7.* quid lingua dolosa possit, docet historia illa *1. Sam. 22.* vbi Doeg prodidit Abimelechum & Dauidem. Inde datur intelligere, quantum in eo sit positum, vt præceptum nonum Decalogi studiose obseruetur. Id vero ita cohæret cum octauo. Postquam Deus prohibuit injurias, quæ ipso facto inferuntur proximo, voluit insuper prohibere illas injurias, quæ proximo verbis irrogari possunt.

Propositio. Adferemus explicationem & vsum hujus præcepti.

Tractatio. I. *Pars negatiua.* Prohibentur hoc loco sequentia peccata. 1. Cor mendax, quod aliter cogitat, aliter loquitur. 2. Falsum testimonium: vt si quis coram judice testetur de alio, quod furatus sit, quod alium occiderit, cum sciat hoc esse falsum. 3. Mendacium. 4. Calumnia & detractio: quod malum adeo est frequens inter homines, vt vix duo conueniant, quin tertio detrahant. Grauissimum autem est hoc peccatum, quia nocet famæ hominis, de qua dici solet: *Fama & vita pari ambulant passu.* 5. Contumelia, seu verbum injuriosum, animo injuriandi prolatum: vt si quis exprobret alteri, quod sit indoctus, vilis, contracti cerebri, &c. Dico, *animo injuriandi:* quia si joci, admonitionis aut correctionis causa istiusmodi verba proferantur; non vero, vt contemnatur alius, aut injuria notetur, certe non est contumelia. 6. Maledictio & imprecatio, qua quis proximo suo dira quæque imprecatur. Hæc valde maculat Christianum: vtpote ex cujus ore nihil nisi benedictio & verba salutaris debent procedere, cum ille per adoptionem & benedictionem diuinam sit Dei filius. 7. Calumniæ approbatio, quæ fit vel clara voce, vel silentio. 8. Joci illiberales, dentati & impij. 9. Præcipitantia judicij. 10. Adulatio. 11. Garrulitas, qua secretum proximi effutitur.

II. Pars affirmatiua. Præcipitur veracitas, taciturnitas, candor & affabilitas. Confer cum præceptis Ethicis.

III. Vsus. Hujus præcepti vsus est in regenda lingua, vt discas artem silendi & loquendi, quando, vbi & quomodo oportet. Deinde vsus est hujus præcepti in perferendis, contemnendis aut vindicandis calumnijs. Tertio facit hoc ipsum præceptum ad integritatem & candorem in sermone. Dici non potest, quam pulchra sit hæc imago Dei, ad quam hoc præceptum nos veluti manu ducit. Nam Deus est αὐτοαλήθεια καὶ φιλανθρωπία. Si quis igitur loquatur ea quæ sunt vera, grauia, condita humanitate ac comitate, quæque alijs adferunt vtilitatem, hoc agit, vt Deo suo magis magisque similis fiat, & Christum doctorem illum veritatis imitetur. E contrario si quis dicat falsum testimonium, si mendacio & calumnia pascatur, si hypocritice loquatur cum proximo, si duriter alloquatur fratrem, simillimus est diabolo, qui est mendax, calumniator, hypocrita & austerus inde à principio.

Conclusio. Quia sumus conditi ad imaginem Dei, & Christus illam postliminio nobis restituit, oremus Deum, vt indies per hoc præceptum reformemur, & imaginem diaboli execremur.

CONCIO XXIV.

Decimum Decalogi præceptum.

Exordium. Homines non prohibent aut puniunt cogitationes malas & desideria inordinata, quia non sunt inspectores cordium. At vero Deus, cum omnium hominum corda intueatur, & sit justus atque omnipotens: potest & vult malas cogitationes & concupiscentias punire, ideoque in lege sua illas prohibuit, vt dilectio proximi hoc modo sit perfecta. Quando enim non infertur proximo injuria opere, verbo, cogitatione & desiderio, tunc perfecta justitia exercetur.

Propositio. Sensum & vsum hujus præcepti indicabimus.

Tractatio. I. *Pars negatiua.* Continetur hic prohibitio concupiscentiæ vxoris proximi, & bonorum ejus, tum immobilium, vt sunt domus, agri; tum mobilium, vt sunt pecuniæ, animalia, fructus & similia. Non itaque hic prohibetur concupiscentia & desiderium quoduis, sed tantum ἀποθυμία illius, *Colos. 3.* quæ cernitur in eo, cum proximi nostri vxorem vel bona ipsi inuidemus, nobisque illa expetimus & optamus. Hanc ἀποθυμίαν studiosè fugiemus, quia impuri Spiritus suggerunt hujusmodi cogitationes, & Deus in vltimo judicio æque illas in apricum proferet atque mala opera. Cogita quam turpis sit futura imago illa, quæ tibi omnes tuas cogitationes prauas ponet ob oculos. Noli committere, vt vincaris ab Alexandro Magno, qui noluit filias Darij coram se sisti, ne pulchritudo illarum ipsum inflammaret. Imitare Josephum, qui tantum abest vt concupiuerit vxorem heri sui, vt illam sui desiderio flagrantem fugerit.

II. Pars

II. Pars affirmatiua. Principalis virtus hujus præcepti est puritas cordis in concupiscendo & desiderando. Hæc facit vt corda nostra sint pura specula, in quibus contemplari possumus imaginem Dei, quemadmodum impuritas cordis in concupiscendo & desiderando facit, vt corda nostra sint vitta & specula conspurcata, à quibus homo quantumuis satibundus abhorret. Deinde hic præcipitur abnegatio sui ipsius, oblectatio in Deo, & proximi amor tenerrimus, qui vertitur in eo, vt ipsi gratulemur bona diuinitus data, nec illa ipsi inuideamus: vt lætemur ob prosperum illius successum: vt promoueamus ipsius commodum: vt damnum ab ipso auertamus, & admoneamus vt sibi caueat ab ijs, quæ ipsi possunt nocere.

III. Vsus. Vtamur hoc præcepto ad humilitatem, abnegationem hujus mundi, extirpationem odij fugam auaritiæ, & precationem, hoc modo. Principio si quis sit, qui sibi placeat in obseruatione Decalogi, meditetur omnium vltimo hoc præceptum. Deprehendet sine dubio, se esse instar ligni putridi, quod in tenebris lucet, cum sit mera putredo. Deinde concupiscentia carnis, oculorum & hujus mundi sordet in oculis Dei tui. Extirpa igitur funditus hunc impurum & noxium amorem. Tertio auaritia est insatiabilis habendi cupido, quæ omni tyranno est crudelior. Hanc igitur toto corde fugito. Denique si concupiscentia inordinata tibi faceſſat negotium, illa vtere tanquam stimulo ad precandum, & ora Deum vt sanctos motus in corde tuo creet, vt etiam hac in parte instauretur ipsius imago, pulcherrima quidem illa & jucundissima. Quid enim, amabo, est pulchrius, quam concupiscere bona cœlestia? quid jucundius, quam desiderare summum bonum? Hoc bonum cum Dauide sitiamus: hoc bono nos oblectemus: ad hoc bonum properemus instar cerui, qui desiderat fontes aquarum. *Psal. 37. 42. 63.* Videte, auditores, exemplar hujus imaginis in Christo. Ille vnice se oblectauit in Deo & sanctis ejus. Ille non concupiuit bona temporalia, sed æterna. Hujus vestigia insistamus, & è contrario detestemur fœdam illam diaboli imaginem, concupiscentiam, quæ inferos ædificauit. *Gen 3.*

Conclusio. Concludamus nunc hoc præceptum, & illud habemus pro regula omnium nostrorum desideriorum. Concludamus etiam simul Decalogum, qui est speculum imaginis Dei, & benedictionis, quæ comitatur imaginem Dei, & denique maledictionis, quam ex se parit imago diaboli, quæ nihil est aliud quam euersus & inuersus Decalogus. Singulis momentis pulcherrimam Dei imaginem in singulis Decalogi præceptis intueamur, & hoc vnice agamus, vt illam in cordibus nostris plantemus.

CONCIO XXV.

Præfatio Orationis Dominicæ.

Exordium. Memorabilis est illa precatio Esaiæ, quæ occurrit in ipsius Prophetia *ca. 64.* quoniam omnia requisita piæ precationis ibi occurrunt. Huic tamen precationi, vt & omnibus alijs, merito antefertur oratio Dominica; tum quia reliquis omnibus est excellentior, vtpote composita ab ipso Christo, qui est summa sapientia: tum quia est breuissima & simul perfectissima, quippe quæ complectitur omnia, quæ à Deo peti possunt: tum denique quia artificiosissimo constat ordine. Primo enim petimus finem, deinde media ad finem illum perducentia. Finis primarius est gloria Dei, subordinatus, nostra salus. Media sunt numero quatuor, sanctitas vitæ, præsidium hujus vitæ temporalis, remissio peccatorum, & defensio aduersus spirituales nequitias. Hinc existunt petitiones numero sex, quibus præmittitur pathetica præfatio, & subjungitur insignis conclusio. Quæ cum ita sint, recte faciunt, qui hanc orationem habent pro pane suo quotidiano, & per illius recitationem fiunt velut Euangeli imitati hac in parte priscam Ecclesiam, quæ hanc orationem vocauit quotidianam, quod illam quotidie recitaret. *Cyprian serm. 6. August. Enchir. 71.* Sed jam aggrediamur explicare præfationem hujus orationis.

Propositio. Videbimus illius sensum & vsum.

Tractatio. I. Paucula ista verba, *Pater noster qui es in cœlis*, sunt apparatus & vestibuli instar ad ipsam orationem. Distincte videamus singula. Principio vocula *Pater* sexista nobis in memoriam reuocat. *Primo* est vox fidei & filialis fiducia. Vbi enim dicimus, Deum esse Patrem nostrum, audaciam quandam, & ad orandum fiduciam capessimus. Tametsi autem vocula ista, Pater, Deo vt omnium rerum creatori conueniat: nihilominus tamen in hac oratione, Deo, vt est Pater noster per adoptionem, tribuitur, atque ita includit totam sacrosanctam Trinitatem. Nam Pater nos adoptat in Filio per Spiritum Sanctum. *Deinde* est vox spei: quia filius optime sperat de patre suo. Quare cum Deum vocamus Patrem, speramus fore, vt in omnibus nobis gratificetur, quæ ab illo sancte sumus petituri. *Tertio* est vox charitatis & incomprehensibilis φιλίας. Nam si Deus est Pater noster, nos vtique sumus ipsius filij & hæredes. *Quarta* est vox consolationis. Quid enim, amabo, paruulis majori est solatio quam pater est mater? *Esa. 66.* Hoc itaq; nomẽ est plenum omni consolatione. *Quinto* est vox patientiæ in cruce: quia dum Deus nos castigat, non desinit esse Pater. *Sexto* est vox filialis timoris & obedientiæ. Nam si Deus est Pater noster, vtiq; oportet ipsum timere, & illi obedire. Intellige timorẽ offensæ, non vero pœnæ. Secunda vocula *Noster* est vinculum charitatis mutuæ.

Dicit-

Dicimus enim *Pater noster*, & non, *Pater meus*, vt significemus, nos omnes fratres esse, & vt fratres nos inuicem amare debere, & esse vnum, tanquam vnius Patris filios. Deinde hæc eadem vocula nos excitat, vt omnes vno ore Deum inuocemus, ita vt singuli orent pro omnibus, & omnes pro singulis. Quæ communis supplicatio est efficacissimum medium adorandum & exorandum Deum nostrum, non aliter atque libellus supplex ab omnibus subditis oblatus principi maximam vim habet ad ipsius animum flectendum. Porro illa verba, *Qui es in cœlis*, nos admonent omnipotentiæ & omni præsentiæ Dei, itemque nostræ miseriæ, officii, & spei. Ac primo quidem dicimus Deum in cœlis esse, non quasi in omni loco non sit, sed quod diuina ipsius majestas, potentia & sapientia ibi magis resplendeat, modo scil. eminentissimo, & proinde totum cœlum repleat, adeoque & terram ipsam. Deinde quando dicimus, *Qui es in cœlis*, nos ipsos commonefacimus, quod hunc Patrem nostrum magna cum reuerentia & humilitate adire debeamus, quippe qui non terrenus, sed cœlestis sit Pater, de quo nihil humile aut terrenum oporteat concipere sibique imaginari. Tertio his ipsis verbis significamus nos in terris esse, neque adhuc hæreditatem nostram obtinere, sed vt peregrinos, & victores in hostili terra versari, Deique auxilio inprimis agere. Quarto hæc verba fouent spem nostram, & faciunt vt eo anhelemus, vbi est Pater noster. Sursum ita que habeamus corda.

II. Hac præfatione veteris. 1. Ad excitandum feruorem precandi. Nam si Deus est Pater tuus, cur dubitas ab illo petere quæ tibi sunt necessaria? 2. Ad fouendum fiduciam & spem exauditionis. Nam pater non solet illa denegare liberis, quæ ipsis sunt necessaria ad sustentationẽ vitæ, si quidem possit hoc præstare. Deus autem potest, quia es in cœlis, tanquam in regia, adeoque rex cœli. 3. Ad reuerentiam Dei. Nos enim, qui nil nisi puluis & cinis sumus, debemus reuereri Patrem illum nostrum, qui est in cœlis. 4. Ad fraternam charitatem. Nam quia Deus est noster Pater, vtique inter nos omnes est sancta communio. 5. Ad sanctitatem vitæ: vt conuersatio nostra sit in cœlis cum Patre nostro; quemadmodum liberi in exilio constituti semper cogitant dulcissimam patriam.

Conclusio. Atque hæc est præfatio orationis Dominicæ, in qua continentur tres causæ impulsiuæ precationis: quia videl. Deus est Pater noster; & quia hæc precatio dum à nobis recitatur, fit pro omnibus Christianis, & omnes Christiani vicissim illam pro nobis recitant; denique quia Deus est omnipotens, plenus majestate & gloria, rex cœli & terræ. Quoties igitur hanc præfationem recitas, in hæc verba erumpat cor tuum: Domine Deus, Pater cœlestis, qui me adoptasti in filium tuum, ecce ego miserrimus filius tuus accedo ad thronum potentiæ & gratiæ tuæ.

CONCIO XXVI.

Prima petitio orationis Dominicæ.

Exordium. Quemadmodum in decalogo prima tabula tractat de officio nostro erga Deum: ita prima petitio orationis Dominicæ concernit gloriam Dei. Nō igitur sine graui causa Christus voluit inchoare suam orationem ab hac petitione, *sanctificetur nomen tuum*: vt nempe doceret, nos esse obligatos ad amandum Deum super omnia, & quidē magis, quā nos ipsos. Quare ardentiore ac frequentiore desiderio, vt gloria Dei propagetur quærendum est. Nam ad hoc creati sumus, & ratione ornati: ad hoc redemti sumus: in hoc denique summum nostrum bonum consistit, vt Deum cognoscamus & laudemus. Peccant itaq; illi qui frigide recitant omnes petitiones hujus orationis excepta quarta, quam valde affectuose solent pronuntiare, quod ibi agatur de bonis temporalibus hujus vitæ.

Propositio. Indagabimus sensum siue sanam doctrinam, & salutarem vsum hujus petitionis.

Tractatio. I. Impudentiæ foret in subdito, petere aliquid à suo rege, nō exhibito ante clientelari obsequio. Nos itaque, qui sumus subditi æterni regis primo omnium petimus à rege nostro id, quod ipsius gloriam concernit. Ideo dicimus: *Sanctificetur nomen tuum.* Ubi per *nomen Dei* intelligitur fama notitiaque Dei: vt cum dicimus, hic magnum nomen habet, quia multis est notus; aut bonum vel malum: nomen habet, quia est famæ bonæ vel malæ; aut multis notus est, quia vel vt vir bonus laudatur, vel vt malus passim proscinditur. Itaq; nomen Dei *sanctificare* nihil est aliud quam Dei notitiam & laudem per totum mundum spargere, eamque in ore ac corde tum suo, tum aliorum sanctam illibatamque conseruare, vt in seipsa est. Quia vero in mundo sunt multi infideles, qui Deum non cognoscunt, & multi blasphemi, qui Dei nomen contumeliis afficiunt, ideo qui filii Dei sunt, zeloque honoris paterni tanguntur, ingenti cum desiderio precantur, vt nomen ejus sanctificetur per vniuersum orbem, id est, vt agnoscatur, adoretur, laudetur & benedicatur nomē, inquam, omnipotentiæ, misericordiæ, justitiæ, veritatis, sanctitatis & sapientiæ, quæ omnia elucent in operibus Dei. Hoc est magnificum Dei nomen, quod à nobis sanctificatur per cognitionem, fidem, precationem, timorem, humiliationem, charitatem, pœnitentiam, confessionem, gratiarum actionem, ministerium verbi & sacramentorum, juxta ordinem quatuor præceptorum primæ tabulæ decalogi.

II. Hac petitione vtemur tanquam regula vitæ & omnium actionum nostrarum. Nam ea de causa præcipue conditus est homo ad imaginem Dei, vt nomen creatoris sui sanctificet. Et hoc est æternum Eccle-

siæ

ſiæ triumphantis & militantis officium. Sanctificemus itaque nomen Dei laudando ipſum ore, corde & opere: narrando mirabilia ipſius opera: pœnitentiam quotidie inſtaurando, & ita viuendo, vt nomen Dei nos ſanctificet, hoc eſt, omnes cogitationes, locutiones & actiones noſtras ſanctas reddat, vt conformes fiamus nomini ſanctitatis, miſericordiæ & longanimitatis ipſius: ædificando ad ſalutem fratres noſtros: teſtimonium perhibendo veritati, & vno verbo omnia illa faciendo, per quæ nomen Dei ſit veluti viuum in nobis. Ita fiet, vt nomen noſtrum non ſit nomen filiorum tenebrarum, ſed filiorum lucis, quod ſcriptum eſt in cœlo.

Concluſio. Quia ex nobis ipſis non poſſumus ſanctificare nomen Dei, agite ſine intermiſſione clamemus in cordibus noſtris, *Sanctificetur nomen tuum* & dicamus: Da Domine, vt te agnoſcamus & laudemus Deum omnipotentem juſtum, bonum &c. Prohibe à nobis falſam doctrinam & malam vitam.

CONCIO XXVII.

Secunda petitio orationis Dominicæ.

Exordium. In prima petitione petimus gloriam & honorem Dei: hic petimus propriam ſalutem, hoc eſt, translationem noſtri ex regno tenebrarum in regnum gratiæ, & inde in regnum gloriæ.

Propoſitio. In hac petitione videbimus ſenſum genuinum, & vſum ſalutarem.

Tractatio. I. Triplex eſt regnum Dei. *Primo* eſt regnum naturæ ſeu potẽtiæ, in quo Deus regit ac gubernat omnes creaturas, vt abſolutus omniũ rerum Dominus. Tametſi enim impii legem Dei non obſeruent, omniſque generis mala patrent, nihilominus tamen Deus illis imperat, &, quãdo ipſi videtur, conatus illorum impedit: & licet illis ſubinde permittat, quod volunt, poſtmodum tamen illos ſeuere punit, cũ nemo ſit, qui voluntati ejus queat reſiſtere, aut aliter facere, quam ipſe vel ordinet, vel permittat. *Deinde* eſt regnum gratiæ, in quo Deus animas & corda ſuorum moderatur ac regit, gratiam ſuam & Spiritum S. illis largiendo. *Tertio* eſt regnum gloriæ, in altera vita, vbi Deus ita regnabit ſuper omnes creaturas, vt dæmonibus & hominibus malis eripiat omnem poteſtatem, & mortem, omnemque corruptionem cum vniuerſis mundi & carnis tentationibus, quibus modo ſerui Dei impetuntur, exterminet; adeo vt hoc regnum quietum & pacificum ſit futurum, in ſecura perfectaq; æternę felicitatis poſſeſſione cõſiſtens. De primo regno agitur in epilogo hujus Orationis. De ſecũdo & tertio tractat hęc petitio: quod ita planum

planum facimus. Quemadmodum in prima petitione petimus summum finem, ita in hac secunda petimus finem illi subordinatum. Is autē est salus nostra æterna, quam scimus hic inchoari, & post hanc vitam consummari. Ad *regnum gratiæ* quod attinet, illud est spirituale, ita vt ejus rex sit Christus; subditi, homines electi; beneficia, justitia, sanctitas, pax, fides, spes, charitas; sceptrū, verbum Dei, & crux. Hoc itaq; regnum non consistit in externa pompa, magnificentia, potentia, diuitiis, & similibus rebus, quæ cernuntur in regnis hujus mundi: sed in remissione peccatorum, reconciliatione cum Deo, fide vera, spe certa, charitate non fucata, adeoq; in fructibus fidei, humilitate videl. mansuetudine, patientia, precatione, pace & gaudio conscientiæ, & prægustu vitæ æternę. Ex quibus colligere est, regnum Dei esse in nobis. *Luc.8.* Nam regnum gratiæ Dei est thesaurus vitę æternæ, quem hic gestamus in vasis testaceis. Cor nostrum est solium & augustale Christi. Anima nostra est domicilium illud, in quo Christus habitat, regnat, vincit, & imperat. Quomodo autem hoc Dei regnum venit ad nos, seu intra nos? Resp. 1. Per verbum & sacramenta. *Joh.14.* Nam verbum Dei est semen, quod fructificat in agro cordis nostri: est granum sinapi, quod in nobis arboreſcit: est fermentum, quod totam massam cordis nostri suauissime fermentat: est thesaurus in agro absconditus: est margarita: est rete: Quibus sex similitudinibus Christus *Matth.13.* ostendit, quomodo regnum Dei aduenirat per verbum. 2. Per pœnitentiam: quia hoc modo ex regno tenebrarum, videl. infidelitatis, superbiæ, iracundiæ &c. transferimur in regnum lucis. 3. Per donationem Spiritus S. & incrementum ipsius. *Rom.8. Gal.5. Eph.1.* 4. Per crucem. Christus enim vult vt in hoc signo vincamus, dum nos jubet crucem suam tollere. Ad *regnum gloriæ* quod attinet, illud ad nos venit per mortem, resurrectionem & vltimum judicium. Hinc electi, ciues illi cœlorum, qui in hoc mundo velut peregrini & exules viuunt, nihil vehementius desiderant, quam hujus regni aduentum. Unde *Augustinus com.20. in Psal.119.* recte dicit: Vti prima desideria sanctorum antiquæ legis in primo Christi terminabantur aduentu: sic desideria sanctorum nouæ legis, in secundo Christi aduentu, qui perfectam nobis beatitudinem conferet, desinent.

II. Vsus hujus petitionis consistit in eo, vt discas mundum contemnere. Ita enim fiet, vt Christus ad te veniat, inq; corde tuo regnum suum erigat. Oportet vt expellas diabolum & peccatum ex corde tuo, si velis vt Christus ibi regnet. Nam regnum diaboli est odium Dei & proximi, concupiscentia carnis, & mors æterna: è contrario regnum Christi est dilectio Dei & proximi, desiderium gratiæ Dei, & vita æterna. Fieri ergo non potest, vt hæc duo regna, ἐκ διαμέτρου contraria, simul possint consistere. Ora igitur Deum, vt in corde tuo dignetur erigere regnum gratiæ, quod in-

indissolubili nexu cohæret cum regno gloriæ. Unde qui in hac vita regnum Dei habet intra se, is certo etiam post hanc vitam habebit regnum gloriæ.

Conclusio. Quoties recitas hanc petitionem, in penetrali cordis tui sic ora: Mi Pater, erige in corde meo regnum justitiæ, pacis & gaudii: conserua & defende ecclesiam tuam: largire victoriam omnibus iis, qui tuum regnum promouent; gratia tua inhabitet in nobis: destrue opera diaboli & regnum ejus: da vt constanter quæramus illa quæ sunt sursum, & tandem transferamur in regnum gloriæ, vbi tu eris omnia in omnibus.

CONCIO XXVIII.

Tertia petitio orationis Dominicæ.

Exordium. Postquam in prima & secunda petitione finem hominis à Deo petere Christus docuit, deinceps docet petere media quę ad illũ finẽ perducunt. Ex illis principale medium est obseruatio mandatorum Dei, de qua jam videbimus in hac tertia petitione.

Propositio. Sensum & vsum hujus petitionis adferemus.

Tractatio. I. Voluntas Dei est verbum legis & euangelium, & consistit in his quatuor capitibus. *Principio* Deus vult, vt peccatum & perditam nostram voluntatẽ ex lege cognoscamus, confiteamur, & defleamus, idq; secundũ omnia & singula decalogi præcepta: *deinde* vt gratiã ipsius in Christo per fidẽ ex euangelio agnoscamus nobisq; applicemus: *tertio*, vt per fidẽ Christo insiti feramus fidei fructus, & quotidie magis magisq; renouemur: *denique* vt crucẽ patienti animo feramus, tanquã characterẽ illorũ, qui crucifixi sunt mundo, & Christo viuunt. Hęc est voluntas Dei patefacta in lege & euangelio. Petimus itaq;, vt nõ nostra voluntas, vtpote mala, sed Dei volũtas, quippe sancta, fiat in nobis & à nobis, quantũ ad ista quatuor capita modo cõmemorata attinet. Petimus autẽ, vt quẽadmodum Ecclesia triumphans in cœlis, ita militans in terris voluntati Dei pareat. Quod significatur illis verbis: *In cœlo & in terra.* Ubi cõtinetur partim causa impulsiua, partim exemplar & idea nostrę obedientiæ. Si enim cœlestes Spiritus voluntati Dei in solidum se subjiciunt, quanto magis nos decet rationem & voluntatẽ nostram voluntati Dei subjicere, illamq; captiuam dedere mandatis ejus. Deinde quemadmodũ cœlestes Spiritus Dei obediunt: ita & nos debemus illi obedire. Jam vero illi hoc faciunt perfecte, promte, & alacriter. Quare nostri muneris est, non vnam duntaxat vel alteram particulam voluntatis Dei facere, sed totam: non cum murmure, sed promte: non cunctando, sed festinando, & præcepta Dei præceptis hominum præponendo. Quod si fieret, majori sane cura vtramq; legis tabulam obseruaremus.

II. Recte veteris hac petitione, si in hoc mundo nihil aliud optes esse, quam organum siue instrumentum, per quod Deus voluntatem suam faciat, quemadmodum tu per manus, oculos, & pedes tuos exequeris voluntatem tuam. Quæso da operam, vt sis Dei tui manus, oculus, cor, pes, & os, per quę Deus exerat charitatem, misericordiam & sanctitatem suam. Crucifige carnem tuam. Mortifica voluntatem propriã, vt in te Deus tuus & voluntas ejus fiat volũtas tua, ipseq; solus sit rex & dominus in tuo corpore tanquam suo palatio. Fac voluntatẽ Dei, & non tuã. Hæc enim est ars artiũ, & scientia scientiarũ. Fac, inquam, voluntatẽ Dei amando ipsum & proximum tuum, etiam quando ab vtroq; experiris crucem. Ita enim fiet, vt Deus faciat voluntatem tuam, tibique det desiderium cordis tui.

Conclusio. Quoties recitas hanc petitionem, hæc verba explicationis loco adjunge in corde tuo: Fiat voluntas tua, mi Deus, in conformitate, obedientia, humilitate, patientia & vocatione mea, vt fiam conformis tuæ sanctæ voluntati, vt illi soli obediam, humiliter illam adorem, patienter illam exequar inter tot myriades hostium tuorum & meorum, denique vt in vocatione mea tibi soli seruiam. Quod si vero aliquid à te petã, quod pugnet cum sancta tua voluntate, quæso ne illud mihi dato, sed quæ sit tua voluntas doceto.

CONCIO XXIX.

Quarta petitio orationis Dominicæ.

Exordium. Petitione tertia petimus à Deo cibum spiritualem, quo saginatur anima nostra ad vitam æternam, videl. obseruationem mandatorũ Dei, seu verbi ipsius, quod infantibus est lac, & adultis cibus solidus. *Heb. 5.* Petitione quarta petimus panem corporalem, quo vita nostra animalis sustentatur, hoc est, omne illud, quod est necessariũ ad sustentationẽ vitæ corporalis, qua velut instrumento in bono faciendo anima nostra vtitur.

Propositio. Sensum petitionis & vsum ejus in medium adferemus.

Tractatio. I. Qui per panem quotidianum intelligunt panem spiritualem, qui est Christus *Joh. 6.* confundunt petitionem hanc cum secunda & tertia. Qui vero intelligunt panem eucharisticum, vim faciunt phrasi isti, ἄρτος ἐπιούσιος. Proband̃a igitur est sententia illorum, qui intelligunt panem corporalem, hoc est, omnia illa, quæ ad sustentationem hujus vitæ sunt necessaria. Unde theologi dicunt nomine *panis* intelligi triplicem panem. 1. panem benedictionis & satietatis, h. e. panem illum, cui Deus benedicit, & per quem nos satiat. 2. panem sanitatis & felicitatis, h. e. panem illum, qui non gignit morbos. 3. panem pacis & tranquillitatis, h. e. panem illum, quem manducamus cum pace & tranquillitate

tum

tum publica, tum domestica. Si unus ex his gradibus desit, vel nihil, vel certe parū vtilitatis ex pane ad nos redit. Deinde particula *Noster* cōplectitur panē proprietatis seu vocationis, & panē charitatis. Nā petimus, vt Deus nostrū largiri dignetur nobis panē, non vero aliorum hominū, id est, vt nobis in nostra vocatione assistere, omnibusq; nostris possessionibus & laboribus benedicere velit, vt sine furto & fraudib. vitæ nostræ necessaria prouideamus. Porro vox *Quotidianum* denotat panē frugalitatis. Vocatur enim panis quotidianus, qui diebus singulis est necessarius: quia neq; superfluū quid, neq; curiosum petimus, sed quantū ad simplicē victū & amictum vno die sufficit, maxime cum peregrinos nos & hospites in hac vita esse sciamus. Vox *Nobis* denotat panē mendicitatis seu misericordiæ. Mendicamus enim à Deo panē, inde ab infimis mendicis vsq; ad summos reges. Denique particula *Hodie* totum vitæ temporalis tempus significat, adeoq; notat panem sufficientiæ, qui nobis sit satis toto vitæ tempore. Quotidie enim debemus hunc panem petere, donec ex hac miseriarum valle liberemur. Aliud quid etiam nobis insinuat hæc particula: nos videl. hodie à Deo petere hunc panem, quia nolumus in crastinum esse soliciti, eo quod nesciamus an die crastina victuri simus. Ita enim Christus Seruator nos docuit *Matth. 6.* nempe nonnisi de præsenti esse solicitos. Quamobrem panem, qui hodie solum sufficiat, petimus hodie, & panem cras necessarium, cras quoque petemus. Quid, inquis, si de præsenti tantum soliciti esse debemus, an non illi peccant, qui de annona, vino, & similibus in totum annum sibi prospiciunt? Resp. Dominus noster, quando nonnisi circa præsens solicitudinem nostram versari voluit, nihil aliud quam à superfluis curis abstinere nos docuit, quæ vehementer orationem totumque pietatis cursum impediunt. Propterea, si cura & solicitudo de futuro, non sit superflua, & ethnica, conjuncta cum diffidentia, sed necessaria, & pertinens ad officium nostrum, certe non est malum curare futura. Imo cura hæc de crastino, seu de futuro, non tam est de crastino, quam de hodierno, quia si semper in crastinum expectare vellemus, nunquam tempestiue ea quæ sunt necessaria, vsu nobis venirent. Examinemus etiam particulā *Da*. Hac admonemur, omnem nostrum laborē in nihilum recidere, nisi Deus det nobis id quod conamur assequi. Videmus enim sæpe, quod quantumuis homines in cōserendis & demetendis agris laborent, nihil tamen inde habeant, quo vitam tolerent. Deinde quando hanc particulam proferimus, non solum petimus, vt Deus in pane procurando & acquirendo nobis succurrat, sed etiam, dum eum percipimus, sanctificet ac benedicat, vt nimirum nobis proficiat, & animæ corporiq; vtilis sit.

II. Hac petitione vti oportet ad extimulandā diligentiam in vocatione,

ne,extirpandam auaritiam,patienti animo ferendam paupertatèm,& denique ad gratiarum actionem pro bonis temporalibus,vtpote quæ à solo Deo dantur. *Gen.32.*

Conclusio. Quando hanc petitionem recitamus, diutule subsistamus ad singula illius verba,& hoc commentariolo illa exornemus: Pater cœlestis da mihi portionem demensi mei;benedic insuper portioni, quam mihi das: da vt pane meo fruar cum pace publica & domestica: neque solum mihi hæc largire,sed omnibus meis fratribus,qui æque sunt mendici atq; ego:deniq; auerte bellum,famem,pestem,& largire nobis hanc gratiam, ne corda nostra grauentur crapula, ebrietate,& impia solicitudine turpique auaritia.

CONCIO XXX.

Quinta petitio orationis Dominicæ.

Exordium. In precedentibus petitionibus petiuimus à Deo bona:in sequentibus oramus,vt liberemur ab omni malo,præterito,præsenti & futuro. Quare manet illud, quod supra diximus, in hac oratione contineri omne id,quod peti potest. Jam considerabimus quintam petitionem, in qua petimus à Deo pretiosissimum thesaurum, videl. remissionem peccatorum.

Propositio. Adferemus sensum & vsum hujus petitionis.

Tractatio. 1. Principio peccata nostra vocantur *debita* tribus de causis. *Prima* est,quia quilibet homo peccando offendit Deum, atque idcirco est debitor illius,vt ei pro illata injuria satisfaciat. *Secunda*: quia qui peccat,legem Dei violat. Cum vero lex illa præmium promittat obedientibus,& pœnam intentet præuaricatoribus, ideo peccator est debitor, vt pœnam istam exsoluat. *Tertia* est: quia quilibet Christianus obligatur colere vineam animæ suæ,& reddere Deo fructus bonorum operum. Quare cum bona opera non proferimus,debitores simus Deo, tanquam patrono & domino istius vineæ. Atque hæc sunt grauia & grandia illa debita,quorum remissionem quotidie petimus his de causis. 1. Ut quotidie nos humiliemus,quoties peccatorum nostrorum recordamur. 2. Ut in mentem nobis veniat,nos ne minimum quidem bonum,quod hic petimus,esse promeritos. 3. Quia quotidie multis modis delinquimus,admittendo peccata commissionis & omissionis;æquum est, vt quotidie petamus remissionem peccatorum. 4. Quia remissio peccatorum est fundamentum cultus,qui Deo placet. Fieri enim non potest,vt precatio, & similia opera Deo placeant,nisi peccata nobis sint remissa. Sed, inquis, Deus semel & simul nobis remittit peccata. Non igitur est necesse,vt toties

nes ab illo petamus remissionem peccatorum. Resp. Hoc petimus, vt Deus magis magisque sensum istius beneficij nobis ingeneret, & corda nostra obsignet hoc sigillo, peccata nobis esse remissa. Petimus, inquam, vt Deus per tria hæc infallibilia signa, puta per pœnitentiam, fidem, & nouam obedientiam, nos certiores reddat de remissione omnium & singulorum nostrorum peccatorum. Ad nouam istam obedientiam etiam pertinet placabilitas, de qua Seruator ait, *sicut & nos remittimus debitoribus nostris.* Quæ verba non continent causam remissionis peccatorum, sed fructum & signum illius. Nam illi, quibus remissa sunt peccata, hanc ipsam misericordiam exercent erga proximum suum, vt illi remittant offensas, maximas, medioximas & minimas. Quando igitur dicimus, nos etiam inimicis nostris injurias remittere, misericordiam nobis placere ostendimus, & condonationem illam generosi ac nobilis animi, hoc est, veræ Christianipectoris, argumentum esse judicamus. Condona igitur proximo tuo, anima mea, vt si quando tu à Deo misericordiam petis, ille non respondeat, quomodo tu misericordiam à me petis, qui misericordiæ hostis es: & quomodo, vt ego tibi condonem, petis, qui condonationem illam abjecti animi signum ducis? Ex quibus intelligimus, valde necessarium esse, vt proximis remittamus offensas ipsorum: quia contra nos ipsos oramus, quamdiu proximo non condonamus. Et Deus non audit illos, quorum cor est conspurcatum odio & rancore, neque illis remittit peccata, neque cultum ab illis profectum acceptat. *Matth. c. 5.* Vitemus igitur implacabilitatem; quia vbi est hujusmodi cor, ibi Deus Pater, Filius & Spiritus S. non potest neque vult habitare. Neque est, quod dicas nimis multa & atrocia esse debita proximi. Tu enim pluribus majoribus & atrocioribus peccatis Deum offendisti, quam proximus te offendit. Deus tibi condonat centum talenta: & tu grauaris proximo condonare centum drachmas. Deus quotidie tibi condonat grauissimas quasque iniquitates: tu semel atque iterum remittis proximo tuo hanc vel illam offensiunculam, atque ita tonnam auri redimis teruncio, imo calamo stramineo. Ad extremum obserua, nos quotidie petere à Deo remissionem peccatorum, sicut & nos remittimus debitoribus nostris, vt quotidie redeamus in gratiam cum proximo, ne mors nos acceleret, imperatosque offendat.

II. Hac precationis particula debemus vti ad consolationem & informationem. Primo enim vita hominis Christiani nihil debet esse aliud, quam quotidianum, deuotum, & sanctum suspirium, sitis & esuries gratiæ Dei in Christo, adeoque remissionis peccatorum. Deinde vita nostra nihil aliud debet esse quam mera patientia, mansuetudo & placabilitas. Denique cum sentimus luctam illam in nobis, qua ex animo cona-

mur proximo remittere offensas, quibus nos offendit, debemus esse bono animo, & inde colligere, Deum nobis remisisse peccata nostra.

Conclusio. Quoties recitas hanc petitionem, hæc cogitatio subeat animum tuum: Mi Pater, agnosco, confiteor & doleo, me esse miserrimum peccatorem. Ideo supplex te rogo, vt non intres in judicium cum seruo tuo, sed omnia mea peccata mihi remittas propter Christum Dominum meum, mihique largiaris cor placabile & Spiritum mansuetum, atque in hac gratia me conserues ad finem vitæ meæ.

CONCIO XXXI.

Sexta petitio Orationis Dominicæ.

Exordium. Descendimus ad sextam & vltimam petitionem, cujus duo sunt veluti rami, quos nonnulli existimant esse distinctas petitiones. Qua de re non est quod litigemus: cum vtraque opinio admitti possit citra jacturam salutis.

Propositio. Pro more nostro videbimus de sensu & vsu hujus petitionis.

Tractatio. I. Tentatio est duplex: ad bonum, & ad malum. Tentatio ad bonum est bona: quia proficiscitur à Deo, quando illo fidem & patientiam nostram probat per falsam doctrinam, calamitatem, paupertatem, morbum & similia, vt nos humiliet, fidem & fidei obedientiam augeat infirmitatis nostræ nos conuincat, & fibras vitiorum in hoc clibano comburat. Tentatio ad malum est mala: quia proficiscitur à Diabolo, qui tribus modis nos tentat, quomodo & Christum tentauit. Primo nos tentat per paupertatem, famem & miseriam: deinde per diuitias, honorem & potentiam: tertio per securitatem. Vtitur autem diabolus duobus administris: videlicet mundo & carne nostra. Nam Satan tentat nos per scandala, quæ passim in mundo regnant, & sunt velut esca, qua capiuntur pisces & aues: & caro nostra solicitat nos ad concupiscentiam inordinatam, iracundiam, impatientiam, & similia. Hæ tentationes vincuntur per fidem, quæ nititur victoria Christi: per gladium Spiritus, hoc est, per verbum Dei: per patientiam: & denique per precationem, nominatim autem per orationem Dominicam, in qua subinde ingeminare oportet hæc verba: *Et ne nos inducas in tentationem:* hoc est, Quandoquidem hinc infirmitatem naturæ nostræ cognoscimus, & fragilitatem deploramus, inde vero fraudulentiam & potentiam dæmonis experimur, tu Deus, Pater cœlestis, ne sine nos pulsari tentatione; aut si tibi placet nos tentare, vel Satanæ tentandos tradere, quæso ne permitte nos à tentatione

superari, quàm vel ipse immittis, vel per Satanam fieri permittis, sed da vt reportemus victoriam: atque ita *libera nos à malo*; ab omni, inquam, malo, quod salutem animæ impedire potest, nominatim vero à diabolo, architecto omnis mali, qui conatur voluntatem nostram à te auertere, & ad se conuertere, quod est summum hominis malum: qui præterea insidias struit corpori & vitæ nostræ, bonis nostris temporalibus, famæ & existimationi nostræ, denique omnibus bonis animi, corporis & fortunæ, & in locum illorum omnis generis mala conatur introducere. Contra hunc malignum præsentissima medicina est fides, patientia & precatio, quemadmodum etiam paulo ante diximus de remedijs tentationum.

II. Hac petitione vteris, mi fili. 1. Ad patientiam, quæ est optimum remedium tentationum. Hanc igitur medicinam tibi compara. Nam si velis Deo seruire, non est quod existimes te fore liberum à tentationibus. Muni ergo pectus tuum scuto patientiæ, hoc est, indue humilem & quietam voluntatem, quæ se submittit voluntati Dei. Memineris tibi esse pugnandum, vt post pugnam coroneris cum Apostolo. *2. Timoth. cap. 4.* 2. Ad victoriam tui ipsius: vt vincas tentationes carnis tuæ serijs precibus, sacris meditationibus, conuersatione cum pijs & exercitatis Dei athletis, & similibus armis. Semine tentationum in ipso ouo & herba extingue, vt ne parua scintilla pariat immensam flammam. 3. Ad probam seu examen tui ipsius: vt explores num profeceris in fide, patientia, humilitate, & similibus; vel etiamnum proficias. 4. Ad solicitudinem maximam: vt sobrius sis & euigilans, ne diabolus ex improuiso te imparatum aggrediatur.

Conclusio. Quoties hanc petitionem recitas, sequentem exegesin in corde tuo superadde: Pater optime, quia infirmi sumus, & multi hostes, ijque potentes cadunt à dextris & sinistris, largire nobis Spiritum S. & indue nos vniuersa tua armatura, vt Satanam vincamus, & illius tentationes superemus: crucifige in nobis carnem, quæ concupiscit aduersus Spiritum: da, vt immundo huic mundo moriamur: libera denique nos à malo, siue simus in vita, siue in morte, siue circumfluamus rebus secundis, siue exerceamur rebus aduersis, vt ne, si ab hostibus nostris superemur, gloria potentiæ & misericordiæ tuæ in dubium vocetur à nobis infirmis peccatoribus.

CONCIO XXXII.

Epilogus Orationis Dominicæ.

Exordium. Quemadmodum Christus, cœlestis ille doctor, diuinissimam suam orationem, breuiarium illud Euangelij, neruosa & pathetica præfatione exornauit: ita eandem splendidissima, suauissima, & neruosissima conclusione, tanquam coronide, commendabiliorem reddidit.

Propositio. Hujus epilogi videbimus sensum & vsum.

Tractatio. I. Sicut ædificium altum firmo fundamento inniti oportet: ita precatio nostra, quæ nubes perrumpere & cœlum contingere debet, firmissimum requirit fundamentum, & columnas solidissimas. Fundamentum illud non est meritum, dignitas aut potentia aliqua nostra: sed est patrium Dei cor in Christo. Columnæ sunt numero tres: videlicet regnum Dei, ejus potentia, & gloria: ita vt hic sit sensus. Quæ hactenus petiuimus, Pater cœlestis, à te vno expectamus, & certo confidimus te nobis illa daturum. Tu enim habes *regnum*: & in tuo regno es infinite *potens*: & regnum atque potentia tua coruscant infinita *gloria*: & hæc omnia sunt *sempiterna*. Dicimus igitur cordate *Amen* in Christo Jesu, in quo omnes promissiones sunt Ναὶ καὶ ἀμήν.

II. Vsus hujus epilogi est triplex. Primo debemus preces nostras finire laude Dei: quemadmodum videmus Psalterium, optimum illum librum precum, claudi hoc epinicio: *Omnis anima laudet Dominum, Hallelujah.* Deinde quoties aliquid à Deo petimus, debemus exordium & clausulam orationis Dominicæ conjungere, vt ita in nobis accendatur filialis fiducia, Deum velle & posse nobis dare quod petimus. Tertio in omnibus precibus oportet vt adhibeamus sigillum istud, *Amen*, quod ore exprimendum & cordi imprimendum est, vt ita pectus occlusum, seu obsignatum, non admittat dubitationum procellas.

Conclusio. Ita ad finem perduximus orationem Dominicam, cujus summam ex pijs quibusdam doctoribus ita colligimus. Sex sunt petitiones orationis Dominicæ, quæ nos sacrosanctæ Trinitatis commonefacere possunt. Petimus enim vt nomen Dei sanctificetur, regnum ejus adueniat, illiusque voluntas fiat: è quibus prima petitio potissimum respicit Patrem, qui est fons Trinitatis, & cujus nomen in præfatione hujus orationis totam Trinitatem repræsentat; secunda, Filium, cujus regnum est partum ipsius sanguine; tertiam Spiritu Sanctum, qui nos regenerat. Deinde petimus panem quotidianum, remissionem peccatorum, & defensionem à malo: è quibus illud potest referri principaliter ad crea-

ad creationem, quæ tribuitur Patri; istud ad redemtionem, quæ tribuitur Filio; hoc ad regenerationem, quæ tribuitur Spiritui Sancto. Denique præfatio & epilogus similiter nos commonefaciunt sacrosanctæ Trinitatis. Compellamus enim Patrem in nomine Filij per Spiritum Sanctum: & regnum potentiæ seu vniuersitatis hujus peculiariter tribuitur Patri, potentia seu robur Filio vincenti hostes, gloria Spiritui Sancto nos regeneranti veramque gloriam in nobis procuranti. Huic DEO vni & trino sit laus, honos, & gloria in secula seculorum, Amen.

CONCIO XXIII.

Homilia super Institutionem baptismi.

Concio baptismatica.

Exordium. Quemadmodum medicina nihil prodest, nisi applicetur: ita cœlestis illa panacea, videl. Christus cum omnibus suis thesauris, non prodest nobis, nisi à Spiritu S. nobis applicetur per veram fidem. Cuius applicationis media duo semper fuerunt, inde ab exordio mundi vsque ad nostram memoriam: videlicet verbum & sacramenta; è quibus verbum est velut epistola, in qua promittitur magnus thesaurus, sacramenta sunt veluti sigilla, quibus promissio ista obsignatur, & nominatim cuilibet credenti applicatur. Nam promissio gratiæ, quæ in verbo est generalis, per vsum sacramentorum fit specialissima, dum singuli credentes sibi applicant meritum Christi. Sunt autem duo sacramenta noui testamenti, baptismus & sacra cœna, quæ successerunt in locum circumcisionis & Paschæ, duorum Veteris Testam. sacramentorum. Nos in præsentia differemus in timore Domini de baptismo.

Propositio. Indicabimus genuinum sensum & vsum verborum Institutionis baptismi.

Tractatio. 1. Verba institutionis habent in se verbum præceptionis, promissionis, & comminationis. *Verbum præceptionis* est triplex, Ite, docete, baptizare. *Ite*, hoc est, non in Judæa tantum manete, sed etiam abite ad gentes, hactenus extorres & alienas à republica Israelis. *Docete*, hoc est, ex non-Christianis facite Christianos, instituendo illos in religione Christiana. Postquam autem illi professi fuerint Christianam religionem, illos *baptizate*, hoc est, in aquam immergite: sed ita, vt hoc faciatis *in nomen Patris, Filij, & Spiritus Sancti*, hoc est, inuocato Patre, Filio, & Spiritu Sancto. *Verbum promissionis* ita habet: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, seruabitur*: hoc est, qui fuerit immersus in aquam, inuocato Patre, Filio, & Spiritu Sancto, ita vt per veram fidem cooptetur in familiam Dei vnius & trini, tanquam hæres, ille sine dubio consequetur vitam

æternam. *Verbum comminationis* est ibi: *Qui vero non crediderit, condemnabitur*, hoc est, qui fuerit immersus in aquam inuocato nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti, sed ita, vt per veram fidem non coopteretur in illustrem illam familiam, ille sine dubio damnabitur: quia tamet si baptizatus fuerit, non tamen placet Deo, quippe qui absque fide accepit hunc externum ritum. Ex hac explicatione facile est judicare de dignitate, necessitate, & vtilitate baptismi. *Dignitas* pendet à causa efficiente, quæ est CHRISTVS: item à materia & forma, quia baptismus est aqua sanctificata verbo præceptionis & promissionis DEI, adeoque verbo DEI alligata. Nam habemus hic verbum institutionis, *baptizate*. Habemus verbum præsentiæ, *in nomen Patris, &c.* Habemus verbum efficaciæ, *qui crediderit & baptizatus fuerit, &c.* Vnde porro consequitur verbum fœderis, applicationis, & regenerationis, seu mortificationis veteris hominis, & viuificationis noui. Nam electi, qui baptizantur, accipiunt signum fœderis tanquam confœderati DEI. *1. Petr. cap. 3.* & CHRISTVM induunt, adeoque sanguinem ejus sibi applicant. *Act. cap. 22. Rom. c. 6. Gal. c. 3.* denique regenerantur ad spem vitæ æternæ, per mortificationem veteris & viuificationē noui hominis. *Rom. cap. 6.* Porro *necessitas baptismi* est gemina, mandati & medij. Nam Ecclesia Christi obligatur seruare ordinem à Deo sancitum *Matth. cap. 28.* & tenetur obseruare media, per quæ Deus salutem ordinarie confert. Inter ista vero media baptismus non infimum tenet locum. Ille siquidem est medium incorporationis & insitionis in Christum & Ecclesiam. *Actor. cap. 2.* desponsationis cum Christo *1. Corinth. cap. 12.* nostræ regenerationis. *Roman. cap. 6.* & communionis sanctorum. *Galat. cap. 3.* Quæ omnia patent ex eo, quod baptismus est sacramentum initiationis, quemadmodum circumcisio fuit in Veteri Testamento; & quia omnes ceremoniæ baptismaticæ omnia ista mysteria tanquam in nitidissimo speculo & viua pictura exhibent. Denique *vtilitas* & fructus baptismi est, significare, obsignare, & in legitimo vsu nobis exhibere hæc beneficia, remissionem peccatorum, regenerationem, & resurrectionem gloriosam, adeoque cœlestes illos thesauros, qui in sanguine Christi tanquam in fasciculo continentur, videlicet justitiam, pacem & gaudium conscientiæ, nouam obedientiam, & Spiritum adoptionis. Sed non est, quod existimes, anima mea, elementum aquæ hæc alia & tanta præstare. Non ita est, Spiritus Sanctus hoc facit per aquam in legitimo vsu, juxta illud piæ antiquitatis:

Sanctus in hunc cœlo descendit Spiritus amnem,
Cœlestique sacras fonte maritat aquas.

Concipit

Concipit vnde Deum, sanctamque liquoribus almis
Edit ab æterno semine progeniem.

Hujus rei figuram vide *Johan. cap. quinto.* Quemadmodum enim aqua piscinæ probaticæ non in se habebat vim sanandi, sed illam accipiebat ab Angelo: ita aqua baptismi sine efficacia Spiritus Sancti nihil agit. Oportet igitur vt causa princeps conjuncta maneat cum organica.

II. Vtere baptismo tuo ad doctrinam, institutionem & consolationem. *Ad doctrinam:* quia cum vides infantes baptizari, aut recordaris baptismi, vniuersum salutis negotium in baptismo contemplare. Nam aqua significat sanguinem CHRISTI, aspersio aquæ notat ablutionem animæ, & applicationem meriti CHRISTI & mundationem animæ per quotidianam pœnitentiam. Aspersio, vel immersio trina, tibi ob oculos ponit sacrosanctam Trinitatem. Emersio notat viuificationem noui hominis, sicut immersio mortificationem veteris. *Ad institutionem:* quia baptismus debet tibi esse stimulus ad sanctam vitam: Si enim in peccatis contra conscientiam pergis, obliuiscēris baptismi tui, & fœderis, & mortis CHRISTI. Quare vita tua debet esse quotidianus baptismus, in quo cum CHRISTO sepeliaris, & cum eodem resurgas. Hoc præfigurauit DEVS per miraculosum transitum Israelitarum per mare rubrum *Exod. cap. 14. 1. Corinth. cap. 10.* Quemadmodum enim Pharao cum suis in rubro mari submersus fuit: ita oportet vt in baptismo suffocemus veterem nostrum Adamum. Rursus quemadmodum Israelitæ per mare rubrum incolumes transierunt, liberati ex faucibus Pharaonis: ita nos per baptismum debemus viuificare nouum hominem, vt ita baptismus peccatis nostris sit mors, nouo autem homini vita.

Porro quemadmodum aquæ diluuij obruerunt impios: ita aqua baptismi obruere debet carnem nostram impuram. Rursus quemadmodum Noe in aquis diluuij fuit conseruatus per arcam: ita nos nouum hominem debemus conseruare per baptismum nostrum. *1. Petr. cap. tertio.* Hæc quotidie meditemur, ne forte abnegemus aut ejuremus baptismum nostrum, in quo solenni juramento nos obstrinximus, & velut homagium præstitimus, quod velimus Deo nostro esse fideles. *Ad consolationem:* quia in baptismo accepisti CHRISTVM & Spiritum Sanctum, dices: quid faciat mihi homo, cum Deus sit meus pater! quid faciat mihi peccatum, cum Christus sit mea justitia! quid faciat mihi mors, cum Christus sit mea vita! quid faciat mihi Diabolus,

impurus ille Spiritus, cum acceperim & habeam Spiritum Sanctum? Cum igitur hæc bona gratiæ acceperim, Deus certo mihi etiam dabit bona gloriæ. Cujus rei signum & sacramentum etiam est baptismus meus. Dicam itaque cum Dauide: Quid faciat mihi incircumcisus iste?

Conclusio. Hæc est Christiana baptismi meditatio, theorica juxta & practica: in qua memineris, nos non considerare seorsim aquam, sed quatenus illa conjuncta est cum sanguine Christi, conjunctione seu vnione sacramentali, quæ pendet ab vsu legitimo, adeoque ab institutione Dei præcipientis & promittentis, atque à fide hominis electi credentis.

CONCIO XXXIV.

Institutio Sacræ Cœnæ.

Concio Eucharistica. J. p. 323.

Exordium. Sancti Patriarchæ & reges Veteris Testamenti, jam jam moribundi testamenta condiderunt, vt legere est in historia Isaaci, Jacobi, Josephi & Dauidis. *Genes. 27. 49. 50. & 2. Sam. 23.* Quo ipso affectum suum erga posteros testati sunt. Tale quid etiam legimus in historia passionis Christi. Cum enim almus ille Seruator noster mortem crucis ex decreto Patris sibi gustandam esse sciret, instituit testamentum in quo nos scripsit hæredes ex asse, nobisque seipsum fruendum dedit. Tenorem hujus testamenti in præsentia videbimus.

Propositio. Sanam doctrinam & vsum in timore Domini trademus.

Tractatio. I. In verbis institutionis tria occurrunt; author, tempus, & modus institutionis. *Author* est JESVS CHRISTVS, qui in vnitate personæ est Deus & homo; ratione officij Propheta, Sacerdos & Rex supremus; ratione beneficiorum, seruator noster merito & efficacia. Nostrarum itaque partium est, hanc ipsius ordinationem magni facere, nec ipsum ad iram prouocemus, & ipsius beneficijs nos ipsos priuemus. Tempus fuit illa nox, qua Christus debuit gustare mortem pro nobis. Hoc tempore condidit suum testamentum, in quo illo nos scripsit ac instituit hæredes, & nobis legauit justitiam & vitam æternam. Nostri ergo muneris est, hoc testamento nos defendere aduersus hostes nostros, qui mouent nobis litem de hæreditate nostra. Oportet insuper vt ita viuamus, quemadmodum hæredes probos decet, ne nos ipsos indignos reddamus hac hæreditate. *Modus* institutionis cernitur in duabus partibus, consecratione videl. panis & vini. Vtrobiq; est gratiarum actio, ritus externus, præceptio, & promissio. *Gratiarũ actio* seu benedictio, est sanctificatio symbolorum,

lorum, hoc est, illorū segregatio à cōmuni vsu, & ordinatio ad vsum sublimem & mysticum; qua factum est, vt panis & vinum acceperint aliam vocationem, seu aliud officium, quod consistit in significatione, obsignatione & præbitione sacramentali. Nam accedente verbo ad elementum, fit sacramentum, hoc est, medium applicationis meriti & efficacię Christi. *Ritus externus* est in acceptione & fractione panis: item in acceptione poculi, & illius traditione. Unde cōstat rituum simplicitatem commendare hoc sacramentum. *Præceptum* est in iis verbis: *Accipite, comedite:* item, *Bibite ex eo omnes.* Unde discimus, Christum esse cibum & potum nostrum spiritualem. Quemadmodum enim panem eucharisticum edimus, & vinum eucharisticum bibimus: ita corpus Christi vera fide accipimus & comedimus, illiusque sanguinem bibimus omnes, qui sumus ipsius γνήσιοι discipuli. *Promissio* est in illis verbis: *Hoc est corpus meum:* item, *Hoc est enim sanguis meus noui fœderis, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorū.* His verbis continetur nucleus & anima sacramenti. Nam hoc vinculo vniuntur panis & corpus, vinum & sanguis Christi in corde hominis credentis, ita vt Christus reuera exhibeatur homini vera fide prædito.

II. Salutaris vsus hujus doctrinæ consistit in sequentibus. 1. Quia Christus & sacra symbola hic vniuntur, & vero ratio illud non capit, rationi nostræ non est laxanda habena in hujus mysterii consideratione. Hic locum habeat illud: *Melius est, imitatorem esse humilitatis Christi, quam scrutatorem maiestatis.* 2. Quia fide firma tenemus, nos Christum, diuinissimum & præstantissimum illum thesaurum, in sacra cœna accipere, studeamus accedere ad hoc epulum humili corde. Reuocemus nobis in memoriam nostram indignitatem, & Dei majestatem. Perinde est, quando ad mensam Domini accedimus, atque si mendicus ad epulum regium vocetur. O anima mea, quid amplius expetis à Domino tuo? Dic cum Christo intrante domum Zachæi: *Hodie domui isti salus contigit.* Dic cum Mephiboseth: *Quis sum ego canis mortuus, qui edam de mensa regis?* Ah sanctissime Domine, tu venis ad me impurissimum! Ah ditissime rex regum, tu vocas ad mensam tuam me paupertimum homuncionem! Humiliare igitur anima mea, & reuerenter habe hanc mensam. 3. Oportet, vt grata mente recordemur Domini nostri: ita videl. vt firma memoria complectamur hoc tantum beneficium, quo Christus nos redemit à morte, nosq; redemtos sibi vnit, & in nobis habitat. Nimirum sacra cœna est testis hujus redemtionis luculentissimus. Sicut enim tres sunt in cœlo, qui testātur, Pater, Sermo, & Spiritus sanctus: ita etiam tres sunt in terris qui testāntur, videl. spiritus, aqua, & sanguis. Sanguis Christi tanquā testis vindictam inclamat super impios, & liberationem super electos.

Hic testis confirmet fidem nostram, & soletur miserias nostras. 4. Sacra cœna est pignus amoris ardentissimi, quo Christus nos est complexus. Neque enim majus amoris pignus esse potuit, quam corpus & sanguinem suum pro alterius vita dare. Hoc amore nos erigamus in æstu tentationum. Sed & reciprocemus amorem nostrum, & huic Seruatori nostro gratias agamus pro omnibus beneficiis, quorum epitome & fasciculus est sacra cœna. 5. Quia sacra cœna æque ad omnes electos pertinet, nos inuicem mutua charitate complectamur.

Conclusio. Quotidie disce meditari sacram cœnam, & ad illam frequenter accede, vt hinc discas velut in speculo quid sit Christus animæ credenti, videl. cibus & potus, adeoque vitæ æternæ ac spiritualis author: vt insuper hoc cibo & potu naturam hominis spiritualis confortes, siue tibi sit eundum per vallem vmbræ mortis & cum hostibus tuis acerrimis pugnandum, siue incrementum donorum spiritualium procurandum.

CONCIO XXXV.

Potestas clauium ex Matth. 18.

Exordium. Memorabilis est historia *2. Sam.* 12. de Dauidis pœnitentia & absolutione: quia omnia requisita veræ absolutionis, ejusdemq; effecta ibi occurrunt. Quo etiam pertinet historia de sorore Mosis *Num.* 12. vbi Deus ipse officium clauium exercuit. Ad hanc doctrinam per Dei gratiã peruenimus, tanquam sextum caput, adeoq; colophonem Catechismi.

Propositio. Dicemus de duplici potestate clauium, communi videlic. & singulari seu pastorali siue ecclesiastica. Illa est communis omnium Christianorum, hæc est propria ministrorum verbi.

Tractatio. I. Potestas clauium seu disciplina ecclesiastica est communis & singularis. *Potestas communis* tribus gradibus absoluitur: videl. admonitione clanculari, correctione quæ fit præsentibus testibus, & delatione fratris incorrigibilis ad ministerium ecclesiasticũ. Hæc est scala charitatis, per quã ascẽdere debemus in correctione proximi. Ne transiliamus gradus hujus scalæ, sed potestatẽ quã Dominus noster Jesus Christus, magister humilitatis & charitatis, nobis fecit in emendandis proximi lapsibus, ita vsurpemus, vt commissio & instructio ab ipso data postulat. Utinã hoc quotidie repeteremus memoria! Profecto minus iurarum, odiorum & turbarum in vita Christiana cerneretur.

II. Potestas clauium singularis seu pastoralis cernitur in absolutione & ligatione, ita vt vna clauis sit solutionis, altera ligationis. Per illam cœlũ aperitur pœnitentibus, per hanc cœlum clauditur impœnitentibus, hoc modo. *Principio* cœlũ aperitur & clauditur in genere quando publice pro concione peccatoribus resipiscentibus ex euangelio annũtiatur remissio

pec-

peccatorũ, quomodo videmus Esaiam facere *c.*1. & Deum ipsum *Ezeh.*18. utẽ Christum *Mat.*11. & apostolũ Paulum 1.*Tim.*1. è cõtrario autẽ peccatoribus impœnitentib. denuntiatur ira Dei, quãdiu in peccatis suis pertinaciter perseuerant. *Esa.*1. *Ezech.*18. & 33. *Gal.*5. *Eph.*5. 2.*Thes.*1. 1.*Cor.*16. *Gal.* 1. *Deinde* cœlum aperitur & clauditur huic vel illi peccatori in specie seu priuatim: vnde est absolutio priuata, & ligatio priuata. Quod attinet ad priuatã absolutionẽ, ibi consideratur absoluens, & absoluendus. Ex parte absoluentis, seu ministri verbi requiritur prudẽtia seu discretio spiritualis; ex parte absoluendi peccatoris requiritur pœnitentia. *Prudentia spiritualis* pastoris absoluentis consistit in his tribus. 1. vt gradus peccatorum discernat, ne forte peccatum grande & abnorme habeat pro paruo, vel viciss. 2. vt ingenia hominũ, qui peccarunt, discernat. v.g. desperabundos & pusillanimes à feroculis. 3. vt præmittat concionem legis concioni euangelii, & vtramque verbis scripturæ quoad ejus fieri potest enuntiet. *Matth* 9 *Luc.*7. & 19. 2.*Sam.*12. *Esa.*38. *Matth.* 3. *Pœnitentia peccatoris absoluendi* debet esse verbalis & realis. Pœnitentia verbalis consistit in confessione, non illa generali, quæ est totius ecclesiæ *Dan.*9. *Neh.*9. neque illa quotidiana, quæ fit coram Deo. *Psal.*32. & 38. *Luc.*18. neq; etiã illa, qua offensas nostras cõfitemur proximo, & profitemur reconciliationẽ *Jac.*5. sed in illa, qua corã ministro verbi, tanquã legato Dei, cõfitemur ex animo peccatum nostrum, & ab illo consolationẽ expetimus, exemplo Dauidis. 2.*Sam.*12. Hic obiter obserua, quod prima cõfessio dicatur congregationis, secunda contritionis, tertia reconciliationis, quarta cõsolationis. Pœnitẽtia realis consistit in emendatione vitę, ne redeamus cũ cane ad vomitũ, vel cũ sue ad volutabrum. Vsus hujus doctrinæ respectu pastoris est, vt discat consolari cõscientias afflictas, quæ absolutionẽ petũt: respectu peccatoris, vt meminerit, sibi nõ esse negotiũ cum homine, sed cũ Deo. Porro absolutio ista ecclesiastica est *vel solennis*, quando notorius peccator pœnitudine manifesti peccati ductus pœnitentiã suã testatur coram presbyterio, vel vniuerso ecclesiæ cœtu, & corã iisdẽ absoluitur à pastore: *vel secreta*, cũ peccator in ædib. priuatis à ministro verbi absoluitur. Atq; hæc est vna clauis ministerii ecclesiastici, quæ est euangelica, & dicitur clauis aperiens: altera clauis est legalis, & dicitur clauis claudens & ligans, item retentio peccati, vel ligatio peccatoris. Hæc similiter est secreta, vel solennis. *Secreta* est, quando peccatori impœnitenti remotis arbitris denuntiatur ira Dei & cœlum clauditur. *Solennis* fit coram presbyterio, vel ecclesia vniuersa: ita vt vel suspensio à sacra cœna, vel excommunicatio denuntietur. Exempla excommunicationis vide 1.*Corinth.*5. 1.*Timoth.*1. item in historia ecclesiastica, & perpetua ecclesiæ praxi. Vsus huius clauis regitur prudenti charitate, ita vt ligatio ista sit medicina, non carnificina; medicina, inquam, sanans morbum illius qui pec-

cauit. 1. *Cor.* 5. & præseruant alios à morbo isto, aut similibus grauibus lapsibus. 1. *Tim.* 5.

Conclusio. Atque hæc est potestas clauium, quæ nobis erit instar septi, quo reliqua capita Catecheseos continentur. Nam si fidem & vitam nostram instituimus juxta symbolum, decalogum, orationem Dominicã, institutionem baptismi & sacræ cœnæ, pastores verbi, tanquam legati Dei, nobis aperient cœlum: cuius rei consideratio nos continebit in officio, & simul seruiet consolationi. Nam quando minister Dei nos recte absoluit in terra, Deus simul nos absoluit in cœlo. *Math.* 16. & 18. *Joh.* 20. E contrario quando Catechesin nostram non transferimus ad praxin, pastor Ecclesiæ non potest nobis aperire cœlum, sed necesse est, vt illud nobis claudat, & nos liget. Quæ ligatio quantum habeat pondus, docet historia Uziæ 2. *Chron.* 26. quam diligenter meditemur, ne & hic excommunicemur ab ecclesia militante, & ibi ab ecclesia triumphante. Sed cõciones nostras Catecheticas nobis claudat illud dictum: Eruditio eruditionum est symbolum; virtus virtutum est decalogus; litania litaniarum est oratio Dominica: crucifixum crucifixorum est baptismus & Sacra cœna.

Alia methodus concionũ Catecheticarum monstratur.

Atque hæ sunt dispositiones concionum Catecheticarum, in quibus etiam sequens methodus adhiberi potest. 1. In singulis symboli articulis possunt esse tria membra: videl. expositio, confirmatio articuli ex præcipuis Scripturæ dictis, & applicatio ad vsum in vita Christiana. 2. In singulis decalogi præceptis duo possunt esse capita tractationis: Cognitio seu indicatio morbi, & illius curatio. Ibi peccata capitalia vt vocant, sunt cõmemoranda, & variæ species illis subjiciendæ: hic requiritur primo precatio pro remissione peccatorum, seu medicina ex euangelio; deinde emendatio vitæ juxta illud præceptum, quod explicamus. Consistit autem illa emendatio in fuga peccati, & studio virtutis. Ad fugam peccati peruenitur duobus modis: si nempe serio cogitetur origo peccati, & illius pœna. Ad studium virtutis peruenitur, si amor virtutis nobis implantetur consideratione originis & proemii virtutis, & nostri fini, ad quem creati, redemti & sanctificati sumus. In singulis igitur præceptis erit commemoratio peccatorum, precatio pro remissione istorum peccatorum, fuga eorundem peccatorum, & studium virtutum contrariarum. 3. In oratione Dominica in singulis petitionibus erunt tria capita tractationis: videl. expositio, confirmatio ex præcipuis Scripturæ dictis, & applicatio seu accommodatio ad praxin: perinde vt in symbolo. 4. In institutione baptismi & sacræ cœnæ possunt esse duo capita: praxis fidei circa symbolum, & praxis vitæ circa decalogum. 5. In potestate clauũ potest indicari sensus, & vsus. *Sed iam veniamus ad conciones locorum communium theologicorum.*

CAP.

CAP. XXV.

De concionibus locorum communium.

PRÆCEPTA.

Conciones locorum communium sunt, in quibus dogmata religionis Christianæ, populariter quidem, sed prolixe, non ex capitibus Catecheticis, sed ex contextu Scripturæ explicantur & applicantur.

Illarum spectatur idea methodica generalis, & diexodica consignatio.

Idea ipsarum methodica consistit in generalibus dispositionibus, quæ ita sunt comparatæ, vt omnibus fere textibus, qui tractant de isto loco communi (ad quem scilicet sunt directæ istæ dispositiones), possint accommodari.

Diexodica consignatio concionum locorum communium est plena, tum Logica, tum oratoria, illorum explicatio & applicatio.

REGVLÆ.

I. Idea locorum communium Ecclesiastice disposito-rum est duplex: vna generalis, altera specialis. *Idea locorum communium Ecclesiastice dispositorum duplex.*

Idea generalis est dispositio sic informata, vt non sit adstricta ad certum aliquem Scripturæ textum, sed libere concepta, ita vt possit ad omnes textus, qui de isto loco communi tractant, accommodari. *Idea specialis* est dispositio concionis accommodata certo textui: vt si habiturus concionem de Sacra Scriptura sumat textum *2.Tim.c.3.v.14. & seqq.* Nos trademus priorem ideam concionum per singulos locos communes. Ita enim candidatus ministerij Ecclesiastici, qui mediocri præditus est judicio, dispositionem generalem suo textui absque omni negotio accommodare poterit, mutatis nempe mutandis, verbigratia, dispositiones nostras loci de vita æterna poterit adhibere in tractatione textus *Matth.c.25.v.34.* vel *1.Cor.c.2.v.9.* vel *Apocal.c.21.* Quod attinet ad diexodicas harum concionum tractationes, illæ similitet sunt generales, vel speciales. Has tibi exhibent homiliastæ, qui scripserunt plenas conciones.

II. Dispositiones Ecclesiasticæ locorum communium sunt duum generum. *Dispositiones concionum locorum communium sunt duplices.*

Primum quædam adhibent methodum accuratiorem, & quam proxime accedunt ad scholasticas locorum communium dispositiones. *Deinde* aliæ deflectunt maxime ad methodum popularem. Nos dabimus exempla vtriusque modi: & primo quidem exhibebimus indicem dispositionum, quæ in systemate Theologico à nobis vulgato occurrunt: Deinde breues & neruosas dispositiones adferemus.

TERTIA CLASSIS

EXHIBENS

CONCIONES LOCORVM COMMVNIVM.

Index istarum Concionum, prout illæ alibi à nobis sunt tractatæ.

I. De verbo DEI. *Præcognit. Theolog. l. 1. cap. 16. Theol. didact. sect. 1. cap. 2.* De Theologia vide *d. l. Præcognitorum.*

II. De lege. *Præcognit. Theol. l. 2. cap. 103. Theol. Catech. sect. 2. cap. 19. Theol. didact. sect. 1. cap. 5. Theol. polem. par. 2. p. 108.* De Velamine Mosis. *Præcog. The. l. 2. c. 115.*

III. De Euangelio. *Theol. didact. s. 1. c. 7. Theol. polem. par. 2. pag. 126.*

IV. De Scriptura, Cur sit legenda, & quomodo? *Præcog. Theolo. l. 2. c. 13.* Typica dispositio librorum Scripturæ in genere, & in specie. *Præcognit. l. 2. post c. 15.* Modus & regulæ interpretandi Scripturam. *Præcog. l. 2. à p. 94. ad finem.* Ejus partitio. *Theol. did. s. 1. c. 3.* Proprietates. *Theol. did. s. 1. c. 7.* Lectio. *Theo. did. ib. c. 10.* Interpretatio. *Theo. did. ibid. c. 11.* Controversiæ circa hunc locum. *Theol. polem. par. 1. par. 2. pag. 221. 281.* Testimonia Scripturæ & Patrum de S. Scriptura. *Theol. polem. par. 2. p. 90. 91. 92. 93.* Casus conscientiæ circa hunc locum. *Theol. cas. c. 5.*

V. De religione. *Theol. Catech. s. 1. c. 1.* Vnde constet religionē Christianam esse veram? *Theol. polem. par. 3. pag. 221.* Casus conscientiæ circa hunc locum. *Theol. cas. c. 5. p. 67.*

VI. De Deo. *Præcog. Theol. l. 2. c. 103.* Ipsius essentia. *Theol Catec. s. 2. c. 1. Theol. did. s. 1. c. 13.* Ejus nomina. *Theol. did. ib. c. 14.* Ejus existentia. *Theol. nat par. 1. c. 2.* Ejus attributa, & illorum vsus multiplex. *Theol. natural. par. 1. c. 2. ad c. 16. Theol. did. s. 1. c. 15.* De S. sancta Trinitate. *Theol. Catec. s. 2. c. 1. Theol. polem. par. 1. cont. 2. par. 2. contr. 2. 3. par. 3. c. 2. & 8. Theol. casuum p. 6. cap. 5.* De omnipotentia Dei. *Theol. Catech. sect. 2. c. 1.*

VI. De Deo Patre. *The. Cat. s. 2. Theo. did. s. 1. c. 31. Theo. pol. par. 2. con. 2.*

VII. De Christo. Quod sit secunda persona deitatis. *Theol. Cat. s. 2. c. 1. Theol. did. s. 1. c. 30. Theol. pol. par. 2. c. 1. par. 2. cont. 1. par. 3. cōtr. 8. par. 3. cont. 1.* De nomine Jesus. *Theol. Cat. s. 2. c. 3. The. cas. c. 5.*

De no-

De nomine Christus. *Theol. Catech. ſ. 2. c. 3.* Quod ſit verus Meſſias. *Theol. pol. par. 1. cont. 3. par. 2. p. 114.* De ipſius incarnatione, conceptione, vnione hypoſtatica, natiuitate, paſſione, reſurrectione, aſcenſione in cœlũ, ſeſſione ad dextrã Patris, reditu ad judicium. *The. Cat. ſ. 2. à c. 4. ad 10. Theo. did. ſ. 4. à c. 5. ad 13. & c. 38. Theol. pol. par. 2. cont. 3. part 3. con. 7. par. 4. cont. 1. par. 5. con 3. & ſeqq. Theol. caſ. c. 6. p 83. & ſeqq.* Quomodo Chriſtus ſit pulchritudo omnium pulcherrima. *Th. caſ. c. 6. p. 100. & ſeqq.* De imitatione Chriſti. *The. caſ. ib. p. 111. & ſeqq.* De officio Chriſti. *Theol. Catech ſ. 2. c. 3. Theol. didact. ſect. 4. c. 13. Theol. polem. part. 3. contr. 8. pag. 241.*

VIII. De Spiritu S. *Theo. Cat. ſ. 2 c. 10. Theol. did. ſ. 1. c. 33. Theol. polem. pag. 98. 201. 255. Theol. caſ. cap. 7. p. 124. Theol. polem. part. 2. contr. 3. par. 3. contr. 4. 8.*

IX. De operibus Dei. *Theol. didact. ſ. 3. c. 1. ſ. 3. c. 5.*

X. De decretis Dei. *Theo. did. ſ. 2. c. 4.*

XI. De prouidentia. *Theol. Cat. ſ. 2. c. 1. Theol. nat. par. 1. c. 18. Theol. did. ſ. 2. c. 6. & ſ. 3. c. 6.* per totum librum tertium. *Theol. pol par. 2. p. 100. Theol. caſ. c. 5. p. 72.*

XII. De prædeſtinatione. *Theol. Catech. ſect. 2. c. 10. Theol. didact. ſect. 2 c. 7. & in toto libro quarto. The. pol. par. 2. p. 121. The. caſ. 143. c. 8.*

XIII. De creatione. *The. Cat. ſ. 2. p. 184. Th. did. ſ. 3. c. 2. Th. pol. p. 99. par. 2.*

XIV. De angelis. Ipſorũ creatio. *Theo. did. ſ. 3. c. 3.* Gubernatio. *The. did. ib. c. 15.* Prædeſtinatio. *The did. ſ. 2. c. 9. 11. ſ. 4. c. 1. 2. & ſ. 4. c. 37.*

XV. De homine. Ipſius creatio. *Theol. did. ſ. 3. c. 5. Theol. polem. part. 2. p. 102.* Ipſius gubernatio. *Theol. did. ſ. 3. c. 17.*

XVI. De fœdere. *Theol. Cat. ſ. 1. c. 2. Theol. did. ſ. 3. c. 17. & ſ. 4. c. 4. & c. 23.*

XVII. De peccato. *Theo. Cat. p. 100. ſ. 1. c. 5. Theol. did. ſ. 3. c. 18. Theo. pol. par. 2. p. 103. 105. part. 3. p. 205. & part. 4. pa. 462. Theol. caſ. c. 2. p. 17. & ſeqq.* vbi nominatim oſtenditur, quod peccatum ſit turpitudo omnium turpiſſima.

XVIII. De pœna peccati. *Theol. didact. ſ. 3. c. 21.*

XIX. De cruce piorum. *Theol. Catech. ſ. 2. c. 2.*

XX. De conſcientia. *Theol. caſ. c. 2. p. 6.*

XXI. De tentatione. *Theol. caſ. p. 3. c. 1.*

XXII. De ſtatu œconomico. *Theol. didact. ſ. 3. c. 22. Item Theol. Catech. ſ. 1. c. 3.*

XXIII. De ſtatu ſcholaſtico. *Theol. did. ſ. 3. cap. 23. Item Theol. Cat. ſ. 1. c. 3.*

XXIV. De ſtatu Eccleſiaſtico. *Theol. didact. ſ. 3. c. 24. Item Theol. Catech. ſect. 1. c. 3.*

XXV. De ſtatu politico. *Theol.didact.ſect.3.cap.25. Item Theol. Catechet. ſect.1.cap.3.*

XXVI. De ſummo hominis bono. *Præcog.Theol.part.1.c.10.*

XXVII. De militia hominis Chriſtiani. *Præcog.Theol.part.2.cap.4.Theol. Catech.in præfatione.*

XXVIII. De Eccleſia. *Theol.Catech.ſ.2.c.11.Theol.didact.ſ.4.c.14.Theol.polem.par.2.p.140.329.& ſeqq.Theol.caſuum p.133.cap.8.*

XXIX. De vocatione ad ſalutem. *Theo.did.ſ.4.c.24.Theol.caſ.p.144.c.8.*

XXX. De libero arbitrio. *Theol.didact.ſ.3.c.4.Theol.polem.part.2.p.106. & par.3.pag.265.& par.4.cont.5.p.478.Theol. Catec.ſ.2.c.12.*

XXXI. De juſtificatione. *Theol.didact.ſ.4.c.25.Theol.polem.part.2.p.133. par.2.pag.270.& par.4.con.4.pag.489.Theol.caſ.p.151.cap.9.*

XXXII. De fide. *Theol.Catec.ſect.2.c.2.Theol.didact.ſ.4.c.25.Theol.polem. par.2.pa.130.par.3.p.264.& par.4.pa.484.Theol.caſ.p.57 c.5.*

XXXIII. De ſanctificatione. *Theol.didact.ſ.4.c.26.Theol.polem.part.2.& par.4.p.498.*

XXXIV. De adoptione. *Theol.didact ſ.4.c.27.*

XXXV. De libertate Chriſtiana. *Theol.did.ibid c.28.*

XXXVI. De bonis temporalibus. *Theol.did ibi.c.30.*

XXXVII. De ſacramentis. *Theol.Catech.ſect.2.cap.15.Theol.didact.ſe.4.c.31. Theolog.polem.par.2.p.151.par.4.p.400 par.5.p.589.Theol.caſ. p.509.c.26.*

XXXVIII. De baptiſmo. *Theolog.Catech.ſect.2.p.420.Theol.didact.ſ.4.c.35. Theol.polem.par.2.p.158.par.3.p.251.par.4.p.410.par.5.p.593. Theol.caſ.p.518.c.26.*

XXXIX. De S. Cœna. *Theol.Catech.ſect.2.c.16.Theol.didact.ſect.4.cap.35. Theol.polem.p.160.ſect.2.part.3 p.248.part.4.p.418.p.5.p.598. Theol.caſ.p.526.c.26.*

XL. De precatione. *Theol.Catech.ſect.3.c.13.Theol.polem.p.2.p.171.part. 5.p.503.Theol.caſ.p.460.c.23.*

XLI. De ieiunio. *Theol.polem.part.5.p.506.Theol.caſ.p.298.c.15.*

XLII. De eleemoſyna. *Theol.polem.part.5.pag.509.Theol.caſ.p.368.c.15.*

XLIII. De pœnitentia. *Theol.didact.ſect.4.c.26.Theol.polem part.2.p.124. & part.4.p.435.*

XLIV. De diſciplina eccleſiaſtica. *Theol.Catech.ſect.3.c.24.Theol.did.ſ.4. cap.20.Theol.polem.p.169.p.2.*

XLV. De diſcrimine veteris & noui teſtamenti. *Theol.didact.ſect.4.c.34. & 35.Theol.polem.p.252.part.3.*

XLVI. De aduentu Chriſti vltimo. *Theol.Catech.ſ.2.c.9.Theol.didact.ſect. 4.c.38.Theol.caſ.p.98.c.6.ſect.4.c.38.*

XLVII. De

XLVII. De resurrection carnis. *Theol. nat. par. 1. c. 19. Theol. Catech. ſ. 2. c. 15. Theol. didact. ſ. 4. c. 39. Theol. caſp. 167. c. 10.* De immortalitate animæ. *Theol. nat. part. 1. c. 19.*

XLVIII. De vltimo judicio. *Theol. Catech. ſ. 2. c. 9. Theol. didact. ſ. 4. c. 11. Theol. caſ. p. 190. c. 11.*

XLIX. De vita æterna. *Theol. Catech. ſ. 2. c. 14. Theol. didact. ſ. 4. c. 41. Theol. Caſ. p. 192. c. 10.*

L. De morte æterna. *Theol. Catech. ſ. 2. c. 14. Theol. didact. ſect. 4. ca. 42. Theol. Caſ. p. 199. c. 11.*

Jam videamus breuiſſimas diſpoſitiones concionum per ſingulos locos communes theologicos: de quibus ſunt hæ regulæ. 1. Antecedentia, connexa & conſequentia: ſeu, protaſis, epitaſis & cataſtrophe: ſeu præparatoria, conjuncta ſiue modus, & euentus, vtiliter traduntur in hiſtoriis, factis, calamitatibus, miraculis Chriſti, & ſimilibus, quæ more comœdiæ, vel tragœdiæ, vel tragico-comœdiæ, ſolent conſiderari. Græcis dicuntur ἡγούμενα, συνεζευγμένα, ἐπόμενα; προλαμβάνοντα, συμβαίνοντα, ἐκβαίνοντα, προδιήγησις τῶν ἡγουμένων, διήγησις τῶν μέσων, ἐπιδιήγησις τῶν ἑπομένων. 2. In ſcripto aliquo, puta prophetica, epiſtola, oratione &c recte obſeruantur iſta tria; προλογος, λογος καὶ ἐπίλογος. 3. Cum agitur de ſtudio, opere vel re aliqua ſuſcipienda & exped ienda, indicare oportet finem, impedimenta, & media. 4. Propoſitio alicujus loci communis eleganter effertur metaphoris, paronomaſiis, & vocabulis didacticis. *Metaphoris:* vt dicturus de officio magiſtratus, promittat ſe recitaturum picturam vel ſpeculum boni principis. Sic theologia conferri poteſt cum medicina, & duæ ipſius partes conſtitui, vna pathologica, altera therapeutica. Ita de Chriſto dicturus, poteſt ipſum conferre cum medico, vel vite, vel paſtore bono. *Paronomaſiis:* vt officium boni paſtoris conſiſtit in docendo, ducendo, & lucendo: Homo conſideratur vt conſtitutus, deſtitutus, & reſtitutus; ſeu Quatuor ſunt ſtatus hominis, puta ſtatus confectionis, defectionis, refectionis, & perfectionis. Item, Homo Chriſtianus in ſua peregrinatione cogitet, quo eat, & qua eat. Sic, Concordia eſt vtilis in thoro, choro, & foro. Sic, Deus eſt Pater affectu & effectu, jure creationis & recreationis &c. *Vocabulis didacticis:* vt, Theologia eſt in pretio habenda, quia eſt à Deo, tractat de Deo, ducit ad Deum: Actiones Dei ſunt ante tempora, in tempore, & poſt tempora: Hic textus agit de Dei beneficio, & hominis officio. Huc pertinent iſta vocabula: Emblema, Hieroglyphicum, Symbolum, Apophthegma, Narratio, Promiſſio, Comminatio, Præceptum, Interdictum, Beneficium, Judicium, & ſimilia. v.g. dicturus de illo textu 1. *Johan. 1. Sanguis Jeſu Chriſti purgat nos ab omni peccato*, ſic informet propoſitionem: Videbimus ſymbolum ſiue teſſeram omnium Chriſtianorum. Ita *Matth. 10. Eſtote ſimplices vt columba, &*

bæ, & prudentes vt serpentes : hic, inquam, traditur hieroglyphicum hominis Christiani. 5. Versus memoriales vtiliter adhibentur loco propositionis: vt in historia passionis Christi dices, te consideraturum sex actus hoc versu comprehensos:

Cœna, Hortus, Caiphas, Pilatus,
Crux q; sepulchrum.

6. Propositio loci communis eleganter enuntiatur vocabulis ab vna litera incipientibus. v.g. in loco communi de Deo tria W possunt considerari, Gottes wesen/ Will/ vnnd Werck. 7. Personæ, res & actiones vtiliter obseruantur in constitutione propositionis exempli gratia Leuiticus agit de personis, rebus & actionibus sacris: In statibus vitæ humanæ occurrunt personæ, res & actiones. 8. In statibus vitæ humanæ oportet attendere ad fundationem, conseruationem, amplificationem, & curationem 9. Sæpenumero in tractatione alicujus thematis recitamus nomina, quæ rei tribuuntur, & illa explicamus. v.g. nomina Dei, nomina Christi, nomina Spiritus Sancti, ecclesiæ, vel vitæ æternæ. 10. Interdum partes, proprietates & species rei commemorantur. e.g. partes fœderis, proprietates, & species: partes sacramenti, proprietates, & species. 11. In tractatione virtutis ostendatur ipsius natura & cultura seu cura : seu, indicetur qualis sit illa virtus, cur ipsi sit studendum, & quomodo ad ipsius exercitium possit peruenirì. 12. In tractatione vitii ostendatur, quam illud sit fœdum, quam noxium, & quomodo cauendum. 13. In tractatione alicujus textus vide sensum & vsum. 14. Thema substantiale consideretur quantum ad essentiam, proprietates, & relationes, quæ sunt positæ in agendo & patiendo: vt Deus, Abraham, Moses. 15. Thema quantitatis tractatur ex loco parium, imparium, & effecti vtilis vel inutilis: e.g. magnitudo peccati, multitudo beneficiorum Dei. 16. Thema qualitatis tractatur ex loco proprii effecti & adjuncti, comparatorum, & oppositorum: vt fides, auaritia, spes. 17. Thema relationis consideratur quantum ad fundamentum, terminum, & respectum qui est inter ista duo, exempli gratia, sacramentum, conjugium &c. 18. Thema actionis expenditur duobus modis: videlicet ratione terminià quo, per quem, & ad quem e.g. creatio, peregrinatio filiorum Israel in deserto, vel peregrinatio apostoli Pauli. Item ratione trium interuallorum, quatenus actio est inchoata, continuata, & consummata; seu, quatenus spectatur ipsius principium, medium, & finis. 19. Thema passionis tractatur similiter vt thema actionis. e.g. passio Christi. 20. Thema prædicamenti *Quando* tractatur ex tribus differentiis temporis, quæ sunt fuisse, esse,

& fore: seu ratione præteriti, præsentis, & futuri. e. g. Ecclesia semper est sub cruce: vbi oportet percurrere interualla historica. 21. Thema prædicamenti *Vbi* tractatur ex differentiis loci, vt sunt sursum, deorsum; intra, extra; ante & post &c. e. g. Deus est vbique sursum in cœlo, deorsum in terra &c. Christus è cœlo nobis attulit pacem, quam habemus supra cum Deo & angelis, infra cum electis; intra in conscientia, extra in mundo &c. 22. Thema prædicamenti *Situs* tractatur ex differentiis loci, & commoditate situs: vt Sol positus in cœlo. 23. Thema prædicamenti *Habitus* tractatur ex nobilitate seu præstabilitate & vtilitate: vt habitus ille splendidissimus Aaronis. 24. Apostolus *Ephes. 3. vers. 18.* nobis subministrat insignem differendi modum, in quo expenditur latitudo, longitudo, sublimitas & profunditas rei. v.g. in essentia, sapientia, potentia, & prouidentia Dei, in vita æterna fide, spe &c. 25. Loca inuentionis logicæ adhibentur vel seorsum, vel conjunctim. *Seorsum*: si thema tractetur ex vno aliquo loco, v.g. fides ex loco causæ tantum, vel ex loco effecti tantum &c. *Coniunctim*: vt si thema tractetur ex duobus, tribus quatuor, quinque &c. locis, vel etiam ex omnibus. v.g. fides ex loco causæ & effecti, vel ex loco causæ & subiecti, vel ex loco causæ & adjuncti proprii, vel ex loco causæ, effecti & adjuncti &c. Sed jam veniamus ad ipsas locorum communium dispositiones.

LOCVS I.

De Theologia.

1. *Dispositio totius Theologiæ.*

Exordium. Quemadmodum architectus ideam ædificii mente concoptam gerit, illaq; tanquam norma vtitur, indeq; voluptatē singularem cōcipit: ita omnes bonarum artium cultores debēt sibi imprimere sciagraphiā istius facultatis, in qua Deo & proximo seruire cogitant. Rursus quēadmodū sciagraphia ædificii debet esse excellens, & cōcinna, & fundamētalis: ita idea cujuslibet facultatis his tribus notis debet esse insignis. Ejusmodi autem est sequens theologiæ delineatio pro captu omniū theologorum, tam illorum qui docent & discunt in scholis, quam eorum qui docent & discunt in ecclesia, etiam oppidana & in speciem abjecta.

Propositio. Theologia est doctrina ad salutem perueniendi per cognitionem & cultum Dei.

Tractatio. Principio theologia est doctrina monstrans viam perueniendi ad salutem. Illa siquidem nihil est aliud, quam compendium totius scripturæ, quæ potest nos σοφίσαι εἰς σωτηρίαν. 2. *Tim. 3.* Nimirum Scriptura est instar Oceani & orbis terrarum, quæ delineantur & repræsentantur pulcherrime in mappa aliqua hydrographica & geo-

& geographica. Deinde theologia tractat de cognitione Dei recta, & Dei recte cogniti recto cultu. Hæc si quidem est via regia ad vitam æternam, *Johan.17. Jer.9. Psal.50.* Cognitionis Dei & cultus ejus norma est scriptura sacra. *Psal.19. & 119.* vtpote quæ est canon fidei, vitæ & vocationis nostræ. *Cognitio Dei* duabus partibus continetur, videl. essentia & operibus ejus. *Essentia* Dei spectatur quantum ad proprietates essentiales, & personales. Proprietates essentiales sunt summa vnitas, infinita veritas, & immensa bonitas, sub quibus omnia Dei attributa continentur, quorum catalogus est *Exod.34.v.6.7.* Proprietates personales sunt Patris, Filii & Spiritus Sancti, qui vnam habent essentiam, & easdem proprietates essentiales, sed distinguuntur modis subsistendi. 1 *Johan.5. v.7. Johan.1.v.5.15.16.* *Opera Dei* sunt ante tempora, in tempore, & post tempora. Opera Dei *ante tempora* sunt decreta quibus Deus ab æterno apud se statuit libertime & sapientissime quid velit facere vel fieri in tempore. Hic excellit prædestinatio: *Act.4. Rom.9. Eph.* . Opera Dei *in tempore* sunt alia in regno potentiæ, alia in regno gratiæ. *In regno potentiæ* sunt creatio, & prouidentia. *Creatio* describitur *Gen.1.* vbi agendum est de mundo, & incolis mundi. *Mundus* est ædificium seu domus illa magna Dei, constans ex cœlo tanquam tecto, aere & aqua tanquam conclauibus, & terra tanquam fundamento. *Incolæ mundi* sunt in cœlo *Angeli*, in aere *Aues*, in aqua *Pisces*, in terra *Bestiæ* & *Homo*. *Prouidentia* est, qua Deus mundum à se conditum conseruat, & omnia in eo regit, tum bona, tum mala. *Bona:* vt sunt creaturæ, & actiones ipsarum naturales & morales. *Psal.104. & Matth.10.* *Mala*, vt sunt peccatum & pœna peccati. *Gen.3. & deinceps.* Opera Dei *in regno gratiæ* sunt donatio mediatoris, vocatio, justificatio, & sanctificatio. *Donatio mediatoris* est, qua Deus nobis dat Filium suum vnigenitum Jesum Christum *Johan.3.* in quo occurrit persona, & officium. *Vocatio* est, qua Deus trahit quosdam homines è regno tenebrarum in regnum Filii sui. *Joh.4. Rom.8.* *Justificatio* est, qua Deus nos justos facit & pronuntiat propter justitiam Christi fide apprehensam. *Rom 3.* *Sanctificatio est*, qua Deus nos magis magisque renouat ad imaginem sui & Christi Jesu. *Rom.6. & 7.* Opera Dei *post tempora* sunt Resurrectio carnis 1. *Cor.15.* Donatio vitæ æternæ & Damnatio ad mortem æternam. *Matth.25.* Atque hæc est prima pars theologiæ de cognitione Dei, quatenus ille cognoscitur partim in se, partim in operibus suis. Altera pars theologiæ est *de cultu Dei*, cujus spectatur norma, forma & excitatio. *Norma* est lex & euãgelium in ecclesia. *Lex* est doctrina de faciendis. *Exod.20. Matth.22.* *Euangelium* est doctrina de credendis. *Johan.1 & 3.* *Ecclesia* est populus à Deo electus. 1. *Pet. 2. Act.1.* *Forma* cultus Dei est posita in fide, spe & charitate, triga illa qua homo Christianus vehitur in cœlum, *Rom.5. v.1.2.3.4.* *Fides* est fiducia miseri-

misericordiæ Dei in Christo. *Rom. 3. Spes* est, qua patienter expectamus complementum fidei, h.e. promissionis fide apprehensæ. *Rom.5. Charitas* est, qua diligimus Deum & proximum. *Dilectio Dei* cernitur in tolerantia crucis, precatione, & obseruatione mandatorum ejus. *Rom.5. Psal.91. Joh.14. Dilectio proximi* cernitur in fraterna conuersatione, institutione & correctione secundum tres status vitæ humanæ. *Mat.5. & 18. Excitatio cultus Dei* fit per sacras ceremonias, vt sunt potestas clauium & sacramenta. *Potestas clauium* est, qua regnum cœlorum aperitur & claudit. *Matth.16. & 18. Sacramenta* sunt signa à Deo instituta, vt in legitimo vsu significent, obsignent & exhibeant Christum cum omnibus suis beneficiis. Suntque *alia insitionis & nouæ generationis*, vt in V.T. circumcisio, in N.T. baptismus: *alia confirmationis & spiritualis nutritionis*, vt in V.T. pascha, in N.T. cœna Domini.

Conclusio. Hæc est tabula complectens leges fundamentales, quibus sustentatur respublica Israelis.

2. *Aliæ dispositiones locorum theologiæ.*

1. Theologiæ partes duæ sunt, vna de Deo, altera de actionibus seu operibus Dei.

2. Theologia tractat de fide, & actionibus fidei, seu de credendis & faciendis.

3. Theologia præcipit de essentia, operibus & volumtate Dei.

4. Theologia exponit τὰ περὶ πίστεως, τὰ περὶ ἐλπίδος, καὶ τὰ περὶ ἀγάπης, h.e. agit de fide, spe & charitate.

5. Theologia agit de scopo hominis, & de mediis ad illum scopum perducentibus. Scopus eius est gloria Dei & consolatio hominis in vita & morte. Media sunt numero tria, cognitio miseriæ, liberationis ex miseria, & gratitudinis pro liberatione.

6 Theologia tractat de personis, rebus & actionibus sacris. *Personæ* sunt Deus, angelus, Christus & homo. *Res* sunt mundus in regno potentiæ, ecclesia militans in regno gratiæ, & ecclesia triumphans in regno gloriæ. *Actiones* sunt analogæ personis & rebus: puta in Deo decretum, creatio & gubernatio: in angelis bonis cultus Dei, in malis peccatum: in Christo redemtio & sanctificatio: in homine peccatum & cultus Dei.

7. Theologia est medicina animæ: eaque partim pathologica de morbo, illiusque causis & differentiis: partim therapeutica de morborum remediis, & diæta. Possunt etiam partes medicinæ plenius recitari hoc modo. Theologia est doctrina de valetudine spirituali. In ea est primo physiologica & prophylactica, deinde pathologica, tertio therapeutica,

aa J.p.294.

peutica, ſemejotica & diætetica. *Phyſiologica* agit de natura verbi Dei, & inde cognoſcendis Deo & ejus operib. Verbum Dei eſt officina omniũ ſalutarium medicamẽtorum: vnde ψυχῆς ἰατρεῖον appellatur. Deus eſt medicus noſter. Opera Dei ſunt partim medicinæ, partim medicinæ iſtius applicatio, quę fit ex parte Dei ſanantis, & hominis ſanandi, partim denique homines, quibus illa medicina applicatur. *Prophylactica* eſt inſtitutio, per quam homo à malo præſeruari poteſt. Ea continetur lege & euangelio. *Pathologica* eſt inſtitutio de morbis noſtris cognoſcendis. Ejus pars eſt *ætiologica*, quæ morborum cauſas inueſtigat. *Therapeutica* eſt inſtitutio de morborum ſpiritualium θεραπείᾳ, hoc eſt, remedio, quod eſt gratia Dei redemtoris. Hujus remedij ſpectandæ ſunt cauſæ, & ſigna. Cauſæ ſunt quatuor. 1. fundans, puta miſericordia Dei. 2. merens, videlicet Filius Dei: vnde theologia dici poteſt *pharmaceutica*, quæ ſcilicet conuenientiſſima & ſufficientiſſima remedia ſeu pharmaca morbis noſtris è propinquo parat & applicat. 3. teſtificans; vt eſt verbum euangelii cum annexis ſacramentis: quorum reſpectu Theologia eſt quædam chirurgica. 4. recipiens; vt eſt fides, quæ eſt tanquam manus, os, ac ſtomachus aſſumens in promiſſione exhibitam remiſſionem peccatorum, à qua perennis eſt ſcaturigo iuſtitiæ & vitæ æternę. *Semeiotica* eſt de ſignis receptæ valetudinis ſpiritualis, vt ſunt religioſa euangelii ſuſceptio, certa in præſens conſolatio, bona ſpes in futurum, & ſtudium dilectionis Dei & proximi. *Diætetica* eſt, quæ homini ſanato diætam rectę Deoque placentis vitæ præſcribit, juxta doctrinam apoſtoli *Tit. 2. v. 11. 12. 13. 14.* vbi jubet nos viuere pie erga Deum, juſte erga proximum, & temperanter erga nos ipſos.

8. Theologiæ partes duę ſunt, lex & euangelium.

9. Theologia eſt corpus doctrinę Chriſtianę, in quo Chriſtus eſt caput, electi ſunt membra ſub iſto capite, fides eſt anima, ſpes, neruus, charitas motus, vita æterna corona corporis.

10. Theologia eſt paradiſus, in quo arbor ſcientiæ boni & mali eſt lex, arbor vitæ eſt Chriſtus, quatuor flumina ſunt creatio, redemtio, ſanctificatio, & glorificatio.

3. *De theologiæ natura & ſtudio.*

Exordium. Quatuor illę facultates, Theologia, juriſprudẽtia, medicina & philoſophia ſunt veluti quadrigę, quibus vehitur genus humanum; & non ſine cauſa comparantur cum quatuor fluminibus paradiſi, quia irrigant & fœcundant vitam hominis tum ſpiritualem, tum animalem. Ex his facultatib. excellit Theologia, quippe quæ occupatur circa vitam ſpiritualẽ, quę eſt vita vitę, anima animę, & ratio rationis atq; oratio nis noſtrę.

Propo-

Propositio. Considerabimus theologiæ naturam & studium.

De I. Natura theologiæ discitur ex causis, propriis & fructibus ejus. *Causæ* sunt partim princeps, vt Deus Pater, Filius & Spiritus S. summus ille theologus: partim administræ, vt prophetæ, apostoli, doctores in scholis, & pastores in ecclesiis, qui sunt theologi sub summo illo. In his consideretur multitudo seu varietas, & amplitudo siue dignitas, quæ in eo est posita, quod sunt partim legati, amanuenses & actuarii Dei, partim interpretes voluntatis Dei, testes veritatis cœlestis, oratores & ambassiatores Dei ad homines, denique œconomi mysteriorum Dei. *Propriæ* sunt vnitas, veritas, & sanctitas. *Vnitas* est, per quam theologia non diuiditur in sectas vel species, licet secetur in partes, quæ pulchertimam constituunt œconomiam, qualis est in ædificio aut in familia, & elegantissimam symmetriam & harmoniam, qualis est in corpore humano. *Veritas* est, per quam theologia nostra consentit cum theologia archetypa, quæ est in mente Dei, ac proinde dissentit à fabulosa theologia ethnicorum, & falsa theologia hæreticorum, schismaticorum, fanaticorum, enthusiastarum. Hæc veritas cernitur in principiis & conclusionibus theologicis. Principia theologica continentur in quinque capitibus religionis Christianæ, quæ exhibent analogiam fidei & charitatis. Lydium illum lapidem interpretationis Scripturæ. *Sanctitas* est, per quam theologia veritatem suorum dogmatum sancte tradit: vtpote quæ tractat de sancto Deo & instituit sanctos Dei filios. *Fructus theologiæ* sunt cognitio veri supernaturalis, & actio boni spiritualis: Veritas supernaturalis est patefacta in verbo Dei, & continetur illo dicto *Iohan.* 17. *v.* 3. Bonum spirituale est partim virtutis, partim conditionis. Illud est fides, spes, charitas. *Rom.* 5. & 1. *Cor.* 13. hoc est vita æterna, hic inchoata, ibi consummata. 1. *Cor.* 13. & 1. *Ioh* 3.

De II. Studium theologiæ continetur cogitatione finis, remotione impedimentorum, & admotione mediorum. *Finis* debet esse vna Dei gloria, & salus nostra æterna. *Psal.* 19. *Rom.* 15. 2. *Tim.* 3. *Impedimenta* sunt duum generũ. Aut enim falsus finis præstituitur, puta honor mundanus, opes, eruditio inanis, vt in iis videre est, quorum deus est venter, & quos scientia inflat: aut media illegitima constituuntur & adhibentur, puta acumen ingenii, schola naturæ, lectio scriptorum humanorum & illorum adoratio, lectio Scripturæ oscitans aut temeraria &c. *Media* sunt numero tria, Precatio, Meditatio, & Exercitatio. *Precatio* est, qua clauem intelligentiæ petimus à bibliothecario Scripturæ, qui est Spiritus sanctus. *Meditatio* est frequens, humilis, deuota, & prudens lectio Scripturæ. *Frequentia* est in eo, vt quotidie legas, medireris & rumineris Scripturam, & memineris bestias impuras non ruminare, itẽ Scripturã esse

similem aromatibus, quæ quo magis masticantur, eo melius sapiunt. *Humilitas* est in eo, vt seponas supercilium, præjudicium, præconceptum opinionem, & affectum, adeoque adferas purum & sincerum vas, quo excipias rorem intelligentiæ, sisque discipulos prorsus passiuus, & agnus qui sequitur vocem pastoris sui. *Deuotio* est in eo, vt tractes Scripturam reuerenter, non tanquam scriptum alicujus hominis, aut diploma principis, sed tanquam epistolam Dei omnipotentis, & testamentum Patris tui cœlestis, in quo singulæ syllabæ sunt cœlestia sacramenta, quæ tincta sint sanguine Christi, juxta regulam: *Ita lege Scripturam, ac si singulæ ipsius syllabæ sint exaratæ digito Dei, & imbutæ sanguine Christi. Prudentia* est in eo, vt Biblia parua præmittas magnis, adeoque respicias analogiam fidei & charitatis: vt fundamentalia dogmata discernas à dogmatibus non fundamentalibus, & vtraque ab historicis: vt Scripturam per Scripturam explices: vt denique commentaria classicorum theologorum consulas. *Exercitatio* est doctrinæ & vitæ. Illa cernitur in collatione cum paribus, interrogatione superiorum, & institutione inferiorum, tum in schola, tum in ecclesia: hæc consistit in examine conscientiæ, praxi sanctitatis, & ordine suauitatis. Quo pertinet illud: Man muß Gottes Wort haben im Hirn/ Hertz/ vnd Händen.

Conclusio. Vita nostra est peregrinatio per vallem tenebrosam, in qua sunt multa diuerticula. Nostrarum itaque partium est respicere hermas illas, quas Deus in verbo suo præscripsit, & quæ à theologia monstrantur.

LOCVS II.

De Cognitione Dei.

Exordium. Solida nostra sapientia consistit in cognitione Dei & nostri ipsorum *Joh.17.v.3. Psal.100* Vnde Apollo Delphicus templo suo jussit inscribi hæc duo: Εἰ, & Γνῶθι σεαυτόν: è quibus primum exprimit nomen Jehoua, quod facerrimus ille Dei simius sibi attribuit; alterum proponit cognitionem sui ipsius. Nos conjungamus vtramque istam cognitionẽ, non dæmone, sed Spiritu S doctore, & quotidie ingeminemus illam Augustini sententiam: *Nouerim te, nouerim me, Domine.*

Propositio. Explicabimus scalam cognitionis Dei, quatuor gradibus constantem.

Tractatio. Primus gradus in hac scalà est cognitio Dei creatoris, quæ insita est conscientiæ. *Rom.1.v.18.19.c.2 v.14.15.* incrementũ sumit ex inspectione libri naturæ. *Psal.19. Rom.1.v.20.* confirmatur per institutionẽ philosophicam. *Act.7.v.22.* stabilitur deniq; per fidẽ, quæ habetur verbo Dei.

Dei. *Hebr.11.vers.3.* Hæc cognitio Dei, qua cognoscitur tantummodo vt creator, non sufficit ad salutem, sed tantum ad reddendum hominem inexcusabilem. *Rom.1.v.20.* Vnde fit, vt nullus homo sana mente præditus neget esse Deum, tametsi multi in corde suo dicant, hoc est, sibi persuadere conentur, non esse Deum, vt possint impune peccare. *Psal.14.* Secundus gradus est cognitio Dei redemptoris historica & theorica, qua Deus cognoscitur etiam vt redemtor electorum, sed absque fide justificante, & affectu pietatis. *Johan.2.v.23.24.25. Iac.2.v.14.* Hæc quoque cognitio non sufficit ad salutem, vt constat ex loco Jacobi modo allegato. Tertius gradus est cognitio Dei redemptoris practica & affectiua, qua soli electi fide justificante præditi cognoscunt Deum vt redemtorem suum. *Joh.17.v.3. Iob.19.* Atque hæc demum cognitio est saluifica. Est enim assimilatio cognoscentis & cogniti. Quartus gradus est cognitio Dei glorificatoris in altera vita. *1.Corinth.13.* vbi cessabit fides, & incipiet visio illa beatifica, quam Apostolus d.l. admodum magnifice describit.

Conclus. Quotidie ascendamus & descendamus in hac scala, & non gloriemur de sapientia terrena, aut fortitudine corporali, aut diuitijs temporalibus, sed de hoc gloriemur, quod nouerimus Jehouam, Dominum & Deum nostrum. *Jer.9.*

Aliæ dispositiones.

I. Deus à nobis cognoscitur triplici lumine, videlicet naturæ, gratiæ, & gloriæ, *Lumen naturæ* Deus accendit in cordibus omnium mortalium, vt docet Scriptura *Rom.2.* confirmat conscientia cujusque, & comprobat experientia, vt in ethnicis, idololatris philosophis, & similibus videre est. *Lumen gratiæ* Deus accendit in cordibus omnium hominum, qui sunt in Ecclesia. Duo autem sunt radij hujus lucis, vnus est in hypocritis, qui præditi sunt lumine fidei historicæ. *Hebr.6.* alter in regenitis, qui sunt præditi lumine fidei saluificæ. *Hebr.11.* *Lumen gloriæ* Deus accendet in altera vita. Nostrum est recte vti lumine naturæ, ne superemur & aliquando condonemur ab ethnicis: item sancte vti lumine gratiæ, vt aliquando illuminemur lumine gloriæ. Et quia Deus distinxit gradus luminis gratiæ & gloriæ, non debemus in hac vita confundere istam distinctionem sapientissimam, ne forte hic velimus illa videre, quæ lumine gratiæ videri non possunt. Denique debemus Deo agere gratias, quod supra lumen naturæ nobis accenderit lumen gratiæ, atque ita viuere vt dignum est filijs lucis. Sed ferme vsuuenit, vt simus tanquam noctuæ, quarum oculi caligant ad lumen solis meridianum, ideoque fugiunt lucem.

II. Cognitio Dei hauritur ex quatuor libris: videlicet *ex libro conscientiæ*, qui est cor nostrum, in quo Deus aureis literis stiloque adamantino insculpsit sui cognitionem: *ex libro naturæ*, in quo Deus expressit majestatem

tem ſuam literis Hieroglyphicis *Actor. 14.* ex *libro Scripturæ*, in quo Deus gratiam ſuam expreſſit literis Euangelicis, quas illuſtrat & obſignat ſacramentis tanquam picturis & ſigillis. *Pſal.119.* denique *ex libro vitæ*, qui eſt Chriſtus, in quo Deus expreſſit voluntatem ſuam & delineauit cor ſuum paternum literis ſanguineis, quouis rubino ſplendidioribus.

III. Cognitionem Dei, diſcimus in ſchola naturæ, gratiæ & gloriæ. In ſingulis hiſce ſcholis oportet attendere ad ſcholam, doctorem, diſcipulū, librum, & profectum ſeu modū inſtituendi adeoq; docendi & diſcendi. *In ſchola naturæ* vniuerſus mundus eſt ſchola & reuera vniuerſitas; doctor eſt ſenſus externus, & ſenſus internus conſcientiæ; diſcipulus eſt homo quilibet; liber eſt creatura quęlibet, in qua tres occurrūt ſex, videlicet Potētia, Sapientia & Clementia Dei, item Accipe beneficium, Redde officium, Fuge ſupplicium; modus deniq; inſtituendi fit per examen cōſcientiæ, inſpectionem mundi, & collationē libri naturæ cum libro Scripturæ. *In ſchola gratiæ* Eccleſia militans eſt Academia & Cancellaria Dei; Doctor eſt Jeſus Chriſtus per Sp. S. diſcipulus eſt homo vocatus in Eccleſiam, iſq; partim hypocrita, partim electus; liber eſt Scriptura V. & N. T. modus inſtituendi fit ordinarie, vel extraordinarie: ordinarie vel immediate, vel mediate; interne vel externe, puta per verbum Dei internum, quod eſt vox, Spiritus Sanct. ſonans in corde noſtro, & externum, quod eſt audibile in lege & Euangelio, viſibile in ſacramentis. Extraordinarie fit per ſomnia προφητικά, viſiones, donū prophetiæ, cōſortium angelicū, &c. *In ſchola gloriæ* Eccleſia triumphās eſt Academia & panegyris ſanctorū; Doctor eſt Trinitas benedicta; diſcipulus eſt homo glorificatus, liber eſt corpus Chriſti radians luce majeſtatis; modus inſtituendi fit per euidentem viſionem Dei, ſeu ſpeculi Trinitatis.

LOCVS III.

De Scriptura Sacra.

Exordium. Scriptura eſt armamentarium, ex quo miles Chriſtianus petere poteſt arma defenſionis & offenſionis *Matth.4. Eph.6.*

Propoſitio. In Scriptura conſidd. eſſentia ſeu veritas, dignitas, efficacitas, & interpretatio. *Tractatio.* I. Eſſentia ſeu veritas eſt in libris vere canonicis, quibus nōſunt in authoritatis æqualitatē admiſcendi apocryphi. Dicuntur canonici, quia ſunt canon fidei, vitæ & vocationis. *2. Petr.1.v.19. Pſal.119. v.105.* Diuiduntur in libros V. & N. T. in quibus perfecte continetur lex & Euangelium. Vtrobique ſunt libri hiſtorici, dogmatici & prophetici.

II. Dignitas eſt in neceſſitate *Ioh. 5.v 39.40.* perfectione. *Deut 4.v.2. Gal.1.v.8. 2.Tim.3.v.16.17. 1.Io.1.v.4.* authoritate, quā habet à Deo authore. *2.Tim.3.v.16. 2.Pet.1.v.21.* & claritat. *Deut.30.v.1. Pſal.19.v.9.& 119. Io.20. v.105. Prou.6.v.23. 2.Pet.1.v.19.* III. Efficacitas cernitur in vi maxima *Heb.4. v.12.* & vtilitate copioſiſſima. *2.Tim.3.v.15.16. Ro.15.v.4. Ioh.5.v.39.40.v.vl.*

IV. In-

IV. Interpretatio Scripturæ ex ipsa Scriptura petenda est, præmissis precibus & adhibitis subsidijs linguarum, commentariorum, &c.

Conclusio: Quemadmodum boni filij frequenter & libenter legunt testamentum, epistolam, vel librum à parentibus scriptum: ita filij Dei Scripturam Sacram legunt frequenter, libenter, & reuerenter.

Aliæ dispositiones.

1. Scriptura est instar horti, in quo inueniuntur omnis generis flores, fructus, & arbores. In horto isto considera. 1. Hortulanum; qui est Spir. S. custodiens, fœcundans irrigans & defendens hunc fructum. 2. Cultorem; qui est homo electus. 3. Arbores; quæ sunt duæ, arbor scientiæ boni & mali, puta Adamus primus; & arbor vitæ, quæ est Christus in cruce pendens. 4. Flores; q. sunt insignia Scr. dicta. 5. Fructus; qui sunt fides, spes & charitas.

2. Scriptura est epistola Dei ad hominē: in qua cōsidd. 1. Is, qui scribit & mittit epistolā, puta Deus. 2. Illi per quos mittit, vt sunt Prophetæ & Apostoli; & illā interpretatur, vt sunt pastores & doctores. 3. Illi ad quos mittitur, vt sunt Filij Dei. 4. Cur mittatur; vt nobis nūtiet voluntatē Dei à nobis & de nobis. 5. Quomodo sit tractanda: videl intelligenter & reuerenter. Potest etiam Scriptura conferri cum mari ob sensuum profunditatem, fructuum vtilitatem, & fluminum varietatem.

3. Recitari possunt varia Scripturæ nomina, & explicari prolixe: qualia sunt, prophetia *2. Pet. 1. v. 21.* firmissimus sermo propheticus, & lucerna splēdens in obscuro loco. *ib. v. 19.* lucerna pedib. nostris, & lux itineri nostro. *Ps. 119. v. 105.* Scriptura. *Ro. 15. v. 4. Ioh. 5. v. 39.* Verbū, quod Deus dedit per seruos suos, præceptū Jehouæ, &c. *Deut 4. v. 2. c. 30 v. 1.* veritas, testimonium, lex, semita, lac & solidus cibus, secretum, testamentum, &c.

4. Tria sunt tenenda de Scr. Sac. quod sit verbū Dei; quomodo sit legēda; quomodo deniq; illa sit vtendū. *De I.* Quod Scriptura sit verbum Dei, probatur. 1. Voce cœlesti, q̄ hoc testatur. Quoties n. occurrit istud αὐτὸς ἔφα, q̄ in ἀυθεντικῶ locū habet: *Dominus dixit, locutus est Deus ad Mosen,* &c. 2. Miraculis, quib. hæc doctrina est confirmata. Quo pertinēt miracula Mosis, Eliæ, Elisæi, Christi, Apostolorū. 3. Reipsa vt sunt sanctitas præceptorū, amplitudo promissionū, summus cōsensus, & character diuinus. 4. Impletione vaticiniorū. 5. Efficacia diuina in conuertēdis hominib. ad Deum, & in consolādis conscientijs. Huc refer martyrologia. 6. Testimonijs hominū: quia recepta est à sui seculi hominib. sanguine martyrū defensa & obsignata, laudata ab amicis & inimicis. 7. Adjūctis: qualia sunt *antiquitas summa*; quia habet originē à Deo; & mirabiliter inde ab initio mundi est cōseruata, neq; vlla vi vel sophistica deleri aut falsari potuit: *veritas admiranda*, tum in principijs & conclusionibus suis, tum in historijs & circumstantijs: *claritas maxima*; quia est lux & lucerna, quæ nonnisi cœcis dicitur obscura: *perfectio singularis*; quia continet omnia ad salutem æternam necessaria.

De II. Quicunque ad veram Scripturarum Sacrarum intelligentiam pertingere cupit, is 1. omni præjudicio in meditatione & lectione illarum missa, à sola veritate diuina instrui ac edoceri paratus esto. 2. Deum ante omnia serio inuocato. 3. nil nisi gloriam Dei, & tum sui tum proximi ædificationem sibi propositam habeto. 4. Quidquid in scripturis occurrit, ad Jesum Christum, tanquam ad scopum, nucleum, & medullam refero. 5. Christum ita, vt in Scripturis proponitur, agnoscito. 6. Cordis fiduciam in Christo solo collocato. 7. Omnia dicta Scripturæ ad fidem & charitatem, aliaque dicta & testimonia, conferam atq; examinato. 8. Ad verum scripturæ scopum diligenter attendito. 9. Circumstantias omnes personarũ, loci, temporis, &c. atque adeo antecedentia & consequentia accurate cognoscito. 10. Phrases & loquendi modos obseruato. 11. Inter signa & res significatas, causas & effectus, proprias & figuratas locutiones accurate discernito.

De III. Vsus Scripturæ est, quod sit norma fidei, vitæ, & vocationis. *Fidei*; quia docet quid sit credendum & non credendum, ideoque facit ad doctrinam veri, & refutationem falsi. *Vitæ*; quia nos instituit in bono, corrigit malum, & solatur infirmum. *Vocationis*; quia continet regulas vitæ in omnibus statibus vitæ humanæ. Quo pertinet tabula illa dictorum Scripturæ, quæ appellatur die Haußtaffel.

LOCVS IV.

De DEO.

Exordium. Moses accessurus ad Deum jubetur exuere calceos. *Exo. 3.* Ita nos accessuri ad Deum mente, corde & affectu nostro, deponamus carnales & crassas cogitationes, ipsiusque gratiam imploremus. Sicut enim solem sine sole, ita Deum sine Deo videre non possumus.

Propositio. Dicemus de vnitate essentiæ, & trinitate personarum.

De I. Essentia Dei est spiritualis. *Iohan. 4. v 24.* Et vna. *Deut. 6. vers. 4. 1. Cor. 8. v. 4.* Summa vero ista vnitas infinitos radios perfectionis suæ de se spargit, varijsque notis est insignis. Nam Deus est infinitus siue immensus. *1. Reg. 8. v. 27. Psal. 139. v. 7. 8. 9. Esa. 61. v. 1. Actor. 7. v. 49. Ier. 23. v. 1.* æternus. *Gen. 21. v. 33. Esa 44. v. 6. cap. 57. v. 15. Rom. 1. v. 20 cap. 16. v. 26.* immutabilis. *Psal. 102. v. 27. 28. Rom. 1. v. 23.* Omnipotens *Gen. 17. v 1. c. 28. v. 3. Ps 115. v. 3. Hebr. 1. v. 9.* Omniscius. *1. Sam. 2. v 3. c. 16. v. 7. 1. Chron. 28. v. 9. Psal. 7. ver. 10. Actor. 1. v. 24* Summe sapiens. *Rom. 16. v. 27. Iob. 12. v. 13. Prouer. 3. v. 19. 20.* Summe bonus. *Marc. 10. v. 18. Rom. 2. v. 4. Exod. 34. v. 6. 7. Psal. 149. vers. 5.* Summe clemens. *Rom. 2. v. 4. Gen. 19. v. 16. Malach 3. v. 16.* Summe misericors. *Exod. 34. v. 6. Psal. 103. v. 8. 13. & 80. v. 15. & 149. v. 5.* Summe justus.

Exod.

Exod.14.v.7. Deut.32.v.4. Psal.116.v.5. Esa.45.v.21. Thren.1.v.18. Summe Sanctus. *Levit.19.v.2. Esa.6.v.3. Ios.24.v.19.* Summa verax. *Psal.36.vers.6. Hebr.6.v.18. Tit.1.v.2.* immutabilis voluntatis. *1. Sam.15.v.29. Esa 46.v. 10. Mal.3.v.6. Rom.11.v.29. Hebr.6.v.17. Iacob.1.vers.17.* denique liberrimæ potestatis. *Rom.9.v.15.18.21. Matth.20.v.15.*

De II. Trinitas diuinarum personarum probatur ex *1. Iohan.5.vers.7. Matth.3.& 6.28.v.19.* Harum personarum obseruetur æqualitas, & distinctio. Æqualitas est in eo, quod habent communem essentiam, proprietates essentiales, opera deitatis ad extra, & cultum religiosum. Distinctio est, quod Pater est prima persona deitatis, quæ genuit Filium: Filius est secunda persona deitatis, quæ genita est à Patre: Spiritus S. est tertia persona deitatis, quæ à Patre & Filio procedit.

Conclusio. Articulus de vnitate essentiæ Dei & trinitate personarum nos discernit ab atheis, Arrianis, Judæis & Turcis. Diligenter itaque illum meditemur.

Alia dispositiones.

1. Quemadmodum reges & principes accumulare solent titulos, quibus sibi concilient authoritatem: ita rex regum & dominus dominantium majestatem suam varijs nominib. exprimit in Scriptura. Ex his præcipua sunt ista: Jehoua, Elohim, El, Jehoua Zebaoth, Deus, Dominus, Terribilis, Sublimis, Altissimus, Creator, Redemtor, Sanctus Israelis, Rupes, Cornu salutis, Turris, El schaddai.

2. Deus in Psalmis, & alibi passim dicitur magnus, & quod ejus magnitudinis nullus sit finis. Quoniam vero illa in creaturis magna dicuntur, quæ magnas habent quatuor dimensiones, videlicet latitudinem, longitudinem, altitudinem & profunditatem, & vero Apostolus *Eph.3.* hanc sacrã Geometriam nos docuit: non ab re fuerit in Deo & ejus proprietatibus dimensiones illas obseruare, exemplo Bernh. & aliorũ magnorum virorũ. Profecto, si attente consideremus, inueniemus nihil esse plenum, solidum, longum vel latum extra Deum, sed omnia angusta, breuia, humilia, inania, superficialia: in Deo autem esse veram latitudinem, immensitatem; veram longitudinem, æternitatem; veram altitudinem, naturæ sublimitatem; verum profundum, sine fundo, incomprehensibilitatem: & rursus veram altitudinem, omnipotentiam; verum profundum, infinitam sapientiam; veram latitudinem, plenissima viscera misericordiæ; veram longitudinem, plenam perfectamque justitiam. Sed plenius has dimensiones persequamur quantum ad essentiam, potentiam, sapientiam, misericordiam & iustitiam Dei.

De essentia Dei.

Latitudo essentiæ Dei posita est in hisce tribus. *Primo* essentia Dei est immensa, replens sua præsentia omnia omnino in rebus creatis. *Jer. 23. Ps. 139.* Felix igitur est anima, quæ Deum diligit: quoniam dilectum suum semper apud se habet, & in sinu suo fouet, & in sinu ejus fouetur. *Deinde* immensa est essentia Dei, quia quidquid est perfectionis in rebus creatis, aut in ijs esse potest, id modo longe eminentiori est in Deo. Si quis haberet rem vnã in domo sua, quæ complecteretur objecta omnium sensuum in summa perfectione, is non necesse haberet egredi domo ad aliquid videndum, vel audiendum, vel olfaciendum, vel gustandum, vel tangendũ, cum habeat domi tantas deliciasin vna re, quantas optare posset homo desiderans voluptates corporis. Præterea si eadem illa res contineret in se tantam diuitiarum omnis generis copiam, quantam concipere posset homo supra modum auarus, non necesse haberet ille exire domo sua ad aliquid amplius acquirendum. Denique si illa ipsa res possessori suo posset suppeditare omnis generis honores & dignitates, quantas animo concipere posset homo honoris amantissimus, non necesse haberet honorem vllam ex ra rem istam quærere. Merito itaque res illa judicaretur cornu copiæ bonitatis & perfectionis. Et tamen bonitas, & perfectio istius rei, quæ non solum hominis, sed etiam angeli desiderium explere posset, longe inferior esset bonitate & perfectione Dei, quippe quæ tanta est, vt infinitum desiderium, seu infinitam capacitatem Dei satiare & explere queat. Nam Deus nunquam egreditur extra se, quoniam omnia bona habet in se. Hinc res cæteræ dicuntur bonæ cum additamento v.g. bonus homo, bonus equus, bona domus: Deus autem est omne bonum. *Exod. 33.* Intelligis, anima mea, quali bono frueris in patria, si Deum dilexeris in via, & quali bono priuaberis, si id non feceris? Deus enim seipsum, id est omne bonum, fruendum exhibebit ijs qui ipsum diligunt. *Tertio* essentia Dei est immensa, quia non tantum replet omnia præsentia sua, sed etiam gloria sua. *Esa. 6. Psal. 8.* Nulla enim creatura est in cœlo vel in terra, quæ non assidue laudet Deum. *Psal. 148.* Confer cum cantico trium puerorum *Dan. 3.* Et certe si quis oculos interiores haberet, videret, omnia Dei opera esse quasi thuribula sursum eminentia odorem suauitatis gloriæ Dei: &, si aures interiores haberet, audiret quasi concentum varium omnis generis musicorum instrumentorum laudantium Deum. Quamuis enim non desint impij, qui nomen Dei blasphement: tamen ipsi quoque vel inuiti coguntur laudare Deum, eo modo, quo opus laudat opificem. Nam in ipsis etiam mirabiliter lucet potentia Dei, qua eos fecit, & sapientia, qua eos gubernat, & bonitas, qua ipsis licet ingratis & malis vitam conseruat, & justitia, qua eos ordi-

nat

nat ad pœnam, vel misericordia, qua eos expectat ad pœnitentiam.

Longitudo essentiæ Dei est æternitas, quæ non habet principium, successionem vel finem. *Psal.102.1.Timoth.cap.1.* vbi Apostolus Deum vocat regem seculorum, quia solus ipse non subjacet seculis, sed præest seculis, & regit secula, quippe qui omnia secula solus præcessit: quomodo Rex subditis suis non subest, sed præest. Atque hæc est longitudo æternitatis infinita, quæ non minus propria est Deo, quam latitudo immensitatis. Hinc nullus princeps vnquam fuit tam arrogans, vt inter titulos suos computauerit æternitatem. Nam quod Constantinus Magnus dictus est Imperator æternus, hoc alium habet sensum: quia nempe fuit Imperator non ad certum tempus, sed ad dies vitæ. Adesdum, anima mea, & despice res caducas, quæ vt initium habent, ita mutationi & successioni perpetuæ sunt obnoxiæ, tandemque finem habebunt. Suspice æternum illud bonum, Deum tuum, vt cum illo in æternitate conjungaris.

Altitudo essentiæ Dei occurrit tripl. x. *Principio* Deus est altissimus nobilitate naturæ. Res enim sunt tanto nobiliores & altiores, quanto sunt puriores, & à materia remotiores: vt in terra aqua, aere, igni, & cœlo, itemque in sensu, intellectu hominis & intellectu angelico videre est. *Deinde* Deus est altissima causa efficiens, exemplaris, & finalis omnium rerum. *Tertio* Deus est altissimus, quia sedet in loco altissimo. Et quoniam sedes duos habet vsus, vnum ad judicandum, alterum ad quiescēdum, dispiciamus, quomodo Deus vtroq; modo dicatur sedere. Ac primo quidem sedet in solio suo tanquam judex & legislator supremus. *Gen.18. Ps.82. Jac.* 2. itemq;, vt rex & princeps summus. *Ps.75.95. Apoc.19.* adeoq; vt vnidominus seu dominus absolutus, qui est titulus omnium maximus, vtpote quē nullus homo sibi arrogare potest. Deinde altissima sedes Dei est altissima ejus quies. Quamuis enim mundum vniuersum regat, in quo sunt assidui motus & bella: ipse tamen cum tranquillitate judicat, & altissima pace semper gaudet, neque est aliquid, quod ipsius gaudium perturbare possit. Atq; hæc est sublimitas Dei, quam oportet humiliter adorare. Ita enim fiet vt ipsi quoq; sublimes fiamus. Nam Deus amat res sublimes, quippe sibi similes. Intelligeres vere sublimes, vt est humilitas & fiducia quæ sublimitatem Dei adorat inque illa acquiescit: non vero illas, quæ videntur sublimes & non sunt, quales sunt homines elati & superbi.

Profunditas essentiæ Dei est quintuplex. Est enim profundissima. 1. Ratione soliditatis; quia non est tenuis & superficialis qualis est massa inaurata, quæ intus est ærea: sed plenissima & solidissima, qualis est ingens massa auri obrizi. 2. Ratione inexhaustæ bonitatis: quia Deus est velut auri fodina vsque adeo profunda, vt nunquam fodiendo exhaurizi possit.

3. Ratione sustentationis & loci: quia sicut omnibus rebus præsidet sua altitudine, ita res omnes portat tanquam fundamentum. *Hebr. 1. Act. 17.* 4. Ratione incomprehensibilitatis & inuisibilitatis; quia habitat lucem inaccessam. 5. Ratione puritatis & præstantiæ: quia quo res interior est, eo purior & nobilior judicatur. Sic terra in centro suo est purissima. Eodem modo Deus in centro profunditatis suæ, hoc est, in tota natura sua, est purissimus & nobilissimus actus. Huc pertinet, quod Augustinus aliquot in locis dicit, se ex omnibus creaturis aspectabilibus quæsiuisse, quid sit Deus, & omnes respondisse, non sumus quod quæris. Itaque cum non inueniret quid esset Deus, ascendendo per exteriora, cœpit iter facere per interiora, & intellexit quo quid interius est, eo perfectius esse, puta sensum internum externo, & intellectum, qui adhuc interior est, meliorem esse sensu interno. Inde effecit, Deum, qui interior est quam intellectus, esse meliorem intellectu. Age ergo, anima mea, si tu melior es corpore, cui das vitam; & si oculus corporis tui non videt te, quia tu intus es, ille foris: sic ratiocinare, Deum tuum meliorem esse quam tu sis, quia dat tibi intellectum, & est quasi anima tua: & ideo tu eum videre non potes, quia interior est quam tu sis, & tu quodammodo foris manes, ille intus in suo secretissimo profundissimoque recessu. Tandem tamen ad illud secretum admitteris, quando ex profunditate caliginis & miseriæ transfereris in altitudinem lucis & serenitatis.

De potentia Dei.

Latitudo potentiæ, siue omnipotentiæ Dei in eo est posita, quod illa se extendit ad res plane infinitas. Ac primo quidem se extendit ad omnia quæ facta sunt. Nihil enim est in tota hac rerum vniuersitate à primo angelo vsque ad vltimum vermiculum, & à summo cœlo vsque ad profundissimam abyssum, quod non sit factum ab omnipotentia Dei. *Iohan. 1.* Deinde se extendet ad omnia, quæ fient vsque in æternum. Sicut enim nisi per ipsum fieri nihil potuit: sic etiam nisi per ipsum fieri nihil poterit. *Rom. 11.* Tertio se extendit ad omnia, quæ fieri possunt, quamuis nunquam sint futura. *Luc. 1. Matth. 19.* Quarto se extendit ad omnem destructionem rerum factarum: vt videre est in diluuio, item in vltimo judicio. *2. Petr. 3.* Magna profecto est hæc latitudo potentiæ Dei, siue spectes multitudinem & magnitudinem rerum quas Deus fecit, facit, faciet & facere potest, siue consideres facilitatem, qua hæc talia facit. Nutu enim facit. Idem judicium est de multitudine & magnitudine rerum, quas Deus destruit, & de facilitate istius destructionis.

Longitudo potentiæ Dei cernitur in eo, quod cũ omnibus & in omnibus, quæ ille fecit, assidue operatur, neq; tamen fatigatur operando, aut fatigabitur in æternũ. Hujus rei imaginem habemus in stellis, quæ tanto tẽpore,

& tanta

& tanta celeritate mouentur ab ortu ad occasum, & in circulos suos sine vlla intermissione reuertuntur. Hinc igitur ascendamus ad infinitam Dei potentiam, & in hæc verba erumpamus: Si stellæ non fatigantur currendo, illarum opifex, qui eas portat verbo virtutis suæ, non potest fatigari curando simplici nutuvt illæ sic currãt. Noli vero mirari, quod Deus omnia portet ac sustentet, nec fatigetur portando & sustentando tam ingentem molem ponderis propemodum infiniti. Si enim elephas magnũ pondus ferre potest ad aliquot horas, Deus, cujus vires omnem mensuram excedunt, infinitum pondus infinito tempore sine fatigatione ferre potest.

Altitudo potentiæ Dei cernitur in duobus potissimum: tum quod solus fecit res altissimas, puta cœlum & stellas, angelos & animas humanas, easque solus conseruat, tum quod solus facit miracula, quę vsitatum naturæ cursum transcendunt, vti sunt illuminationes cœcorũ, excitationes mortuorum, & alia id genus plurima. Non possum, quin hoc loco commemorẽ tria stupenda miracula, ex quibus altitudo potentiæ Dei est ὀφθαλμοφανὴς. Tempore Josuæ Deus stitit cursum solis & lunæ: tempore passionis Christi luna, quæ maxime distabat à sole, rapidissimo cursu accessit ad solem, eique subjecta tribus horis tenebras effecit in terra, & post illas tres horas, eadem velocitate rediit ad locum, vnde discesserat: quæ omnia se vidisse atque obseruasse testatur *Dionysius in epist. ad Polycarpum*. Ad extremum vide mihi supremum illud miraculum, quod Deus ostendet in vltimo die, quando excitabit omnes mortuos, quorum corpora vel in cineres sunt redacta, vel hinc inde dispersa, vel à bestiis absumta, & in alia atque alia corpora sunt conuersa, vel in herbas transmutata. Quis angelorum non obstupescet, cum viderit in ictu oculi ad Dei omnipotentis imperium tot millia millium hominum corpora sua resumere, etiamsi per multa secula, & modis diuersissimis, consumta fuerint & hinc inde dispersa? Hæc est igitur altitudo potentiæ Dei, ob quam merito cum Mose exclamamus? *Quis similis tui in fortibus, Domine? Exod.* 15.

Profunditas potentiæ Dei posita est in modo agendi. Nam Deus 1. ex nihilo fecit omnia, puta cœlum, terram, hominem: quod profundum nulla creatura penetrare potest. 2. in nihilo fecit ista, id est, sine spatio præcedente. Neque enim ante cœlum & terram fuit locus, sed ipsa sibi cœperunt esse locus. 3. solo voluntatis imperio, solo nutu, solo verbo tam immensas moles erexit. Quis amabo intelligit hoc profundum, quod Deus solo verbo FIAT produxit cœlum, terram, & omnia quæ in iis sunt, cum in parua domo extruenda homines tot machinis, tot instrumentis, tot administris egeant? Quis porro intelligit hoc profundum, quod Deus ista omnia solo nutu, & solo verbo PEREAT destruere possit in momento?

Nimirum creaturæ nutu sunt, nutu dissoluuntur. 4. in momento fecit res tam multas, & tam magnas, & ex tot partibus compositas. Nam dixit Deus, Esto lux, & facta est lux. Dixit solum, & opus secutum est. Dixit DEVS, Germinet terra & factum est ita. Quis hic non obstupescat? Vidisses subito terram, quæ antea deformis erat & inculta, decore suo & ornatu quasi cum cœlo contendere. *Vide Chrysostomum homil. 4. in Genes.*

Ito nunc, anima mea, & admirare potentiam hominum. Quam nihil est illa, si in comparationem veniat cum potentia Dei! Hæc enim per latitudinem ad omnia se extendit, per longitudinem semper durat, & sine fatigatione omnia portat & regit, per altitudinem attingit etiam ea, quæ impossibilia videntur; per profunditatem ita res facit, vt modus faciendi omnem creaturarum intelligentiam superet, cum ex nihilo, & in nihilo, & sine instrumentis atque administris, & sine tempore, solo verbo & imperio faciat. *Psalm. 148.* Ex quibus, anima mea, facile habes colligere, quanti referat, vtrum Deum tuum iratum vel placatum, hostem vel amicum habeas. Nam si hostem & iratum habeas, potest te subito omnibus bonis spoliare, & omnibus miserijs replere, neque vllus est, qui de manibus ejus te liberare possit. Contra vero si placatum & amicum habeas Deum, quis te felicior? Potest enim, si vult; & vult, si amicus est, bonis omnibus te replere, & à malis omnibus liberare. Vtrum autem iratum & hostem, an placatum & amicum habeas Deum, in manu tua est: si nempe dum vitam hic ducis quotidie pœnitentiam instaures, humiliando te sub potenti ejus manu, confidendo in forti ejus misericordia, illamque quotidie implorando & honorando.

De sapientia Dei.

In extrema epistola ad Romanos apostolus scribit solum Deum esse sapientem. Hoc intelligimus ex distincta consideratione sapientiæ Dei tum theoricæ, tum practicæ seu effectricis, si vtriusq; spiritualem Geometriam proposuerimus.

Latitudo sapientiæ Dei theoricæ inde cognoscitur, quod Deus omnia, quæ sunt in rerum natura, cognoscit perfecte ac distincte, à primo angelo vsque ad minimum vermiculum, totas substantias & ipsarum partes, accidentia, proprietates, actiones, gressus nostros & capillos *Job. 14. Matth. cap. decimo.* membra corporis nostri, cogitationes animorum, numerum arenæ, maris, & gutturam pluuiæ, & stellarum cœli. *Ecclesiastici 1.* verba otiosa. *Matth. cap. decimo.* In summa: Deus omnia comprehen-

prehendit, quæ fuerunt, sunt & erunt. Nec tamen diuina mens & tanta rerum varietate vilescit: quia scientiam non mendicat à rebus, sed in sua essentia videt omnia. Perpende hoc, anima mea, & omni in loco & tempore solicite expende, quid cogites, quid loquaris, quid agas: cum nihil vnquam cogites, loquaris vel agas, quod non videat, audiat & attendat Deus tuus, qui totus est oculus, auris & anima. Quod si turpia non audes patrare coram parente tuo, vel in conspectu hominis, quomodo audes ea cogitare, inspectante & indignante Deo. In medijs noctium tenebris versaris in theatro sapientiæ Dei. Ambula itaque coram ipso, vt filium frugi decet. *Gen.* 17.

Longitudo sapientiæ Dei theoricæ in cognitione futurorum se prodit. Sic enim acute Deus videt, vt ab ipsa æternitate viderit quæ futura sunt in tempore, & vltra vsque in æternum: qua certe longitudine nihil majus cogitari potest. Pleni sunt libri prophetarum prædictionibus clarissimis & verissimis. Sic *Esa.* 45. prædicitur monarchia Persarum, & proprio nomine appellatur Cyrus, qui post annos circiter ducentos relaxauit captiuitatem Babylonicam, id quod propheta eo in loco prædicit. Daniel *cap.* 2. prædicit successionem quatuor monarchiarum, & tempore vltimæ monarchiæ regnum Christi. Idem *cap. vndecimo.* tam aperte describit bella successorum Alexandri Magni, vt infideles aliqui suspicati sint, ea scripta esse post bella ista finita Christus *Luc.* 11. ita distincte & sigillatim describit euersionem Hierosolymorum, quæ post annos multos futura erat, vt non futuram prædicere, sed præteritum vel præsentem narrare videri possit. Tanta nimirum est latitudo sapientiæ Dei, vt futura cernat tanquam præsentia. Faceſſant hic prædictiones astrologorum, oracula dæmonum, diuinationes medicorum, prognostica agricolarum. Hæc enim vel incerta sunt & conjecturis nituntur, vel ambigua, vel falsa, vel obscura. Solus Deus, cujus sapientiæ non est numerus, vera fundit oracula, ac de futuris quibusq;, etiam contingentibus & liberis, vera prædicit.

Altitudo sapientiæ Dei theoricæ cognoscitur ex objecti & actus nobilitate. Nam objectum sapientiæ Dei sunt res quæque altissimæ, cœlum, stellæ, angeli, & ipsa diuina essentia, quæ vsq; adeo sublimis est, vt à nulla creatura possit perfecte cognosci. Deinde illa sapientia nobilior, atque altior esse dicitur, quæ per pauciores actus plura cognoscit. Jam vero Deus vnico solum intuitu, vno, inquam, actu & ictu, qui semper in eo viget atque immutabilis permanet, & seipsum, & cætera omnia perfecte cognoscit. Sola igitur Dei sapientia nobilissima est & altissima. Erige nunc, anima mea, oculos tuos, & vide, quantum distet sapientia tua à sapientia conditoris tui. Humiliare itaq; sub potenti manu sapientis Dei.

Sedi

Sed & bene ſpera de Deo tuo: quia poſt mortalis corporis depoſitionem transformaberis à charitate ſapientiæ Dei in claritatem, vt in lumine Dei videas lumen Deum vno intuitu, eoque in æternum manente: cujus rei typus eſt 3. *Reg.* 10. in ſapientia Salomonis, quam admirata fuit regina Sabæ.

Profunditas ſapientiæ Dei theoricæ poſita eſt in ſcrutatione renum & cordium, h.e. in cognitione cogitationum & cupiditatum humanarum præſentium & futurarum. 1. *Reg.* 16. 2. *Paral.* 6. *Pſal.* 139. Cogitatio hominis præſens & reipſa exiſtens, profunda eſt valde, vt neque angeli, neque dæmones, ad eam inueſtigandam penetrare poſſint. Sed longe profundior eſt cogitatio vel cupiditas futura. Cum itaque Deus omnes cogitationes & cupiditates hominum diſtincte ac perfecte videat, merito in hæc verba erumpimus: Sicut ad altitudinem potentiæ Dei pertinet, vt ex nihilo faciat aliquid, & docet ea, quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt: ſic ad profunditatem ſapientiæ Dei pertinet, vt ſcrutando renes & corda, videat quod ibi nondum eſt, ac ſi jam eſſet, quod ſine omni dubio erit. Excitare igitur, anima mea, & Deo proba munditiem cordis tui. Reuerere profundam illam abyſſum ſapientiæ, quæ ſcrutatur intima cordis, & multa ibi videt, quæ cor ipſum non videt. Ora denique cum Dauide ex *Pſal.* 19. *Ab occultis meis munda me.*

Jam videamus ſapientiam Dei practicam ſeu effectricem. Ejus latitudo ex creatione cognoſcitur, longitudo ex conſeruatione rerum creatarum, altitudo ex opere redemtionis, profunditas ex prouidentia & prædeſtinatione. Ac vt *à creatione* incipiamus, Deus omnia in ſapientia fecit. *Pſal.* 104. Diſpoſuit enim omnia & ſingula in menſua, numero & pondere. *Sap.* 11. Atque hic eſt ſapor, quo condiuit Deus omnia, vt ex eo ſapore cognoſcamus, quam ſapida ſit ipſa ſapientia, & ex ſingulari artificio intelligamus, quam ſingularis ſit artifex. Habent autem omnes res creatæ certam menſuram, certum numerum, & certum pondus, tum vt diſtinguantur à Deo, cujus immenſitas neſcit menſuram, cujus ſapientia & potentia neſcit numerum, cujus æſtimatio & pretium ſuperat omnem æſtimationem & pretium: tum vt bonæ ſint, pulchræ & vtiles. Ac primo habent cunctæ res eam menſuram, quæ neceſſaria eſt ad finem conſequendum, cujus gratia factæ ſunt: nec poteſt illi menſuræ aliquid addi vel detrahi, quin res deformis ac inutilis, adeoque minus bona, reddatur. Igitur cœlo Deus dedit menſuram ampliſſimam, quoniam omnia inferiora ſuo ambitu complecti debet; aeri majorem quam terræ & aquæ, quia ille hęc duo ambire debet. Elephanto, equo, & jumentis dedit majorem formâ quam hominibus, quoniam illa hos portare, & iis inſeruire debent. Auiculas fecit minutas, vt in ramis arborum nidum ſuſpendere poſſent: apes & for-

& formicas minutissimas, vt in foraminibus vel aluearіorum vel terræ delitescere possent. Quod attinet ad numerum, Deus vnum creauit solem, quoniam ad illustrandum omnem terram,& diem splendore suo faciendum sol vnus satis erat: Lunam quoque fecit vnam, quoniam ad illuminandum noctem vna sufficiebat: stellas plurimas esse voluit propter ornatum & influxum varium. Plurima condidit metalla, vegetabilia & animalia, vt varietas illa delectaret hominem, ornaret domicilium hominis,& multiplicem ipsi adferret vtilitatem. In singulis denique rebus certum partium numerum ita constituit, vt nihil addi vel minui possit. Attribuit Deus homini duos oculos, duas aures, duas manus, vnum nasum, vnum os, vnum pectus, caput vnum: & res pulcherrima atque ornatissima apparuit. Inuerte ordinem, pone alicui homini vnum oculum, duos nasos, vnam aurem, duo ora, vnam manum,& vnum pedem, duo pectora,& duo capita: nihil fœdius, nihil inutilius fieri poterit. Denique pōdus, id est, æstimationem & pretium vnicuique rei Deus attribuit. Nomine autem pretii intelligimus qualitates & virtutes rerum, quæ illas magnopere commendant: puta lux, color, sapor, odor, qualitas occulta & manifesta, per quam res ad actiones varias est apta, vtilis & necessaria. Hic est prorsus mirabile, quod Deus vim maximam rebus paruissimis attribuit. Nam in grano seminis, quod vix oculis discerni potest, latet arbor magna, in cuius ramis aues habitare possunt. *Mat.* 23. Atque hoc ipsū est commune omnibus seminibus, in quorum virtute radices, trunci, rami, folia, flores & fructus maximarum arborum delitescunt. Quis amabo hoc capit, quomodo in tantulo semine tanta moles rerum diuersissimarum latet? Quis præterea capit, quomodo in formica, in culice, in pulice, inque aliis minutissimis animalculis esse pedes, qui velocissime moueantur, esse cor, esse sensus externos & internos, esse prudentiā & judicium, esse denique tantam vim terebrandi & perforandi carnes viuas, vt hominibus, elephantis & leonibus sint molestissima. Nihil hic dico de qualitatibus & virtutibus stellarum, elementorum, ventorum, herbarum, piscium, auium, reptilium, bestiarum ferarum & cicurum, ipsius denique hominis: sed concludo illud de latitudine sapientiæ Dei, concludo, inquam, ternario illo mensuræ, numeri & ponderis rerum creatarum; quæ tria res omnes perficiunt. Numerus enim necessarius est, vt nihil desit, mensura, vt sit apta proportio, pondus vt sit legitima actio. Magna igitur est sapientia Dei conditoris, quam miratus est ethnicus ille Galenus in artificio manus humanę, adeo vt exclamauerit in laudem conditoris. *lib. de partibus* Quid igitur tu facis, Christiane, qui latitudinem sapientiæ Dei cernis in amplitudine artificiosissima totius mundi, quam diuinus ille historicus Moses *Gen.* 1, descripsit? *Longitudo sapientiæ Dei practica* cō-

ſpicitur in rerum creatarum, ac potiſſimum corruptibilium, conſeruatione & duratione. Nam Deus ex terra & aqua nutrit herbas & plantas, facitq; vt alimentum illud tranſeat à radicibus ad truncum, & à trunco ad ramos, folia & fructus ſurſum trahatur, & omnia penetret modo prorſus admirabili. Similiter ex herbis, fructibus, & ex ipſa carne animantium nutrit animantia, & in iis hominem, facitque vt alimentum intret ac penetret ad omnes partes corporis internas & externas, tanta facilitate & ſuauitate, vt prorſus incredibile videatur. Agit Deus inſtar medici doctiſſimi & humaniſſimi, qui pharmaca ſic nouit condire, vt non ſolum facile ab ægrotis ſumantur, ſed etiam libenter. Amantiſſimus & ſapientiſſimus hic medicus primo ſaporem indidit rebus, vt cum delectatione ſumantur: deinde variauit infinitis modis ad tollendum faſtidium: denique per varias alterationes in ore, ſtomacho, hepate & corde conuertit cibum in ſuccum adeo ſubtilem, vt ſine ſciſſione vel dolore tranſeat per omnes venas & poros corporis, atque ad omnes partes carnis, oſſium, neruorum penetret, nobis non ſentiẽtibus, vel etiam dormientibus. Admirantur philoſophi ſolertiam & artem naturæ, cum iſta ſpeculantur. Sed quæ poteſt eſſe ſolertia in rebus inanimis, vel ſenſus & rationis expertibus? Nos itaque admiremur ſapientiam opificis, & à nutritione plantarum atque animalium aſſurgamus ad nutritionem animæ in altera vita vbi Deus modo longe perfectiori nos paſcet pro infinita ſua ſapientia. Sed à nutritione veniamus ad motũ cõtinuum ac ſine fatigatione longiſſimum, quẽ Deus attribuit pulmonibus, arterijs, cerebro, & reliquis membris. Multum laborarunt homines, vt horologium conſtruerẽt, in quo rotæ vi ponderum ad viginti quatuor horas ſine intermiſſione decurrerent. Sed ſapientia Dei motum continuum attribuit vi nutritiue, quo fit vt illa perpetuo in homine operetur, ad annos ſæpe octoginta, centum, & ante diluuium ad ſexcentos annos & vltra. Certe qui iſta nõ mirantur, & ex iſtis ſapientiam Dei non ſuſpiciunt atq; adorant, eos lumine ſapientiæ omnino carere eſt neceſſe. Porro ſapientia Dei in eo cernitur, quod cum poſſit ſine miniſterio cauſarum ſecundarum res producere & conſeruare, voluerit tamen vti illarum vt ita dicam conſortio in agendo, vt non languerent otio, ſed vires ſuas exercerent omnia, quomodo videmus ſapientem patrem familias ita inſtituere res ſuas, vt omnes & ſinguli habeant in familia quod agant. Nominatim verò Deus voluit vt inter homines alij diuites eſſent, alij pauperes, alij his, alij iſtis donis præditi, vt haberent omnes occaſionem colendæ virtutis, & vinculo charitatis colligerentur. Hinc enim fit, vt diuites liberalitatem & miſericordiam, pauperes humilitatem & patientiam exerceant: & diuites egeant pauperum opera in colendis agris, paſcendo pecore, & ſimi-

libus

ſibus rite perficiendis; & pauperes contra egeant diuitum opera in parando victu & amictu. Pertinet huc mirabilis harmonia & varietas opificiorum & ſtatuum hominis. Nimirum Deus hanc varietatem in ſtellis, floribus, fructibus, herbis, arboribus, animalibus, denique in ipſo hominis corpore expreſſit. Ille vnicuique dedit, quod ipſi expedit: quomodo videmus medicum quibuſdam inediam imperare & venam ſecare, alijs vinum & carnes indulgere, vt que recreentur jubere. Ad extremum longitudo ſapientiæ Dei practicæ in propagatione & generatione rerum ſublunarium eſt conſpicua: item in viuaciſſimo illo inſtinctu conſeruandi ſui, & in amore vitæ, & in ſtorge naturali. Videmus enim homines & animantia incredibili teneri affectu propagandæ ſpeciei: videmus homines nullis opibus & laboribus parcere cum in periculo vitæ ſunt conſtituti; videmus beſtias ſupra vires cum robuſtioribus pugnare, ne vitam amittant: videmus gratia contra naturam aſcendere, ne detur vacuum: videmus gallinam infirmari & acerrime pugnare pro pullis: videmus mulieres plurimos dolores & labores perferre in pariendis & educandis infantibus. Hujus rei cauſa eſt conſilium ſapientiæ Dei, qui vt hanc propagationem, veluti vmbram æternitatis aleret, amorem vehementiſſimum animantibus omnibus, etiam brutis & feris, erga proles impreſſit. Nam cum multa ſint animantia, quorum deſtructioni omnes homines dant operam, vel vtilitatis propriæ cauſa, vt ſunt lepores, apri, cerui, turdi, perdices, & piſces fere omnes, vel ne noceant, vt lupi, ſerpentes, vulpes, & id genus alia, facile ſpecies animalium multæ jam dudum perjiſſent, niſi Dei ſapientia per hunc affectum conſeruationi & propagationi eorum prouidiſſet. Sed, anima mea, ſi tantus amor naturaliter ineſt omnibus viuentibus erga vitam iſtam breuem, & laboribus plenam, quantus amabo debet in te eſſe amor erga vitam beatam & ſempiternam? O ſtultitia, ô cæcitas generis humani? Animantes brutæ pro vita breuiſſima, vmbra illa æternitatis, laborant ſupra vires: & homo ratione præditus pro vera felicitate vitæ æternæ, & pro æternitate vitæ felicissimæ non dignatur laborare, non dico ſupra vires, ſed pro viribus. Animantes brutæ inſtinctu naturali mortem temporariam horrent & fugiunt ſuper omnia mala: & homo ratione inſtructus & fide edoctus mortem ſempiternam neque horret, neque fugit, ſaltem, vt temporaria mala horrere & fugere conſueuit.

Altitudo practicæ ſapientiæ Dei conſpicitur in opere redemtionis. Altiſſimum enim fuit conſilium Dei per ſummam ignominiam crucis reſarcire omnia damna, quæ aſtutia diaboli per peccatum primi hominis fecerat: & ita reſarcire, vt pulchrius fuerit opus inſtauratū, quā fuiſſet antequā inſtauratione egere cœpiſſet. Quatuor mala nata ſunt ex pecca-

to primi hominis, injuria Dei ex ſuperbia & inobedientia Adami pœna totius generis humani, contriſtatio angelorum, gaudium diaboli. Hæc omnia mala ſuſtulit, & in majora bona conuertit ſapientia Dei per myſterium crucis: vt non ſine cauſa canat eccleſia, ô felix culpa, quæ talem ac tantum meruit redemtorem! Certe enim ſi veſtem nouam & pretioſam caſu aliquo ſciſſam & laceram ſartor induſtria ſua ita reſarciat, vt nouo ſuperaddito ornamento, elegantior & pretioſior fiat, jure dici poteſt felix ſciſſio, quæ tantæ venuſtati occaſionem dedit. Primus itaq; homo affectando ſuperbiam dedit occaſionem Deo, vt Chriſtus, qui eſt Sapientia Patris, ſe humiliaret, & honorem reſtitueret Deo multo majorem, quam fuerit ille, quem primus homo ſuperbiendo abſtulit. Adã enim purus homo erat: &, ſi Deo paruiſſet, in re facillima paruiſſet. Quid enim magni erat primis hominib. abſtinere à fructibus vnius arboris & vitæ, cũ plurimis & optimis abundarent? Itaque peccatum quidem eorum grauiſſimum fuit, & tanto grauius, quanto facilior obedientia fuiſſet. Chriſtus vero Deus & homo erat, & humiliauit ſe ad obediendum Deo Patri in re longe maxima & laborioſiſſima, id eſt, in morte crucis plena doloris & ignominiæ. Proinde ſi conſideretur eminentia perſonæ, & profundum humilitatis & obedientiæ, nihil poteſt cogitari majus, vel magis meritorium, vel honorificentius Deo, quam humilis illa obedientia Chriſti. Itaque Chriſtus *Johan.* 17. ait, quod glorificauerit Patrem, hac nempe humilitate ſua coram angelis & hominibus ſanctis, quibus illa innotuit. Porro quia Chriſtus nobis datus eſt mediator, natura noſtra eſt exaltata ſupra angelos, tum quia Chriſtus noſtram naturam aſſumſit, tũ quia genus humanũ obtinuit per ipſius redemtionẽ, vt vnus homo ſuper omnes angelos exaltatus ſedeat in dextra Patris, ſitq; caput & dominus angelorum & hominũ. *Phil.* 2. Huc accedit, quod magna hæc eſt ſublimitas naturæ noſtræ, quod Deus in virgine & ex virgine naſci voluit homo. Tantum vero abeſt, vt ſancti angeli hanc eminentiam naturæ noſtræ indigne tulerint, vt è contrario affecti fuerint maximo gaudio ex copioſa redẽtione per Chriſtum, ſicut è contrario cõtriſtati ſunt maximopere ob caſum primi hominis. Diabolus autẽ, qui ad tẽpus exultauit ob deuictũ ac proſtratũ à ſe primũ hominem, multo majori triſtitia fuit affectus ob victoriam Chriſti hominis, quã fuerit prior exultatio. Ex victoria enim Chriſti factũ eſt, vt homo peccator & ab ipſo proſtratus de illo triũphet. Nõ fuiſſet turpe diabolo vinci ab Adamo in paradiſo, quãdo ignorantia & infirmitate carebat, & armatus erat juſtitia originali. At nunc vinci diabolum ab homine mortali, peregrino, ignorantiæ & concupiſcentiæ obnoxio, ſummum eſt dedecus. Et vincitur tamen per Chriſti gratiam, & ita vincitur, vt multi trophæa caſtitatis, patientiæ humilitatis & charitatis erigant,

quam-

quamuis diabolus ignita sua jacula tentationum & persecutionum assidue jaciat. Qua quidem in re supra modum admiranda est altitudo sapientiæ Dei. Nam quia homines propensi sunt natura ad voluptates carnis, bona temporalia, amorem mundi & gloriam mundanam, Deus nobis dedit Filium suum, qui factus est continens, pauper, humilis & patiens, mortem denique crucis pro redimendo genere oppetijt, vt nos ipsius virtute & exemplo militemus contra Diabolum, & contemnamus bona temporalia, voluptatem carnis, affluentiam diuitiarum, illaque omnia habeamus pro amarissimo felle, & è contrario studeamus castitati, humilitati, patientiæ, & similibus virtutibus. Quas dum videmus in Christo tanquam speculo relucentes, & deuote illius vitam & mortem meditamur, non possumus non excitari & animari ad ipsum imitandum. Atq; hæc est admirabilis altitudo sapientiæ Dei, quæ hominibus videtur stultitia. *1. Cor. 2.* hominibus dico non tantum gentilibus, sed etiam pseudo-Christianis. Tu vero anima mea fuge sapientiam Dei de stultia crucis, & perge juxta mecum expendere, quanta lato. Sed non ideo debemus benignitate Dei abuti, & conuersionem de die in diem differre, cum nemo sciat qua hora sit vocandus ad tribunal judicis justissimj. Imo vero hæc tanta misericordia Dei debet nos inuitare ad promtissimam conuersionē. Nam si Deus tam benignus est erga peccatores sæpius relabentes, quanta erit ipsius dulcedo erga eos, qui student infirmitates suas corrigere, nec facilitant artem peccandi Denique longanimitas Dei cernitur in eo, quod tolerat offensiones & infirmitates nostras, puta ingratitudinem, qua quotidie reddimus ei mala pro bonis. Quo pertinet euagatio mentis nostræ in precatione. Nam dum loquimur cum Deo nostro, ecce statim ab imaginatione abrepti ad alia cogitanda, quasi terga vertimus Deo. Quis in terris dominus pateretur seruos suos coram se astantes & secum loquentes, continuo conuerti ad fabulandum cum conseruis neglecto domino? Quid dicam de cogitationibus vanis? de verbis otiosis? de operibus infructuosis? de excessibus in cibo, in potu, in somno, in ludis. de negligentia in rebus sacris? de alijs innumerabilibus offensionibus, quas Deus tolerat in nobis suis filijs?

Altitudo misericordiæ Dei sumitur à causa mouente Deum ad miserendum, quæ sane est altissima. Si enim quæras, cur Deus creauit mundum? Cur hominem ad suam imaginem fecit? Cur justificauit impios? Cur nos adoptauit in filios, & regni sui hæredes constituit? Nihil omnino responderi potest, nisi quia voluit. At quare voluit? quia bonus est.

Bonitas enim se diffundit libenterque communicat. In cœlo igitur ædificata est misericordia, & de altissimo habitaculo, videlic. ex corde summi Patris descendit in terram. *Psal. 89.* Itaque in se inuenit Deus, vnde

misereatur nostri, in nobis inuenit, vnde puniat. Erige nunc, anima mea, oculos tuos, & aspice altissimum hunc misericordiæ fontem, nulla proprij commodi intentione permixtum. Enitere, quantum potes, vt ex hoc fonte riuus in te descendat, vt conseruorum tuorum puro hoc affectu miserearis, quo Pater ille cœlestis miseretur nostri. Si dimittis injuriam, dimitte ex corde, vt facit Pater tuus cœlestis. Propone tibi ob oculos scalam misericordiæ, quæ est in Deo, & in hominibus. Ac homines quidem miserentur aliorum hominum, quia indigent opera illorum: qui est infimus misericordiæ gradus. Alij miserentur ob consanguinitatem vel amicitiam, quia videl. filij sunt, vel fratres, vel familiares, vel amici: & hic est gradus paulo altior. Alij deniq; miserentur, quia sunt proximi, h.e. homines, vt ipsi sunt, ab eodem Deo, & ex eadem terra creati. Proinde non discernunt, an sint amici vel inimici, boni vel mali, nostri an alieni: sed omnium miserentur, quos ad imaginem Dei creatos esse nouerunt. Atq; hic est vltimus gradus, ad quem mortales ascendere possunt. Deus autem miseretur quidem rerum omnium, quia creaturæ ejus sunt: & speciatim miseretur hominum, quia imagines ejus sunt: & magis adhuc speciatim miseretur justorum, quia filij ejus sunt hæredes regni, & cohæredes vnigeniti sui. Sed si quæras, cur Deus nos creauerit, & lapsos redemerit, sola ipsius bonitas & misericordia tibi occurret. Ecce, anima, habes scalam misericordiæ, per quam potus ascendere ex terra in cœlum. Quæso te, da operam, vt sine spe mercedis terrenæ, sine vllo inanis gloriæ stimulo, ex solo & puro amore Dei & proximi, in virtute misericordiæ proficias, Deoque misericordissimo magis magisque similis fias.

Restat *profunditas misericordiæ Dei*, quæ in effectis est quærenda, quemadmodum altitudo in causa maxime splendet. Illa igitur misericordia vtcunque est profunda, non vero superficialis, quæ consistit in verbis consolatoris. Illa est profundior, quæ verbis consolatorijs addit beneficia, illisq; miseros subleuat & reficit. Illa vero est profundissima, quæ non solũ loquendo & donando, sed etiam tolerando & patiendo labores & dolores miserabiles subleuat. Jam Deus noster, cujus misericordiæ non est numerus, omnibus modis misertus est nostri. Ac primum literas consolatorias ad nos misit, quæ sunt scripturæ promittentes auxilium & protectionem diuinam, & internæ inspirationes atque consolationes cordis nostri, de quibus Dauid *Psal. 85.* Deinde beneficia misericordiæ Dei contra multiplices miserias nostras, tum spirituales, tum corporales, tam multa sunt, vt numerari non possint. Vbique enim nos coronat, id est circumdat, misericordia & miserationibus. *Psal. 103.* Tertio descendit misericordia Dei per mysterium incarnationis ad labores & dolores nostros, ad famem & sitim, ad ignominiam & opprobria, ad liuores & vulnera, ad

crucem

crucem & mortem, denique in infernum, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & à sempiterna morte, quæ iniquitati debebatur. Estne abyssus aliqua profundior, ad quam descendere potuit misericordia Dei? Est omnino. Id enim non fecit ex debito, sed ex gratia. Quis enim coegit Filium Dei, vel quis est hoc meritus, vt cum æqualis esset Patri exinaniret seipsum, formam serui accipiendo? vt propter nos egenus fieret, suaque inopia nos locupletaret? vt humiliaretur vsque ad mortem, atque sua morte, morte autem crucis, viuificaret & exaltaret? Certe solus amor coegit, sola misericordia impulit. Sed est adhuc aliquid profundius. Nam Deus in opere salutis nobiscum communicat gloriam & honorem, & partem gloriæ suæ vult esse partem nostram, dum justitiam Christi vult esse justitiam nostram. O anima, quid profundius cogitare potes? Altitudo meriti Christi est in profunditate cordis tui per veram fidem, & est tuum meritum. Profundissima itaque est misericordia Dei tui, quia superat misericordiam patris & matris, qua majorem in terris non nouimus. *Esa. cap. 49. Psal. 103.* Nam Deus tuus tollit à te miserias afflictionum, quas judicat tibi expedire, vt tollantur: & ad facile tolerandas miserias, quas judicat tibi expedire vt non tollantur, præbet ineffabilem consolationem, in qua re Deus se ostendit Patrem totius consolationis, vt loquitur Apostolus *2. Cor. ca. 1.* Nimirum Deus est Pater totius consolationis duabus de causis: tum quia nouit suos consolari in omni genere tribulationis, quod certe mundus facere non potest, vtpote qui sæpe non intelligit causam tribulationum, vel non scit modum applicandi medicinam vbi oportet, vt in amicis Jobi videre est *cap. 16.* vel non satis est ad tollendum morbum propter grauitatem: tum quia tam plene & affluenter consolari nouit, vt electi optent pati tribulationem cum consolatione Dei conjunctam, quam simul vtroque carere. *2. Corinthior. capit. 5. & 7.*

Quid tibi videtur, anima mea, de ista tam ampla, tam diuturna, tam pura, tam immensa misericordia Dei tui? Is bonorum nostrorum non eget, & tamen ex affluentia charitatis suæ tam est solicitus de seruulis suis, ac si ab illis penderet omne bonum suum. Quas igitur gratias illi ages? Nihil potes rependere. Stude saltē, quantum potes, vt illi placeas, & quod illi placet adimpleas. Hoc autem illi placet, vt miseriam tuam cognoscas atque deplores, vtque misericordiæ opera exerceas miserendo animæ & corporis proximi tui. Excitare igitur, anima mea, & visita animā tuam: examina singulas potentias an recte valeant, an proficiant in cognitione veri & actione boni. Deprehendes hic multiplicem morbum, famem, sitim, vulnera, & mortē animæ tuæ: vtpote quæ sæpius integras hebdomadas nihil cibi & remedij percipit. Quære ig. medicū spirituale, Deum

tuum,

tuum,& adhibe remedia oportuna. Clama ad Dominum, lamentare atq; rugi, Miserere mei, quoniam infirmus sum: quomodo vides hominem lamentari, rugire,& magna solicitudine laborare, si vel vnum diem corpus cibo & potu careat; vel vnam noctem insomnem ducat, aut ex casu vel vulnere doleat. Deinde miserere, anima mea, miseræ animæ pvoximi tui, & illam corripe fraterne, corrige paterne, erige amice. Denique miserere necessitatum proximi tui, vt misericordiam consequaris. *Matth.5.*

Appendix de gratia Dei.

Scala gratię Dei septem constat gradibus. Est enim gratia. 1. Præueniens *Psal.79.* 2. Adjuuans. *Jer.3.* 4. Tolerans *Ps.103.* 5. susçipiens *Luc.15.* 6. Remittens *Luc.7.* 7. Conseruans & confirmans. *Psal.68. Phil.1.*

De justitia Dei.

Justitia Dei in Scripturis accipitur quatuor modis. Primum pro justitia vniuersali, quæ continet omnes virtutes, & est idem quod sanctitas. *Psal. 145.* Deinde pro veritate & fidelitate. *Psal.51.* Tertio pro justitia distributiua præmiorum. *2.Tim.4.* Denique pro justitia vlciscente peccata. *Psal.10.* Hinc magnitudo justitiæ Dei non obscure colligitur: puta latitudo justitiæ vniuersalis, longitudo veritatis & fidelitatis ipsius, altitudo justitiæ præmia distribuentis è cœlo, & profunditas justitiæ vlciscentis peccata in inferno conscientiæ & in inferno mortis æternæ. Ac vt à *latitudine* incipiamus, justitia vniuersalis in homine est charitas Dei & proximi, qui disponit hominem, vt bene se habeat in omn bus actionibus juxta omnes leges. Proinde hæc virtus complectitur omnes virtutes tum morales, tũ Theologicas, & in sinu suo illas fouet, omniumque virtutum actus imperat, & ad vltimum finem dirigit, qui est charitas. Hujusmodi justitia est in Deo. Nam in illo sunt omnes virtutes ipsius natura dignas. In ipso non est fides, quia hæc est illarum rerum quæ nõ videntur: non spes, quia illa est expectatio futurorum: non pœnitentia peccati, neque humilitas. Nam Deus omnia videt & omnia possidet, non potest peccare, neque maniter potest ascendere supra summum bonum, id est supra se ipsum, quia est altissimus. Est autem in Deo regina omnium virtutum, puta charitas immensa. Nam Deus diligit seipsum dilectione infinita tanquam infinitũ bonum: diligit res omnes, quas fecit: diligit res eo gradu, quo sunt diligendæ: quia res omnes nouit, & nouit discernere bonum à malo, naturam à defectu, majus bonum à minori; quæ quia in nos non cadunt, charitas nostra est partim angusta & imperfecta, partim cupiditate mala inquinata. Porro reginam virtutum in Deo comitantur magnificentia singularis, liberalitas efficacissima, benignitas & humanitas incredibilis, patientia & longanimitas inaudita, pietas & suauitas plus quam paterna,

veritas

veritas & fidelitas nunquam deficiens, misericordia cœlum & terram implens, justitia rectissima & inflexibilis, denique sanctitas purissima & lucidissima, vt in conspectu ejus stellæ non sint mundæ. O si perpenderes ista, anima mea! Certe cum timore & tremore adorares Dei tui justitiam, & illam tibi imitandam proponeres.

Longitudo justitiæ Dei posita est in veritate & fidelitate, qua fit vt promissiones Dei, etiam ante secula multa pronuntiatæ per os prophetarum, non sint irritæ, sed magis stabiles ac firmæ quam cœlum & terra. *Luc.10. Matth.cap.5.& 24.Esa.40. Psal.111. Roman.3.* Nimirum impossibile est, Deum posse mentiri: quia nec falli potest, cum sit sapientia; nec fallere, cum sit bonitas; nec deficere, cum sit omnipotentia. Homines autem, quamuis sapientes, boni & potentes, & falli & fallere possunt; quia nec omnia norunt, nec omnia possunt implere quæ volunt, & possunt etiam qui boni sunt, quando promittunt, paulo post fieri mali, & non velle implere promissa. Quare si sapis, anima mea, in solo Deo confides, illi soli adhærebis, illius mandata solicite & fideliter obseruabis, vt ille solicitus sit de te, imo solicitissimus omnium. Porro justitia Dei etiam est longa instar virgæ ferreæ, qua comminuuntur hostes Dei, & instar sceptris quo reguntur filij ejus.

Altitudo justitiæ Dei cernitur in retributione præmij cœlestis, quod Deus tanquam justus judex præparauit filijs suis. Magnitudo ista plenius cognoscetur, si Deus judex conferatur cum sit *profunditas sapientiæ Dei practicæ*. Consistit autem illa in prouidentia, & prædestinatione, & judicijs Dei: quæ omnia sunt abyssus multa. *Psal.36.* At primum profunditas prouidentiæ Dei colligitur ex eo, quod ille res omnes creatas immediate regit, regimine particulari, adeo quidem, vt nec passerculus cadat in terram sine prouidentia Dei. *Matth.10.* Potest vnus Rex multas prouincias generali prouidentia gubernare, sed non particulari, quæ ciues singulos complectatur, & ea de causa multos adhibet proreges, prætores & præsides. Deus autem sic curat singulos vt omnes, & omnes vt singulos. *Luc. 12.Matth.10.Psal.146.* Secure itaque quiescere potes, anima mea; in sinu tanti Patris, etiam in medijs tenebris, inter ora leonum & draconum, inter innumerabiles spirituum innumerabilium legiones. Adhære tantum illi fide non dubia, spe non fluctuante, amore sincero, timore sancto. Porro, anima mea, non est, quod aliquid tibi accidat, quod Deo sit nouum, aut non præuisum, aut præter ipsius directionem. Ipse enim ordinem seculorum constituit, & regnorum successiones, & temporum vicissitudines, & omnium casuum varietates ab ipsa æternitate disposuit. Ille non minus certe futura omnia nouit, quam præterita vel præsentia, atq; in mente sua ante mundi constitutionẽ rerũ omnium successiones ordinesq; disposuit.

Quia tamen ratio prouidentiæ Dei est abyssus occultissima, inde fit vt multi videntes plurima peccata ab hominibus committi, eaque impunita dimitti, in præcipitium illud ruant, vt credant res humanas Dei prouidentia non gubernari, aut certe mala à Deo fieri & approbari. Quorum vtrũque est impium; Illi autem in hæc errorum præcipitia ruunt, qui vident vnam prouidentiæ Dei partem, alteram non vident: & cum expectare debeant exitum rerum, qui in extremo judicio manifestus erit omnibus, illi ante tempus temere judicant. Cogitare insuper debebant isti homines regulam illam: *De operibus Dei non est judicandum ante quartũ actum.* Succurrat hic nobis illa similitudo Augustini, qui stultos judicat eos, qui particulam operis aut ædificij egregij intuentur, aut principium carminis recitari audiunt, indeque judicium ferre solent de toto opere, quod alias est ordinatissimum & pulcherrimum. Similiter stulti sunt, qui ordinatissimã Dei prouidentiam vituperare audent, antequam totus prouidentiæ ordo decurrat. Ergo, anima mea, si sapis satage quantum potes, vt mala non fiant; hoc enim imperat tibi Deus: sed cur ipse mala permittat, judicio ejus relinque, quod occultum esse potest, injustum esse non potest. Cæterum quamuis abyssus magna sit ratio prouidentiæ Dei in rebus humanis gubernandis, tamen abyssus est sine vlla comparatione profundior ratio prædestinationis. Nam cur Deus multos impios temporalibus bonis accumulet, & peccata ipsorum in hac vita impunita relinquat; & contra, cur multos innocentes egestate premi, & injuste vexari atque occidi permittat, non potest quidem à nobis inuestigari de singulis: possumus tamen in genere causam aliquam probabilem assignare. Deus enim sæpe facit impios circumfluere bonis temporalibus, vt bona aliqua eorum opera moralia remuneret, cum vitam illis non sit daturus æternam: vel vt eos beneficijs temporalibus alliciat ad conuersionem à peccatis, atque ad beneficia æterna speranda & desideranda perducat: eorum vero peccata aliquando in hac vita non punit, quoniam satis ea puniet in gehenna: justos autem multis modis affligi sinit, tum vt peccandi libidinem domet, tum vt hunc mundum ipsis amarescere faciat, tum denique vt gloriosius & splendidius patientiam & humilitatem ipsorum in hac vita & post hanc vitam coronet. At cur Deus Jacob dilexerit, & Esau odio habuerit, antequam quidquam boni vel mali egissent, quis inuestigabit? Erant profecto gemelli fratres, ejusdem patris & matris filij; & tamen vnum Deus prædestinando dilexit, alterum reprobando odio habuit. Et ne quis forte dicat, præuid isse Deum opera bona vnius, & alterius mala futura, Apostolus anticipat hanc responsionem, & dicit, hoc factum esse, vt secundum electionem propositum Dei maneret, & allegat verba Dei apud Mosen, *Miserebor, cujus miserebor, &c. Exod. 33.* Merito hoc admiratur Apostolus

Rom. 9.

Rom.9. Porro quis non obstupescat, quando legit Judam fuisse vnum ex discipulis Christi, & longo tempore multa moraliter bona fecisse, & in fine vitæ perijsse. latronem autem illum, qui longo tempore in malis operibus perseuerarat, in fine vitæ conuersum fuisse & continuo in paradisum euolasse? Dices, at Judas Christum prodidit & latro Christum confessus est: Vera sunt hæc quidem. Sed quid? annon poterat Christus Judam respicere, vt respexit Petrum? Annon poterat illigatam illam efficacem inspirare, quæ à nullo duro corde respuitur? Et nunquid Christus non poterat vtrique latroni secum pendenti fidem & pœnitentiam donare, sicut donauit vni, vel vtrũque finere in peccatis vitam suam finire, vt permisit vnum. Porro quis rationem reddere poterit, cur aliquos Deus rapiat, ne malitia mutat intellectum eorum, vt est *Sap.4.* & multos non rapiat, finatque in malitia finire dies suos? Quid denique dicemus de integris regionibus, quarum aliæ citissime, aliæ tardissime, aliæ vero nunquam vocatæ sunt ad fidem, sine qua nemo saluari potest. Ista sunt secreta altissima & profundissima, quæ Deus posuit in abysso sapientiæ suæ, quam Apostolus non aperit, sed miratur, cum dicit, *O altitudo! Rom.11.* Hoc saltem scire nobis licet, apud Deum nullam esse iniquitatem, & in nouissimo die neminem futurum, qui non possit juredicere, *Justus es, Domine, & rectum judicium tuum.* Tu vero, anima mea, his omnibus in timore Dei expensis, satage, vt certam facias per bona opera vocationem & electionem tuam, videlicet per solicitudinem de salute æterna, per fidem in Christum, per spem certam & charitatem non ficatam. *2. Pet.3. 1. Iohan.3.*

De misericordia Dei.

Spiritus S. in scripturis misericordiam Dei mitis effert laudibus, ita vt illam super omnia Dei opera prædicare non dubitet. *Psal.145.* Ejus autem magnitudo patet ex consideratione spiritualis ejus dimensionis, in qua primo se offert ejus *latitudo*; quæ in eo posita est quod Deus, & ille quidem solus omnes miserias tollere possit, & ab omnibus tollat omnes quæ tolluntur, idque faciat ex puro puto amore erga res creatas, non ob aliquam suam vtilitatem. Possunt quidem res creatæ aliquam miseriam tollere, vt cibus famem, potus sitim, vestis nuditatem, doctor ignorantiam. At nulla creatura potest omnẽ miseriam tollere. Præterea sunt quædam miseriæ tanto grauiores, quanto occultiores & interiores, quibus solus Deus remedium adhibere potest; cujusmodi sunt insidiæ dæmonum, error & cœcitas mentis atque conscientiæ. Ab his & similibus miserijs quis nos eripere potest, nisi solus medicus omnipotens?

Sæpenumero autem accidit, vt Deus misericorditer nos inscios ab ejusmodi miserijs liberet. Quo quidem fit, vt omnes homines merito ingrati possint dici aduersus Deum. Vix enim minimam partem beneficiorũ Dei cognoscimus, ac ne pro illa quidem parte agimus gratias ea deuotione & humilitate qua par erat. Deinde res creatæ non possunt tollere omnes miserias, sed paucas: & ne illas quidem tollunt ab omnibus, sed à paucis. Solus Deus omnes miserias, & ab omnibus tollere potest: & quamuis non ab omnibus tollat, nemo tamen est, qui alicujus misericordiæ Dei non sit particeps. Recte igitur canit Propheta *Psal.33. Misericordia Domini plena est terra.* Et Ecclesia in oratione dicit, *Deus, cujus proprium est misereri.* Nimirum ad illum pertinet miseriam tollere, qui miseria caret: & ad illum solum pertinet omnes miserias ab omnibus tollere, qui solus omni prorsus caret miseria. At, inquies, cur Deus non tollit omnes miserias ab omnibus, cum sit Pater misericordiarum? Vnde tot miseriæ abundant sub Patre hoc misericordiarum? cur dicitur, *Misericordia Domini plena est terra*, & non potius è contrario, *Omni miseria plena est terra.* At, inquam ego potest quidem Deus omnes miserias tollere, sed eas tantum tollit, quas sapientia ejus judicat esse tollendas. Jam vero sapientia Dei judicat, non expedire ipsis hominibus, vt tollantur omnes miseriæ, & misericordiam aliquando esse miseriam non tollere, vt majori misericordiæ præparetur locus. Sic Apostolus *2. Corinth. capit.12.* terrogauit Dominum, vt auferret ab eo stimulum carnis; & non est auditus, quia virtus Dei in infirmitate perficitur. Et vbi essent opera misericordiæ, si non essent vlli pauperes esurientes, sitientes, nudi, peregrini? Et, si deessent tentationes & prælia cum dæmonibus, vbi essent triumphi & coronæ.

Certandum est: nulli veniunt sine Marte triumphi;
Et nisi certanti nulla corona datur.

Si deessent dolores & labores, vbi esset palma vincentis! Si nullæ essent persecutiones, vbi esset corona martyrij? Itaque in hoc exilio vtrumque verum est, & terram plenam esse miserijs, quia vel ipsa sola peccata ingentes sunt miseriæ, & terram esse plenam misericordia Domini, quoniam conuersio peccatorum, lucta carnis & Spiritus, & alia infinita tum spiritualia, tum corporalia Dei beneficia, sunt continuæ & maximæ miserationes conditoris & redemtoris nostri.

Longitudo misericordiæ Dei est longanimitas, quam Scriptura sæpissime cum misericordia conjungit, vt *Psal.103.145.* Admirabilis est ista longanimitas, siue patientia misericordissimi Patris nostri erga nos, ita vt similem non inuenire possimus, neque in dominis erga seruos, neque in parentibus erga liberos, tametsi vtrique sunt homines. Ac primum Deus est lon-

est longanimis erga peccatores, expectans illos incredibili patientia, aliquando ab initio pueritiæ vsque ad extremam senectam, tolerans violationem legis suæ, & laceration em sui nominis, & interim benefaciens eis de cælo, dans pluuias &c. vt loquitur apostolus *Actor.14*. Quis quæso est inter homines parens aut dominus tam facilis & mitis, qui si videat se contemni & injurijs affici à filio aut seruo, & longo tempore eos in hac peruersitate perseuerare, qui tandem non eos expellat è domo sua? At misericordia Dei non vincitur à malitia hominum. Deinde major adhuc patientia cernitur in eo quod peccatores per gratiam Dei conuersi & ex filijs tenebrarum filij lucis effecti, iterum atque iterum, & sæpe ac sæpius Deum offendunt infirmitate & ingratitudine sua, neque tamen à longanimitate Dei deseruntur, sed benignissime ad instaurandum pœnitẽtiam suam expectantur, inuitantur, & promouentur, quemadmodum filius ille prodigus *Luc.15*. ad osculum pacis, & ad priſt nos honores & dignitates à patre suo fuit receptus. Hinc Deus nullum terminum reconciliationi ponit, nisi finem hujus vitæ. Nam quamdiu viuit peccator, etiamsi ad annum centesimum, vel vltra, labendo & relabendo peruenerit, à benignissimo Patre ad veniam delictorum admittitur. Nulla est apud misericordiam Dei pœnitentia sera, modo sit seria, & ex corde vere contrito & humili terrenis judicibus, & præmium, quod Deus dabit, cõferatur cum eo, quod homines dare solent. Homines itaque, puta judices & principes, multis de causis non dant præmia illis, quibus debentur. Aut enim nosi possunt, cum non habeant tantam copiam rerum, vt sufficiant ad remunerandum labores omnium: aut non cognoscunt omnia merita suorum clientum & subditorum, aut certe non cognoscunt justum pretium meritorum, cum à sinceritate & deuotione animi dependeant: aut nolunt reddere mercedem ex improbitate vel auaritia sua: aut denique, vel ipsi præueniuntur morte, antequam debita præmia reddant, vel ij quibus debentur præmia, ante de hac vita decedunt, quam laborum suorum mercedem gustare incipiant. Nihil autem horum in Deum cadit: tum quia est Dominus ditissimus, cujus diuitiæ exhauriri non possunt; tum quia est sapientissimus & omniscius, qui corda & renes suorum scrutatur, omniaque ipsorum opera in numerato habet; tum quia est fidelis, ita vt seruulos suos fraudare non possit: denique, neque ipse mori potest, vtpote immortalis, & omnia illi viuant, etiam illi qui in Domino moriuntur. Maneat igitur ratum & fixum, omnia justorum opera à judice justissimo, Deo, remunerari digna mercede. Conferamus nunc præmia cũ præmijs, cœlestia cum terrestribus, diuina cum humanis. Quid quæso reddere possunt homines iis, qui totos dies pro iis laborant, vel totas noctes insomnes ducunt, vel vitam ipsam in prælijs ponunt? O cœcitas humana!

mana! quid reddere possunt, nisi res exiguas, viles & abjectas, & breuissimo tempore duraturas? Deus autem reddit res magnas, sublimes & æternas. Unde Chrysostomus palatia, vrbes, & regna hujus mundi, quæ homines admirantur, comparat cum luteis illis casulis quas pueri magno labore fabricant, quoq; à parentibus ridentur aut subuertũtur. Sed videamus amplitudinem præmiorũ cœlestium, vt inde altitudo justitiæ Dei magis innotescat. In vita æterna erunt omnia bona animi, sapientia & virtus: bona corporis, pulchritudo sanitas & robur: bona externa, diuitiæ, voluptas, gloria, Deinde erunt hęc omnia sũma, perfectissima & eminentissima. Deus enim, qui ostendit potentiã suã in creatione, mundi ex nihilo, & sapientiã in gubernatione & prouidẽtia, & charitatẽ atq; bonitatẽ in redẽtione nostri: demõstrabit tũc magnificentiã gloriæ suæ, & munificentiam deliberalitatis suæ in distributione præmiorũ, palmarũ & coronarum, quas dabit ijs, qui de hoste diabolo triũpharunt. Et sapiẽtia quidẽ non erit speculatio deitatis in rebus, creatis, sed ipsa visio essentiæ Dei 1. *Joh 3.* ex qua procedet charitas, regina virtutum, tam ardens, vt summo bono semper inhærens, nec velit, nec possit ab eo separari. Sic itaq; anima cũ omnibus suis potentiis in statu optimo permanebit. Corpora quoq; lucebunt instar solis. *Mat.* 13. quæ erit summa pulchritudo. Sanitas corporis erit immortalitas, robur impossibilitas. Porro diuitiæ erunt, tũ nulla re indigere, cum in Deo & cũ Deo omnia possidere. Nã super omnia sua bona constituet nos. *Mat.* 24. De voluptate quid dicã? Inebriamur vbertate domus Dei, & bibemus de torrẽte voluptatis ejus. *Ps.* 36. Quę mẽs cogitare potest, qualis delectatio sit frui sũmo bono? videre ipsa pulchritudinẽ? gustare ipsã suauitatẽ? intrare in gaudiũ Domini, h.e. participẽ fieri eius voluptatis, quæ facit beatũ Deum? Honor & gloria sanctorũ omnẽ facundiã superat. Nã in theatro totius mundi, omniũ hominũ & angelorũ sancti omnes ab ipso Deo laudabuntur, & tanquã victores coronabuntur, deniq;, quod omnem dignitatẽ superat, in ipso Christi throno, tanquã regni participes collocabũtur. *Apo.* 5. Quod si ad hãc multitudinẽ & excellentiã bonorũ addamus tanquã ineffabile condimentũ ęternitatẽ, quis capere poterit magnitudinẽ supernę felicitatis? Et tamẽ quod hic nõ capimus cogitando, ibi capiemus possidẽdo, si pie, iuste & sobrie viuẽdo aspiremus ad beatã illã vitam, quæ est cumulus omniũ bonorũ. Quid hic dices, anima mea? placebitne tibi ludos puerorum in domunculis ex luto construendis imitari, & regni sempiterni possessionę priuari? placebitne voluptatibus pecorũ delectari, qui ad ineffabilia gaudia cum angelis inuitaris? Auertat hoc ab anima serui tui misericordia tua, Domine.

Profunditas iustitiæ Dei in eo est, quod iustus ille iudex pœnas æternas in abysso gehennę infligit hostib. suis. Et primo quẽadmodum Deus mi-

ma sanctorũ opera, puta si dent potũ frigidę, cõpensat: ita in omnia omnino peccata etiã leuissima, animaduertet, cujusmodi est verbum otiosum. *Mat. 12.* Homines multa peccata non puniunt, vel quia non possunt, resistẽtibus aut fugientib. reis; vel quia nesciunt esse cõmissa, aut per legitimos testes probata non sunt: vel quia nolunt ea punire, aut corrupti muneribus, aut oppressi fauoribus, aut propria malitia deprauati. Deus autem omnipotens est, ideoq; ejus potestati nemo resistere potest. Idẽ est vbiq; & proinde nullus ab eo se abscondere potest. Idẽ est sapientissimus, ita vt etiam abscõdita quæq; norit, neq; indigeat testibus. Idem deniq; est beatissimus & sanctissimus, ita vt nulli fauores, munera nulla, ipsius justitiam corrumpere possint. Maneat igitur, nullum esse peccatum, neq; maximũ, neq; minimum, quod justitiam Dei vltricẽ effugere possit, nisi per fidẽ & pœnitentiam purgetur. Neq; vero solum peccata omnia punientur, sed punientur horrendis supplicijs, quæ tam ingentia erunt, vt vix vlli homines nunc ea suspicari valeant. Quemadmodum enim oculus non vidit, auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt quæ præparauit Dominus diligentibus se: sic omnino non vidit oculus, nec audiuit auris, nec ascenderunt in cor hominis, quę Dominus præparauit odio se habẽtibus. Erunt enim in gehenna ærumnæ plurimæ, maximæ, nullis consolationibus admixtæ, & sempiternæ. *Plurimæ* quoniam singulæ potentię animæ, & singuli sensus corporis suos habent tortores. Priuabuntur enim damnati omni bono spirituali, & corporali: quia destituẽtur virore gratię, omniq; spe salutis: nõ pluet super ipsos amplius aqua sapiẽtię, nec nos bonę inspirationis, nõ lucebit amplius radius cœlestis luminis, nõ germinabit in ijs gratia pœnitẽtię, flos charitatis fructus bonorũ operũ. Nullæ ibi erunt diuitię, nullæ deliciæ. Porro ærumnę istæ erunt *maximæ*: quia ignis æterni acutissima pœna illos vexabit, vermis conscientiæ non morietur, manus & pedes ligabuntur, animę & corpora jacebunt in tenebris, ibiq; stabunt, flebunt, dolebunt, & stridebũt dentib. prærabie & desperatione. Huc accedit summa ignominia & cõfusio. Nã non solũ damnati homines in puncto tẽporis facient jacturã palatiorũ, agrorũ, vinearum, pecorũ, vestiũ, auri & argenti, atq; ad eam egestatẽ redigentur, vt guttam aquę frigidę non sint habituri: sed etiam in theatro illo totius mundi & sanctorũ angelorum reuelari videbunt & publice demonstrari omnia sua crimina, etiam occultissima. Vnde etiam patet ęrũnas istas *nihil cõsolationis habituras*: quia Deus intuetur dãnatos tanquã iratus judex, cujus justitia tãto est rigidior in inferno, quãto ipsius misericordia fuit major in hac vita. Sed si hęc, q̃ diximus de bonorũ omniũ, tã cœlestiũ quã terrestriũ, iactura, de doloribus acerbissimis, de ignominia & opprobrio lõge maximo, finẽ aliquẽ essẽt habitura, vt in hac vita omnes miserię habẽr, aliquo modo mala tolerabilia existima-

existimari possent. Verum enimuero quemadmodum felicitas sanctorũ est æterna: ita & infelicitas damnatorum sine vlla admixtione solatii erit æterna. Ac si forte miratur aliquis, cur clementissimus Deus pœnas tam atroces & tam diuturnas peccatis hominem, quæ velocissime trãseunt, & non vsque adeo grauia videntur, constituerit: is adferat non stateram carnis dolosam, sed stateram scripturæ & rectæ rationis veram. Ita fiet, vt fœditatem peccati æterno supplicio dignam esse fateamur. Nam grauitas peccati est maior quam pœna gehennæ: tum quia horrẽdum est, creaturam non obedire creatori, seruum domino optimo, clientem patrono munificentissimo; tum quia mandata Dei non sunt grauia; tum quia Deus tam sæpe, & tam perspicue supplicium æternum comminatur; tum denique quia culpa hominum damnatorum est æterna, quippe obstinata voluntas in malo, & ita auersa à summo bono, vt in hoc teterrimo statu cum dæmonibus semper maneat immobilis & stabilis. Quæ cũ ita sint, nostrum est magis horrere peccatum, quam ignem gehẽnæ: quomodo de Anselmo legimus, illum subinde dixisse, si hinc peccati horrorem, inde inferni dolorem corporaliter cerneret, & vni eorum immergi deberet, se infernum potius electurum quam peccatum appetiturum. Idem quoque dicere solebat, malle se purum à peccato gehennam habere, quam peccati sorde pollutum cœlorum regna tenere. Tanta nimirum est grauitas peccati, quam Deus, qui penetrat vsque ad fundum, melius nouit quam nos, ideoque pœnam condignam decernere potest. Noli ergo errare, anima mea: noli committere, vt Deum tibi imagineris μονόψυχον, qui habeat tantum oculum misericordiæ, non vero institiæ. Sic potius statue, Deum in hoc seculo esse Patrem misericordiarum, qui omnibus vere pœnitentibus misericorditer remittat peccata, sed in futuro seculo huic misericordiæ nullum esse locum.

Atque hæc est consideratio potentiæ, sapientiæ, misericordiæ & iustitiæ Dei: prolixior quidem illa & copiosior. Nam quia quatuor ista attributa sunt totidem columnæ omnium Dei operum, adeoque sparguntur per totum theologiam, visum fuit faciendum, vt copiosior illorum explicatio lucem inferret sequentibus locis prope dixerim omnibus.

Alia dispositio loci de Deo.

In Deo consideratur essentiæ vnitas & personarum trinitas, *Essentiæ vnitas* est maxima, adeo quidem, vt & proprietates essentiales, & tres personæ sint vnum in essentia. Proprietates essentiales enuntiantur de Deo triplici via. Prima est negationis, qua remouetur à Deo omnis imperfectio: quo pertinent simplicitas, immutabilitas, immensitas & æternitas. Secunda est eminentiæ, qua tribuuntur Deo perfectiones creaturarum

in

in gradu eminentissimo, quo pacto dicimus ducato inesse perfectionem mille nummulorum æneorum in gradu eminenti. Huc pertinet omniscientia in intellectu, summa sanctitas & libertas in voluntate. Tertia est causalitatis, qua tribuuntur Deo attributa, quorum effectus potissimum in creaturis tanquam in speculis diuinæ majestatis relucent: vt sunt bonitas, veracitas, omnipotentia, beatitudo. Nam Deus ita est bonus, vt faciat bonum extra se; ita est verax, vt veritatis sigillum imprimat omnibus; ita est omnipotens, vt omnibus rebus vires indat; ita est beatus, vt alia beatificet. Adesdum jam, anima mea, & cognosce titulos Patris tui, vt gaudeas: agnosce imaginem Dei, & illam quotidie instaura, vt sis simplex in cogitationibus, dictis & factis tuis; immutabilis & constans in cursu bonorum operum; immensus in fide, spe & charitate; æternus in fructu fidei, spei & charitatis; sapiens in ijs, quæ pertinent ad gloriam Dei, ædificationem proximi & salutem tuam; sanctus in conuersando; liber in agendo, ea scil. quæ libertatem Christianam significant & decent; bonus erga proximum, qui tua bonitate subleuari potest; verax erga Deum & homines; potens in bono; denique beatus in Domino. Hoc est speculum imaginis Dei, vestis illius splendidissimæ, paratu facillimæ & vtilissimæ. Hanc vestem à Deo pete, qui non denegabit eam filio suo. Quomodo enim pater sinat filium suum nudum viuere in asperrima hyeme? *Trinitas personarum* consideratur ratione æqualitatis & distinctionis. Rursum ades, anima mea, & imaginem Dei in te contemplare. Da operam, vt studeas vnitati & concordiæ, quam cernis in hoc æterno SS. Trinitatis collegio. Hoc age, vt in omnibus tuis cogitationibus, dictis & factis, ternarius tuus sit vnus, h.e. corpus, spiritus & anima tua consentiant.

LOCVS V.

De Christo Seruatore.

Exord. Theologia est officina pharmaceutica seu pharmacopolium, in quo inuenitur panacea animæ nostræ Jesus Christus. 1. *Joh.* 1. *Act.* 4. & 10.

Propositio. In Christo spectare oportet personam, officium & beneficia.

Tractatio. 1. Persona est vna, in duabus naturis, diuina & humana, personaliter vnitis. Hinc Christus est filius Dei vnigenitus, certo tempore ex Maria virgine homo factus. *Joh.* 1. *v.* 14. 18. *Gal.* 4. *v.* 4. ideq; est verus Deus. *Joh.* 1. *v.* 1. *Rom.* 9. *v.* 5. 1. *Joh.* 5. *v.* 20. & verus homo. *Heb.* 2. *v.* 14. 17. Cæterum vnio illa facta est intime, vt nunquam sit soluenda: at distincte tamen, vt nunquam vna natura fiat altera, & saluæ sint vtriusque naturę voluntates, proprietates, & actiones. Ideo recte, secundum communicationē idioma-

tum Deo Christo humana,& homini Christo diuina attribuuntur: seu, de Christo denominato à natura diuina prædicantur humana, vt 1. *Cor.* 2. *v.* 8. *Act.* 20. *v.* 28. 1. *Joh.* 1. *v.* 1. & rursus de Christo denominato à natura humana prædicantur diuina, vt *Joh.* 3. *v.* 13. *c.* 6. *v.* 26. Porro humana natura ex hac vnione adepta est eximiam gratiam donorum creatorum, communionem muneris mediatorii, & gloriam tanquam carnis verbo vnitæ & cum verbo salutem nostram operatæ.

II. Officium Christi est in docendo & agendo positum. Nam docet vt propheta. *Esa.* 61. *v.* 1. *Luc.* 4. *v.* 21. *Mat.* 4. *v.* 17. *Rom.* 15. *v.* 8. agit satisfaciendo & orando vt sacerdos, partamq; salutem applicando & consummando vt rex. Nam & sacrificio corporis sui peccata nostra expiauit. *Heb.* 9. *v.* 26. *c.* 10. *v.* 10. 14. & corpore suo, quod pro nobis obtulit, in cœlo apparet coram Deo. *Heb.* 9. *v.* 24. & regnum suum solenniter inchoauit in die Pentecostes, postquam ascendisset in cœlum. *Act.* 1. & 2. *Psal.* 110. & denique in fine mundi hostes fidelium relegabit in gehennam ad æternos cruciatus, fideles autem ad se assumet in cœlum vt ibi cum ipso regnent. *Matth.* 25. *v.* 34. 41. 2. *Thess.* 2. *v.* 6. 7.

III. Beneficia Christi respondent officiis ejus. Ab eo enim vt propheta est nobis sapientia; vt à sacerdote justitia imputata, & salus merita; à rege est fides & iustitia inhærens in nobis effecta, & beatitudo. 1. *Corinth.* 1. Sapientia est posita in cognitione Dei & nostri ipsorum; nominatim vt sciamus, quæ sit abyssus illius misericordiæ, qua vltro succurrit abyssо nostræ miseriæ per Filium suum. 1. *Cor.* 1. *v.* 23. 24. Quamobrem merito laudantur isti versus:

Si Christum bene scis, satis est, si cætera nescis:
Si Christum nescis, nihil est, si cætera discis.

Justitiam Christus nobis est meritus, dum se in victimam propitiatoriam obtulit, qua Deum placaret, & nos ipsi reconciliaret, ne nobis peccata imputaret, & ne nos inefficaces ad bonum relinqueret. Acquisita iustitia acquisita est salus. *Psal.* 32. *vers.* 1. 2. *Rom.* 8. *v.* 1. Ita doctos nos & redemtos regenerat Dei Filius, imagine sua per fidem impressa, quæ est instar annuli rotunda, à Deo prodiens, inque illum indeclinato indeflexoque orbe rediens: & qua parte caua latior est quasi pala sua gemmam gemmarum Christum amplectitur, & ab eo immensum pretium suscipit. Ea autem fides nobis datur, vt partam à Christo iustitiam, quam verbo euangelii Deus nobis donat & imputat virtute sui Spiritus, amplectamur, tanquam nostram dignitatem, quæ nos & gratiæ & iustitiæ Dei commendet. Hac enim culti, ipsa Filii Dei amabilitate amicti coloratique sumus, vt per eã, tanquã oculis Dei gratissimũ smaragdũ, cõspecti Deo Patri nõ possimus displicere. Atq; ita iustificamur. Sed ea fides, tanquam lux cœle-

cœlestis, ex se quoq; gignit calorẽ iustitiæ & sanctimonię in hæretis, vt Deũ & Seruatorẽ nostrũ ardẽter redamemus, & proximũ diligamus. Ad extremũ ita edocti, regeniti, iustificati, & sanctificati, inter has quoq; mortalis vitæ miserias immortalẽ beatitudinẽ inchoamus, quę per mortem in anima crescet, & post resurrectionem in tota natura nostra perfecta erit.

Conclus. Atq; hoc est fundamentũ fidei, spei & charitatis nostrę videl. Christus cũ omnib suis beneficiis, Hoc ita q; fundamentũ locemus in cordibus nostris, ne domus nostra fiat ruinosa. Hoc caput nostrũ diligenter defendamus aduersus hæreses & errores, imitari hac in parte serpentem, qui vnice prouidet capiti suo, vt illud maneat illæsum.

Aliæ dispositiones.

I. Persona & officiũ Christi ex variis nominibus & titulis eius doceri atq; disci potest; puta ex sequẽtibus: Jesus Christus, Messias, Immanuel, λόγος i.e. sermo siue Verbũ, Unigenitus Patris, Alpha & Omega, Lapis viuus, lapis offensionis, lapis angularis, Imago Dei inuisibilis, Via, Veritas, Vita, Pastor, Vitis, Panis, Justitia nostra semen mulieris, Filius hominis, Filius Dauid, Petra, Agnus, Admirabilis, Consiliarius, Pater æternitatis &c.

II. Dicemus de duabus in Christo naturis *De I.* Christus est verus Deus: quia appellatur Jehoua *Esa 23. v. 9.* & Deus *Ps. 45. v. 8. Heb. 1. v. 2.* & Filius Dei. *Joh. 3. & Rõ. 8.* Deinde proprietates diuinæ illi tribuuntur: puta omnipotentia, omnipræsentia, omniscientia, quę lucent in speculo miraculorũ ejus. *Mat. 18. v. 20. 25. c. 21.* item q; opera diuina, vt creatio *Heb. 1. Col. 1. Joh. 1* denig; honor diuinus *Joh. 5. v. 22. 23.* Nam Christus honoratur fide in symbolo, & inuocatione in baptismo. De his quinq; argumentorum classibus notetur iste versus:

1. 2. 3. 4. 5.

Ioua, Dei natus, proprium, post actio, cultus.

Inprimis legatur caput primũ euangelij Johannis, primũ ad Colossenses ad Hebræos: & teneantur istæ regulæ. 1. Nõ est serui de natalibus domini sui disputare. 2. A generatione naturali ad supernaturalem non licet argumentari. 3. Attributa Christi sunt triplicia, diuina, humana, & theãthropina seu θεανδρικά, vt sunt nomina officii pertinentia non ad οὐσίαν sed ad ἐνοίκησιν καὶ οἰκονομίαν Filij. *De II.* Christus est verus homo: quia in scripturis appellatur homo & filius hominis, constans ex partibus essentialibus & integralibus humanæ naturæ: & ipsi tribuuntur proprietates hominis, eæq; tũ essentiales, quæ definitionem seu essentiã animæ rationalis & corporis organici necessario consequuntur, vt esse circumscriptum, tum accidentales & mutabiles, quæ non definitionem, sed conditionem hominis consequuntur: vt miserũ esse, sitire, esurire, fatigari, nescire: itẽ actiones seu opera humana eidem tribuuntur, puta, loqui, ambulare, comedere:

similiter vera passio, puta dolor & mors: denique ille appellatur frater noster nobis per omnia similis excepto peccato. De quinq; his argumentorũ classibus est talis versus:

1. 2. 3. 4. 5.

Est homo, proprietas, effectum, passio, frater.

III. Disseremus de cognitione, oblatione, & applicatione Christi mediatoris. *De I.* Cognitio ejus continetur duobus capitibus. Primum est de persona Christi, in qua sunt duæ naturę, diuina & humana. Diuina natura est ab æterno genita, humana in tempore. Illa est character hypostaseos Patris & splendor gloriæ ab æterno in æternum manans à Patre & manẽs in Patre: hæc miraculose concepta est in vtero virginis Mariæ ex Spiritu sancto, & modo naturali edita in hanc lucem. Hæ duæ naturæ sunt vnitæ personaliter, tam arcte vt vna sit persona, quæ est θεάνθρωπος. Secundum est de officio Christi, quod est triplex, propheticum, sacerdotale & regiũ. Hoc officium anno ætatis 30. completo agressus est, & perfecte absoluit in statu exinanitionis & exaltationis. *De II.* Oblatio Christi mediatoris est, qua Deus illum offert ijs, quibus vnoquoque tempore visum est, per verbum & signa verbo adjuncta, immediate, vel mediate per angelos, homines, & ipsum Christum cum hominibus conuersantem. Hujus oblationis cõsiderandæ sunt partes, & œconomia. Partes sunt tres. 1. Patefactio, qua Deus reuelat & ostendit mediatorem. 2. Mandatũ, quo jubet vt patefactum recipiamus per resipiscentiam & fidem. 3. Promissio, qua Deus ijs, qui Christum recipiunt, remissionem peccatorum & vitam æternam pollicetur. Oeconomia seu dispensatio consideratur secundum tres differentias temporis. Nam ante legem, sub lege, & post legem sub euangelio Christus vnus idemq; est oblatus ecclesiæ, sed non vno gradu. Nã *ante legẽ* promissio illa *Gen.* 3. in familia Sethi fuit retenta; & tẽpore Noachi liberatio ex diluuio fuit typus liberationis à diluuio iręDei per Christum, quemadmodum & fœdus de terra non amplius mergẽda, cujus signum fuit iris. Post diluuium oraculum illud Noe, fore vt Japheth habitet in tentoriis Sem, partim prærogatiuam Semi præ Japhetho in V.T. partim priuilegium hujus præ illo in N.T. significauit. Postea Deus Abraham & ipsius posteros peculiariter sibi adoptauit. *Genes.* 17. & tandem populum suum ex Ægypto eduxit, per desertum deduxit, inque terram promissam deduxit: quæ omnia fuerunt figuræ beneficiorum Messiæ. Porro toto hoc tempore sacrificia, inde ab Abele vsq; ad Mosen fuerunt oblata, vt manu ducerent instar pædagogi ad Christum. *Sub lege* constituta fuit politia Mosaica, cujus duces, reges, prophetæ, sacerdotes & leges vniuersæ regnum Christi figurarunt. *Sub eũangelio* Johannes Baptista fuit præcursor Christi, Christus ipse docuit legem & euangelium, omniaque

omniaque peregit, quæ in his terris peragenda erant: postremo in cœlum ascendit, indeque Apostolis suis misit Spiritum Sanctum. Porro Apostoli Euangelium per omnes prope mundi angelos disseminarunt, vnde varij martyres, confessores, doctores & Episcopi sunt enati. Hic obserua, solem illum justitiæ Jesum Christum ab oriente versus occidentem & meridiem primo sparsisse radios lucis Euangelicæ, & postremo illuxisse septentrioni. Qui circulus beneficiorum Dei non oscitanter est considerandus.

De III. Applicatio Christi fit per fidem saluificam. Hic est actio Dei & hominis. Actio Dei est præparatio in prædestinatione, oblatio in vocatione externa conjuncta cum interna, collatio in justificatione. Actio hominis est abnegatio sui, qua salutem non quærit in seipso, sed in Christo, esuries & sitis justitiæ Christi, denique apprehensio & appropriatio Christi.

IV. Videbimus quomodo Christus sit lapis angularis, & lapis offensionis.

De I. Est fundamentum totius Ecclesiæ, adeoque salutis nostræ. Nam est internuncius & interpres inter Deum & hominem; est arbiter, victima, sponsor, & aduocatus noster; denique est rector & defensor noster: quæ sunt tria ipsius officia, quorum fundamentum est personæ dignitas, puta θεάνθρωπος, in qua est vnio & communio admiranda.

De II. Christus est lapis offensionis, quatenus homines errant circa ipsius personam & officium.

LOCVS VI.

De Spiritu Sancto.

1. Nomina imponuntur rebus, vt illarum naturam & efficaciam ponant ob oculos. Hoc ipsum videre est in nominibus illis, quæ in Scripturis tribuuntur Spiritui Sancto. Illorum partem bonam jam explicabimus. Appellatur autem Spiritus Sanctus. *1. Spiritus*, quia est vita illa, quam Deus inspirat homini in creatione noua, quomodo ipsi inspirauit vitam in prima creatione. *2. Digitus Dei Luc. 11.* quia per eum Deus nos formar & reformat, legemq; suam cordibus nostris inscribit. *3. Virtus Altissimi Luc. 1. Act. 1.* Quia potenter in nobis operatur. *4. Spiritus sapientiæ, intelligentiæ, cõsilij, fortitudinis, cognitionis & timoris Dei. Esa. 11.* Nã efficit verã sapientiam, quæ consistit in cognitione Dei, dat intelligentiam, qua facimus officium nostrum: dat cõsilium in cruce, efficit veram fortitudinem, qua vincimus hostes nostros, efficit cognitionem, qua fugimus malum: denique efficit timorem Dei, quo fit vt ipsi soli placeamus. *5. Spiritus gratiæ & precum. Zach. 12. 6. Spiritus vitæ Gen. Rom. 8. Ephes. 1. 7. Arrha, pignus, & sigillum. Eph. 1.*

Eph.1.& 2.Cor.1.& 4. 8. Oleum lætitiæ.Ps.45. 9. Ignis.Matth.3.& Luc.3. 10. Aqua.Esa.44. 11. Ventus.Ezech.1.Ioh.3. 12. Spiritus gloriæ.1 Pet.4. 13.Paracletus.14. Columba. Atq; hæc sunt quatuordecim insigniora nomina Spiritus S. ex quibus natura & officium ejus discitur.

Aliæ dispositiones.

I. Differatur de persona & officio Spiritus Sancti *Persona* consideratur quantum ad essentiam diuinam, & proprietatem personalem. Essentiam communem habet cum Patre & Filio, vti probant quinque classes, argumentorum, de quibus est versus:

1 2 3 4 5

Iouæ, Dei flatus, Proprium, post Actio, Cultus.

Proprietas personalis est, quod à Patre & Filio vna spirantibus procedit. *Officium* exprimitur isto versu memorali:

1 2 3 4

Arrha docet, renouat, iuuat, obsignatque salutem

Hic ostendatur quid sit vnctio Spiritus, pura inhabitatio Spiritus S. per charismata duo; videlicet per pacem conscientiæ & studium justitiæ.

Possunt etiam ex *Esa.11.& Zac.12.* recitari septem dona seu charismata Spiritus Sancti.

II. Dona Spiritus Sanct. recitentur ex *1.Cor.12.* vbi illorum catalogus texitur.

LOCVS VII.

De operibus Dei in genere.

Exordium. Vniuersa Theologia duobus absoluitur capitibus; cognitione Dei & operum ejus. Quæ duo simul nominantur. *Psal.78.v.7.Esa. 40.v.29 Jer.32.v 17.18.19.Rom.8.v.29,30.Hebr.11.v.6.*

Propositio. Disseremus de causis & proprietatibus operum Dei.

Tractatio. I. Non agimus hoc loco de operibus Dei ad intra, vt sunt generatio, qua Pater gignit Filium ab æterno *Ps.2.* generatio, qua Filius gignitur à Patre ex æternitate. *Hebr.2.*& processio qua Spiritus S. emanat à Patre & Filio. *Ioh.15.v.26.* sed de operibus ad extra, hoc est, de illis, quæ referuntur extra Deum ad creaturas. In his primo spectantur istæ causæ: efficiens, impellens, forma, & finis. *Causa efficiens* sunt singulæ personæ SS. Trinitatis. Quo pertinet regula: *Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa*, h.e. communia tribus personis. *Causa impellens* αὐτοκρατορική est sola Dei voluntas liberrima. Neq; enim causa prima potest dependere à secunda. Et voluntas Dei cum ordinet rem omnem nō potest ordinari ab vlla re. *Forma* siue modus operandi duobus modis circumscribitur. Nā primo quantum ad personas SS. Trinitatis, etsi vnum idemq; opus est commune Patri, Filio & Spiritui

Spiritui S. distinctus tamen est modus operandi. Nam sicut persona se habet in subsistendo, ita etiam in operando. Nimirum vt Pater est à se, Filius à Patre, Spiritus S. à Patre & Filio: ita Pater agit à se, Filius à Patre, Spir S. à Patre & Filio. *Ioh. 5. 15. & 16.* Deinde quod attinet ad creaturas, Deus vtitur instrumentis vel non, adeoq; agit mediate vel immediate, item ordinarie vel extraordinarie, secundum cursum naturæ, vel supra cursum naturæ. *Finis* operum Dei est ipsius gloria. *Prou. 16. Rom. 8.* Itaq; in operibus Dei, nunquam in speculo lucidissimo, sapientia, potentia, bonitas, justitia, &c. elucent. II. Proprietates operum Dei sunt tres. 1. Esse siue proficisci à solo Deo. *Esa. 66. v. 2. Rom. 11. v. 36.* 2. Esse à Deo libere. *Psal. 115. v. 3. Iac. 1. v. 18. Apoc. 4. v. 11.* 3. Optimam ejus naturam similitudine quadam indicare: ita scr. actiones Dei, puta decretum, creatio, gubernatio, redemtio, sanctificatio, & glorificatio sint immutabiles, simplices, infinitæ, conjunctæ cum sapientia, bonitate & justitia maxima, &c. opera vero, quæ existunt ex illis actionibus, puta creaturæ & sancti homines habeant sigillum, vestigium & imaginem naturæ Dei. *Gen. 1.*

Conclusio. Quod in prouerbio dicitur, ἔργα θεοῦ χωρὶς λόγων: id nobis debet facem allucere ad cognitionem Dei ex ejus operibus.

Alia dispositio.

In operibus Dei spectantur character & classes. *Character* ipsorum est, quod sunt speculum naturæ Dei, adeoq; omnium attributorum, imo & adorandæ Trinitatis: quia in omnib. operibus Dei occurrit vnitas essentiæ, multitudo perfectionis, & trinitas subsistentiæ, puta origo seu principium, medium seu vinculum, & finis seu beatitas. *Classes* sunt tres. Nam opera Dei sunt ante tempora, in tempore, post tempora.

LOCVS VIII.

De Decretis Dei.

Exordium. Decreta principum subditis debent esse quam commendatissima. Similiter decreta Dei, regis nostri Opt. Max. nobis debent esse in pretio.

Propositio. Decreta Dei considerantur in genere, & in specie.

Tractatio. I. Oportet spectare modum & proprietates decretorũ Dei. Quod attinet ad *modum*, Deus non ita decernit vt homines, de quibus dicitur, *Deliberandum diu, quod statuendum semel:* sed intuendo essentiam suam tanquam speculum omnimodę bonitatis, actu simplicissimo libere judicat, & judicando statuit, quid velit facere vel permittere. *Esa. 46. v. 9. 10. Ep. 1. v. 11. Act. 2. v. 22. 23.* *Proprietates decretorũ Dei* sunt immutabilitas libertas, & inscrutabilitas, vt ita dicã. Nã primo ea est *immutabilitas consilij Dei*, vt nõ mutet, q̃ semel ei placuit. *Nu. 23. v. 23. Ps. 33. v. 11. & 115. v. 3. Es. 14. v. 27.*

Dein-

Deinde decreta Dei sunt *liberrima*, ita vt non habeant causam extra Deum. *Ephes.2.v.9.11.2.Timoth.1.v.9.Esa.46.v.10.Psal.115.v.3. Matth.11.v.25.26. Rom.9.v.18.Apocal.4.v.11.Iac.1.v.18.* Denique decreta Dei sunt abyssus multa, cujus latitudinem, longitudinem, altitudinem & profunditatem mirari, non vero timari oportet. *Matth.11.Rom.9.10.11.*

II. Decreta Dei in specie sunt prouidentia & prædestinatio æterna. *Prouidentia Dei æterna* est, qua Deus ab æterno apud se statuit in tempore extra se creare res infinitas & gubernare res omnes creatas vna cum ipsarum circumstantijs. *Esa 42.v.5.6.7.cap.45.v.12.Ioh.1.v.3.4.5. Prædestinatio æterna* est decretum, quo Deus ab æterno apud se statuit quosdam angelos in bono confirmare, adeoque ad vitam æternam eligere. *1.Tim.5.v.21.* quosdam non præseruare à lapsu, sed permittere vt labantur, & in isto statu relinquantur. *2.Pet.2.v.4.Judæ.v.6.* & similiter quosdam homines in Christo ad vitam æternam eligere, & è lapsu misericorditer erigere. *Ioh.3. v.16.Rom.9.v.16.23.Eph.1.v.4.1.Thess.5.v.9.* Quosdam in statu peccati relinquere. *Iud.v.4.Act.14.v.16.17.*

Conclusio. Secreta principum sunt tegenda. Sed arcanum Dei consilium est annuntiandum & prædicandum in nationibus, & extollendum in congregationibus.

Alia dispositio.

Decreta Dei considerantur à priori & posteriori. *De I.* A priori si spectentur, tres sunt ipsorum proprietates, videlicet immutabilitas, libertas, & inscrutabilitas. Oportet itaque consilium Dei de creatione, gubernatione, & redemtione admirari & adorare. *De II.* A posteriori spectantur, quatenus in executione tanquam in speculo relucent: vbi ista maxima debet esse instar cynosuræ, *Quidquid Deus in tempore facit vel permittit, ab æterno facere vel permittere decreuit, & quidem eo modo & circumstantijs, quæ cernuntur in rebus.* Hinc decretum Dei neque naturas rerum, neque causas secundas tollit.

LOCVS IX.

De creatione.

Exordium. Actiones Dei sunt decretum & executio. *Esa.46.v.9.10. Ephes.1.v.11.Act.2.v.22.23.Psal.23.v.9.* Rursus executio est alia, qua Deus implet decretum prouidentiæ, alia, qua decretum prædestinationis. *Col.1. v.16.17.18.* Prouidentiam implet creando & gubernando. *Actor.17.vers. 26.27.28.*

Propositio. Dicemus de duobus temporibus creationis.

Tracta-

Tractatio. I. Primum tempus creationis est hexaemerum illud *Gen. 1.* Vbi graphice depingitur πρωτοτυπία, id est, prima creatio, cujus causa efficiens, tempus & modus ibi describitur. *Efficiens* creationis est Pater, Filius & Spiritus S. *Genes. 1. Ioh. 1. Colos. 1. Tempus* est illud punctiſtitium, quod Deus ab æterno definiuit, de quo dicitur, *In principio creauit Deus cœlum & terram. Modus primæ creationis* circumscribitur conditione creatoris & creaturæ. Creator produxit omnia ex nihilo, non ex præjacente & coæterna materia: produxit solo verbo, non conamine aliquo, nec adhibitis instrumentis: produxit ordine perfectissimo & conuenientissimo, incipiendo ab angelis, pergendo ad naturam visibilem, & desinendo in homine, qui est inuisibilis & visibilis simul. In creatura spectatur bonitas, communis illa dos ex creatione.

II. Secundum tempus creationis est omne illud tempus, quod secutum est primam creationem. Nam Deus non solum species omnium rerum produxit in prima creatione, sed etiam in secunda creatione indiuidua noua ex prius extantibus, continuo seculorum decursu producit.

Conclusio. Magni beneficij loco habeamus, quod Deus se nobis patefecit vt creatorem, modumque creationis per Mosen consignatum ad nos transmisit, vnde lucem accipit primus articulus Symboli.

Alia dispositio.

In creatione videnda est affectio & distinctio. *Affectio* est quod sit actio nutus seu imperij diuini, & monumentum sapientiæ, potentiæ & bonitatis Dei. *Distinctio* pendet ab istis Maximis, quæ demonstrant œconomiam primi capitis Geneſis. I. Princeps partitio totius mundi fit in cœlum & terram: quibus duabus vocibus Scriptura synecdochice complectitur omnes creaturas. II. Mundus diuiditur in partes continentes & contentas, seu in domicilium & incolas. Domicilium est triplex, Cœlum, Aqua, Terra. Incolæ cœli ex prima creatione sunt angeli, stellæ & aues, illi in supremo cœlo, istæ in stellifero, hæ in aëtio. Incolæ aquæ sunt pisces, terræ animalia omnis generis, quorum princeps & imperator est homo. III. Quatuor sunt gradus in scala creaturarum. Nam aliæ habent esse tantum; aliæ præter esse habent viuere; aliæ præter viuere habent sentire, postremo aliæ præter esse, viuere & sentire habent τὸ intelligere. IV. Protoctisio diuiditur in hexaemeron & sabbatum. Hexaemeram diuiditur in tres dies ante solem, & tres dies post solem. Ex his diebus primus, qui dicitur dies solis & feria prima, est creationis immediatæ, qua Deus in principio temporis, quod fuit vernum, produxit ex nihilo angelos, cœlum, terram & aquam informes, & lucem primigeniam: secundus, qui dicitur Lunæ & feria secunda, fuit distinctionis inter aquas superiores & inferiores: tertius, quartus & quintus, id est dies Martis, Mercurij &

Iouis, seu feria 3. 4. & 5. fuerunt ornatus, quia Deus terram plantis ornauit tertio die, quarto cœlum stellis, quinto aquas superiores auibus, inferiores piscibus: quintus fuit perfectionis. Septimus fuit dies quietis, hoc est, acquiescentiæ Dei.

LOCVS X.

De Angelis.

Exordium. Tanta est Dei cura erga genus humanum, vt velit angelos bonos nobis esse instar Saluæ guardiæ. Cujus rei illustre exemplum est 2. *Reg. 6.* Merito itaq; exclamamus ex *Ps. 8. Quid est homo, quod memor es ejus?*

Propositio. Dicemus hac vice de bonis angelis: ipsorum videlicet natura, officio, & consortio.

De I. De natura angelorum quæritur. 1. An sint. Hoc probatur ex Scriptura & experientia. 2. Quid sint: videlicet Spiritus à corpore liberi & sancti. 3. Quod sint videlicet innumeri. *Dan. 7. Hebr. 12. Apoc. 5.* Conferantur angeli cum exercitu instructissimo. 4. Quis sit ordo inter angelos videlicet pulcherrimus, qualis est inter stellas. 5. Quæ proprietates: videl. inuisibilitas, celeritas, subtilitas, fortitudo, vigilantia. 6. Quę virtutes: videlic. sapientia, charitas, humilitas.

De II. Officium est positum in laude Dei & ministerio hominis *Psal. 103. Esa. 2. Apoc. 5.* Hic differatur de angelis, qui præsunt Ecclesijs rebuspublicis, familijs, & priuatis hominibus, puta Abrahamo, Jacobo Josuæ, &c. Germanis dicuntur Kirchen-Engel/regenten-Engel/Hauß-Engel/Menschen-Engel.

De III. Quibus vero libenter cohabitant Sancti Angeli? Resp. Ijs, qui agunt pœnitentiam. *Luc. 15.* qui laudãt Deum *Act. 10.* qui audiunt verbum Dei, & illo delectantur sicut & ipsi faciunt. *1. Pet. 1.* Denique qui manent in terminis vocationis suæ *Ps. 91.* Si quis ergo delectetur consortio & familiaritate sanctorum angelorum, adhibeat quatuor hæc media, quæ jam diximus.

Conclusio. Recitetur *Psalmus 103.*

Alia dispositio.

Exordium. Deus omnia mysteria salutis in Scriptura nobis patefecit; adeoq; etiam doctrinam de Angelis. Quæ hoc triplici nomine debet nobis esse commendatissima, quia inde discimus majestatem Dei, & haurimus consolationem aduersus diabolum, & deniq; magis magisque conamur imitari angelos sanctos, vt ex illis & nobis fiat vna Ecclesia.

Propositio. Disseremus de angelis in genere, & in specie de bonis & malis.

De I. Angeli creati sunt à Deo Spiritus pulcherrimi, sancti, sapientes, fortes, magno numero, & eleganti ordine.

De II.

De II. In Angelis bonis ſpectatur confirmatio in bono, & officium. *Confirmatio* in bono eſt, quod conſtanter permanſerunt in eo ſtatu, in quo ſunt conditi. Sunt itaq; puri inſtar lucis, quoad ſanitatem intellectus & ſanctitatem voluntatis: feruentes inſtar ignis, quoad charitatem Dei, mutuam dilectionem, & humanitatem erga homines: potentes inſtar flammæ: celeres inſtar fulguris: ordinis amantiſſimi inſtar ſtellarum. *Officium* ipſorum eſt honorare Deum, laudando ipſum & ejus juſſa promte capeſcendo: & promouere commoda hominum in regno potentiæ & gratiæ. Huc pertinent angeli, qui Germani, dicuntur Kirchen Engel/ vt illi *Luc.2. Act.1.10.12.* regenten Engel / vt illi *Dan.10. Ioſ.5.* Hauß Engel / vt illi, qui Jacobum, Eliam, & alios comitati ſunt atque duxerunt. Inſignis illa hiſtoria *2.Reg.18.& 19.* hic recitetur.

De III. In angelis malis conſideretur lapſus, proprietas, & ſtudium ipſorum. *Lapſus* eſt, quod in veritate non ſteterũt. *Proprietas* eſt, quod ſint mendaces, homicidæ, crudeles, ſuperbi, & vno verbo ſpecula vitiorum in ſupremo gradu. *Studium* ipſorum eſt impedire gloriam Dei, & ſalutem hominum ratione corporis & animæ. Huc pertinent dæmones, qui Germanis dicuntur Kirchen Teuffel/ vt illi *Apoc.12 Mat.13.2.Cor.11.* regenten Teuffel/ vt ille qui Saulẽ ſeduxit, & Dauidem induxit vt numerare populum: item Ehe Teuffel/ oder Hauß Teuffel / vt ille *Iob.1.* Tales fuerunt, der Geitzteuffel Labanis & Nabalis, der Hoffartsteuffel Herodis & Nebucadnezaris, der Sauffteuffel Balthaſaris, der Vnzuchteuffel/ Mariæ Magdalenæ, &c. Vide theatrum diabolorum.

Concluſio. Recitetur *Pſalmus 91.*

Alia diſpoſitio.

Videbimus quid ſint angeli, quot ſint, & cum quibus libenter ſint. *De I. In Angelis bonis* eſt claritas & charitas. Illa eſt lux eſſentiæ, ſapientiæ & juſtitiæ: hoc eſt dilectio Dei ipſorum angelorum inter ſe, omnium Dei operum, inprimis electorum. *In Angelis malis* eſt confuſio ſeu obſcuritas & contuſio ſeu hoſtilitas. Illa cernitur in fœditate intellectus, voluntatis & affectuum: hæc in odio Dei, angelorum bonorum, hominum, inprimis piorum, & omnium Dei operum. *De II.* Multi ſunt angeli tum boni, tum mali. De illis eſt *Dan.7 Hebr.12.* de his *Marc.5. Eph.6. Apoc.12.* *De III.* Angeli boni libenter ſunt cum Deo, cujus faciem ſemper vidẽt, hoc eſt, quo delectantur, & ſatiantur, & cujus voluntatem faciunt: item cum hominibus, qui libenter audiunt verbum Dei, & juxta illius præſcriptum viuunt. Angeli mali libenter ſunt cum impijs, non vero cum ijs, qui vtuntur gladio Spiritus, hoc eſt, verbo Dei, & precatione, tanquam Nablio Dauidis, & quotidie inſtaurant pœnitentiam ſuam.

Alia dispositiones.

I. Videbimus quid angeli boni & mali habeant commune, & quid proprium vtrique.

De I. Angeli tam mali quam boni sunt Spiritus. *Hebr.1.v.vlt. Matth. 10.v.1.* Deinde angeli sunt à Deo creati. *Col.1.v.16.* Tertio sunt boni creati. *Joh.8.v.44. Iud v.6.*

De II. Circa angelos bonos expenditur proprium officium & adjunctum. Officium positum est in eo, quod angeli boni prompte obsequuntur mandatis Dei. *Psal.103.v.20.21.* & quod Deus per angelos bonos solet. 1. Aliquid nuntiare hominibus, tum impijs, vt Bileamo. *Num.22.* tum pijs, vt Lotho, Manoacho, Danieli, Zachariæ Patri Johannis. Mariæ virgini, pastoribus Bethlehemiticis, Josepho marito Mariæ, mulieribus Christum quærentibus in sepulchro, Apostolis spectantibus Christum ascendentem in cœlum, & Johanni Apostolo in ecstasin rapto. *Gen.19. Iud.13. Dan.8.& 9. Luc.1.& 2. Matth.1.& 2.c.28. Act.1. Apoc 1.* 2. Pios protegere. *Psal.34.v. 8.& 91.v.11.12.* Vide exemplum Lothi, Jacobi, Eliæ, Elisæi, Hierosolymorum obsessorum, sociorum Danielis, & ipsius Danielis. *Genes.c.19 & 32. 1. Reg.19. 2. Reg.6.& 19. Dan.3.& 6.* 3. Pios castigare. *2. Sam.24.v.15. Luc.1. v.10.* 4. Impios punire. *Gen.19. 2. Reg.19.v.35. Act.12.v.23.* 5. Coercere impios, ne pijs noceant. *Dan.10.v 13.20.* Adjunctum angelorum est, partim habitare in cœlo beatorum *Matth.18.v.10 c.6.v.10.* Partim magno esse numero. *Dan.7.v.10. Apoc.5.v.11. Matth.26.v.23 Hebr.12.v.22.* partim denique esse nostros conseruos & συνδιακόνους, adeoque non esse adorandos adoratione religiosa. *Apoc.19.v.10.c.21.v 9.*

De III. In angelis malis spectatur multitudo & potestas. Multitudo colligitur ex *Luc.8.v.30.* Potestas, est illa quidem magna *Ioh.12.v.31.* sed tamen limitata: quia Diabolus & reliqui mali spiritus non possunt homini plus lædere quam Deus eis permittit *Iob.1.v.6.& deinceps.c.2.v.1.& deinceps. Matth.8.v.31.32.* Nimirum diabolus regitur fræno providentiæ Dei, vt equus à sessore, & constringitur loris potentiæ ejus, vt canis ab opilione.

II. Expendi potest nomenclatura angelorum in genere, & in specie. In genere explicentur ista duo nomina, Angelus, Spiritus. In specie sunt nomina bonorum angelorum, vt Seraphim, Cherubim, Stellæ matutinæ, Throni, Potestates, Dominationes, Archãgeli, &c. item malorũ, vt q diabolus tãquã princeps eorũ nominatur Satan, Beelzebub, tẽtator, princeps mundi, draco magnus, serpens antiquus, Deus hujus seculi, aduersarius fidelium, & illorum accusator; angeli autem, qui sunt subditi istius principis, nominantur Spiritus mali, Schirim. i.e. horridi, Schedim. i.e. vastatores dæmonia, spiritus immundi, principatus, potestates, domini mundi, rectores tenebrarum seculi huius, spirituales malitiæ seu spiritus nequam.

III. Videbimus quomodo angeli boni sint stellæ matutinæ, & angeli mali principes tenebrarum.

De

De I. Natura angelorum bonorum est mera lux, ita vt recte appellentur stellæ seu astra spiritualia. Officium eorum est promptissime capessere iussa Dei: vnde appellantur stellæ matutinæ.

De II. Hoc titulo continetur natura depravata, & studium malorum angelorum.

LOCVS XI.

De homine.

Exordium. Ethnici homines tanti fecerunt cognitionem sui, vt Iuuenalis in hæc erumpat verba:

E cœlo venit diuinum γνῶθι σεαυτόν.

Verum illi non potuerunt peruenire ad illam artem: quia hanc ad rem requiritur lux sacrarum literarum.

Propositio. Considerabimus hominem secundum quatuor status: videl. integritatis seu innocentiæ, miseriæ, gratiæ & gloriæ.

Tractatio. I. Quod attinet ad statum integritatis, considerandus est modus creationis hominis, & donorum ex creatione ortorum. Modus creationis est singularis. Nam Deus in fabricando homine peculiarem quasi adhibuit industriam. Nam primo deliberauit de homine creando, tanquam opere non vulgari. Deliberauit, inquam, Deus Pater cum Filio & Spiritu S. non vero cum angelis, quippe qui cum sint creati ipsi non possunt assumi in societatem deliberationis, præsertim de formanda creatura tam nobili & excellenti. Deliberatio ipsa est magnifica: *Faciamus hominem ad imaginem nostram, qui dominetur* &c. quibus verbis præstantia naturæ, & amplitudo imperii continetur. Deliberatione ista concluſa, Deus ad ipsum opus accessit, & corpus hominis è terra formauit, animam vero ipsi inspirauit, atque adeo ipsum terrestris & cœlestis naturæ participem fecit. Fecit, inquam, ipsum ad imaginem suam, quæ cernitur in anima, corpore, & toto homine. In anima est imago Dei quantum ad essentiam, facultates & dotes. Essentia est partim spiritualis, partim immortalis. Facultates sunt intellectus & voluntas, qui sunt duo oculi animæ rationalis. Regia intellectus est cerebrum, voluntatis cor. Dotes fuerunt sanitas in intellectu, sanctitas & libertas in voluntate. Nam mens hominis protoplasti fuit prædita cognitione Dei. *Col. 3. v. 10.* voluntas eius fuit prædita iustitia & sanctitate. *Eph. 4. v. 24.* item libertate. *Gen. 3. v. 13.* In summa, dotes animæ in primo homine fuerunt lux sapientiæ & ignis iustitiæ seu charitatis. Ad corpus quod attinet, ibi fuit suauitas coloris, sanitas eximia, immortalitas, figura maiestatica, proportio membrorum eximia: quæ o-

mnia sunt pars imaginis Dei ratione pulchritudinis & perfectionis. In toto deniq; homine resplenduit majestas illa imperatoria, qua ille constitutus fuit dominus reliquorum animantium, & à bestiis pro domino fuit agnitus. *Gen.1.v.18.c.2. v.19.20.*

II. In statu isto non diu permansit homo, sed ex illo se præcipitauit in statum miseriæ. Miseria ista est duplex, peccatum & pœna peccati. Peccatum est imago diaboli, quæ licet non sustulerit animæ essentiam & facultates, neque etiam omnes istarum facultatum dotes: maximam tamen partem istas dotes exturbauit, & quas reliquit, adeo obscurauit, vt tantum rudera quædam pulcherrimi istius ædificii manserint reliqua. Hic instituatur antithesis imaginis Dei & diaboli. Deinde pœna secuta est multiplex, inprimis mors corporis & animæ.

III. In statu gratiæ imago diaboli magis magisq; in homine destruitur, & imago Dei post! minio restituitur per justificationẽ & sanctificationẽ. *Col.3.v.10. Eph.4.v.24.* Nam in Christo hoc consequimur, vt ex filiis iræ fiamus filij gratiæ, ex hostibus Dei ipsius amici ex ignorantib & stolidis sapientes, ex rebellibus obedientes, idq; secundum omnia decalogi præcepta: quorum scopus est, nobis ostendere qualis fuerit imago Dei in primo homine, qualis sit imago diaboli in nobis, & deniq; quomodo indies magis magisq; debeamus contendere vt imago Dei per gratiam Spiritus S. vi mortis Christi in nobis instauretur.

IV. In statu gloriæ nobis plenissime imprimetur imago Dei ratione animæ & corporis: quia ibi aberit omne malum, & aderit omne bonum. *Apoc.21.22.*

Conclusio. Homo electus quotidie meditetur, qualis fuerit ante lapsũ in Adamo, qualis sit post lapsum partim in seipso seu in primo Adamo, partim in Christo seu in secundo Adamo, qualis denique futurus sit in statu patriæ. Hæc sit ejus lectio quotidiana.

Alia dispositio.

Disseremus de summa hominis miseria, & summa ipsius beatitudine. *De I.* Summa hominis miseria est separari à Deo, & cum diabolo vnire in hac vita per auaritiam, superbiam, & vno verbo per odium Dei & proximi, & post hanc vitam per impœnitentiam. Nam ita fit, vt homo adhæreat diabolo, ipsi vniatur, & vnus spiritus cum eo fiat. O miseriam maximam, esse hospitium diaboli in hac vita, & post hanc vitam! Quid enim miserius, quam separari à summo bono, & impleri summo malo? Summum vero malum est impleri furoribus & terroribus diabolicis, puta blasphemijs, angoribus, doloribus, tenebris, cõfusionibus, & omni plenitudine peccati, doloris & ignominiæ. Hęc diligenter ad animũ reuocemus, & vnice hoc agamus, vt paremus Deo dignum habitaculũ retinendo fidem & bonam con-

conscientiam. *De II.* Summa hominis beatitudo posita est in vnione cũ Deo. Nam qui cũ Deo vnitur, habet omne bonũ. Et extra Deum, summũ illud bonum, nihil sapit deuotæ animæ, quę nõ potest satiari nisi Deo. *Ps.* 17. Nam nec cœlum, nec terra prodest, nisi anima Deũm possideat. *Ps.* 73. Hæc vnio incipit in hac vita, & perficitur in altera. Nam Deus & hic & ibi est habitatio nostra cibus noster, satietas nostra, vestitus noster, amor noster, jucunditas nostra, delectatio nostra, honor noster, gloria nostra, sapiẽtia nostra, vita nostra. O felicitatem maximã nos habitare in Deo, & Deum habitare in nobis! Nos, inquam, habitare in Deo per fidẽ & quotidianam resipiscentiam, & Deum habitare in nobis per gratiã Christi & Spiritus S. Cujus vnionis argumẽta sunt incarnatio Christi, inhabitatio Spiritus per varia dona, amor Dei & nostri mutuus, inuocatio Dei, baptismus & S. cœna.

LOCVS XII.

De Prouidentia Dei.

Exord. Deus non est similis architecto, qui domum à se extructam deserit, & ejus curam commendat possessori. Ille siquidem est simul architectus & paterfamilias.

Propos. Tria differemus: quod sit prouidentia, qualis sit, & quæ sit, ejus praxis.

Tractatio. I. Esse prouidentiã Dei docet Scriptura *Matth. 6 & 10.* & alibi passim: cõprobat cõseruatio ordo & vicissitudo admirabilis omniũ rerum in mundo & in statibus vitę humanæ: cõscientiæ dictat: natura Dei postulat: vniuersa rerum natura clamat.

II. Modus prouidentiæ Dei cernitur ex objectis, partibus, gradibus, modo, & speciebus. Objecta prouidẽtiæ Dei sunt omnia quę fiũt in mũdo, sive sint bona, sive mala. *Prou. 16. v. vlt. Mat. 10. v. 29. 30. Luc. 12. v. 6. 7. Exo. 7. v. 6. 2 Sam. 12. v. 11. 12. & c. 16. v. 10. 1. Reg. 22. v. 19.* Partes sunt duæ, puta cõseruatio seu sustentatio creaturarum, quæ sicut sine Deo existere non potuerunt, ita sine eo subsistere & vires suas ne ad momentum quidẽ retinere possunt; & dispositio seu gubernatio, qua Deus omnium creaturarum motus quo vult & qua vult ad certos fines æterno suo consilio constitutos dirigit & flectit. Gradus sunt varij, vt cõstat ex *Ps. 104.* Nominatim Deus præcipue curat hominẽ, vt creaturã secundũ angelos nobilissimã. Et quo quis Deum studiosius colit, eo magis ab ipso respicitur. Modus prouidentię Dei est arcanus & mirabilis, vt cõstat ex visione illa. *Ezech. 1.* quã vide suo loco. Mirabile est, quod Deus regit omnia, maxima, medioxima, & minima. Mirabilius, quod regit ista omnia sine labore ab omni æuo. Mirabilissimũ deniq;, quod regit bona & mala, & singula suæ naturæ cõuenienter. Nam sicut in horologio automato rota maxima motu suo impellit rotas minores, vt singulæ suo peculiari motu ferantur: ita prouidentia

dentia Dei est rota illa maxima, quæ rotatu suo omnes rotas minores circũducit, verum ita, vt singulæ retineant suam naturam. Simile quid etiam est in hoc magno mundo, vbi motus inferiorum pendet à motu cœli: & in paruo mundo, hoc est, in homine, in quo cor tanquam primum mobile mouet reliqua membra, veruntamen ita, vt singula peculiarem suum retineant motum. Porro Deus non minuitur per minuta, & regit peccata sine peccato, quomodo videmus solem non sordidari eo quod illustret cloacam & cadauer. Species sequuntur: quod nempe gubernatio Dei sit immediata vel mediata, ordinaria vel extraordinaria, generalis vel specialis.

III. Praxis hujus doctrinæ est 1. humilitas. 2. consolatio. 3. officij nostri executio. Nam quia ne ad momentum quidem possumus subsistere sine Dei auxilio, vanitatem nostram agnoscere debemus: & quia Deus omnia regit, ab ipsius nutu pendere nos decet, & firmiter statuere nihil posse nobis accidere inscio vel inuito Deo: deniq; quia prouidentia Dei non excludit media, sed illa includit tanquam subordinata, non debemus ita argumentari, si Deus volet nos saluos & incolumes, absque pane, potu, præceptoribus, pastoribus &c. nobis dabit vitam hanc animalem & spiritualem.

Conclusio. Quotidie meditemur *Ps.* 104. & tanquam speculum prouidentiæ Dei introspiciamus.

Aliæ dispositiones.

I. Considerabimus dimensiones spirituales prouidentiæ Dei. *Latitudo* eius est, quod omnia suo ambitu complectitur. Nam sicut cœlum ambit terram; ita prouidentia Dei cœlum, & omnia in cœlo & sub cœlo. Terra cum cœlo collata est instar puncti. Ergo totus mundus cum Deo collatus erit instar nihili. *Longitudo* ejus est, quod inde à principio mundi vsque ad hunc diem durat, & durabit ad finem. Hic recitentur insigniora monumenta & documenta prouidentiæ Dei, h.e. singularia Dei beneficia & judicia, puta diluuium, excidium Sodomæ & Gomorrhæ &c. additis etiam profanis historijs. *Altitudo* est, quod regit res altissimas & sublimes: videl. cœlum, stellas, angelos, reges &c. *Profunditas* est, quod abyssum prouidentiæ Dei nemo scrutari potest.

II. In prouidentia Dei oportet considerare præcursum, concursum, & succursum cum creaturis. Nam Deus anteuertit creaturas, dando ipsis principium bene agendi: concurrit cum illis fouendo illud principium, & actionem sustentando, eliciendo & determinando: succurrit juuando, excitando, promouendo.

III. Videbimus theoriam & praxin hujus doctrinæ. Theoria respi-

cit

cit amplitudinem & modum prouidentię Dei. Amplitudo cernitur in eo, quod occupatur circa res omnes, puta magnas & paruas *Iob.5. Math.6.* & 10. necessarias & contingentes *Prouerb.*21. bonas & malas *Amos.3. Esa.* 45. Modus cernitur in partibus & gradibus. Partes prouidentiæ sunt conseruatio seu sustentatio, & gubernatio seu directio. Utraque est speculum naturæ Dei sapientis, potentis, clementis, justi & veracis, itemque speculum vanitatis omnium creaturarum, quam illæ nihil sint & possint absque Deo. Gradus sunt hi. 1. Prouidentia Dei est ordinaria, vel extraordinaria: vtraque bene ordinata. Illa communem naturæ ordinem seruat. *Hos.*2. *v.* 21.22. hæc supra naturæ ordinem assurgit, vt quando Elias pascitur à coruo. 2. Est mediata, vel immediata. Ibi Deus vtitur causis secundis, vt quando hominem sustentat cibo & potu: hic sine medijs, vt quando Mosen, Eliam & Christum 40. dies sustentauit sine cibo & potu. 3. Est generalis, vel specialis. Illa est, qua conseruat & regit omnes res faciendo vt porro sint, possint agere, & agant: hæc est, qua conseruat & regit res singulas naturæ ipsorum conuenienter. *Psalm.* 104. *Praxis* hujus doctrinæ est multiplex. Nam prouidentia Dei est 1. speculum & theatrum sapientiæ, potentiæ, clementiæ, justitiæ, & aliorum Dei attributorum. 2. fundamẽtum fidei. 3. arx inexpugnabilis sanctorum. 4. portus tranquillitatis animi. 5. sacra anchora patientiæ. 6. asylum afflictæ conscientiæ. 7. magistra gratitudinis & humilitatis. 8. antidotum vitæ contra mala interna & externa. 9. fons consolationis & lætitiæ.

LOCVS XIII.

De Peccato & pœna ipsius.

Exordium. Sordes abominamur in vestibus, ædibus & cibis, præsertim si mixtum sit venenum. Tale quid est in peccato.

Propositio. Circa peccatum oportet considerare antecedentia, connexa, & consequentia.

Tractatio. I. Antecedentia sunt tria: videl. permissio Dei, quæ est efficax, sapiens & bona: cogitatum, dictum, vel factum hominis, quæ ipsa sunt bona: deniq; seductio Satanæ & mundi.

II. Connexa sunt forma, gradus, & species. Forma peccati est ἀνομία, i.e. discrepantia à lege *1. Joh.3. v.*4. Discrepantia ista est partim priuatio partim actus aut habitus malus. Gradus sunt varij, puta infirmitas & malitia, peccatum voluntarium & inuoluntarium, peccatum commissionis & omissionis aduersus primã vel secundam decalogi tabulam &c. species peccati sunt, quod aliud sit primum, aliud ortum. Peccatum primum est

inobedientia illa Adami, in qua concurrerunt septē sequentia peccata: suspicio inuidię *Gen.3.v.1.* dubitatio de veritate cōminationis diuinæ *ibid.v.4.5.6.* intemperantia gulæ *v.6.* cupiditas gloriæ diuinæ *ibid.* curiositas, id est cupiditas plura sciendi quam erat necessarium *ibid.* contemtus mandati diuini. *Roman.5.v.19.* vbi occurrit vox παράπτωμα. denique transgressio mandati, παράβασις. *Rom.5 vers.14.1.Tim.2.v.14.* Peccatum ortum est, quod ex primo oritur. Estque originale, vel actuale. Peccatum originale est, quod inde ab origine conceptionis nobis inhæret: estque positum partim in defectione seu apostasia illa, qua omnes homines, solo Christo excepto, peccauerunt in Adamo *Roman.5.vers.12.19. 1.Corinth.15. vers.22.* partim corruptio, qua fit vt omnes hæredes Adami, solo Christo excepto, cum peccato concipiantur & nascantur. *Psal.51.v.7. Eph.2.v.3.* Quo fit, vt mens nostra sic obtenebretur, vt in rebus spiritualibus sit cœca. *1.Cor.2.v.14. Johan.1.v.5.18.c.6.v.44.* & voluntas ita deprauata, vt toto impetu feratur contra legem Dei. *Gen.6.v.5.c.8. v.21. Roman.3. v.7.* Peccatum actuale est, quod cogitando, dicendo & faciendo committimus aduersus decalogū. Ejus occurrunt causæ, species & impedimenta. Causæ sunt partim internæ, partim externæ, puta peccatum originale, quod est fons & radix peccati actualis, Satan, mundus, & sæpenumero aliud peccatum actuale: quia fit quandoque, vt vnum peccatum sit semen alterius. Species sunt variæ. Est enim inhabitans & regnans, remissibile & irremissibile, internum & externum &c. quibus speciebus communiter accidit, quod omne peccatum sua natura sit mortale, & nonnisi gratia Dei in Christo fiat veniale. Accidit etiam his peccatis, quod sunt inæqualia. *Joh.19.v.11. Matth.10.v.15.* Impedimenta peccati sunt prouidentia Dei, gratia Dei in Christo per Spiritum sanctum, disciplina in omnibus statibus vitæ humanæ, precatio, lucta aduersus hostes spirituales, quo pertinet panoplia ista. *Eph.6.*

III. Consequentia peccati sunt reatus, remissio vel punitio. Reatus est obligatio ad pœnā. Nam sicuti fur est reus, quia cōtrectauit rē alienam inuito domino: ita peccator est reus, quia præuaricatus est aduersus legē domini sui. Remissio est, qua peccatū ex gratia condonatur propter justitiā Christi vera fide apprehensam. Punitio peccati quinq; habet gradus. Est n. 1. satisfactio seu τιμωρία, qualis est in impijs. 2. castigatio, seu παιδεία, quomodo pij dicuntur à Deo παιδεύεσθαι, h. e. tractari tanquam filij. *1.Cor.11.* 3. probatio, δοκιμασία: quo pacto filij Dei probantur instar auri, quod quo diutius in flamma perdurat, eo fit purius. 4. corona martyrii. 5. λύτρον, seu ἀντίλυτρον, quod Christus pro nobis persoluit. *Esa. 53.* Deinde pœna peccati est temporalis, vel æterna. Temporalis est varia *Deuteronom.28.* secundum varia bona animi, corporis & externa, quibus totidem

dem mala opponuntur in omnibus ſtatibus vitæ humanæ. Æterna eſt mors illa, qua homines damnati moriuntur, neq; tamē emoriūtur. Denique pœna peccati eſt ſpiritualis, vel corporalis. Spiritualis eſt cœcitas mētis & prauitas voluntatis ſeu contumacia cordis. Nam homo cœcus eſt, tum quia pauca ſunt quæ videt, reſpectu eorum, quæ videre debebat; tum quia in naturalibus caligat, in ſupernaturalibus cœcutit; tum quia illa ipſa quæ videt, ægre admodum videt, viſu vacillante, & vix multa inſtitutione mentem excolit. Omnia ipſi ſunt ſomnia, & videt velut per tranſennam. Hinc horribiles de Deo cogitationes, & infinitæ altercationes apud philoſophos & Chriſtianos. In ſumma: Intellectus hominis in rebus mere diuinis nihil videt, in rebus aliquo modo diuinis, id eſt, in moralibus & ciuilibus aliquid videt, in rebus humanis, hoc eſt, artificialibus & animalibus acutum videt, ita tamen vt hoc acumen ſit ſumma hebetudo, vt in artibus liberalibus & mechanicis videre habemus. Corruptio voluntatis, ſeu cordis, eſt diſcrepantia affectuum interdum vniuerſorum, perpetuo aliquorum à recta ratione diſcrepantia: quæ in ſacris appellatur propenſio ad malum, & repugnantia carnis aduerſus ſpiritum. *Geneſ. 6. Jerem. 17. Rom. 7. 8. Gal. 5.* Hanc corruptionem ipſe curſus vitæ oſtendit. Pœna corporalis eſt morbus, cujus plura ſunt agmina quam membra corporis, & mors corporis.

Concluſ. Peccati fœditatem & noxam oportet cognoſcere, vt illud fugiamus.

Aliæ diſpoſitiones.

1. Circa peccatum conſideretur actio Dei, diaboli & hominis. *Actio Dei* fit ſine peccato. Nam Deus 1. negat homini gratiam indebitam, non illuminando intellectum, & non flectendo voluntatem & affectus, adeoque non tollendo duritiem cordis. 2. objicit homini occaſiones bonas, vel ſaltem indifferentes, quibus homo abutitur. 3. permittit juſte, libere & ſapienter, vt à Satana, mundo, vel propria carne tentetur. Quæ permiſſio non eſt nuda vel coacta, quomodo magiſtratus multa neceſſe habet permittere, quæ nec mutare, nec regere poteſt. 4. peccatum determinat, vel exterminat. 5. peccatum dirigit ad optimum finem. 6. illud punit vel remittit. Sed, inquis, cur Deus peccatum non impedit? Reſp. Quia illud non vult impedire. Cur vero nō vult? Quia nouit è peccato educere bonum, nō aliter atq; è tenebris iuſſit ſplē deſcere lucem: & quia tanquā ſapientiſſimus medicus ita tēperat hoc venenum, vt fiat ſalutaris theriaca, vnde gloria ſapientiæ, potentiæ, iuſtitiæ & miſericordiæ fit illuſtris, ſalus electorum promouetur, & dānatio impiorū iuſta eſſe docetur. Dicamus igitur cū Auguſtino, quod Deus melius eſſe iudi-

judicauerit peccatum permittere, quam illud prohibere. Vide historiam Pharaonis, & cogita illud simile: Quemadmodum sole lucēte per vitrum viride vel rubrum, splendor est à sole, color à vitro: ita si Deus impios sustentet atq; conseruet, illi bonitatem actionis habent à Deo, deformitatē in se & à se. *Actio diaboli* circa peccatum est seductio, quæ fit ex insidiis, vel aperta vi & per tyrannidem. *Actio hominis* est partim naturaliter bona, partim moraliter & spiritualiter mala.

II. Tres videbimus gradus peccati. Est enim peccatum primum originale & actuale. *Peccatum primum* patratum fuit ab Adamo tanquam parente, porta, radice & stirpe totius generis humani. Ille siquidem repræsentauit omnes suos posteros, qui fuerunt in lumbis ejus. Nam quemadmodum vasallus à domino, cui præstat homagium, accipit feudum pro se & posteris, quo similiter amittit sibi & posteris, si violet juramentum fidelitatis: ita Adamus pro se & posteris suis acceperat tanta bona, & proinde eadem amisit tum sibi, tum posteris suis. *Peccatum originale* est veluti lepra & morbus hæreditarius, seu ingenium lupinum, quod naturaliter propagatur, facitque vt totus homo fiat massa corrupta & nigra instar picis, quæ omni ex parte habet nigredinem. *Peccatum actuale* est fructus & riuus peccati originalis. Est, inquam, fructus venenatus, & riuus fœculentus, qui partim germinat, partim manat, per omnes animæ potentias & omnia corporis membra.

III. Peccatum actuale tres habet gradus. In primo sunt peccata voluntatis: in secundo peccata clamātia, cujusmodi traduntur quatuor in Scriptura, homicidium voluntarium *Gen.* 4. peccatum Sodomiticum *Gen.* 18. oppressio pauperum, præsertim orphanorum & viduarum *Exod.* 21. & defraudatio mercedis *Jac.* 5. in tertio est peccatum in Spiritum S. *Matth.* 12.

IV. Ostendatur, quomodo homo peccatis deditus sit theatrum diabolorum. In eo enim habitat dæmon v.g auaritiæ, ebrietatis, luxuriæ &c.

V. Tria possunt esse capita considerationis. 1. peccati fœditas, quæ in eo est posita, quod offendit Deum & omnes res quas Deus fecit, ideoque inimicitiam Dei & creaturarū nobis cōciliat. 2. multitudo peccati, quæ est innumerabilis, siue spectentur omnes homines, qui peccant; siue objectū, circa quod peccatur; siue modus quo peccatur secundum omnes animæ potentias & omnia membra corporis. 3. comparatio hominis, qui peccat, cum Deo, in quem peccatur.

LOCVS XIV.

De libero arbitrio.

Exord. Homo natura sua est Pelagianus, h. e. superbus, seu, vt Prosper Pelagianos vocat, ingratus. Id inter alia videre est ex eo, quod idolum liberi arbitrij fabricat & adorat. Pro-

Propositio. Distincte considerabimus liberum arbitrium in quatuor statibus hominis.

Tractatio. I. In statu innocentiæ voluntas hominis ita se habebat, vt posset libere eligere bonum vel malum, inque manu sua haberet vitam & mortem. Nam in mente erat lumen sapientiæ, in voluntate rectitudo justitiæ, in affectibus harmonia, in membris obsequium. Poterat itaque homo stare. Nam acceperat posse si vellet, etsi non acceperat velle vt posset: quia hoc pertinebat ad statum coronationis. Verum enimuero homo abusus est libero arbitrio, & aures accommodauit Satanæ.

II. In statu miseriæ voluntas sane retinet libertatem, adeoque habet liberum arbitrium, quantum ad potentiam volendi, & quod attinet ad actiones naturales, morales & ciuiles. Seruum vero est ipsius arbitrium, quantum ad propensionem ad malum, inprimis circa actiones spirituales. *1. Corinth. 2.* quia ibi homo est plane cæcus, surdus, mutus, claudus, imo mortuus.

III. In statu gratiæ homo electus sub initium conuersionis se habet mere passiue, in progressu vero actiue, quatenus actus à Spiritu S. agit & ipse. Passiue, inquam, se habet, non quod hominis instar trunci nulla sit actio, sed quod ille non eliciat actionem bonam. Est autem hæc passio suauis: quia tametsi Deus trahit hominem, vi irresistibili, hic tamen tractus non est violentiæ & coactionis, sed partim suasionis moralis in verbi prædicatione, partim persuasionis & influxus supernaturalis in corde hominis. Atque hoc est trahi funibus amoris.

IV. In statu gloriæ habebimus liberum arbitrium ad bonum tantum: qui est summus libertatis gradus, cum perfectio voluntatis sit velle bonum, vt in Deo & sanctis angelis videre est.

Conclusio. Quotidie oremus Deum, vt nos asserat in libertatem filiorum Dei, vt in hac vita fiamus liberi à seruitute peccati *Joh. 8.* ita post hanc vitam liberemur à miseria multiplici, quam hic experimur.

Alia dispositio.

Ostendemus, quæ sit maxima seruitus & libertas hominis.

De I. Seruire hostibus suis instar mancipij, quod tyrannice tractatur, id vero recte censetur maxima seruitus. Quare si homo se mancipet diabolo, peccato & mundo, procul dubio hæc erit summa & tristissima seruitus. Ita enim neque animam, neque vllum corporis membrum in sua habet potestate.

De II. Seruire patri suo charissimo, id vero recte censetur summa libertas. Quare si homo seruiat Deo, amantissimo suo Patri, merito censetur liberrimus. Ita enim liber est ab omni vi, ab omnibus insidijs, & ab omni machinatione hostium suorũ. Ita, inquam, fit, vt sit dominus mundi,

victor Satanæ, carnis & mortis, rector denique suiipsius & aliorum. Hanc libertatem in hac vita inchoamus, seruiendo Deo in amore & timore, & complemus in altera vita, vbi erimus liberi à miseria culpæ & pœnæ, à necessitate animalis vitæ, & à necessitate moriendi.

LOCVS XV.

De Lege.

Exordium. Quemadmodum nulla societas consistere potest absq; legibus fundamentalibus, vt in familia, schola & politia videre est: ita Ecclesia Dei sine legibus gubernari non potest.

Propositio. Videbimus varietatem & vtilitatem legis.

Tractatio. I. Varietas legis est, quod sit moralis, judicialis & ceremonialis. *Lex moralis* est ipsissima lex naturæ, quam Deus in prima creatione hominis menti inscripsit, & solenniter in monte Sinai repetijt *Exo. 19. & seqq.* Summa ipsius est in Decalogo, qui distributus est in duas tabulas: in quarum priore præcipitur dilectio Dei, in posteriore dilectio proximi. Quæ distributio sumta est ex verbis Christi *Mat 22. v. 37. & deinceps.* Lex ista obligat omnes homines: ita vt non sint excusandi furores Cyclopum, cum legem naturæ omnes scire teneantur: quemadmodum nec illi, qui sibi persuadent leges morales non obligare Christianos in No. Test. cum Christus contrarium doceat *Matth. 5. v. 16. 17.* idemque confirmet praxis Christi & Apostolorum. Christus enim asserit Decalogum à falsa expositione scribarum & Pharisæorum *Mat. 5.* & Apostoli præcepta de bonis operibus ex Decalogo sumunt. *Rom. 13. Gal. 5. Eph. 6.* Deniq; lex illa censetur æterna, cujus ratio & fundamentum est æternum. *Lex judicialis* siue forensis est, quæ rationem & ordinem præscribit executioni justitiæ in rep. instituendæ: cujusmodi sunt leges forenses Mosaicæ, ciuiles Romanorum, Athoniensium, &c. *Lex ceremonialis* est, quæ ordinem rituum in Ecclesia præscribit: cujusmodi sunt leges ceremoniales, cultus Leuitici, & Agenda Ecclesiastica, vt vocant.

II. Vsus legis hic est. *Principio* vsus legis moralis consideratur distincte ratione status hominis. Nam in statu innocentiæ lex naturæ erat regula sanctæ vitæ, & lex illa positiua *Gen. 2.* erat cos obedientiæ: in statu miseriæ lex est speculum istius nostræ miseriæ, & simul regula externæ disciplinæ & virtutis moralis: in statu regenerationis lex est norma obedientiæ nouæ seu Euangelicæ, quatenus vinum legis dulcescit injecto saccaro Euangelij deniq; in statu gloriæ lex naturæ perficitur lumine visionis beatificæ, vt sit regula perfectissimi cultus. *Deinde* legis moralis vsus reprobis est frænum, ne sibi quiduis permittant in peccando; flagellum, vt nolentes faciant officium

ficium in externa conuersatione; & speculum, in quo vident discrimen honestorum & turpium, præmiorum & pœnarum. At vero electis Dei filijs lex est speculum, in quo contemplantur sordes animæ; hæc ipsa quæ viatoribus monstrat viam ad patriam; & denique magistra humilitatis, ex qua discant, se non posse rigori legis satisfacere. Cur vero, inquiat aliquis, Deus à nobis postulat rigidam obedientiam cum non simus præstando? Resp. Vt ostendat, quod olim hoc potuerimus: vt prosternat nostram arrogantiam: deniq; vt nos manu ducat ad Christum, qui solus est idea legis. *Vsus legis judicialis* est, vt sit appendix & veluti murus Decalogi. Præmijs enim & pœnis, de quib agunt leges forenses, continentur homines in officio. Meminerimus hic in legibus forensib. siue sint Mosaicæ, siue aliæ, id esse perpetuę obligationis & vniuersalis obedientiæ, quod est juris naturæ: id vero, quod est juris particularis, non obligare nisi illam politicam, cujus circumstãtijs lex illa est accommodata. *Vsus legis judicialis* est continere homines in officio: & speciatim ceremoniæ Mosaicæ erant typi, picturæ & vmbræ Christi, qui est Sol justitiæ. Quare cum Sol iste nunc illuxerit, nemo non videt, vmbras illas legales non amplius habere locum.

Conclusio. Scriptura duplicem nobis manum porrigit, qua sustẽtamur & dirigimur ad vitam æternam: videl legem, & Euangelium. Illa est dextera, hoc sinistra. Rursus lex est vinum, quo purgitur vulnus: Euangelium est oleum, quo vulnus sanatur.

Aliæ dispositiones.

I. In lege morali considerabimus justitiam vniuersalem, in judiciali rationem politiæ, in ceremoniali rationem pædagogiæ.

De I. Justitia vniuersalis est ipsa charitas, quæ complectitur omnes virtutes, & docet nos obligari naturaliter ad hoc, vt diligamus Deum & proximum. Hic considerentur ista. Deus est prætor & legislator æternus, qui leges condit, sancit & exequitur. Homo quilibet est subditus, qualis qualis quantus quantus etiam sit. Id quod exigitur, est sanctum in se, nobisque glorioſum juxta & fructuosum.

De II. Ratio politiæ consistit in eo, vt custodiatur vtraq; Decalogi tabula. Nam leges ciuiles seu judiciales debent esse appendices & riuuli singulorum præceptorum Decalogi.

De III. Pædagogia legis ceremonialis: in V. T. erat, Judæos manu ducere ad Christum: in nouo Testamento ipsius officium est, præscribere rationem politiæ Ecclesiasticæ.

II. Ostendantur hæc duo. 1. Quod nemo possit legem Dei perfecte implere, in hac vita. 2. Quatenus & quomodo electi præstent legi obedientiam: videl ratione sinceritatis, perfectionis partium, & quotidianæ instaurationis obedientiæ & pœnitentiæ suæ, quo pertinent preces & exercitationes spirituales, vt jejunium, eleemosynæ, & similia.

III. Deus:

III. Deus nobis præscripsit normam recte viuendi in lege, & recte credendi in Euangelio. In lege videnda sunt tria, videlicet diuisio, intelligentia, & vsus. *Diuisio* est quod lex sit perpetua & immutabilis, vel temporaria & mutabilis. Illa dicitur moralis, & continetur in Decalogo, qui continetur duabus tabulis, quarum fundamenta sunt illa tria juris principia, *Honeste viuere, Neminem ladere, suum cuique tribuere:* hæc est partim ceremonialis, de ritibus peccatum arguentibus, & Christum adumbrantibus; partim judicialis de ciuilibus negotijs, & transgressorum pœnis. *Intelligentia* legis consistit in eo, vt sciamus legem esse spiritualem, quæ respiciat animam & corpus: esse monosylabam, ideoque synecdochice explicandum, ita vt ex genere species, ex fine media, ex affirmato negatum, & contra intelligamus: esse denique fidelibus abrogatam quantum ad maledictionem à Christo sublatam. *Vsus* est triplex Terrere, conuictos peccati ad Christum ablegare, docere & delectare justificatos.

Loevs XVI.

De quatuor ordinibus vitæ humanæ.

Exordium. Quod in curru sunt quatuor rotæ, id in vita humana sunt quatuor societates siue ordines, puta status œconomicus, scholasticus, Ecclesiasticus & politicus.

Propositio. Status istos considerabimus in genere & in specie.

De I. In genere oportet in his statibus considerare fundationem, conseruationem, amplificationem & curationem. *Fundatio* spectatur in origine, vbi est institutio partim diuina partim humana: vnde pendet authoritas & necessitas alicujus status. *Conseruatio* spectatur in officijs superiorum & inferiorum, vbi sunt modi docendi & implendi. Modi docendi sunt narratio, præceptio, comminatio, promissio, comminatio, & permissio; in quibus dominari debet sanctitas, æquitas & humanitas. Modi implendi sunt ex parte superiorum & inferiorum. Ibi est præmium, pœna & indulgentia: hic est obsequium & fidelitas. *Amplificatio* pendet à cõcordia & executione legum. *Curatio* spectatur in prophylacticis, prognosticis, ætiologicis, therapeuticis & diæteticis. Prophylactica consistunt in prouida cautione, ne morbi incidant. Prognostica sunt in præuisione morborum, qui imminent. Ætiologica causam morbi indagant. Therapeutica conantur morbum tollere, aut saltem mitigare. Diætetica præscribunt rationem diætæ moralis & spiritualis, ne recidiuam patiamur.

II. In specie *status œconomicus* sibi proponet hanc tabulam officij sui. *Principio* preces matutinæ & vespertinæ sunt deuote recitandæ. *Deinde*

preces

preces ad mensam eadem deuotione sunt exigendæ. *Tertio* officium coniugum est in eo positum, vt maritus ducat vxorem fidelem, piam, castam & laboriosam, talemque à Deo impetret precibus; vt coniugem diligat tanquam sociam & collateralem; vt diligenter oret & laboret in sua vocatione, adeoque in sudore vultus sui vescatur pane suo: deinde vt vxor studeat pietati, pareat marito, colat pacem & concordiam domesticam, gerat familiæ, diligenter oret, moderationi studeat in ornatu, & inuigilet educationi liberorum. Vide *Ephes 5.* *Quarto* officium parentum continetur educatione liberorum in timore Domini, precatione pro salute liberorum, bono exemplo, castigatione, applicatione ad certum artis vitæq; genus, deniq; in coniugij procuratione. *Ephes 6.* *Quinto* officium liberorũ est amare parentes, illos honorare, illis obedire, gratitudinem suam illis probare, deniq; coniugium clandestinum cane pejus & angue vitare. *Eph. 6.* *Sexto* officium heri & heræ est, studere pietati & timori Domini, alere famos & seruas Dei timentes & cultus Dei amantes, studere iustitiæ & æquitati, mercedem tempestiue dare, misericordiæ opera exhibere seruis in miseria versantibus. *Ephes 6.* *Septimo* officium seruorum & ancillarum est in eo, vt studeant pietati, fidelitati, diligẽtiæ, obedientiæ & patientiæ *Eph. 6* *Octauo* officium viduæ vertitur in eo, vt in solo Deo speret, illum quotidie inuocet, deniq; castitati studeat & humilitati. *1. Timoth. 5.* *Nono* officium iuuentutis consistit in timore Dei, castitate, precatione, humilitate, venerationẽ senum, subiectione, taciturnitate, & fuga praui sodalitij. *1. Petr. 5.* Atq; hoc est officium personarum in statu œconomico, vbi singula officia certis numeris astricta possunt conferri cum instrumẽtis musicis, quæ sunt tetrarchorda, pentachorda, hexachorda, &c. v.g. officium iuuẽtutis est hexachordum, officium mariti tetrarchordum, &c. *In statu scholastico* educẽtur agni, quemadmodũ in Ecclesiastico oues Dei. Officium itaq; *præceptorũ* est, agnos tenellos accipere ex ouili illo status œconomici, illis præbere cibum & potum, illos defendere & denique in officio continere, ne luxurient: *discipulorum* vero est sequi vocem præceptoris, ita vt libenter discãt, pareant, & gratitudini studeant. *In statu Ecclesiastico* officium *pastorum* est positum in docendo, refutando, instituendo, corrigẽdo, consolando, dispensando sacramenta; item in disciplina Ecclesiastica, precib pro Ecclesia, & sancta vita seu bono exemplo. *1. Tim. 5.* Officium *auditorum* est, verbum Dei deuote audire, ministros verbi amore & honore prosequi, illos sequi, eosdem sustentare, & deniq; pro illis orare. *1. The. 5.* Sequitur *status politicus*, qui est tanquam antemurale reliquorum. In hoc *officium magistratus* vertitur in his cardinibus: vt norit suam functionem Deo probari *Ps. 81. v. 1. 6. Prou. 8. v. 15. Dan. 12. v. 21. Rom. 13. v. 1. 2.* vt studiose verbum Dei legat *Deut. 17. v. 18. 19. Ios. 1. v. 8.* vt instituat ac tueatur purum Dei cultum, exemplo

Josuæ, Josaphati & Ezechiæ: vt exerceat jus & justitiam, tuendo scilicet bonos & puniendo malos. *Ier.22.v.3. Psal.82.v.2 3.4. Rom.3.v.3.4.* vt misericordiæ studeat erga subditos, præsertim in exigendis tributis & vectigalibus. *Pron.16.* vt bono exemplo præeat subditis *Sirac.10.* vt habeat bonos consiliarios & officiarios *Psal.101.* vno verbo, vt sit custos vtriusq; tabulæ Decalogi tanquam vicarius Dei. Officium *subditorum* est, magistratum habere pro ordinatione Dei, illi non maledicere, illi obedire, illum amare & honorare, illi tributa pendere, pro illo denique orare. *Rom.13.*

Conclusio. Atque hæ sunt quadrigæ generis humani, quarum hieroglyphica vide infra *Luc.2.* in festo circumcisionis.

Alia dispositio.

Ostendatur conuenientia & differentia statuum vitæ humanæ, quid nempe habeant commune & proprium. *De I.* Omnes isti status. 1. Sunt à Deo. 2. Æque sunt vtiles, quomodo videmus quatuor rotas esse necessarias in curru. 3. Absq; ordine & concordia non posse consistere. 4. Mutuas sibi porrigere operas, vt docet exemplum Mosis & Aharonis. 5. Perfici labore & diligentia. 6. Contineri præmijs & pœnis. *De II.* Propria singulorum statuum sunt colligenda ex personis, rebus, & officijs seu actionibus personarum circa res. Sic in statu œconomico curandum est omnibus & singulis, vt familia sit, & bene sit, quantum ad vitam animalem & spiritualem: in scholastico, vt doceantur & discãtur ea quæ pertinent ad veram pietatem, & solidam vtilitatem, seu vt pari passu procedant studia pietatis & humanitatis: in Ecclesiastico, vt doceantur & discantur ea, quæ nos sapientes reddunt ad salutem: denique in politico, vt resp. sic regatur, vt sit hospitium familiæ piæ, scholæ bene institutæ, & Ecclesiæ Christianæ. In his vero omnibus vitanda est πολυπραγμοσύνη.

LOCVS XVII.

De Prædestinatione.

Exordium. Imperiti, vel potius malitiosi medici est, pharmacum aliquod bonum inepte & indecenter applicare, vt obsit valetudini. Hoc accidit illis doctoribus, qui fundamentum salutis nostræ, videl. prædestinationem Dei, non recte tradunt populo, dum vel margaritas obijciunt porcis, vel extra, supra & contra verbum Dei proponunt nescio quæ somnia & portenta, vel denique ansam & occasionem præbent aut securitati, aut desperationi.

Propositio. Considerabimus prædestinationis mysterium à priori & posteriori; quod Apostolum fecisse videmus *2.Tim.2.v.19.*

Tracta-

Tentatio. I. Prædestinatio à priori spectata est æternum & immutabile Dei propositum de statu hominis æterno: quo nempe alios prædestinauit ad salutem, alios ad interitum. *Matt.13.v.20.c.20.v.16.c.22.v.14.c.24.v.24.Luc.2.v.34. Iohan.13.v.18.c.17.v.12. Actor.13.v.48. Rom.8.v.28.29.30. Rom.9.v.11.& deinceps.c.11.v.2. Eph.1.v.4.5 11.1.Thess.5.v 9.2.Tim.2.v.19. 1.Per.2.v.8.Iud.v.4.* Ex his efficitur prædestinationem esse partim electionem, partim reprobationem. Electio est præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro, h.e. est decretum Dei, quo Deus ab æterno apud se libere proposuit, quosdam è regno tenebrarum transferre in regnum gratiæ, & inde in regnum gloriæ. Hæc pendet à mero Dei beneplacito. *Matth.11.v.25.26. Roman.9.v.11.18. Eph.1.v.5.11.* non vero à præuisa fide aut bonis operibus, quia hæc fluunt ex fonte electionis tanquam riuuli. Quemadmodum enim storge parentum facit, vt liberos diligant etiam morbidos & sordidos: ita Deus ab æterno nos dilexit, non quod essemus sancti, sed vt essemus sancti adeoq; non elegit dignos, sed eligẽdo dignos fecit. Porro reprobatio est decretum, quo Deus ab æterno apud se libere proposuit quorundam hominum non misereri, sed illos præterire & præteritos damnare propter peccata. *Matth.11.v.25.26. Rom.9.v 11.18.1 Pet.2. v.8.Iud.v.4.* Hæc est Catholica doctrina Sc. Sac. de prædestinatione, quam oportet diligenter tenere, ne incipiamus cum quibusdam θεομαχῶν.

II. Prædestinatio à posteriori spectatur in fructibus & signis suis infallibus: qualia sunt vocatio efficax *Rom.8.v.30. Eph.1.v.5.* esuries & sitis iustitiæ Christi, fides in Christũ, studium bonorũ operum, displicentia & fuga peccati, precatio & gemitus inenarrabiles, lucta carnis & Spiritus, eleemosynæ ex fide profectæ *Mat.5. Rom 7.& 8. Gal 5* Quare iudicium de electione nostri non est faciendum ex temeraria disquisitione arcanæ voluntatis Dei, sed ex fructibus modo recitatis. Nam liber Dei non tantum habet signaculum cum hac inscriptione, *Nouit Dominus qui sint sui*, sed etiam cum illa, *Discedat ab iniquitate, &c. 2.Tim. 2.* vbi proponuntur duo testimonia electionis, videlicet nominatio nominis Dei, hoc est, vera fides, & discessio ab iniquitate, hoc est, noua obedientia. Quæ duo si quis in corde vitaque sua sentiat, vt maxime fides sit infirma, & obedientia imperfecta, modo vtraque sit sincera, apodictice concludere potest, se esse electum atque adeo formare syllogismum practicum conscientiæ secundum Euangelium reformatæ; hoc modo; Qui se ex verbo promissionis Euangelicæ contra omnia peccata sua cõsolari potest, vt qui merito Christi habeat Deum reconciliatũ plene & in perpetuum, & qui ex his primitijs Spir. Dei bene sperat de Deo optimo suo Patre, & denique studet Deum diligere & proximũ propter eum, is habet in se signa salutis indubitata. Atqui ego, &c. Ergo. In hoc syllogismo tota mea mens acquiescit. Nã propositio

firma est ex verbo Dei, & ore ipsius quasi jurata denique vniuersalis, quia Deus omnes homines acceptat ad salutem, qui fide, spe & charitate insignita corda habẽt. Assumtio est certa ex testimonio Spiritus in corde meo; quo accedit gaudium & pax conscientiæ, sancta excandescentia ob peccatũ, & applicatio per sacramẽtum baptismi & S. Cœnæ. Sic itaq; immotus manet syllogismus iste, qui in duabus nobilissimis Academijs seu Cancellarijs, puta Scriptura & conscientiæ, est formatus & firmatus. Atq; hoc est judicium fidei de propria electione. Quod attinet ad judicium charitatis de electione proximi, meum est omnes illos, qui in Ecclesia Euangelium amplexantur, sacramentis vtuntur, & obediunt legi Dei, pro electis habere, nec desperare statim, vel temere pronuntiare de ijs, qui turpiter viuunt, vel veritatis confessores persequuntur, vel ex infirmitate cadunt. Potest enim Deus sub vesperam vocare in vineam suam, quos non vocat ipso mane vel meridie. Quo pertinet illud:

Paulus & est subito, qui modo Saulus erat.

Conclusio. Hæc est doctrina de prædestinatione, de qua non sine causa vsurpaueris id, quod vulgo dicitur, quamuis rem habere duas ansas, quib. capi possit, dextram & sinistram. Nos apprehendamus dextram, impij viderint quo successu apprehendant sinistram. Nos ex hoc flore sugamus mel instar apicularum, impij ex eodem sugant fel more aranearum. Denique hoc vnguentum nos confortet, impijs tanquam porcis sit acre venenum.

Alia dispositiones.

I. Dimensio spiritualis hæc esto. Prædestinatio ad salutem est *latissima*, quoniam infinitas myriades hominum electorum cõplectitur: *longissima*, quia est ab æterno in æternum, & recta linea procedit inde ab initio mũdi: *altissima*, quia cœlis est altior, & procedit ex corde *Altissimi*, & excedit altitudinem miseriæ nostræ: *profundissima*, quia se demisit ad peccatorem in barathro miseriæ jacentem, neque explorari potest ipsius abyssus.

II. Considerabimus prædestinationem electorum à priori & à posteriori. *A priori* occurrit nil nisi amor Dei, quem Scriptura commendat *Ioh. 3. Rom. 9. & Eph. 1.* tanquam fontem & fundamentum omnium donorum salutarium. Hic est amor ille antecedens, quo Deus nos complectitur in miseria & immunditie jacentes, non aliter quam mater amat filiolum sordibus etiam proprijs conspurcatum, quo fit vt illum mundet. *A posteriori* spectatur in fructibus suis, qui sunt donatio Christi *Ioh. 3.* vocatio, justificatio & glorificatio. *Rom. 8.* Similiter reprobatio consideratur *à priori*, quatum ad liberrimam Dei voluntatem & potestatem, qua potuisset omnes præterire si voluisset: & *à posteriori*, quantum ad justitiam, quæ cernitur in eo, quod peccatorem damnat æterna damnatione.

LOCVS XVIII.

De vocatione ad salutem.

Exordium. Inter annulos aureæ salutis catenæ *Rom.* 8. est etiam vocatio ad salutem.

Propositio. Considerabimus modum & fructum vocationis ad salutem.

Tractatio. I. Non intelligitur hoc in loco vocatio externa, qua Deus narrat hominibus ipsorum miseriam, & promittit eis misericordiam per liberationem ab ea: quia hujusmodi vocatio non pertinet per se ad catenam salutis, nisi accedat interna. Nam illa cadit etiam in hypocritas *Esa.* 5. *Matth.* 10. *Heb.* 6. hæc vero est electorum propria, & alias dicitur regeneratio, item creatio, nova creatio, & recreatio. Nam Deus vocando nos è regno tenebrarum, & educendo ex Ægypto & captiuitate Babylonica, ex mortuis facit viuos, ex veteri homine nouum, ex sordido purum, dum per omnipotentiam & misericordiam suam nos conuertit ad fidem & sanctitatem, adeoque hæc tria in nobis operatur, cogitare bonum, velle bonum, perficere bonum. *Esa.* 29. *v.* 23. *Jer.* 31. *v.* 33. *Ezech.* 11. *v.* 19. *c.* 36. *v.* 26. *Act.* 11. *v.* 17. 18. *c.* 16. *v.* 14. 1. *Cor.* 2. *v.* 4. 5. 2. *Cor.* 3. *v.* 3. *c.* 4. *v.* 6. *Eph.* 2. *v.* 5. *c.* 4. *v.* 24. *Col.* 2. *v.* 10. *Phil.* 2. *v.* 13. *Jud. v.* 3. 20. 21. Porro quemadmodum in creatione creatura non est causa quod creatur, cum non sit ita in hac nova creatione nos non sumus causa hujus rei, quod vocemur, sed sola Dei misericordia. *Tit.* 3. *v.* 5. *Johan.* 3. *v.* 6. 7. 8.

II. Fructus hujus vocationis duo sunt, fides in Christum & sanctitas vitæ. Nam Deus operante sua gratia in electis & dilectis suis filiis creat fidem, ex qua emergit sanctitas, vnde fideles & sancti dicuntur. *Col.* 1. *v.* 2. Hi sunt duo nobilissimi fructus, quibus delectatur Deus, & reficitur anima nostra.

Conclusio. Nos ex hac doctrina aduersus omnes inferorum portas hanc conclusionem, inconcussam sane & immotam, formemus: Quem Deus vocauit, eum prædestinauit, justificauit, & glorificabit. Atqui me vocauit. Ergo.

Alia dispositio.

Considerandæ sunt tria, Quis vocet, Qui vocentur, Quomodo vocatio fiat. *De I.* Rex regum & dominus dominantium nos vocat: videl. Pater in Christo per Spiritum Sanctum. Hinc pendet dignitas vocationis. *De II.* Deus vocat homines, & quidem in regno tenebrarum palantes. Non tamen omnes vocantur: quia Deus multos sinit errare in viis suis

*Act.*14 & multos externe tantum vocat, ad communionem gratiæ communis. *Matt.*20. *Heb.*6. & 10. Solos autem prædestinatos vocat ad communionem gratiæ singularis, itemq; gloriæ ineffabilis. *Rom.*8. *De III.* Vocatio fit gratis *Mat.*20. interne, per specialem tractum *Joh.*4. Intellige tractum amoris & magnetis, quo fit vt vis non sit violenta, sed suauis & delectabilis. De hoc tractu docet Scriptura. ipsum fieri funibus amoris sponsi: vnde sponsa Christi clamat, *Trahe me post te*. O facilem ô felicem tractum, quo trahimur à Patre ex mari salso & sordidato in aquas dulces, vt ibi lauemur & inebriemur poculo salutis!

LOCVS XIX.

De Fide salutifica.

Exordium. Hominis Christiani est, credere inuisibilia, sperare dilata, & amare Deum contrarium se ostendentem, item proximum, etiam aduersarium. Tres hi characteres discernunt oues Christi ab hœdis: videl. fides, spes, charitas. His trigis in cœlum subuehimur.

Propositio. In præsentia de fide verba faciemus, & hæc tria enarrabimus: quid sit fides saluifica, vnde oriatur, quibus notis cognoscatur.

De I. Fides saluifica est certa & filialis fiducia, nitens promissione Dei, quod velit nobis remittere peccata propter Christum, & regenerare per Spiritum sanctum ad vitam æternam. Hinc istæ sunt proprietates fidei 1. Respicere solum Dei verbum, non rationis humanæ tenebras & angustias. 2. Niti veritate promissionum Dei omnipotentis & misericordis. 3. Ita respicere Christum, vt solum ipsius meritum sibi applicet, exclusis nostris meritis. *Roman. cap. tertio.* & alibi. 4. Parere in corde immotam certitudinem, infallibilem spem, & solidum gaudium. 5. Parere in vita vniuersa amorem Dei & proximi, adeoque mortificationem veteris & viuificationem noui hominis. 6. Perseuerare vsque in finem, & reportare coronam justitiæ. Unde fides dicitur esse nostra victoria.

De II. Deus in nobis creat fidem, per verbum & sacramenta. Nam ille per verbum prædicatum plantat cœlos. *Esa. capit.* 51. per illud cœu pluuiam fœcundat terram *Esa. cap.* 55. per illius auditum operatum fidem. *Roman.*10. per hoc semen nos regenerat. *Jacob. cap. primo.* Nimirum verbum Dei est cibus atque alimentum & oleum fidei: quia sicut deficiente alimento, vita perit, & absumto oleo candela extinguitur: ita fides sublato verbo Dei. Deinde sacramenta sunt sigilla, quibus verbum Dei, diploma illud cœlestis Imperatoris obsignatur: vnde fides nostra illuminatur.

De III.

De III. Unde possum scire, me præditum esse vera & saluifica fide? Ex fructibus fidei. Quemadmodum enim arborem bonam nonnisi ex fructibus, ita veram fidem nonnisi ex operibus cognoscere possumus. Porro hæc arbor non est sterilis, sed admodum fœcunda, ita vt ipsius fructus sint & multi, & suaues, & diuturni: quæ tria magnopere commendant fructum. Sunt autem inprimis sex fructus fidei. 1. Dilectio Dei. *Galat. cap. quinto.* Fides per charitatem est efficax. 2. Amor & mediatio verbi Dei. Nam fides & verbum Dei adeo sunt cognata, vt diuelli non possint. Hinc *Psalm.* 119. Propheta toties orat Deum, vt verbum suum ipsi explicet, hac lucerna præeat, hos consiliarios præficiat. 3. Renouatio vitæ, seu quotidie instaurata pœnitentia. Nam fides totum hominem reformat, & ex veteri homine facit nouum. 4. Quotidiana & ardentissima precatio. 5. Gaudium conscientiæ, & viua consolatio aduersus omnis generis mala. Vide *Rom. cap.* 8. triumphum apostoli. 6 Desiderium Dei. Nam fides solum Deum quærit, soli Deo adhærere cupit, solo Deo frui desiderat, non aliter atque ceruus desiderat fontem *Psalm.* 42. & filius desiderat adesse parentibus suis suauissimis. Hinc fides sordet mundus cum omnibus suis desiderijs. In summa: Fructus fidei sunt sitire & esurire justitiam Christi, illiusque longitudinem, latitudinem, profunditatem & altitudinem: & proferre fructus secundum vitæ Christianæ longitudinem, latitudinem, profunditatem & altitudinem.

Conclusio. Agnosce, mi homo, longitudinem, latitudinem, profunditatem & altitudinem miseriæ tuæ, & misericordiæ Christi. Ita fiet, vt veræ fidei alis subuectus despicias hunc mundum, tanquam lutum meum, & venenum melle litum, oculisque aquilinis præditus intuearis solem justitiæ Jesum Christum, qui nobis factus est OMNIA.

Alia dispositio.

Considerabimus propria fidei adjuncta & effecta. *De I.* Adjuncta fidei saluificæ sunt 1. esse certam persuasionem. Nam forma fidei consistit in applicatione seu appropriatione tali, qua intellectus hominis practicus format hujusmodi syllogismum: Pro quibus Christus est mortuus, illi non gustabunt mortem æternam. Atqui Christus pro me est mortuus. E. non gustabo mortem æternam. In hoc syllogismo propositio est promissio euangelii, quæ est vniuersalis ratione electorum seu credentium. *Johan. 3.* Ex propositione ista deducitur assumtio, transferens thesin ad hypothesin: vnde existit cõclusio triumpha-

trix,

trix, patiens gaudium ineffabile in corde hominis credentis. *Roman. 1.* Atque hæc πληροφορία & πεποίθησις est ὑπόστασις & ἔλεγχος, quæ omnibus credentibus pariter insunt, quantum ad formam. Sed alia est ratio graduum fidei, vt jam patebit. 2. varios admittere gradus. Nam fides est veluti manus, quæ nunc firmius, nunc infirmius apprehendit rem: & cum sole, qui semper quidem lucet, sed alio atque alio gradu, prout intervalla diei, vicissitudo temporis, & varietas tempestatum sunt aliæ atque aliæ. Hinc fides sæpenumero tegitur nube tentationum, exercetur paroxysmis afflictionum, & dubitationum procellis jactatur: veruntamen sta, vt emergat ex pelago & abysso ista, tandemque caput inter nubila condat. Quare dubitatio totalis & finalis non potest cum vera ista fide consistere, sed tantum partialis, particularis, & certi temporis. Nam fides euertit ratiocinationes carnales, & in captiuitatem redigit omnem cogitationem ad obediendum Christo. *2. Cor. 10. v. 5.* Unde fides dicitur nostra victoria. 3. non esse sine bonis operibus, neque tamen perfectionem sui & dignitatem ab illis mutuari: quomodo arbor bona non est sine fructibus, neque tamen ideo suam essentiam & dignitatem ab illis habet. 4. nō lacerare verbum Dei, sed totam illius circumferentiam ambire, & in illa centrum imprimis respicere, quod est Jesus Christus. 5. habere donum perseuerantiæ; quod non nititur merito nostro, aut viribus nostris (hæc enim nulla sunt) sed tribus hisce columnis, amore Patris æterno, merito Filij pretioso, & inhabitatione Spiritus S. gratiosa. Fides itaque nō amittitur quantum ad semen, radicem & succum suum, licet amittantur fructus, vigor & splendor ejus ad tempus, quomodo videmus arbores tempore hyberno retinere succum & radicem, vtvt flores & fructum non habeant. *De II.* Effecta fidei sunt, quod ex se parit timorem filialem, gaudium secundum Deum, dolorem secundum Deum, desperationem salutarem, merum spiritualem, & spem fiduciale m: & è contrario expellit atque tollit timorem seruilem, gaudium secundum mundum, dolorem secundum mundum, desperationem noxiam & finalem, timorem mundanum, & spem præsumtuosam.

Alia dispositio.

Considerabimus causas & effecta siue signa fidei. *Causæ* fidei saluificæ, per quam homo sibi applicat promissionem euangelij *Gal. 2. v. 20. Rom. 8. v. 28. & seqq.* sunt duæ: vna princeps, puta Deus. *Matth. 16. v. 17. Eph. 2. v. 8.* altera organica, videl. prædicatio euangelij. *Rom. 1. v. 16. 1. 10. v. 17. 1. Cor. 3. v. 5. 1. Pet. 1. v. 23. 25. Effecta* sunt varia. Nam fides ex se parit fiduciam. *Eph. 3. v. 12.* gaudium spirituale. *Johan. 8. v. 56.* spem vitæ æternæ. *Rom. 5. v. 25.* inuocationem Dei. *Rom. 10. v. 14.* confessionem. *Rom. 10. v. 9. 2. Cor. 4. v. 13.*

4.v.13. filialem amorem Dei. 1. *Joh.* 4. *v.* 19. filialem timorem Dei, 1. *Joh.* 3. v.3. deniq; dilectionem proximi. *Gal.* 5. *v.* 6.

Alia dispositio.

Considerabimus quid sit fides justificans, quorum sit, & qualis sit. *Ad* 1 Fides justificans est, qua homo sibi applicat promissionem euangelij, dicendo, Ego, me, Mihi &c. *Rom.* 8. *v.* 38. *Gal.* 2. *v.* 20. *Ad* 2 Fide justificante donantur soli electi. *Joh* 6. *v.* 37. *Joh* 8. *v.* 47. *c.* 10. *v.* 26. *Act.* 13. *v.* 48. *Tit.* 1. *v.* 1. *Ad* 3. Fides est læta *Rom.* 8. & perseuerans *Matth.* 11. *v.* 18. *Luc.* 22. *vers.* 32. *Rom.* 8. *v.* 38. 39.

Locvs XX.

De Iustificatione.

Exord. Articulus de justificatione nostri coram Deo est articulus stantis & cadentis ecclesiæ. Multum itaq; refert, vt solide intelligatur.

Propos. Sequemur ductum apostoli, & indicabimus, quomodo non justificemur; & è contrario, quomodo justificemur.

Tractatio. 1. Justificatio legalis habebat locum in Adamo ante lapsum. *Gen.* 2. Nam ille præditus erat justitia originali, & ob eam justus cẽsebatur. Hujusmodi justitiam nos in ipso habuimus simul & amisimus. Impossibile itaq; est, vt hoc modo iustificemur. Etsi enim homines non renati faciunt opera moraliter bona, & homines renati faciunt opera spiritualiter bona: neutra tamen possunt esse pars iustitiæ illius, quæ coram Deo possit consistere. Non illa: quia quod non fit ex fide, peccatum est. Non hæc: quia non habent requisita meriti, de quibus est versus:

Da tua: sed quæ non debes: proportio & adsit:
Non aliter meritum dixeris esse tuum.

Jam vero nostra opera ex fide profecta, non sunt nostra, sed Spiritus sancti: & nos illa debemus: & denique nulla est proportio inter illa & vitam æternam, quia sunt multis peccatis contaminata, & sunt veluti pannus menstruatus, aut pallium pannosum, si velimus allegare nostram puritatem. Sed, inquis, Scriptura commendat nostrorum operũ perfectionem. Resp. Sane commendat. Verum perfectio illa tribuitur bonis operibus ratione Christi seu personæ à qua fiunt, ratione affectus, itẽ iudicii nostri & aliorũ. Ratione Christi: quia opera nostra coruscãt radiis iustitiæ Christi, & quia persona placet Deo in Christo & propter Christũ. Ratione affectus: quia sinceritas cõmendat opera filiorum Dei. Ratione iudicii nostri: quia in bonis operib. est perfectio partiũ, dum nẽpe fiunt ex vera fide, secundũ legẽ, ad Dei gloriã. Deniq; ratione iudicii aliorũ: quatenus bona opera conferuntur cũ malis, hypocriticis, vel nõ in eo gradu bonis vt sunt nostra, quo sensu Noah, Job & alii dicuntur perfecti & sancti. *De II.* Justi-

ficatio euangelica est, qua homo justus censetur ob justitiam Christi fide apprehensam. Proinde ista justificatio nihil est aliud, quam imputatio justitiæ Christi ex pura puta misericordia Dei vera fide apprehensæ, ad eoque absolutio nostri coram throno gratiæ. *Rom. 3. & 4.* Fundamentum ejus est vnio seu insitio illa, qua nos Christo sumus insiti tanquam membra capiti, & palmites viti. Hanc siquidem vnionem nō potest non sequi communio bonorū Christi, quorum duo sunt capita, justitia & vita æterna. Nos itaq; constituimur justi per obedientiam Christi *Rō. 5. v. 19.* ita vt illa nostra fiat per fidem. Nam Christus factus est sponsor noster, ideoq; pro nobis satisfecit Deo. Hinc apostolus docet, nos justificari coram Deo fide, absq; operibus legis. *Rom. 3. v. 28. Gal. 2. v. 16.*

Conclusio. Hæc doctrina est verum euangelium: quia in grauissimis angoribus conscientiæ sola Christi iustitia est asylum nostrum.

Alia Dispositiones.

I. Quemadmodum reges orientis induebantur purpura & bysso: ita nos, qui sumus regale sacerdotium, sumus purpurati & candidati. Gestamus enim purpuram sanguinis Christi, & vestem niueam iustitiæ, quam Spiritus S in nobis induit. De priori veste iam dicemus. Considerare autē hic oportet, quis illam nobis acquisierit & quis induat. *De I.* Hanc vestē nobis acquirit miseratio Patris, & mors Filii. Nam causa fundans iustificationis nostræ est pura puta Dei misericordia: causa merens est mors Filii. Illa est causa αἰτιουμένη. *Rom. 3. v. 24 & 5. v. 21.* hæc est causa αἰτιωδῶς λεγομένη. *Roman. 3. vers. 24. 25. cap. 5. v. 9. cap. 8. vers. 34.* Sic itaque iustificatio nostri coram Deo pendet à gratia Dei, & à morte Christi, tanquam à subordinatis. *De II.* Vestem illam nobis induit Spiritus S. per veram fidem, hoc modo. Spiritus S. per prædicationem legis conuincit nos nuditatis nostræ spiritualis, & in euangelio offert vestem purpuream sanguinis Christi, denique illam nobis confert per fidem, tanquam per manū. Hinc quemadmodum manus apprehendens & sibi adiudicans millionem auri dicitur hominem ditare: ita fides apprehendens & approprians iustitiā Christi dicitur iustificare. Quō pertinēt & illæ similitudines. Quēadmodum cibus assumitur per os & in ventriculo conuertitur in succum, qui postea singulis membris assimilatur: ita per fidem, tanquam os hominis spiritualis, assumitur Christus, & in ventriculo fidei (nā fides est os & stomachus simul) conuertitur in succum, vnde trahimus spiritum vitalem. Porro sicut annulus, cuius palæ incluſus est hæmatites, sistit sanguinem: ita fides iustificat, quatenus ipsum tanquam annulo incluſus est hæmatites ille Jesus Christus, cuius sanguis sistit sanguinem animæ nostræ. Denique sicut annulus splendorem & gratiam habet à rubino & smaragdo incluſo: ita

b: ita fides iustificans mutuatur colorem rubicundum & pulchritudinem smaragdinam à Christo, atque ita deformitatem & immunditiem nostram regit.

II. Fides nostra confertur cum annulo quatuor de causis: quia est rotunda, dum à Christo per Christum ad Christum tēdit; & est firma, quippe victoria nostra; & est perfectissima virtus; & deniq; in parte sua latiore habet gemmam illam rubicundam sanguinis Christi, qui est materia iustificationis nostræ. Id patebit, si iustificationem nostri gratuitam corā Deo consideremus tanquam processum iudicialem, in quo agitur de capite. In illo itaq; est iudex, Deus: actor, diabolus: reus, homo: aduocatus & mediator, Christus.

III. Iustificatio nostri refertur ad iudicium Dei, conscientiæ & aliorū hominum. *De I.* Deus nos iustificat, h. e. iustos cōstituit & absoluit semel & simul propter iustitiam Christi vera fide apprehensam. Hæc iustificatio est peremtoria, irreuocabilis, immutabilis, & ἀμεταμέλητος. Constituit, inquam, nos iustos propter meritum Christi, ex quo tanquam fonte fluunt riui bonorum operum: quæ cum sint posteriora actu iustificationis, non possunt illum mereri. Recte itaq; Augustinus: *Bona, inquit, opera non praecedunt iustificandum, sed sequuntur iustificatum.* Perinde itaq; est, si quis contendat bona opera esse causam meritoriam iustificationis, atq; si quis scaturiginem velit ex riuo deriuare, aut statuere lumen post laternā. Christus est scaturigo donorum Dei, fides est canalis & tubus, per quē fluunt riui donorū. Christus est lux, fides & bona opera sunt laterna, quia fides Christum continet, bona opera demonstrant ipsum in nobis lucere. *De II.* Iustificationis sensus in nobis crescit per interualla, & nunc est minor, nunc maior, ita vt cursus eius quandoq; interrumpatur, quanquā non omni ex parte. Hoc demōstrat praxis omnium sanctorū in V. & N. T. qui in schola tentationū fuerunt exerciti. *De III.* Ratione proximi homo iustus cēsetur ex operibus tanquam documentis & monumentis fidei. *Iac.* 2. Atq; hæc dicitur iustificatio à priori & in foro humano, quemadmodum prior illa dicitur iustificatio à posteriori, & in foro diuino.

IV. Explicetur connexio causarū iustificationis, hoc modo. *Deus Pater* iustificat admittendo & imputando satisfactionem Christi: *Deus Filius* satisfaciendo & aduocatum agendo: *Deus Spiritus S.* reuelando & obsignando: *Fides* apprehendendo & applicando: *Bona opera* manifestando & declarando: *euangelium, pastores & sacramenta*, instituendo.

V. Considerabimus causas & effecta iustificationis. *De I.* Causa efficiēs princeps est Deus, organica fides. Nā iustificatio est actio Dei, qua gratis absq; merito nostro nobis remittit peccata propter Christū vera fide apprehensum. Materia est ea res, qua placemus Deo. Ea non est iustitia pro-

pria, seu iustitia operũ, nec est fides, nec charitas, nec iustitia Dei essẽtialis, sed est satisfactio Christi, quę in Scripturis nominatur Christus ipse, corpus eius, corpus carnis, sanguis, anima seu vita, iustitia, obediẽtia, paupertas, passio, vibices, liuor seu tumex, attritio seu vulneratio, effusio sanguinis, immolatio, mactatio, mors, crucifixio, mors crucis, sacrificium, derelictio, maledictũ, satisfactio pro peccatis, reatu & pœna, placamentũ, propitiatio &c. Forma est in eo, quod Deus hominẽ fidelẽ in animo ipsius certũ reddit, quod eũ peccatis remissis pro iusto reputet ob satisfactionem mediatoris. Finis est gloria misericordiæ Dei, & salus nostra. *De II.* Effecta iustificationis sunt pax conscientiæ siue gaudium ineffabile, & noua obediẽtia. *Rom.* 8. quæ totidem sunt testimonia iustificationis prorsus infallibilia.

V. Justificationis videbimus causas & proprietates. *Causa prima* est gratia gratum faciens *Eph.* 1. & 2. causa *meritoria* est iustitia Christi. *Rom.* 3. *v.* 24. causa *organica* est fides. *Proprietates* sunt tres: quod videl. sit actio gratuita, simul tota seu indiuidua, & pendeat à sex gradibus præparatoris, quales sunt agnitio peccati, horror iræ Dei, displicentia peccati, desiderium liberationis, cognitio gratiæ, sensus confusus gratiæ.

LOCVS XXI.

De Sanctificatione.

Exord. In vocatione cernitur gratia Dei operans & præueniẽs seu præcurrens: in iustificatione gratia gratum faciens & comitans. in sanctificatione gratia cooperans & subsequens. Quam splendidissimam gratia coronam sequitur corona gloriæ. Sed, inquis, apostolus in aurea salutis catena *Rom.* 8. non facit mentionem sanctificationis. Resp. Illa continetur sub iustificatione, quia Deus nos justos facit infundendo fidem in Christum, & ex fide tanquam ex silice eliciendo iustitiam vitæ sanctæ, quæ cum iustitia fidei indiuiduo prorsus nexu cohæret.

Propos. Sanctificationis videbimus modum & fructum.

Tractatio I. Quemadmodum in omni actione spectamus terminum à quo, modum seu medium, & terminũ ad quẽ: ita etiam in vocatione, iustificatione & sanctificatione hæc tria oportet considerare. Terminus à quo in vocatione est regnum tenebrarum, terminus ad quem est regnũ lucis, modus agendi est tractus Patris, seu noua creatio, in qua Deus creat vocem suam in corda nostra immittendo, quemadmodum in prima creatione emisit verbum FIAT. Terminus à quo in iustificatione est peccator iniustus, terminus ad quem est iustitia, medium est satisfactio Christi per fidem imputata. Sic in sanctificatione terminus à quo est immundities seu impuritas spiritualis, terminus ad quẽ est sanctitas, modus agẽdi est

est gubernatio Spiritus Sancti. Nam quemadmodum vocatio & justificatio sunt noua quædam creatio seu generatio : ita sanctificatio est noua quædam hominis recreati seu regenerati gubernatio, per quam lux & calor cœlestis in eo conseruatur, ne obtenebrescat & refrigescat. Nam Deus sanctificando justificatum dat ipsi sanctitatem, & illam dirigit ad opera bona facienda. *Exod.31.v.13.Ezech.36.v.27.Luc.11.v.13.Eph.3.v.14.15.16.17.* Porro hæc sanctificatio hactenus est perfecta, quod proficiscatur à Spiritu Sancto, & acceptetur in Christo & propter ipsum. Alias sanctitas in nobis nõ est perfecta eo gradu, quem lex postulat, lex, inquam, vetus & noua, id est, Decalogus & lex fidei. *Esa.64.v.6.2.Cor.4.v.16.* Atq; hoc ipsum quotidiana experientia seu praxis omnium sanctorum confirmat.

II. Homines à Deo sanctificati gratitudinis ergo præstant nouam obedientiam, secundum legem Dei creatoris, & disciplinam redemtoris : nempe diligendo Deum supra omnia, patienter in eo sperando, vota ei nuncupando & seruando, debita proximis officia præstando pro gratia sibi data, & rebus adiaphoris atque bonis terrestribus legitime vtendo, quantum finit vitæ hujus imperfectio. *Esa.1.v.16.17.Rom.6.v.22.Eph.4.v.21.22.23.24.cap.3.v.8.Tit.2.v.11.12.Psal.18.v.2.3.Deut.10.v.12.Matth.22.v.37.38.39.Luc.21.vers.19.Jacob 5.vers.8.Psal.50.vers.14.Roman.12.Ephes.4.vers.7.*

Conclusio. Singulis momentis cogitemus tria ista ingentia Dei beneficia, vocationem Patris, justificationem Filij, & Spiritus Sanct. sanctificationem.

LOCVS XXII.

De Pœnitentia.

Exordium. Pœnitentia est donum Dei per quod ille nobis confert innumera dõna tum spiritualia. Nam gratiam suam promittit nonnisi ijs, qui pœnitentiam agunt. *Esa.1.v.16.& seqq.*

Propositio. Considerabimus affectum, profectum, defectum, & effectum pœnitentiæ.

Tractatio. I. Pœnitentiæ vocabulum hic sumitur late & generaliter, quatenus complectitur statum hominis electi dolentis ob peccata, sitientis justitiam Christi per fidem, & quotidie instaurantis atque reformantis vitam suam. Non itaque hic intelligitur pœnitentia hypocritica, quæ est legalis & exitialis, & definit in desperationem, vt in Juda videre est. Neq; etiam intelligitur pœnitentia salutaris & Euangelica, qua homo electus dolet secundum Deum, quæ est ante fidem : denique non intelligitur pœnitentia illa, qua homo electus & fide præditus dolet se non posse ita

viuere vt dignum est Euangelio, quæ ipsa etiam est Euangelica & salutaris. Hæ, inquam, angustiores significationes hoc loco non attenduntur, sed generalis illa. Hic itaque *primo* cernitur affectus doloris, quo homo electus ex animo dolet, quod Deum offenderit peccatis suis multis & magnis: vnde solet appellari dolor offensæ: deinde affectus fidei, puta fiducia & esuries justitiæ Christi, qua fit vt homo electus seipsum & suam justitiam abneget illamque in solo Christo quærat simul & inueniat: tertio affectus desiderij, quo fit vt homo electus ardeat vehementi cupiditate sanctæ vitæ, & crucietur ingenti dolore, quod non possit sibi satisfacere in studio obedientiæ Euangelicæ.

II. Secundo triplex profectus respondet triplici isti affectui. Nam homo electus quotidie proficit in dolore secundum Deum, in fide justificante, & in desiderio seu proposito sanctæ vitæ, atque adeo etiam in ipsa sancta vita.

III. Tertio cernitur defectus in istis tribus. Nam electi quotidie remittunt aliquid de feruore doloris, fidei & sancti propositi, verumtamen ita, vt se recolligant, non vero crimen apostasiæ incurrant.

IV. Affectus denique hujus pœnitentiæ est abnegatio sui ipsius, meditatio vitæ æternæ, & rectus bonorum terrestrium vsus. *Abnegatio nostri* est, qua annihilamus voluntatem propriam, vel certe guttam istius voluntatis demergimus in mare voluntatis Dei, atque adeo nos ipsos formamus ad summam humilitatem erga Deum, & summam facilitatem atque humanitatē erga proximum, siue ille sit nobis superior, siue par, siue inferior. *Meditatio futuræ vitæ* est, qua vitæ præsentis miseriam & vanitatem, carnisque nostræ infirmitatem contemplati desideramus dissolui & esse cum Christo. *Rectus bonorum* terrestrium vsus in eo consistit, vt bonis concessis à Deo vtamur pie, temperanter, & liberaliter, ita vt simus grati erga Deum, nos ipsos sustentemus & recreemus bonis istis in Domino deniq; proximis nostris inde opitulemur, atq; ita hoc mundo vtamur, tanquam non vteremur, & meminerimus reddendam esse Deo rationem dispensationis nostræ; deinde vt bonorum terrestrium penuriam patienter ac placide feramus: denique intra vocationis nostræ metas nos contineamus.

Conclusio. Recitetur *Psalmus 51. vel 103.*

Alia dispositiones.

1. Septem Psalmi pœnitentiales, videlicet *6. 32. 38. 51. 102. 130. 142.* sunt heptachordum pœnitentium, atque adeo speculū pœnitentiæ, de qua ita differemus, vt illam cōferamus cum valetudine hominis, ad quam requiruntur quatuor partes medicinæ hoc ordine. 1. *Pathologica*, quæ tractat de morborum spiritualium causis & differentijs. 2. *Therapeutica*, de remedijs, vbi lex est veluti *Chirurgica*, Euangelium tanquam *Pharmaceutica*. 3. *Semeiotica*,

ptæ de signis receptæ valetudinis, vt sunt religiosa Euangelij susceptio, certa & præsens consolatio, bona spes in futurum, & studium serium dilectionis Dei & proximi. 4. *Diætetica*, quæ homini sanato præscribit diætã vitæ Deo placentis: diætam dico tum generalem, quæ omnibus in vniuersum Christianis est seruanda, tum specialem, quæ singulis in sua vocatione est necessaria.

II. Dicemus de pœnitentia Christiana seu ordinaria, & Ecclesiastica seu extraordinaria. *De I.* Pœnitentia Christiana est qua omnes Christiani officio defungi debent: & est, vel initialis, vel consequens. Illa etiam vniuersalis & prima, hæc particularis seu specialis & secunda dicitur. Pœnitentia initialis est, quando quis è regno Satanæ ad regnum Christi accedēs testatur se pristinæ vitæ pœnitere: qualis fuit illorum in *Actis 2.* Atq; hujus partes sunt numero tres, non vt Papistæ volunt, contritio cordis, confessio oris & satisfactio operis, (nam contritio cordis est ipsissima pœnitentia, & confessio oris est signum pœnitentię atq; effectum cõtritionis, deniq; satisfactio operis est impia, & confessio auricularis est impossibilis juxta & ridicula), sed dolor offensæ, fides in Christum, & emendatio vitæ. Hicitaq; talis est progressus Lex primo detegit peccatum, & ad remedium quærendum excitat. Deinde in Euangelio offertur & confertur hoc remedium. Tertio ab Euangelio rursus venitur ad legem, sed sua jam per Christum maledictione exarmatam, eoq; amabilẽ. A lege ig. homo habet, quod peccati pœnitet, ab Euangelio quod salutariter. *Pœnitentia consequẽs* est, quando quis veram religionem professus veraq; fide præditus, ob hoc vel illud peccatum dolet secundum Deum, atq; emendat vitam. *2. Cor. 7.* Atq; ita stricte sumta pœnitentia duabus absoluitur partibus, videl. mortificatione veteris, & viuificatione noui hominis. *Rom. 6. & 8. Pœnitentia Ecclesiastica* est, quæ requiritur ab ijs, qui grauiter offendērũt proximum vel Ecclesiam totam. Et hæc est conjuncta cum satisfactione, non meritoria illa, sed Ecclesiastica, quæ refertur non ad Deum, sed ad homines. Porro vtriusque pœnitentiæ, tum Christianæ, tum Ecclesiasticæ certa sunt signa, videlicet lachrymæ, suspiria, gemitus & jejunium; quæ debent esse signa intentionalia, h.e. mentem seu intentionem pœnitentis declarantia, non vero signa sacramentalia, vt nugantur illi, qui ex pœnitentia faciunt sacramentum.

III. Quia lachrymæ Christianæ sunt signum pœnitentiæ, age de illis agamus. Agamus, inquam, non de lachrymis naturalibus, quæ per se neque bonæ neq; malæ sunt, quales oriuntur ex jactura diuitiarũ, morte amicorum, &c. neq; de lachrymis perniciosis & malis, quas exprimunt stultitia, hypocrysis, & simulatio, quales sunt lachrymæ meretricum, & illæ quas dicũtur crocodili lacrymæ: sed de salutaribus illis, quæ à Spiritu S.

proce-

procedunt, vt nos docet Apostolus. *Rom.8.* Sunt autem duo genera piarum lachrymarum. Aliæ nempe sunt signa odij & doloris, aliæ dilectionis & gaudij. Nam lachrymæ cõtritionis sunt signa odij erga peccatum, itemque doloris de peccato admisso: lachrymæ desiderij videndi Deum sunt signa amoris & gaudij. Atque hæc est causa, cur lachrymæ nostræ tanti fiant à Deo: quia scilicet testantur odium erga peccatum, & amorem erga Deum. De his lachrymis tria sunt tenenda, videlicet ipsarum necessitas, fontes & fructus. *De I.* Necessitas lachrymarum & gemituum demõstratur primo ex manifestis Scripturæ dictis: vt sunt *Psal.42.95. Esa.ca.22. Thren.2. Ezech.9. Ioel 1. & 2. Mat.5. Luc.6. Apoc.21.2. Cor.2.* Huc accedunt exempla Scripturarum: vt totius reip. Hebræorum. *Iud.2 & 20.* Samuelis *1. Reg.15.* Dauidis *Psal.6.119.37.* Jeremiæ *6.9.* Christi. *Luc.19. & Iohan.11.* Confer *Hebr.5.* Maria Magdalena. *Luc.7.* Petrus *Matth.26.* Paulus. *Actor. 20.2. Corinth. cap.2.* Quo pertinent formulæ precum Ecclesiasticarum: puta,

Jesum ciamus vocibus,
Flentes, precantes sobrie. Item:
Preces gementes fundimus,
Dimitte quod peccauimus. Item:
Flendo & canendo quæsumus,
Intende nostris sensibus. Item:
Nostros pios cum canticis
Fletus benigne suscipe, &c.

De II. Fontes, vnde lachrymæ profluunt, sunt alij generales, alij speciales. Fontes generales sunt duo, tristitia & gaudium: vnde profluunt lachrymæ amaræ siue doloris & lachrymæ dulces siue amoris. Fontes speciales sunt numero septem: videlicet deformitas peccati, consideratio gehennæ, consideratio passionis Christi, consideratio persecutionum Ecclesiæ, consideratio miseriarum humani generis, consideratio amoris Dei, & denique consideratio tentationum impedientium iter ad vitam. *De III.* Fructus piarum lachrymarum sunt octo: videlicet spes certa remissionis peccatorum, timor gehennæ, imitatio virtutum Christi, misericordia erga proximum, emendatio aliorum, contemtus mundi & amor Dei, timor Domini, & denique facilis impetratio donorum Dei. *Alia consideratio de lachrymis.* Quinque sunt genera lachrymarum: puta lachrymæ angustiæ, pœnitentiæ, Sympathiæ, lætitiæ, & denique nequitiæ. Primas exprimit crux, secundas peccatum, tertias affectus misericordiæ, quartas excellentia gaudij, quintas vindictæ cupiditas, hypocrysis, aut malitia armata.

LOCVS XXIII.

De Libertate Christiana.

Exordium. Apud mortales tanto in pretio est libertas, vt ipsis sit communum chara: vnde Poëta,

Aurea libertas auro pretiosior omni.

Multo itaque magis libertas Christiana nobis debet esse chara.

Propositio. Considerabimus gradus libertatis Christianæ, & ipsius vsum.

Tractatio. I. Libertas Christiana est communis vel propria. Communis est omnium fidelium V. & N. T. Cum enim justificatio sit vna eademque in vtroque Testamento, necesse est vt eadem quoque sit libertas, vtpote quæ fluit ex justificatione. Hæc autem libertas posita est in his sex capitibus: quod nempe electi & justificati sunt liberi. 1. A rigida legis exactio. 2. Ab ejusdem horrida condemnatione. 3. A peccati dominatione. 4. à traditionum humanarum obseruatione. 5. à rerum indifferentium seu mediarum obligatione. 6. à mundi formidine: qui supremus libertatis gradus facit, vt electi nullo metu edictorum tyrannicorum, cruciatuum, odiorum mundi, & ipsius adeo mortis patiantur à cultu Dei se diuelli. De his gradibus vide *Galat. 3. vers. 13. Rom. 6. v. 14. c. 7. v. 22. Ioh 8. 1. Iohan. 5. v. 3.* Libertas propria N. T. respicit œconomiam Mosaicam cultus Dei, & politiam Judaicam. Quidquid enim est ceremoniarum Mosaicarum, id est abrogatum in solidum *Gal. 3. v 24. Eph. 2. v. 14. 15. Col 2. v. 14. 16. 17.* Similiter quidquid in legibus forensibus pertinuit ad populum Judaicum singulariter, id non obligat conscientias nostras.

II. Vsus libertatis Christianæ est quadruplex. *Primus* est positus in cõsolatione. Nam quia sumus donati summa libertate, quam homo in hac vita optare possit; in omnibus pressuris hac consideratione nos debemus erigere, Deoque agere gratias, quod nos liberauerit ex seruitute Ægyptiaca & captiuitate Babylonica. *Secundus* est studium sanctæ vitæ, ne nos mancipemus peccato, siue membra nostra constituamus arma injustitiæ, similes furibundis, qui vltro redeunt ad triremes & fossas, è quibus liberati sunt. Sed, inquis, sumus liberi ita vt non amplius simus sub lege. Resp. Quia Christus pro nobis factus est maledictio, non amplius sumus sub lege, sed sub Euangelio siue sub gratia, ideoque lex non potest multiplex sonum væ aduersus nos intonare, postulando sc. à nobis obedientiam propijs viribus præstandam, & comminando mortem æternam. Verũ enimuero hinc non efficitur nos esse liberos ab obedientia Euangelica secundũ legem præstanda. Nam libertas Euangelica non tollit vsum legis. Lex est veluti vinum, quod per saccarum Euangelij dulcescit, si spectetur

sanctitas vitæ, quam lex per se & sua natura à nobis postulat. Id vero est ex accidenti, quod lex fulmine suo nos terret. Atque hunc terrorem tollit libertas Euangelica, non vero obedientiam. Ira enim est, vt JCti dicunt: *Legibus seruire libertas.* *Tertius* vsus est in casibus conscientiæ, quantum attinet ad leges ab hominibus latas. Nam libertas Christiana & conscientia eosdem habent fines. Quare cum homo qua talis, siue lex humana qua talis, non habeat potestatem in conscientiam, nemo non videt, nos esse liberos partim à traditionibus Pharisaicis, adeoque Papisticis, partim à legibus magistratus tyrannicis. Hæc enim pugnant cum verbo Dei, videlicet cum lege, vel Euangelio, duplici illa conscientiæ norma, & proinde non obligant conscientiam. Quod autem Apostolus *Rom. 13.* ait, non debere obedire magistratui propter conscientiam, id hunc habet sensum. Vi quinti præcepti Decalogi obligatur conscientia nostra ad obediendum omnibus ijs, qui sunt loco parentum, vti sunt magistratus, patres illi patriæ & vicarij Dei. Deinde leges positiuæ, quæ vel à magistratu politico, vel à presbyterio Ecclesiastico recte feruntur, sunt obligatoriæ in conscientia, non simpliciter, sed secundum quid, videlicet ex gemina hypothesi, quatenus consentiunt cum verbo Dei, & spectant, & spectant communi bonum societatis politicæ vel Ecclesiasticæ. *Quartus* vsus respicit res indifferentes seu adiaphoras: vbi libertas Christiana regi debet triplici lege, videlicet fidei, charitatis, & prudentiæ. Lex fidei facit, vt sciamus has vel illas res esse adiaphoras. Absque hac lege fit, obijci potest illud: *Quicquid fit dubitante cõscientia peccatum est.* Lex charitatis dirigit omnia ad ædificationem proximi, qua oportet moderari vsum libertatis Christianæ in rebus indifferentibus. *Roman. 14. v. 13. & deinceps. cap. 15. v. 2. 1. Corinth. 10. vers. 23.* Lex prudentiæ moderatur circumstantiarum varietatem, facitque vt circumstantiæ inferiores cedant superioribus, puta humanæ diuinis, & pauciores pluribus. Huc pertinent istæ regulæ: *Res à Deo præcepta vel prohibitæ sunt indifferentes: Multæ res sua natura indifferentes, fieri possunt necessariæ propter certas circumstantias: Res indifferentes omitti, non possunt in casu scandali, necessariæ confessionis, & abnegationis veritatis.*

Conclusio. Priuilegia nostra constanter tueamur voce & vita.

Alia dispositio.

Libertas Christiana communis omnibus fidelibus Vet. & N. Test. est in eo, quod sumus liberati à legis maledictione, Satanæ tyrannide, peccati dominatione, mortis damnatione, mundi denique vanitate & profanitate in doctrina & vita: qui sunt quinque nostri hostes. Libertas propria N. T. est, quod sumus liberi à jugo ceremoniarum V. T.

Locus

LOCVS XXIV.

De bonis operibus in genere.

Exordium. Senatores Romani, cum primum essent cooptati in senatum, gestabant candidas togas. Ita nos, cum primum simus sacerdotes & ministri Dei nostri, debemus esse candidati justitiæ & bonorum operum.

Propositio. Duo sunt tenenda: videlicet cur bona opera sint facienda, & quomodo.

Tractatio. I. Bona opera sunt facienda propter Deum, angelos, nos ipsos, & alios homines: vt nempe gratitudinem nostram Deo probemus ratione creationis, gubernationis, & redemtionis; vt angelos bonos exhilaremus, malos contristemus; vt conscientiam nostram in tuto collocemus, denique; vt proximum infirmum ædificemus, pium exhilaremus erranteni in viam reuocemus.

II. Vt opus aliquod reuera sit bonum, oportet vt æstimetur ex principio, medio & fine suo. Principium boni operis debet esse vera fides, quo pertinet subjectum operans siue persona, quæ debet esse justificata. Nam fides sola debet esse fons & radix bonorum operum. Et opus Deo non potest placere, nisi proficiscatur à persona justificata. *Gen 4.* Medium siue norma debet esse verbum Dei ne ex nostro arbitrio aliquid fiat: item vita Christi, juxta illud, *Christi actio est nostra institutio.* Finis debet esse gloria Dei.

Conclusio. Bona opera sunt veluti lux, quæ lucere debet in corde nostro, & in hoc mundo. *Matth. 5.*

Aliæ dispositiones.

I. Ostendamus, vnde bona opera habeant, quod Deo placeant. Sunt autem quatuor res, quæ commendant opera renatorum. 1. Fides ex qua fiunt, seu, quod idem est persona justificata, à qua fiunt. 2. Sinceritas, seu affectus filialis. Quo pertinet discrimen operis quod fit à seruo & filiolo. 3. Sitis & esuries justitiæ, qua fit vt homo electus singulis momentis deploret imperfectionem suam, & cupiat quotidie magis magisque Deo probare suam perfectionem. 4. Integritas, qua homo Christianus Deo se totum, animo & corpore deuouet tanquam holocaustum, totumq; Decalogum seruare studet.

II. Videbimus summa capita bonorũ operum, & quomodo ad illorũ exercitum possit perueniri. *De I.* Bona opera sunt primæ vel secundæ tabulæ Decalogi. Vtraq; spectantur in rebus necessarijs & adiaphoris. Ibi excellũt fiducia in Deo, reuerẽtia Dei, precatio placabilitas, & humilitas: hic est legitimus vsus jejunij, cœlibatus, cõjugij, esus ciborũ, votorum, & ceremoniarum sacratũ: quæ omnia fides regit & charitas tẽperat, dictas quãdo

libere vel necessario ijs sit vtendum vel abstinendum. *De II.* Hic istæ regulæ sint in conspectu. 1. Timor Domini habeatur pro initio sapientiæ. 2. Amor Dei habeatur pro summo thesauro in hoc mundo. 3. Vita Christi sit regula regularum. 4. Vitentur occasiones peccandi, & quærantur occasiones bene agendi. 5. Precatio sit Alpha & Omega omnium nostrarum actionum. 6. Cogitentur & adhibeantur duodecim arma militis Christiani: pura Dei benignitas, Ira ejusdem, Crux Christi, præsentia angelorum, pœnæ temporales & spirituales, vulnus conscientiæ, scandalum, ignominia coram mundo, mala fama apud posteros, exempla sanctorum, exempla ethnicorum, denique æternitas.

LOCVS XXV.

De Spe.

Exordium. Tota nostra salus est passio mera, hoc est, pendet a gratia Dei, quæ in nobis efficit velle & perficere: idroque nos ita patimur, vt nonnisi acti agamus, h.e. credamus, speremus & diligamus. Quæ sunt tres principes actiones omnium Christianorum V. & N. T.

Propositio. Considerabimus fundamenta beatæ nostræ spei, & modum illius.

Tractatio. I. Fundamenta nostræ spei sunt sex, hoc ordine. 1. Vocatio Dei, qui nos vocat ad vitam æternam. 2. Resurrectio Christi, qui resurrexit, vt nos aliquando resurgamus. 3. Hæreditas nostra, quæ est in cœlo immarcessibilis. 4. Vita hæc est peregrinatio ad cœlestem patriam. 5. Restitutio seu ἀποκαταστασις perfectionis illius, quam habuimus in Adamo. Nam oculus videbit Deum, lingua gustabit dulcedinem vitæ æternæ, auris audiet ineffabilia arcana cœlorum: &c. 6. Exempla sanctorum, qui redempti fuerunt ab hostibus suis, & translati in cœlum: puta Enochi, Abrahami, Eliæ, & aliorum.

II. Modus spei consistit in tribus. 1. Vt speremus in solo Deo ex vera fide. 2. Vt speremus sancte, non autem temere ac præsumptuose. 3. Vt patienter & constanter speremus.

Conclusio. Spes debet esse Analoga fidei & charitati, inter quas est media.

Alia dispositio.

Omnis spes Christianorum nititur vnione illa Christi capitis cum membris suis fidelibus. Nam qui vnitus est Christo, neque potest, neque debet desperare. Istius autem vnionis argumenta sunt duodecim. *Primum* est verbum Dei, quod inde ab initio mundi est parefactum vt sit vinculum vnionis cum Deo, vt constat ex prima promissione *Genes. 3.* facta homini jam se parato à Deo creatore suo, cum quo fuerat vnitus in creatione per

impref-

pressionem imaginis ejus. *Secundum* est incarnatio τῆς λόγου, quæ Patribus est promissa. *Gen.* 3. & 17. & in plenitudine temporis præstita. *Matt.* 1. *Luc.* 1. & 2. An etiam anima mea, potest esse majus documentum vnionis Dei cum homine, quam hoc, quo Deus patefactus est in carne? *Tertium* est habitatio Spiritus S. imo totius Trinitatis, per varia charismata. *Joh.* 14. *Quartum* est spirituale conjugium, quod est inter Christum & ecclesiam. *Eph.* 5. *Sextum* est amor mutuus & reciprocus inter Deum Patrem nostrum misericordem & nos ipsius filios. *Joh.* 14. *Septimum* est pœnitentia, per quam disrumpitur vinculum istius vnionis, qua vniti sumus diabolo & nectitur vinculum beatæ vnionis cum Christo. *Joh.* 3. *Octauum* est fides, qua fit, vt fiamus vnum corpus mysticum cum Christo, & ab illo accipiamus dona spiritualia ad vitam æternam. *Rom.* 3. 4. 8. *Nonum* est desiderium cœleste, & gustus spiritualis, quo fit vt sine intermissione sitiamus & gustemus gratiam Dei. *Psal.* 42. *Rom.* 8. *Decimum* est baptismus, sacramentum institutionis & regenerationis. *Matth.* 28. *Vndecimum* est cœna Domini, sacramentum nutritionis & communionis spiritualis. 1. *Cor.* 10. & 11. *Duodecimum* est inuocatio nominis Dei, *Rom.* 8.

LOCVS XXVI.

De Charitate, adeoq; de Cultu Dei.

Exordium. Lex & prophetæ pendent à dilectione Dei & proximi. *Matth.* 22.

Propos. Duo hic sunt videnda: qualis debeat esse charitas, & quæ sint ejus partes.

Tractatio. I. Proprietates charitatis illius, quam Deus à nobis postulat, sunt tres. 1. vt sit plena ratione objecti, quod est Deus & proximus; ratione subjecti, quod est homo animo & corpore constans; denique ratione vtriusque tabulæ & omnium præceptorum. In tribus hisce non oportet facere diuortium. 2. vt sit pura seu ἀνυπόκριτος, adeoque proficiscatur ex vera fide. 3. vt sit constans, quæ duret in secundis & aduersis, domi & foris &c.

II. Charitas est Dei & proximi adeoque continetur cultu Dei & officiis proximo debitis. Cultus debetur Deo jure creationis & redemtionis, juxta has regulas. 1. Deus est colendus ex præscripto ipsius, non vero ex cerebro & arbitrio nostro. 2. Quod facis ex præscripto Dei, facias hoc fine, vt ille honoretur. 3. Quidquid facis ex præscripto Dei, honorandi ejus causa, id facias libenti animo. 4. Colas Deum omnibus viribus tuis, videl. attentione sensuum, judicio mentis, affectu cordis, & actione totius hominis. Primo itaque sic statue, primum esse Dei cultum, si quæ sui ma-

nifestandi causa dixit & fecit, ea diligenter inquiras, summo studio contemperis, vestigia sapientiæ, bonitatis & potentiæ ipsius notes: sicut contra primus est contemtus Dei, speculum illud mundi & scripturæ sacræ non intueri quidem velle. Itaque notantur in scripturis qui ad opera Dei non attendunt, sicut e cõtrario laudantur, qui in eorum meditatione sunt assidui, eoq; veluti pabulo se pascunt. Altera Dei cultus pars est recte judicare de operibus Dei, quæ videmus & attendimus. Hujus iudicij pars præcipua est fides. Tertia pars hujus cultus est congruenter huic judicio affici, h.e, tantam Dei sapientiam, clementiam & justitiam admirari, in ijs lætari, & Deo probare humilitatem, timorem, amorem & fiduciam. Qui sunt sex effectus constituentes catenam, hoc modo. Qui recte attendit & judicat de operibus Dei, non potest non admirari Deum: admirationem comitatur lætitia, lætitiam humilitas, humilitatem timor, amore temperatus, adeoq; fiducia. Quarta pars cultus Dei est, affectus istos ipso opere contestari, h.e. quem admiraris, prædicare & laudare; cuius beneficiis gaudes, illi gratias agere; quem humiliter suspicis, adorare; quem times & amas, illi obedire; de quo cuncta tibi polliceris, illum invocare. Atque hic est cultus Dei, hoc ordine: Ut quisquis attendit ad opera creationis & redemtionis, ita iudicat: vt iudicat, ita afficitur: vt afficitur ita vult & agit. Charitas proximi consistit in æstimatione seu opinione de ipso, affectu erga ipsum, & effectu testante affectum, iuxta ordinem præceptorum secundæ tabulæ.

Conclusio. Studeamus dilectioni Dei & proximi: quia hoc est secundum naturam, est facile, est suave, est utile, denique; hic est finis totius legis.

LOCVS XXVII.

De Tolerantia Crucis.

Exord. Dux in bello habet peculiare vexillum & certis tesseris militibus utitur. Tale quid videre est in militia Christiana, vbi crux Christi est vexillum nostrum, & multiplices virgæ Dei sunt tesseræ nostræ.

Propos. Dicemus de varietate, utilitate, & tolerantia crucis.

Tractatio. I. Crux est varia: videl. quantum, ad mala animi, corporis & externa; secundum varios hominum status; ratione membrorũ corporis, & potentiarum animi; denique; ratione omnium creaturarũ, quæ possunt esse virgæ Dei. Catalogum prolixum vide *Deut.* 28. Huc pertinent ista, ignorantia, morbus, paupertas, mors propinquorum, rebellio subditorũ, inobedientia liberorum, cœcitas mentis, phrenesis, defectus memoriæ, apoplexia, tremor cordis, eluuiones, tonitrua, bella &c. Deinde crux est domestica, publica, vel singularis. Illa est in familia, ista in societate publi-

ca, hæc

a, hæc in corde cuiusuis. Tertio crux est particularis, quæ affligit vnum vel paucos aut vniuersalis, de qua versus,

Bella, fames, pestis, bellua, plaga Dei.

II. Utilitas crucis est multiplex. Nam ita est, vt veteres dixerunt, *Schola crucis est schola lucis.* Nam hic habemus doctorem, discipulum, lectiones, virgas &c. Nimirum Deus docet filios suos, vt discant cognoscere sua peccata, vt discant orare, vt discant peccato vitare &c. & hanc ad rem adhibeat varias virgas, idq; facit ex affectu paterno.

III. Toleratia crucis non debet esse philosophica, quæ nititur vanitate gloriolæ, neq; Stoica, quæ est ἀπάθεια καὶ αὐτάρκεια, neque hypocritica, quæ habet externam patientiæ laʃuam: sed debet esse Christiana, h. e. talis, quæ abyssum miseriæ suæ demergit in abyssum misericordiæ Dei, & voluntatis propriæ guttam submergit in mare & abyssum voluntatis Dei, ne submergatur in abysso crucis.

Conclusio. Quia precatio sine malis est auis sine alis, Deus immittit nobis crucem, vt quotidie ad ipsum volemus his alis suffulti, ne forte in cloaca huius mundi pereamus.

Alia Dispositiones.

I. Circa crucem spectare oportet, Cur sit ferenda, & Quomodo sit ferenda. *De I.* Perpende, quis immittat crucem, puta Deus propitius Pater: quibus immittat, videl. electis & dilectis suis filiis, quos nō potest vnquā odisse: & quare omittat, ne videl. cum hoc mundo pereant, sed partim castigentur, partim probentur, vt Christo conformes fiant. *De II.* Requiritur fides, humilitas, spes, & patientia. Nam oportet cognoscere cor Dei paternum, humiliari sub potenti eius manu, optime de illo sperare, patienter denique ferre id quod Deus immittit, quando immittit, quamdiu denique immittit.

II. In schola crucis propone tibi quatuor picturas: videl. imaginē cordis Dei, crucis Christi, peccati tui, & deniq; fructuum maximorum, quos parit crux tua, breuis illa & facilis portatu.

III. In schola crucis est exercitatio fidei, spei & charitatis. *Fidei*, vt discamus niti omnipotentia, misericordia & veracitate Dei contra iudicium carnis. *Spei*, vt contra spem carnis perseueremus in fide nostra *Charitatis* vt discamus amare Deum & proximum nobis aduersarios.

LOCVS XXVIII.

De Precatione.

Exordium. Quemadmodum Deus in verbo suo nobiscum loquitur: ita nos in precibus nostris colloquimur cum Deo. Hinc precatio recte

recte definitur colloquium hominis cum Deo, in quo ab illo petimus omnis generis bona propter Christum, & in ejus nomine omne cordis nostri desiderium effundimus.

Propositio. Dicemus, quinam recte possint orare: quæ sint fundamenta piarum precum: qui denique sint adjutores nostri inter precandum.

Tractatio. I. Cum non omnes homines recte possint orare, primo omnium quærere oportet, qui tandem sint illi, quorum preces Deus habet acceptas. Excluduntur hic 1. infideles, qui non norunt Christum, vt sunt Judæi & pagani. 2. impœnitentes, qui in peccatis contra conscientiam secure pergunt. *Psal.* 66. 2. *Tim.* 2. 3. superbi *Luc.* 18. 4. quæ sunt implacabilis iræ. *Matth.* 5. & 11. Hinc intelligimus illos duntaxat offerre preces Deo gratas, qui sunt præditi vera fide, & agunt pœnitentiam, & sunt humili corde, & reconciliantur cum proximo. Quare quoties accedimus ad precandum, dispiciamus, an prædit i simus ijs, quas modo diximus, virtutibus. Imitemur eos, qui locuturi cum principibus, induunt vestes splendidas.

II. Fundamenta & columnæ, quibus niti debet precatio, sunt tria. Primum est præceptum Dei. Quod si Deus non præcepisset, quis nostrum auderet tam sanctum, justum & potentem Dominum adire? Possumus itaque niti fundamento hoc, & dicere: Mi Deus, præcepisti vt te invocem: dixisti: *Invoca me in tempore angustiæ. Psal.* 50. Ecce hoc in præsentia facio, Christus Seruator meus. *Matth.* 7. dicit: *Petite, & dabitur vobis.* His verbis fretus ad te venio. Hoc fundamento nixus fuit David *Psal.* 27. Secundum fundamentum est promissio Dei. *Esa.* 65. *Psal.* 145. *Psal.* 34. 91. Tertium fundamentum est in exemplis sanctorum. Ah quam pulchrum est in Biblijs intueri sanctos coram Deo stantes, & ipsi supplicantes! Ah quam gratæ fuerunt Deo preces Abrahami, Jacobi, Eliæ, Danielis, Davidis, Christi, publicani & aliorum. Hos imitemur more paruulorum, qui dum vident fratres & sorores natu grandiores orare, protinus accurrunt, & manus complicant.

III. Auxiliatores nostri inter precandum sunt tres. 1. Christus Seruator, qui est ad dextram Patris, & tanquam summus noster Pontifex orat pro nobis. 2. Spiritus Sanctus, qui facit vt clamemus *Abba* pater. 3. Vniuersa ecclesia, quæ quotidie preces suas cum nostris coniungit. Quæ cum ita sint, frequenter precemur. Neque est, quod dicas, Deum non exaudire preces tuas quando differt auxilium. Nam tunc exercet & probat tuam fidem atque patientiam. Deinde Deus semper nos exaudit, si non ad sensum, tamen ad nostrum commodum: quia cum non dat quod petimus, aliquid melius nobis reseruat.

Conclu-

Conclusio. In omnibus necessitatibus adhibeamus hanc panaceam quã modo descripsimus, ita vt ante precationem nos deuote præparemus, in precatione fidẽ nostram in Christum testemur, & post precationem patienter expectemus diuinum auxilium, proq; illo gratias agamus. Demus enim operam, vt precatio nostra sit vocalis, mentalis & vitalis simul.

Alia Dispositio.

Precatio est vel imploratio diuini auxilij, vel gratiarum actio. Utriusq; causas impellentes hac vice videbimus. Et quidem *ad implorationem diuini auxilij* nos impellent sequẽtia: 1. Quia Deus Pater, Filius & Sp. S. hoc modo honoratur. Nam ipsi tribuitur laus omnipotẽtię, misericordiæ, justit ę &c. 2. Quia tota Ecclesia vno ore Deum laudat. 3. Quia his armis pugnamus aduersus diabolũ, tyrãnos, & similes administros Satanæ. 4. Q. angeli delectãtur hoc sacrificio laudis Dei. 5. Q. nobis magnopere hoc conducit. Nã precatio est schola, in qua Deus nos instituit: est l. bellus supplex, quo impetramus à Deo benedictionẽ omnimodã, & consolationem in cruce. 6. Quia alii excitantur ad similia pietatis officia. *Ad gratiaũ actionem* nos impellent ista. 1. Naturalis obligatio. Nã quia quotidie accipimus ex manu Dei innumera beneficia, obligamur ad gratiarũ actionẽ. Videmus etiam bestias naturæ instinctu gratitudinem aliquam præ se ferre. *Esa. 1.* 2. Utilitas. Quia gratiarum actio est ad plus dandum imitatio. Et qui non est gratus pro datis, non est dignus dandis. Hinc ingratitudo dicitur esse ventus exiccans fluenta bonitatis Dei. 3. Dignitas. Quia hoc modo damus Deo nostro honorem bonitatis, omnipotentiæ &c.

Alia Dispositio.

Quatuor possunt tractari quæstiones de precatione.

I. Quid nos debeat impellere ad indesinenter orandum? 1. Honor Dei. 2. Gratitudo debita pro innumeris illis beneficiis, quę Deus absq; intermissione in nos confert. 3. Mandatum Dei. 4. Utilitas. Quia Deus Spiritũ S. & alia dona dat iis, qui hæc ab ipso petunt. 5. Promissio Dei. 6. Augmentum fidei. 7. Consortiũ sanctorum angelorũ, qui delectantur precatione. 8. Defensio contra hostes. 9. Incrementum sanctæ vitæ. 10. Conjunctio cum Deo. 11. Gaudium spiritus.

II. Quæ sint proprietates legitimæ precationis? 1. Ut fiat ex fide. 2. Ut proficiscatur ex amore Dei. 3. Ut fiat ex spe. 4. Ut proficiscatur ex humili & contrito corde. 5. Ut fiat ex corde pœnitentiam agente. 6. Ut fiat in nomine Christi. 7. Ut fiat in veritate & prudentia. 8. Ut continuetur. Breuiter: Debemus orare reuerenter. *Gen. 18. v. 27. Dan. 9. v. 3. & deinceps* ardenter. *Gen. 18. v. 24. Dan. 9. v. 17. Luc. 18. v. 13.* humiliter. *ibi.* fiducialiter. *Heb. 10. v. 22.* denique perseueranter. *Luc. 18. v. 1.*

III. Quę sit efficacia, & quis fructus precationis? 1. Est clauis cœli. 2. Est scala cœli. 3. Est dialogus inter Deum & hominem. 4. Est sacrificium iugis seu quotidianum. 5 Est fuga dæmonum. 6. Est medicina crucis. 7. Excitat spirituale gaudium instar dulcissimæ alicujus musicæ. 8. Est osculum, quo sponsa Christi sponsum suum afficit. 9. Est paradisus animæ. 10. Est domus lætitiæ. 11. Est sabbatum animæ. 12. Est medicina quotidianarum infirmitatum. 13. Est quotidianum exercitium omnium virtutum. Nam in precatione tanquam in fasciculo colligatæ sunt fides, spes, charitas, deuotio, humilitas, mansuetudo, gratitudo, timor Dei &c. 14. Est alpha & omega sanctorum laborũ. 15. est triumphus & victoria fidelium. 16. Est renouatio & instauratio virium hominis. 17. Est medicamentum leniens inquietudinem cordis. 18. Est auertruncatio omnis mali.

IV. Qualem habeamus consolationem in precatione aduersus indignitatem & infirmitatem nostram? 1. Meritum Christi. 2. Mandatum Dei. 3. Misericordia Dei. 4. Exempla illorum, qui variis peccatis fuerunt inquinati: puta Dauidis, Mariæ Magdalenæ, mulierculæ Cananitidis, centurionis illius ethnici *Matth.* 8. & latronis in cruce. Conclusionis loco notetur, quod currus precationis habeat tres rotas, quibus in cœlum vehitur. Prima est fides, quæ facit vt oremus in nomine Christi. Secunda est spes, quæ replicando, duplicando, triplicando & quadruplicando Deum quasi fatigat. Tertia est charitas erga Deum si differat auxilium, & erga proximum aduersarium.

Alia Dispositio.

Precatio est alloquium hominis ad Deum, profectum ex fide in Christum. Ejus videbimus subſtantiam & circumstantias. *De I.* Hic attenditur obiectũ, varietas & requisita precationis. Obiectũ est solus Deus & Christus mediator. Ibi est latria deitatis, hic axioma Christi. Varietas exprimitur ab apostolo 1. *Tim.* 2. *v.* 1. Requisita sunt illa. 1. Precationi principium debet esse vera fides, medium charitas, finis, spes. Male igitur orat, qui non nouit verum Deum, vel qui inuocat creaturam, vel qui fundat preces suas in suis meritis, vel qui dubitat, vel qui odit proximum, vel qui non perseuerat in precibus. 2. In precatione adhibenda est discretio seu distinctio inter res spirituales & corpales, necessarias & differentes. 3. Deuotio inter precandum pendet ab intentione, abstractione & contritione. Intentio defigit oculos mentis in majestatem Dei. Abstractio eleuat mentem supra sordes & fæces hujus terræ. Contritio compungit cor & exprimit more lachrymarum. *De II.* Hic tenendæ sunt istæ regulæ. 1. Aduersus malam causam orare debemus, non contra personam, 2. Vox est necessaria in precatione, quatenus affectum cordis excitat, &

ri, & animum vagum certis veluti cancellis includit. 3. Formulæ precandi adhibeantur citra opinionem cultus & meriti. 4. Gestus in oratione debent esse decori, ad aspectum venusti, intrinsecam cordis humiliratem manifestantes, & cum recepta consuetudine conuenientes. Tales in Scriptura exprimuntur quatuor: videl. eleuatio manuum. 1. *Reg.* 8. *v.* 22. flexio genuũ. *Act.* 20. *v.* 36. oculorum eleuatio versus cœlũ. *Joh.* 11. *v.* 41. capitis detectio. 1. *Cor.* 11. *v.* 4. 5. Omnis locus est aptus ad precandum, inprimis templum & conclaue. 6. Preces, quæ dicuntur jacula cordis, omni tempore sunt fũdendæ: preces solennes statis horis, vt tempore matutino, ad mensam, die Dominico &c. 7. Musica tum vocalis tum instrumentalis adhiberi potest in precatione, quatenus facit ad affectus animi commouendos vel componendos.

LOCVS XXX.

De Juramento.

Exord. Juramentum est pars religionis, quia est species precationis, qua profitemur Deum esse infallibilis veritatis, eumq; adducimus, vt testetur nos verum loqui: & est pars officij quod debemus proximo.

Propos. Dicemus hæc duo: an possimus bona conscientia jurare, & quomodo debeamus jurare.

Tractatio. I. Juramenti Christiani fundamenta sunt quatuor: præceptũ Dei recte concipiendo juramento, exemplum Dei jurantis, exempla sanctorum qui recte jurarunt, & deniq; natura ipsius juramenti, quam expressimus in exordio.

II. Comites iuramenti debent esse tres, veritas, iudicium, & iustitia: vt nempe iuremus in re vera, cum discretione, & deniq; iuste. Grauiter itaq; peccant, qui cum debeant Deum adducere in testem veri, adducunt eum in testem falsi contra religionem sactã, quæ iubet Deum reuereri tanquã omniscium & omnipotentem: item qui temere iurant, neq; cogitant de circumstantiis vt par est: deniq; iurant contra bonos mores, ius naturale vel diuinum. Deinde oportet tenere modos, quibus obligatio à iuramẽto tollitur: quales sunt quinq;. 1. mutatio materiæ, si res iurata sit impossibilis aut illicita. 2. condonatio, si is, in cuius fauorem factum est, remittat obligationem. 3. commutatio rei, vt si ille, cui factum est iuramentum, cõcedat præstari aliud loco illius, quod iureiurando promissum est. 4. irritatio, vt quando materia iuramenti subest alterius potestati. 5. dispensatio seu relaxatio, quando commune bonum postulat rescindi iuramentum, quod eius est naturæ vt salua religione & conscientia possit rescindi.

Conclusio. Ne ludamus iuramentis vt pueri astragalis.

LOCVS XXIX.

De Votis.

Exord. Omnis Christianus vouet Deo suo votũ generale in baptismo. Sed præterillud etiam sunt vota specialia, quę recte nuncupantur à Christianis.

Propos. Dicemus de vsu & abusu votorum.

Tractatio. I. Legitimus voti vsus spectatur in modo & fine. Modus est in his tribus. 1. si nihil voueamus, quod pugnat cum verbo Dei quale sit impium istud votum *Act.* 23. *v.* 12. 2. si nihil voueamus, cui præstando non simus pares: vt si quis voueat cœlibatum, qui non habet donum continentiæ. 1. *Cor.* 7. *v.* 9. 3. si nihil voueamus, quod non conueniat nostræ vocationi: vt si maritus voueat continentiam inuita vxore, cum non habeat potestatẽ proprij corporis. 1. *Cor.* 7. *v.* 4 Finis est positus in his duobus 1. Legitimus voti vsus est, si per illud studeamus impetrare beneficium aliquod à Deo. *Gen.* 28. *v.* 20 *Iud.* 11. *v.* 32. 33. 1. *Sam.* 1. *v.* 11 2. Is quoq; legitimi voti vsus est, cum nos per illud ad officium alacrius faciendum astringimus. *Psal.* *v.* 2. *& deinceps.*

II. Abusus voti cernitur in opinione cultus & meriti. Quo pertinent fatua illa monachorum vota, puta votũ paupertatis, castitatis & obedientię.

Conclusio. Meminerimus piaculum esse, si quis nuncupet Deo votum quod non impleat. Non itaq; temere aliquid est vouendum.

LOCVS XXXI.

De Scandalo.

Exord. Hominis Christiani est recte se gerere aduersus Deum, seipsum & proximum. Quam ad rem non parum facit, si norit, quomodo vel euenda, vel negligenda sint scandala.

Propos. Disseremus de scandalo dato & accepto.

Tractatio. I. Scandalũ datum est dictũ vel factum, quod aut vere malum est, aut habet speciẽ mali, quo alicui præbetur occasio peccandi. Dicitur multifarias scandalũ actiuum, scandalum per se, & scandalum infirmorũ. Gradus hujusmodi scandali sunt quatuor. 1. Scandalũ doctrinæ falsę pugnantis cum euangelio. 2. Scandalũ impię vitæ. 3. Scandalũ, quod obijcitur homini per promissiones & minas, quomodo Pharao Ezechię posuit scandalũ. 4. Scandalũ intẽpestiui dicti vel facti: puta intẽpestiuę doctrinæ, quę quãuis detorqueatur ex fõtibus verbi Dei, nõ applicatur tamẽ aut profertur cõmode & prudẽter. Hęc scãdala ita sunt cõparata, vt illis pij cõtristẽtur, impii cõfirmẽtur, infirmi seducãtur, quatenus scil. à doctrina euãgelij deterrẽtur, vel ma-

hos imitantur. Nostri ergo officij est, cauere ne proximo hujusmodi scandalum demus. *Matth. 18. v 6. & deinceps.*

II. Scandalum acceptum est, cum quis ex re bona vel indifferente occasionem peccandi temere arripit: puta ex statu alicujus hominis humili vel sublimi, læto vel tristi, ex persecutionibus Ecclesiæ, ex doctrina bona; quomodo Pharisæi offendebantur doctrina, vita & morte Christi, vnde hoc scandalum istam traxit nomenclaturam, quod appelletur Pharisaicum. Dicitur etiam scandalum passiuum, & scandalum per accidens. Ad hoc scandalum quod attinet, non debemus ea re moueri, si quis nostris recte dictis aut factis offendatur. *Matth. cap. 5. v. 12. Ioh. 6. v. 61.* Sed quia scandala non sunt ex Euangelio, sed à malitia hostium Euangelij, ob firmandus est animus aduersus illos clamores, quibus homines maleferiati cernos scandalorum congerunt in doctrinam Euangelij, & dicunt, vobis debemus omnes turbas, omnia dissidia, omnia mala, quibus hodie turbatur vniuersus orbis. Obfirmandus, inquam, est animus dicto Christi, quod sit lapis offensionis: itemque prophetarum & Apostolorum exemplo, in quos impij conjecerunt omnem causam omnium offendiculorum.

Conclusio. Quia scandalum datum est veluti l'gnum inmuscipula, in quod si impingat mus, incidit in periculum vitæ, diligenter caueamus scandala infirmorum. Rursus quia scandalum acceptum pendet à supercilio Pharisaico, non est quod illud moremur.

Alia dispositio.

Videbimus, quomodo hic mundus sit mare scandalorum, & quid nostri sit officij. *De I.* Scandala præbentur à mundo secundum omnes partes Catechismi, videlicet Symbolum, Decalogum, orationem Dominicam, Institutionem baptismi & S. Cœnæ. Deinde scandala accipiuntur à mundo ex simplicitate doctrinæ verbi Dei, imperfectione vitæ sanctorum, & varietate crucis. *De II.* Nostras partes decet orare Deum & simul laborare, ne scandalizemus alios, vel ab alijs scandalizemur.

LOCVS XXXII.

De Euangelio.

Exordium. Dei voluntas nobis est patefacta in Scriptura, quæ continet legem & Euangelium tanquam duas tabulas. In priori tabula refertur voluntas Dei à nobis, in posteriori voluntas ejus de nobis.

Propositio. Videbimus conuenientiam & differentiam legis & Euangelij.

Tractatio. I. Conuenientia in eo est. 1. Vtrumq; habet Deum authorē.

2. Vtrumque continetur in libris Vet. & N. T. Compendium Euangelij in V.T. fuit promissio illa de semine mulieris *Genes.3.* Compendium ejus in N.T. est *Ioh.3.v.16.* Compendium legis in vtroque testamento est illud de dilectione Dei & proximi. *Matth.22.* 3. Vtrumque est clarum: quia lex est regula vitæ & lucerna pedem, & Euangelium est potentia Dei ad salutem cuiuis credenti. 4 Vtrumque obnoxium est vsui & abusui. Nam legis vsus post lapsum est monstrare morbum, & esse regulam vitæ & vocationis recte instituendæ: sed Pharisæi & Pelagiani abutuntur lege dum contendunt illam posse à nobis perfecte impleri, quod Deus non præcepiat impossibilia. Cogitare debebant isti homines, mandata & interdicta Dei non arguere vires in hominibus esse, sed ostendere vires in illis fuisse, adeoque eis objicere defectionem, significare Dei jus in eo reliquum, designare denique viam, quæ salutem expetentibus sit ineunda. Deinde Euangelium per se & sua natura est odor vitæ ad vitam, per accidens est odor mortis ad mortem. *1. Cor.1.* quomodo idem vnguentum & homini est medicamentum, & porco venenum: item quomodo vnus idemque flos apiculæ suppeditat materiam mellis, araneo veneni.

II. Differentia est posita in hisce. 1. Lex suo fulmine terret. *Deut.27.* Euangelium suo flumine exhilarat. *Matth.ca.11.* 2. Lex vrget suum FAC Euangelium suum CREDE. h.e. ibi est conditio operum, hic fidei. 3. Lex est speculum miseriæ, Euangelium misericordiæ. 4. Lex ducit ad Christi oblique, quatenus morbum indagat, & de medico prospiciendum esse monet: Euangelium monstrat medicum & medicinam. 5. Mutua hic spectatur antecessio & consecutio. Nam lex antecedit Euangelium, monstrando morbum, & sequitur, quatenus est norma gratitudinis, quam debemus medico tanquam σωτῆρι.

Conclusio. Legem habeamus pro Aloe & Myrrha, Euangelium pro Melle & Manna.

Alia dispositio.

Scriptura est instar fontis, ex quo procedunt duo magna fulmina, quorum alterũ vehit aquam amaram siue salsam, i.e. legem, altera dulcem i.e. Euangelium, cujus videnda necessitas & applicatio. *Necessitas* est inde manifesta, quod Adam post lapsum fuerit exanimatus & fugerit à conspectu Dei, cum audiret cõcionem legis. Ad idem fuit erectus dulcissima illa cõcione de semine mulieris. Atque hæc vnica fuit consolatio in Vet. T. vt patet ex *Ioh.8.* vbi Christus testatur Abrahamum vidisse diem ipsius, & gavisum fuisse. *Applicatio* fit per syllogismum practicum, cujus specimen nobis exhibet Apostolus. *Gal.2.v.20. Vivo per fidem illam Filij Dei, qui dilexit ME, & tradidit seipsum pro ME.* Nimirum promissiones Euangelij respectu credentium sunt vniuersales, imo vniuersalissimæ

Locvs

LOCVS XXXIII.

De Fœdere.

Exordium. Fœdus Dei cum homine in Scriptura traditur duplex, corporale & ſpirituale. Fœdus corporale eſt, in quo Deus promiſit homini conſeruationem mundi, ne iterum pereat aquis diluuij *Gen. 9.* Fœdus ſpirituale eſt, in quo Deus promiſit homini vitam æternam ſeu bona ſpiritualia: quæ promiſſio eſt fundamentalis & ſubſtantialis. Quod attinet ad bona corporalia, promiſſiones illorum ſunt acceſſoriæ, quippe appendices bonorum ſpiritualium. Eſt autem fœdus iſtud aliud naturæ, creationis, legale & operum: aliud gratiæ, redemtionis, Euangelicum & fidei.

Propoſitio. Conferemus inter ſe fœdus naturæ & gratiæ: tum agemus de fœdere gratiæ ſeorſim.

Tractatio. I. Collatio hic eſt gemina. *Prima* eſt conuenientia & ſimilitudo triplex. Nam fœdus naturæ & gratiæ conueniunt fine generali, qui eſt gloria Dei; perſonis contrahentibus, quæ ſunt Deus & homo; forma generali, quæ cernitur in promiſſione vitæ æternæ, & repromiſſione obedientiæ. *Deinde* differunt ſex modis. 1. Fine ſpeciali; qui in fœdere legali eſt declaratio juſtitiæ Dei, in Euangelico, declaratio miſericordiæ. 2. Fundamento; quod ibi eſt creatio, ſeu integritas hominis, hic gratia ſeu redemtio in Chriſto. 3. Qualitate perſonarum contrahentium: quia ibi Deus creator ſeuere ab omnibus hominibus exigit jus ſuum, hic Deus Pater in Chriſto per Spiritum S. offert gratiam & illam confert ſolis electis. 4. Stipulatione: quia ibi exigitur juſtitia operum, hic fides. 5. Forma ſanctionis: quia ibi partes contrahentes non diffidebant, ideoque non opus erat mediatore, hic eſt ſecus. 6. Deductione ad Chriſtum: quia fœdus naturæ jam violatum, indirecte ducit ad Chriſtum, videlicet occaſionaliter, quomodo morbus deducit ad medicum: ſed fœdus gratiæ directe ac primario nos ducit ad Chriſtum.

II. Fœdus gratuitum conſideratur quãtum ad ſubſtantiam & œconomiam ſiue circumſtãtiam. *Subſtantia* eſt in eo poſita, quod omnia ſunt gratuita. Nã 1. amor Dei, qui dicitur antecedens, eſt gratuitus, quo nẽpe Deus ex liberrimo affectu beneuolæ ſuæ voluntatis facit, vt fiamus ipſius fœderati, nos, inquam, qui hoſtes ipſius eramus. 2. Promiſſio eſt gratuita, quia Deus promittit remiſſionem peccatorum & inſcriptionem legis in corda noſtra, h. e. juſtitiam fidei & vitæ. 3. Donatio mediatoris eſt gratuita. 4. Impletio promiſſionis eſt gratuita. Nam nos repromittimus fidem & obedientiam per gratiam Spir. S. præſtandam. Quod eſt prorſus mirabile: cũ in aliis fœderib. tale quid nõ occurrat. Hæc doctrina eſt 1. malleus hæreſeon, quę impugnãt fundamentũ ſalutis. 2. Scaturigo ſolidę cõſolationis. 3. Norma interpretationis S. literarũ & capitũ Catech. 4. ſtimulus gratitudinis.

Oeco-

Oeconomia seu administratio fœderis alia est in Vet. alia in Nou. Testam. Etsi enim vtrobiq; est similitudo & conuenientia quantum ad fundamentum fœderis: est tamen discrimen quantum ad modum administrationis. *Conuenientia* posita est in his tribus. Fidelibus Vet. Test. æque fuit à Deo promissa vita æterna atque fidelibus N. T. *Gen.17.v.7.Exod.3.v.6.Psal.119. v.166.Matth.8.v.11.* & fuit promissa ex gratia *Act.15.v.11.* & fuit promissa propter Christum. *Hebr.11.Ioh.8.v.56.Act.4.* Vtrobique igitur est vnus Deus Pater, Filius, Spiritus Sanct. vna Ecclesia, vna remissio peccatorum, vna communio sanctorum, &c. vbi seruetur ordo capitum Catecheticorum. *Discrimen* positum est in amplitudine, claritate, efficacia, & facilitate. Nam 1. in Vet. Testam. fœdus gratiæ fuit administratum soli Abrahæ & posteris ejus intra angustias terræ Canaan: in nouo testamento administratur alijs quoque populis. *Psal.147.v.20.Actor.14.v.16.Matth.21.v.19. Marc.16.v.15.* 2. In Vet. Testam. administratum fuit obscurius, in nouo administratur clarius *Heb.10.v.1.Marc.16.v.15.* Nam in V. T. fuit lux vaticinij, in nouo est lux complementi. Vnde Vet. Test. cum Luna & diluculo, nouum cum sole & luce meridiana conferri solet. 3. In V. T. administratum fuit minore cum efficacia Spiritus S. in nouo administratur cum efficacia majore. *Gal.4.v.4.5.Act.2.v.17.* 4. In Vet. Test. administratio fœderis gratiæ fuit onerosior atque molestior, quam est in nouo. *Act.15. vers.10.*

Conclusio. Quia S. Scriptura inscribitur testamenti & fœderis nomine, oportet doctrinam istam diligenter meditari, & distinctionem fœderis legalis & Euangelici diligentissime obseruare tum in contentionibus religionis, tum in tentationibus conscientiæ.

Alia dispositio.

Considerabimus discrimen fœderis legalis & Euangelici, deinde fœderis Euangelici in Vet. & N. T. *De I.* Quinque hic sunt consideranda. 1. In fœdere legali comprehenduntur omnes homines; quia vt communis est natura, sic & fœdus, quod nititur jure creationis seu jure naturæ: in gratuito fœdere sunt soli & omnes credentes V. & N. T. *Gal.3.* 2. Fundamentum fœderis legalis est natura integra: fundamentum fœderis Euangelici est Christus. *Heb.8 9.10.* 3. In fœdere legali promittitur vita æterna: in Euangelico vita æterna promittitur, & insimul datur id, propter quod obtinetur vita æterna, id est justitia Christi, & id, per quod obtinetur, nimirum fides. 4. Conditio fœderis legalis est *Hoc fac. Leuit.18.* gratuiti, *Crede Iohan.3.* vbi mirabile est, quod hæc conditio simul ponitur & datur siue impletur à Deo. 5. Effectus, finis & vsus fœderis legalis jam post lapsum est redargutio, euictio, condemnatio & maledictio hominis

minis ob peccatum; fœderis gratuiti est consolatio, pax, spes, gaudium, vita in Christo, per Christum & secundum Christum. *Rom.5. De II.* Discrimen fœderis gratuiti in V.& N. T. non est positum in substantia, sed in circumstantia. *Prius* ita patet. Cõuenientia V.& N.T. est in eo, quod causa & effecta testamenti nunquam mutantur. Nam vnus est omnium electorum pater, qui est autor fœderis, vnus mediator, qui est fundamentum fœderis: vnus Spiritus, qui est vinculum: vnum verbũ, quod est medium: vna fides, quæ est instrumentum: vna sanctitas, quæ est effectum: vna regeneratio, quæ est testimonium: vna vita æterna, quæ est complementum & finis vtriusque fœderis. Breuiter: Vtriusque fœderis est vnum principium, medium & finis. Principium est gratia gratis dans: medium est gratia gratis data & gratum faciens: finis est gloria. *Posterius* sic patet. Differentia est posita in gradu amplitudinis, claritatis, efficaciæ, facilitatis & durationis.

Alia dispositio.

Fœdus gratiæ est, per quod vnimur cum Deo in Jesu Christo per Spiritum Sanctum. Hæc vnio est summum nostrum bonum, cujus argumenta sunt duodecim, de quibus vide paulo ante locum 25. de Spe.

LOCVS XXXIV.

De Ecclesia.

Exordium. Quemadmodum Deus monarchice regit vniuersum hunc mundum: ita & Ecclesiam, quæ est vniuersitas credentium.

Propositio. Tractabimus de Ecclesia Catholica seu inuisibili, & particulari seu inuisibili.

Tractatio. 1. Ecclesia Catholica est vniuersa omnium electorum multitudo. Estque triumphans, vel militans. *Ecclesia triumphans* est vniuersitas seu panegyris sanctorum angelorum & hominum in cœlis. *Hebr.12.v.23. Apocal.21.22.* Nomina hujus Ecclesiæ sunt, regnum Dei, ciuitas Dei, domus Dei, & paradisus. *Ecclesia militans* est cœtus hominum à Deo per Christum ad vitam æternam electorum. *Matth.16.v.18. Ephes. 5.v.23.25. 1.Timoth.3.v.11.* Ejus adjuncta sunt sanctitas & Catholicismus; notæ fides, spes, & charitas. Nam est sancta, partim per imputationem, partim per inhærentiam. *Eph.5.v.25.26.* est Catholica, respectu locorum temporum & personarum, quatenus per totum orbem est diffusa, constans ex omnis generis hominibus, infantibus & adultis, maribus & fœminis, Judæis & gentibus, regibus & subditis, &c. & quatenus semper fuit, semperque futura est. Notæ ipsius sunt inuisibiles, quoniam & ipsa est inuisibilis. Nomina ipsius præcipua continentur hoc versu:

Splendida Clara domus, Mons, Regnum, Corpus, Ouile,
Virgo, Sponsa Dei, Vinea, Chara Parens.

Quæ nomina si recte explicentur, faciunt vtramque paginam homiliæ.

II. Ecclesia particularis est cœtus profitentium fidem Christi: vt Ecclesia apud Corinthios, Galatas & Thessalonicenses. *1. Cor. 1. v. 2. 2. Cor. 1. v. 1. Gal. 1. v. 2. 1. Thessal. 1. v. 1. 2. Thess. 1. v. 1.* Huic cœtui admixti sunt hypocritæ, vt Christus nos docet per parabolam de zizanijs natis inter triticum. *Matth. 13. v. 25.* de sagena quæ concludit tam putres quam bonos pisces. *Matth. 13. v. 47.* & Joh. Baptista per parabolam de palea admixta tritico. *Matth. 3. v. 12.* Notæ istius Ecclesiæ sunt visibiles: pura verbi Dei prædicatio pura & incorrupta, legitima sacramentorum administratio, & disciplina Ecclesiastica. *Eph. 2. v. 20. Act. 2. v. 42. Matth. 18.*

Conclusio. Quia verum est quod dicitur in vulgato versu,

Non Deus hunc Patrem est, cui non Ecclesia mater.

hoc agamus vnice vt simus vera & viua membra Ecclesiæ Catholicæ, quam in Symbolo credimus.

Alia dispositio.

Ecclesia Catholica in Scripturis vocatur regnum cœlorum, templum Dei, ciuitas Dei, domus Dei, ouile Christi, corpus Christi, columna veritatis, mater omnium nostrum, sponsa Christi, columba, hortus Dei, amica Christi, & vitis. Qui tituli nos docent beneficium Dei qui colligit Ecclesiam, & officium atque priuilegia nostrum omnium qui sumus in Ecclesia. *De I.* Ecclesia pendet ab æterna electione, interna vocatione, & æterna justificatione. Ita enim hoc regnum fundatur, hoc templum ædificatur, hæc ciuitas colligitur, &c. *De II.* Officium nostrum est in eo, vt viuamus ceu decet subditos, ministros templi, conciues sanctorum, &c. Ita fit, vt gaudeamus priuilegijs regni cœlorum, illorum qui ministrant templo, qui sunt conciues sanctorum, qui sunt domestici Dei, &c.

LOCVS XXXV.

De ministris Ecclesiæ.

Exordium. Quemadmodum rex habet suos ministros, puta Cancellarios, Consiliarios, quæstores, &c. per quos regit suos subditos: ita Deus in regno gratiæ regit Ecclesiam per ministros verbi & gladij, hoc est, per pastores & magistratum.

Propositio. Considerabimus necessitatem ministerij, & ministrorum vocationem & officium.

Tractatio. I. Necessitas inde patet, quod nullo non tempore Deus vi-

ministerio hominum in regenda Ecclesia. Nam ante Christum ministri Ecclesiæ fuerunt. 1 Sancti Patres, vt Adam *Gen. 4.* Noe. *Gen. 8. v. 20.* Abraham. *Gen. 12. v. 5. & cap. 17.* Isaac. *Gen. 27. v. 3. & deinceps.* Joseph. *Genes. vlt. cap.* 2. Sacerdotes & Leuitæ, de quibus in Exodo & Leuitico. 3. Prophetæ vt Esaias, Jeremias, & reliqui. Ex his Patriarchæ, Sacerdotes & Leuitæ fuerunt ministri ordinarij. Prophetæ extraordinarij. Post Christum natum ministri Ecclesiæ fuerunt Johannes Baptista. *Matth cap. 3. Marc. 1. Luc. 3. Johan. 1.* Apostoli. *Matth. 10. Actor 1. & 9. Gal. 1.* Euangelistæ, id est, Euangelij prædicatores. *Ephes. 4. v. 11.* Prophetæ, id est, interpretes Scripturæ. *Ephes. 4. v. 11. 1 Corinth. 14.* Doctores, qui adhuc durant. *Ephes. 4. v. 11.* Pastores, qui etiam adhuc durant. *Ephes. 4. v. 11.* gubernatores disciplinæ seu seniores: qui & ipsi adhuc durant. *Rom. 12. v. 8. 1 Cor. 12. v. 28.* Denique Diaconi, id est curatores pauperum, qui ipsi quoque adhuc durant. *1. Timoth. 3.*

II. Vocatio seu constitutio ministrorum Ecclesiæ spectatur in jure & solennitatibus. Jus vocandi ministros est penes magistratum Christianum, si quidem Ecclesia illum habeat. Videris hac de re exemplum Mosis *Exod. 28. & 40.* Dauids. *1. Chron. 23.* Salomonis. *1. Reg. 2. 2. Chron. 8.* & Ezechiæ. *2. Chron. 29.* Cum vero Ecclesia non habet magistratum Christianum, jus vocandi ministros ad ipsam pertinet, exemplo Ecclesiæ Apostolicæ. *Actor. 1. v. 15. & seqq. c. 6. v. 2. & deinceps. ca. 14. v. 23.* Solennitates vocationis sunt legatio, id est, annunciatio vocationis & vocati ordinatio, quæ tempore Apostolorum facta fuit per manuum impositionem. *Act 13. v. 3. 1. Tim. 4. v. 14. 2. Tim. 1. v. 6.*

III. Officium ministrorum Ecclesiæ respicit causam impellentem & modum. Causa impellens est authoritas Dei, gravitas rei, dignitas ministerij & vtilitas mysterij. Modus consistit in Prophetia siue doctrina, in policia Ecclesiastica, & in sancta vita.

Conclusio. Quia ministerium Ecclesiasticum est munus dignissimum & gravissimum, ministri magna cura & solicitudine in illud incumbent, & auditores eum honorem ipsis deferent, quem legati principis omnium maximi mereatur.

Alia dispositio.

Circa ministros verbi Dei spectatur vocatio & functio. *De I.* Vocatio est interna tantum, quomodo Deus excitauit Prophetas in V. Test. vel externa tantum, quomodo vocati sunt Pharisæi: vel externa & interna simul, quomodo vocati sunt filij Aharon, & alij sacerdotes. Deinde est ordinaria, vel extraordinaria. *De II.* Functio cernitur in prædicatione verbi, & moribus regendis & corrigendis publice & priuatim

LOCVS XXXVI.

De Disciplina Ecclesiæ.

Exordium. Quod Imperator Romanus inquit, *Si disciplinam amisimus, nomen Romanum amittimus*: id nos dicere possumus optimo jure de quauis societate, adeoque etiam de Ecclesia.

Propositio. Disseremus de quatuor gradibus disciplinæ Ecclesiasticæ, & ipsius requisitis.

Tractatio. I. Scalam disciplinæ Ecclesiasticæ describit Christus *Matth. 18. v. 15. 16. 17.* *Primus* ejus gradus est correptio priuata & fraterna, qua ille, qui vni alicui priuatim scandalum dat, priuatim ab eo corripitur. *Secundus* est, quando correptio fit coram duobus aut tribus testibus. *Tertius* est, correptio quæ fit à presbyterio. *Quartus* est excommunicatio, cujus exemplum est *1. Cor. 5.* Quod si excommunicatus ostendat signa resipiscentiæ, in Ecclesiam est recipiendus. *2. Cor. 2. v. 6. 7. 8.*

II. Requisita disciplinæ Ecclesiasticæ sunt, vt in ea dominetur Spiritus mansuetudinis, discretionis & charitatis. Mansuetudo moderatur iram, & vindictæ cupiditati frænum injicit. Discretio est in delictorum gradibus, ingeniorum diuersitate, & correptionis climace seu gradatione. Charitas est in fraterna correptione, amica conuersatione, pathetica consolatione, & officiosa receptione.

Conclusio. Disciplinæ extrema vitentur studiose: ne scilicet sit laxa, vel arcta, sed moderata.

Alia dispositio.

Hierarchia Ecclesiastica plenissime & simpliciſſime describitur *Eph. 4. vers. 11.* vt vidimus ad locum præcedentem. Disciplina Ecclesiæ sancitur *Matth. 18.* Vtriusque igitur fundamentum est verbum Dei. Sed praxis pendet à circumstantijs variis, & proinde à consuetudine rationabili, quæ introduxit synedria Ecclesiastica, & Synodos seu Concilia Ecclesiastica, quæ duo sunt tanquam oculi, per quos prospicitur incolumitati Ecclesiæ. *Synedrium Ecclesiasticum* constare debet ex pastoribus & presbyteris seu senioribus. Officium ipsorum consistit in diligenti inquisitione, prudenti requisitione, i. e. vocatione ad presbyterij examen, facili disquisitione quæ consistit in commemoratione partim theorica partim practica, hoc est tali, qua lapsus notarius & confessus amplificetur, reprehendatur & sanetur. *Synodus Ecclesiastica* debet institui juxta normam primi & veræ œcumenici Concilij, quod Apostoli celebrarunt *Act. 15.* Cæterum in hujusmodi Synodis proponi debent grauamina Ecclesiarum, & cogitanda media de istis tollendis.

Alia

Alia Dispositio.

Duo discutiemus, An sit exercenda disciplina ecclesiastica, & Quomodo. *De I.* Mandatum Dei, necessitas rei, vtilitas multimoda, & denique perpetua praxis ecclesiæ V. & N. T. nobis commendant disciplinam ecclesiasticam. *De II.* Requiritur lex charitatis & prudentiæ. Illa correptionem & correctionem temperat saccaro humanitatis & Christianæ æquanimitatis: hæc distinguit gradus delictorum, & distinguit vere pœnitentes ab hypocritis.

LOCVS XXXVII.

De Sacramentis in genere.

Exordium. Deus voluit hominem perfecte erudire ad salutem. 2. *Tim.* 4. Quare cum perfecta institutio duobus potissimum sensibus in homine perficiatur, auditu & visu, qui merito censentur sensuum nobilissimi: benignissimus ille Pater noster nobis dedit verbum audibile & visibile, id est scripturam & sacramenta: hunc que docendi modum inde ab initio mundi, etiam ante lapsum, adhibuit.

Propositio. Videbimus sacramentorum dignitatem, necessitatem, & vtilitatem.

Tractatio I. Dignitas sacramentorum pendet ab ipsorum causa efficiente, materia, & forma, siue ab authore, signo & signato, & denique vnione signi & signati. *Causa efficiens* est solus Deus, qui vt sibi colligit ecclesiam per verbum, ita eandem plenius instituit & infirmitati ejus succurrit per sacramenta. Hinc Deus fœderi suo appendit circumcisionem. *Gen.* 17. & postea agnum paschalem. *Exod.* 12. tandem in Nouo Testamento per Johannem baptistam instituit baptismum, quem Christus solenniter impetrauit *Matth.* 28. qui etiam in locum agni paschalis instituit cœnam, vt cõstat ex historia euangelica. Quare cum Deus æque sit author sacramentorum, atque verbi, nostri officij est, pari veneratione prosequi vtrumque istud medium, & imitari subditos obedientes, qui diplomati & sigillo principis parem honorem deferunt. Deinde *materia sacramentorum*, siue id, ex quo sacramenta constant, est partim terrestris, partim cœlestis: illa est veluti cortex, hæc tanquam nucleus. Res terrestris, seu materia externa, est vel elementum, vel ceremonia circa elementum. Elementum Deus honorat, sanctificando siue segregando illud à communi vsu, & aliam vocationem seu officium ipsi velut demandando. Quare oportet, vt honoremus id, quod Deus honorat: non illud adorando, sed religiose vtendo. Ceremonia circa elementum est diuinitus instituta & impetrata. Merito itaque illam magnificimus. Res cœlestis, seu materia interna,

est Christus cum omnibus suis beneficijs, prout illa in symbolo recensentur. Adesdū igitur, homuncio, quis es pulvis & terra, & Christū Deum verū, honora in sacramēto. Adesdū homo peccator, & in sacramēto disce, quid habeas à Christo, videl. purgationem à peccato in ejus sanguine, cibum & potum animæ in ejus carne & sanguine, renouationē vitæ in ejus resurrectione. Tertio *forma sacramentorum*, siue vinculum & nexus rei terrestris & cœlestis, est partim analogia sacramentalis, seu conuenientia signi & signati, partim vnio istorum per veram fidem. Analogia posita est in significatione & repræsentatione gratiæ Dei quomodo videmus arrham significare & repræsentare desponsationem. Illa significatio pendet à sapientissima Dei ordinatione. Non igitur est vilipendenda. Unio sacramentalis quæ fit per fidem, pendet à Dei promissione. Nā Deus suam gratiam his signis peculiariter adstringit, & veluti alligat, quēadmodum sponsus suam fidem alligat arrhæ. Hinc sicut sponsus tradendo arrham tradit seipsum, & sicut homo tradendo testamentum tradit agros & similia bona: sic Christus tradendo v.g. panem eucharisticum tradit seipsum. O igitur augustam sacramentorum dignitatem, vtpote in quibus cor hominis fidelis & Christus vniuntur per fidem!

II. Necessitas sacramentorum non est absoluta & præcisa, quia nō priuatio, sed contemtus & abusus sacramentorum damnat: neq; est media, quia nullum est meritum, vbi est signū purę purę gratiæ: sed est necessitas mandati & medij. Nam sacramenta necessario à nobis adhibētur propter mandatum Dei, cuius ordinem qui contemnit aut violat, est sacrilegus, similis Pharisæis illis, qui consilium Dei spernebant. *Luc. 7.* Deinde sacramenta sunt nobis necessaria tanquam media salutis: quia sunt signa & organa fœderis, remissionis peccatorum, incorporationis & desponsationis spiritualis, regenerationis, communionis sanctorum, & resurrectionis carnis: vnde emergunt sex genera necessitatis, quæ in sacramentis veteris & noui testamenti distincte sunt enarranda.

III. Utilitas, siue fructus sacramentorum est triplex. *Primo* enim sacramenta sunt signa significantia siue docentia gratiā Dei, & nostrum statū in ecclesia; quia sunt picturę & imagines gratiæ in Christo nobis exhibitę excitantes in nobis deuotionem; itemq; tesseræ, quæ nos discernunt ab infidelibus; & signa communionis sanctorum mutuęq; charitatis. *Deinde* sunt signa obsignantia, seu pignora & sigilla gratiæ & promissionis Dei. *Rom. 4. Deniq;* sunt media & organa efficacia, seu signa exhibētia, per quæ Deus in legitimo vsu efficaciter operatur fidem, spem & charitatem.

Conclus. Quēadmodum viuæ picturæ nos valde afficiunt: sigilla principum & arrhæ nos confirmant: deniq; instrumenta, quibus præceptores vtuntur ad nos reformandos, nobis sunt charactera sacramenta ob tres istas causas in maximo habeamus pretio.

Alia

Alia dispositio.

Duo expendemus 1. Phrases sacramentales. 2. rem ipsam. *De I.* Scriptura de sacramentis loqui solet metonymice: ita scil. vt nomina rerum significatarum ipsis signis attribuat. Sic *Gen. 17. v. 11.* dicit Deus: *Fœdus meũ in carne vestra.* Similiter agnus paschalis dicitur transitus Jehouæ. *Exod. 12. v. 11.* Et *Act. 22. v. 16.* Ananias discipulus Damascenus dicit Paulo, *Lauare & abluere peccata tua.* Panis Eucharisticus appellatur corpus Christi *Matth. 26. v. 26 & 1. Cor. 11. v. 24.* & poculum eucharisticum appellatur sanguis Christi *Mat. 28 sic Marc. 14. v. 22, 24. Luc. 22. v. 19, 20. 1. Cor. 10. v. 4. 16. Cor. 1. v. 24, 25.* & Nouum Testamentum. *Luc. 22. v. 20.* Phraseologia illa explicetur partim in genere; partim in specie. In genere fundamentum istarum phrasium est analogia sacramentaria & vnio sacramentalis: in specie analogia & vnio ista est explicanda in singulis. *De II.* In sacramẽto quolibet debes tria quærere; Christum, Spiritum Sanctum, & duplicem hominem. Christus reuera est præsens in sacramento, in legitimo fidei vsu: Spiritus S. similiter est præsens, quatenus operatur fidem in cordibus. Deniq; ibi est homo exterior, & interior, qui accipit partim rem terrestrem, partim rem cœlestem.

LOCVS XXXVIII.

De Sacramentis V. T.

Exordium. Quemadmodũm homo animalis primo in hunc mundum nascitur, deinde in hoc eodem mũdo nutritur: ita homo spiritualis primo nascitur spiritualiter, & ita quoq; nutritur. Hujus rei symbola & sigilla Deus extare voluit tum in V. tum in N. T. Nam circumcisionem & baptismum voluit esse signa & sigilla spiritualis generationis, Pascha & cœnam spiritualis nutritionis.

Propos. Disseremus de duobus sacramentis V. T.

Tractatio. 1. Circumcisionis sacramentum debet referri ad Judæos cõmuniter, ad Christum singulariter, ad omnes electos V. & N. T. vniuersaliter. Quod attinet ad Judæos, illi fuerũt circũcisi in carne sua, vt ita haberẽt signum fœderis *Gen. 17. v. 10, 11.* & acciperent sigillũ iustitiæ. *Rom. 4. v. 11.* Quod attinet ad Christum, circumcisio ad ipsum manuduxit, tanquã ad eũ, cuius sanguis circumcidit spiritum nostrum: vnde & Christus fuit circũcisus. Deniq; quod attinet ad oẽs electos in hac terra militãtes, ipsis circũcisio debet esse monumentũ spiritualis circũcisionis labiorũ, cordiũ, auriũ, oculorũ &c. Etsi n. circũcisio in N. T. est abolita: ipsi tamẽ historia & praxis ad nos quoq; pertinet *Col. 2. v. 11. De II.* Pascha similiter refertur ad Judæos com-

communiter. *Exod.* 12. ad Christum singulariter. *Matt.* 26. & 1. *Cor.* 5. denique ad omnes electos vniuersaliter, quatenus videl. Christum, qui fuit præfiguratus per agnum paschalem, debent comedere vera fide. Hicitaque differatur 1. de beneficio Dei, quod elucet ex analogia inter agnum paschalem & Christum, quæ posita est in tribus. Nam vt agnus erat immaculatus, & comedebatur, & comestus reficiebat corpus: ita Christus est sanctus, & comeditur fide, & comestus reficit animam. 2. de nostro officio, quod consistit in lætitia & vita Paschali, vt nempe expurgemus vetus fermentum, comedamus panes azymos & totum agnum, adhibitis herbis amaris, festinantes tanquam viatores, & sanguine aspergentes corda nostra.

Conclusio. Nisi sacramenta & sacrificia V. T. referantur ad Christum, videbuntur prorsus ridicula & inania.

LOCVS XXXIX.

De Baptismo.

S. p. 209.

Exordium. Ita est, auditores Deus mysteria maxima rebus minimis, & coram mundo ridiculis, adumbrauit. Videte mihi baptismum. Annon caro & sanguis judicat, ritum istum esse humilem & ridiculum? Sed aliter judicat fides. Nam quia baptismus est à Deo institutus, oportet vt omnes ipsius partes & actiones sint mysticæ. Et quia doctrina de baptismo tres habet testes omnium maximos, necesse est vt non sit vulgaris ceremonia. Testes isti sunt Deus Pater, Filius & Spiritus S. adeoque opus creationis, redemtionis & sanctificationis. Sicut enim in creatione spiritus Dei aquá fœcundauit: ita hic quoque fit. Deinde ex latere Christi profluxit sanguis & aqua, quæ significant baptismum & S. cœnam. Tertio Spiritus S. est aqua illa, de qua agitur *Esa.* 44. Videtis tres testes baptismi omni exceptione majores. Magnum itaque sacramentum est baptismus. Denique admiranda Dei opera, quæ præfigurarunt baptismum, satis docent, baptismum esse magnum arcanum. Hujusmodi opera fuerunt conservatio Noachi in arca, deductio Israelitarum per mare rubrum. Quæ omnia nos impellere debent ad piam hujus sacramenti meditationem.

Propositio. Sanam doctrinam & vsum baptismi videbimus.

Tractatio. 1. Hic duo sunt tenenda: Quid sit baptismus, & Qui sint ejus fructus. Prima quæstio agit de dignitate baptismi, & illius necessitate: secunda de vtilitate. *Quid ergo est baptismus?* Sacramentum initiationis seu incorporationis nostræ, constans ex aqua & Spiritu, quæ duo natura sua longissime remota vniuntur & deuinciuntur verbo Dei sic ordinantis, & promittentis remissionem peccatorum, regenerationem, & vitam æter-

mam. Hinc discis, anima mea, quod per baptismum tibi significetur, obsignetur & exhibeatur beneficium Dei longe maximum, quo ex fa-
cultate Satanæ translatus cooptaris in fœdus & familiam Dei. Discis non
tantam hic esse aquam, sed aquam verbo Dei sanctificatam, & cum Spiri-
to sancto vnitam. Discis, baptismum esse efficax medium, per quod Deus
gratiam suam tibi exhibet in legitimo vsu. Tui ergo muneris est, baptis-
mum magnificere, honorifice de illo sentiendo & loquendo, totaq; vita
tua illum exprimendo & repræsentando. Memineris, Deum ad aquam
baptismi sibi despondere sponsam, quemadmodum Isaac & Jacob sponsas
suas ad fontē aquæ sibi desponderunt. *Gen.* 24. & 29. Hujus dispensationis
memoria solidam parit consolationem, & quotidie ad vitæ emendatio-
nē nos extimulare debet. Hoc fundamento jacto, facile videre possumus,
qui fructus ex hoc augustissimo sacramento ad nos redundent. Primo ba-
ptismus nos docet mysteria longe maxima: videl. remissionē peccatorū,
regenerationē, & resurrectionē ad vitam æternam. Nam aspersio aquæ
nobis in memoriam revocat ablutionem à peccato, quæ fit per sangui-
nem Christi. Hæc ablutio est beneficium Dei, quod nulla lingua satis po-
test prædicare. Ita enim fit, vt ex filijs iræ constituantur filij gratiæ atque
adeo hæredes vitæ æternæ. Deinde hæc ipsa aspersio, vel etiam immersio
& emersio, ob oculos nobis ponit regenerationem, in qua vetus homo
crucifigitur & in profundum abyssi demergitur, nouus autem homo e-
mergit & caput inter nubila velut cōdit. Deniq; hic ipse ritus est typus re-
surrectionis nostræ gloriosæ. Nam sicut ex aqua emergimus ad vitam: ita
ex sepulchro resurgemus ad gloriam. Vides, anima mea, quanta mysteria
te doceat baptismus. Sed non solum ista docet, verum etiam obsignat,
imo & exhibet tanquam medium & instrumentum in legitimo vsu. Hoc
ἐπιλαμβανῶς videre est in baptismo Christi *Matth.* 3. Nam vides ibi cœ-
lum aperiri, Spiritum S. descendere, & Patrem testari, se Christum agno-
scere pro Filio, in quo acquiescat. Tota Trinitas baptismum Christi præ-
sentia sua honorauit. Eadem Trinitas tuum baptismum sua præsentia di-
gnatur. Baptismus Christi sit speculum baptismi tui.

II. Vsus baptismi est triplex. Primo enim est pictura totius myste-
rij salutis nostræ. Deinde est fundamentum solidæ consolationis: quia est
sacramentum insitionis nostræ: vnde discimus, nos esse fœderatos Dei,
participes beneficiorū Christi, puta vnctionis, adoptionis, regenerationis
& glorificationis. Deniq; est stimulus sanctæ vitę. Cū enim baptismus
noster nos doceat, & nobis obsignet remissionē peccatorū & regeneratio-
nē, nō decet vt qui sumus filij Dei, regenerati, spōsa & mēbra Christi tēpla
Spiritus S. oues Christi, filij lucis, arbores bonæ, ager bonus & vinea cul-
ta; vt, inquam, viuamus tanquam filij iræ & Satanæ, tanquam mor-

mi in peccatis, tanquam mancipia & fideles subditi diaboli, tanquam templa impurorum Spirituum, tanquam lupi, filij tenebrarum, arbores malæ, agri steriles, in quibus nil nisi lolium crescit, & denique vineæ inculturæ, quæ meras proferunt labruscas.

Conclusio. Tota nostra vita nihil debet esse aliud, quam quotidiana praxis pœnitentiæ, quæ consistit in eo, vt baptismus nobis sit compendium totius scripturæ, fundamentum consolationis, & incentiuum sanctæ vitæ.

Alia dispositio.

Quoniam apostolus *Rom. 6.* docet nos per baptismũ esse sepultos vna cum Christo, vt ambulemus in noua vita, videbimus ὡς ὀφθαλμοῖς, quomodo in baptismo generatio veteris, & regeneratio noui hominis ob oculos ponatur. Principio quemadmodum aqua abluit sordes corporis: ita baptismus docet, nos per sanguinem Christi purgari ab omnibus sordibus animæ, hoc est à peccatis. Deinde hæc ipsa aspersio docet, nos per Spiritum S. quoque abluj, ita vt fiamus nouæ creaturæ. Hoc vtrumque clarius intelligemus, si instituamus collationem generationis & regenerationis, seu generationis veteris, & regenerationis noui hominis. Ista vero collatio cernitur in his partibus. 1. *In intentione.* Nam vetus generatio quærit seipsam, & est plena fraudis & fallaciæ: noua generatio quærit illa quæ sunt Christi, & est plena simplicitatis. 2. *In obedientia.* Nam vetus generatio est effrænis, & excutit jugum Dei, noua se subjicit Deo in omnibus. 3. *In charitate.* Nam vetus homo quærit suum commodum: nouus homo aliorum vtilitatibus inseruit. 4. *In humilitate.* Nam vetus generatio delectatur honore mundano: noua quærit vnius Dei honorem. 5. *In patientia.* Nam vetus homo est impatiens: nouus patienti animo fert iram Dei. 6. *In tristitia.* Nam vetus generatio tristatur, cum videt se non posse frui gloria & recreatione mundi: noua nihil curat ista minuta, & dolet, quando Deum offendisse se intelligit. 7. *In amore Dei, mundi, inimicorũ, & sui ipsius.* Nam vetus homo non adhæret Deo, diligit mundũ, odit inimicos, non abnegat seipsum: at nouus homo adhæret Deo vnice, nõ placet mundo, diligit inimicos, & abnegat seipsum. Hæc omnia in baptismo nobis significantur & obsignantur. Merito itaq; hoc sacramentũ magnifacimus, & toto vitæ tẽpore sic ratiocinamur: Baptismus nos docet, quẽadmodum in Adamo accepimus spiritum superbum, cor indocile, & affectus indomitos: ita in Christo accipimus spiritum humilem, cor docile, & affectus compositos. Oportet itaq; vt nos ipsos abnegemus, & Christo, cui insiti sumus, viuamus.

Alia dispositio.

Instituatur collatio baptismi cũ aqua diluuij *Gen. 8.* 1. *Pet. 3.* cum mari rubro

rubro *Exod.14.& 1.Cor.10.*cum circumcisione. *Col.2.*cum trāsitu per Jordanem. *Jos.3.*cum ablutione Naeman: cum mari æneo Salomonis, quod vehebatur duodecim rotis, quæ significant apostolos: cum aqua & piscibus illis apud Ezechielem *c.4.* (quo pertinet, quod Tertullianus Christianos appellat pisciculos) cum aqua aspersionis. *Num.19.* cum piscina probatica *Joh.5.*

Alia dispositio.

Considerabimus substantiā, circumstantiā, & efficaciā baptismi. *De I.* Baptismus successit circūcisioni quantū ad rē ipsam. *Col.2.v.11.12.* vnde omnes fœdere comprehensi debent baptizari. *Mat.28.v.penul.* idque in nomen Patris, Filij & Sp. S. *De II.* Circumstantia est in ritu immersionis, qui est optimus. *Rom.6.v.3.4.* vel aspersionis. *De III.* Per baptismū confirmamur in fide remissionis peccatorum. *Act.2.v.38.* itē in fide & spe renouationis naturæ nostræ. *Rom.6.v.3.4. Tit.3.v.5.* item in fide & spe vnionis cum Christo. *1.Cor.12.v.13.* deniq; per baptismum profitemur, nos Christianos esse. *Matth.28.v.penult.*

LOCVS XL.

De Sacra Cœna.

Exord. Quemadmodum Deus per sanguinem sacrificiorum cōfirmauit vetus testamentum *Exod.24.* ita nouum testamentum confirmauit per sanguinem Filij sui vnigeniti. *Heb.9.* Cujus beneficij memoria vt nūquam apud nos obliteraretur, Christus instituit sacram cœnam, in qua seipsum vna cum omnibus suis thesauris exhibet.

Propositio. Sex capita videbimus: Authorem, Nomina, Substantiam, Fructum, Præparationem, Crebram celebrationem.

Tractatio. 1. Author hujus sacramēti est Jesus Christus, verus ille Deus & homo: propheta, sacerdos, & rex noster; qui tāto pere nos dilexit, vt sāguinē suum pro nobis fuderit; qui est ipsissima veritas; qui est omnipotens victor diaboli, mundi, peccati, & mortis; qui est dominus gloriæ sedēs ad dextrā Patris, & judex viuorum & mortuorū, vt in symbolo profitemur. Quare si hoc sacramētū instituit persona tā nobilis illud nobis est magnifaciendū: si propheta noster illud nobis cōmendauit, merito illius mysterium discimus intelligere: si sacerdos noster suum sacerdotiū ibi viuis coloribus depinxit, merito illud meditamur & veneramur: si rex noster ibi velut pro tribunali sedet, merito illuc accedimus, & quidē libenter, deuote & frequenter: si author suam infinitam charitatem ibi velut in speculo exhibuit visendam, vtiq; illo nos solamur, & ad reciprocum amorem excitamur: si cœlestis vestitas hunc ritum ordinauit, merito illi credimus: si victor Satanæ & omniū nostrorū hostium seipsum nobis fruen-

endum hic dat, nemo hunc cibum nobis eripiet: si dominus gloriæ & judex viuorum & mortuorum hoc sacramentum instituit, non dimitet illos impunitos, qui hoc mysterium contemnunt, vel profanant.

II. Nomina & tituli huius sacramenti plena sunt consolationis. *Primo* appellatur testamentū *Luc.* 22. quia hic sunt omnia requisita testamenti videl. testator, hæres, hæreditas seu legatum, verba perspicua, piissima volūtas testatoris, testes omni exceptione maiores, & deniq; cōfirmatio per mortē testatoris. *Deinde* à Paulo nominatur mēsa Domini. 1. *Cor.* 11. quia hic est dominus cōuiuii, hic sunt cōuiuæ, hic est cibus & potus: quę omnia sunt cœlestia & spiritualia, ac proinde infinito interuallo superant mēsas huius vitæ. *Tertio* appellatur à Latina ecclesia sacramentum: quia est religiosa & sancta obligatio cum iuramento, quo Christiani se addicūt in militiam ducis sui Jesu Christi. *Quarto* Græce ecclesia appellauit mysterium: quia est res arcana, quę neq; sensu percipi, neq; ratione iudicari potest aut debet, sed sola fide apprehēdi. *Quinto* Græci appellarunt ἀγάπην, idq; respectu tum Christi, tum nostri. *Sexto* appellatur Eucharistia: quia est memoria mortis Christi, non tantū nuda & historica, sed etiam efficax & practica, id est, plena consolationis. Hic etiam agi potest de nominibus istis, *Missa, sacramentum altaris, sacramentum corporis & sanguinis Christi.*

III. Substantia sacrę cœnę est corpus Christi pro nobis crucifixum, & sanguis ejus pro nobis fusus. Nā hęc duo, panis & corpus Christi sacramētaliter vniuntur vi ordinationis seu institutionis ejus, & in legitimo vsu simul mādducantur, panis quidē ore corporis, Christi autē caro ore fidei. Idē judiciū est de vino & sanguine Christi. Fundamēta hujus expositionis sunt quatuor. 1. Verba institutionis clara. 2. Natura sacramentorū. 3. Cōfirmatio Pauli, qui panē appellat κοινωνίαν corporis Christi. 4. Consensus euāgelistarū. Quę ipsa fundamēta prisci ecclesię doctores allegarūt ad orthodoxā hanc doctrinā confirmandā. Maneat igitur firmū, quod Christus à credentibus vere percipiatur in hoc sacramento. Hoc est verum illud manna, quod nos satiat. Miremur hoc mysterium, & dicamus cum Israelitis *Exod.* 16 *Quid hoc?*

IV. Fructus sacrę cœnę sunt numero tres: videl. cōfirmatio fidei, spei & charitatis. *Fides* confirmatur tribus modis: videl. per significationem & repræsentationem mortis Christi, quæ fit in hoc sacramento: per obsignationem & applicationem specialissimam: deniq; per exhibitionem Christi in legitimo vsu. *Spes* cōfirmatur duobus modis. Jubemur n. mortē Domini annūtiare donec veniat. Veniet itaq; Christus certo ad nos liberandū. Deinde vocula κοινωνίας docet, nos participes fieri bonorum Christi & in hac & in futura vita. *Charitas* confirmatur & roboratur duobus modis. Primo quia Christus tantopere nos dilexit, vt seipsum pro nobis trade-

1 Cor. 10. 16. 17.

mauidederit in mortem, & hujus rei pignus instituerit Sacram Cœnam, no-
tio officij est, illum vicissim amare, & hanc flammam charitatis recipro-
care. Hoc autem fit tribus modis: si videlicet cum illo vniamur, ita vt soli
ipsi adhæreamus, inque illum transformemur, quemadmodum panis &
vinum in nostram naturam transmutãtur, nobisque intime vniuntur: si
perpetuo ipsum in memoria retineamus, mortemque illius semper an-
nuntiemus: si denique studeamus illi soli placere, cujus caro & sanguis
sumus. Hæ siquidem sunt tres conditiones, quæ in amore & amante re-
quiruntur. Deinde sacra Cœna est vinculum amoris mutui inter Christia-
nos, *vt exercitet.*

V. Legitima præparatio ad Sacram Cœnam consistit in probatione
sui ipsius. *1. Cor. 11.* Ista vero probatio tribus absoluitur partibus. *Primo* ne-
cesse est vt scias, quid accipias in S. Cœna: videlicet non nudum panem &
vinum, sed Christum crucifixum. *Deinde* requiritur, vt examines teipsum,
& dispicias quo corde & conscientia accipias tantum sacramentum. Hic
autem vera fides requiritur: quippe qua purgantur corda. Fides namque
facit, vt cor tuum fiat tanquam tabernaculum Mosis splendidissimum, in
quo Deus habitauit: tanquam templum Salomonis pulcherrimum, in
quo Deus quieuit: tanquam cista, in qua omnis generis Clinodia asser-
uantur: Quod si ergo velis accedere ad hoc sacrum epulum, da operam
vt expurges cor tuum à fermento illo veteri, hoc est, ab ira, cupiditate vin-
dictæ & peccatis vastantibus conscientiam. Nam sacra Cœna est sacramẽ-
tum charitatis meræ erga Deum & proximum. Caue peregrinum ignem
cũ filijs Aaronis super altare ponas, sed ignem charitatis accende. Memen-
to non licere illis, qui immundi sunt, attingere sacrificium. *Tertio* consi-
dera, cur accedas ad Sacram Cœnam: videlicet ad consolationem infir-
mæ tuæ conscientiæ, & emendationem vitæ. Et primo quidem memoria
mortis Christi est efficacissima consolatio contra peccatum, mortem, dia-
bolum & mundum: quia Christus morte sua hostes illos vicit. Rursus
perceptio hujus sacramenti docet nos esse Christo incorporatos & de-
sponsatos, ita vt nemo nos possit ab illius amplexu diuellere. Deinde Sa-
cra Cœna facit ad studium sanctæ vitæ, gratiarum actionem, incremen-
tum donorum spiritualium, confessionem fidei & mutuam charitatem.
Quoties igitur accedimus ad hoc sacrum epulum, debemus illud ad fines
modo commemoratos dirigere. Nam quia vnimur Christo, Christus in
nobis debet viuere, juxta illud Augustini: *Non debes Christum in te trans-
mutare, sed Christus te in seipsum transformabit.* Qua in re hic cibus est dissi-
milis alijs cibis, quippe qui nobis assimilantur. Deinde quia Sacra Cœna
est fasciculus omnium beneficiorum Christi, vtere illa ad excitandum
studium gratiarum actionis pro tantis beneficijs. Tertio vtere hoc sa-

cramento ad confirmationem fidei, ſpei & charitatis. Nam ſicut Elias fuit confortatus per panem ab angelo allatum: ita nos corroboramur per hoc ſacramentum. Quarto ſic vtere Sacra Cœna, vt publice coram hominibus & angelis confitearis Jeſum Chriſtum, & renunties menſæ Belial & omnibus illius ὁμοτραπέζοις. Denique vtere hoc epulo ad charitatis internæ exercitium. Nam Chriſtus nos omnes dilexit, qui vera fide ſumus præditi, atque ita vnum ſumus in illo, quemadmodum multa grana ſunt vnus panis. Et ſicut de vno pane & vino communicamus: ita omnes habemus communionem cum corpore Chriſti.

VI. Crebro vſurpanda eſt Sacra Cœna: quia eſt memoria Chriſti; item confirmatio fidei, ſpei, & charitatis; & denique quia Apoſtolus hoc mandauit *1. Cor. 11. v. 26.*

Concluſio. Quotidie meditemur inſtitutionem Sacræ Cœnæ, & ſæpenumero ad illam accedamus: quia eſt compendium religionis, in quo Chriſtus crucifixus cum omnibus ſuis beneficijs nobis veluti depingitur: & myrothecium conſolationis in omnis generis tentationibus: & denique calcar & ſtimulus nouæ obedientiæ.

Alia diſpoſitio.

Sacra Cœna conferatur cum agno paſchali, & ſacrificijs veteris Teſtamenti, ijſque tum propitiatorijs, tum Euchariſticis. Cum propitiatorijs ideo, quia San. Euchariſtia eſt repræſentatio ſacrificij Chriſti propitiatorij. Cum Euchariſticis ideo, quia hic grata mente recordamur Chriſti.

Alia diſpoſitio.

Exordium. Quemadmodum Iſraelitæ *Exod. 16.* de Manna dicebant, Quid hoc eſt: ita nos de Cœna Domini poſſumus dicere.

Propoſitio. Conſiderabimus illius ſubſtantiam & fructum.

De 1. Subſtantia cernitur in duplici præſentia ſigni, & ſignati. Signum eſt præſens viſibiliter: Signatum eſt præſens vere, ſed inuiſibiliter, puta ſacramentaliter, & ſpiritualiter. Præſentia ſacramentalis nititur inſtitutione & promiſſione Dei: ſpiritualis vera fide. Vere itaq; Chriſtus crucifixus eſt præſens in S. Cœna, tametſi non ſit incluſus pani. Fundamenta hujus ſententiæ ſunt quatuor. 1. Symbolum Apoſtolicum, quod docet Chriſtum eſſe verum hominem, aſcendiſſe in cœlum, ſedere ad dextram Patris, & inde rediturum ad judicium. 2. Omnes circumſtantiæ Sacræ Cœnæ: quia Chriſti corpus aſſedit diſcipulis, & ille juſſit hoc facere in ſui recordationem. 3. Natura & indoles omnium ſacramentorum. 4. Natura amoris Chriſti, quæ in eo cernitur, quod Chriſtus vult vnionem & communionem eſſe inter ipſum & nos, quæ ſit efficaciſſima, intima, magnetica & indiſſolubilis: quæ proprietates non cernuntur in præſentia illa, qua corpus Chriſti ipſis etiam hypocritis dicitur eſſe præſens.

De 2.

De II. Quadruplex est vsus. Nam S. Cœna confirmat fidem, *Hoc facite in meam recordationem:* est sigillum & pignus remissionis peccatorum, *Hic poculum est nouum fœdus*, &c. est signum vnionis mysticæ, quæ per eum & eorum significatur: denique est vinculum amoris reciproci ergo Christum, & mutui erga nos inuicem.

Succ. Sumatur ex *Ps. 111.* *Alia dispositio.*

Exordium. Eliseus *2. Reg. 4.* cibum mortiferum reddidit salubrem. In qua historia videmus, homines sibi parare cibum mortiferum, siue doctrinam, siue vitam spectemus: solum vero Iesum Christum esse farinam illam, quæ nos saginet ad vitam æternam.

Propositio. Agemus. 1. De sensu siue sana doctrina. 3. De præparatione ad Cœnam. 3. De ipsius vsu.

De I. Sana doctrina est, Christi corpus & sanguinem vere præsentia esse in S. Cœna, & exhiberi omnibus & solis credentibus. Fundamenta huius doctrinæ sunt tria, Natura sacramentorum, consensus Euangelistarum in describenda historia S. Cœnæ, & Consensus Apostoli Pauli.

De II. Præparatio legitima consistit in probatione sui ipsius, quæ requirit examen miseriæ, fidei, & propositi S. Vitæ. Præparatio ista est valde necessaria, ne nomen Dei assumamus in vanũ; ne cũ filijs Aaron peregrinũ ignem inferamus tabernaculo, & puniamur à Dño; ne cum Philistæis arcam fœderis profanemus, & multis plagis afficiamur; ne denique cũ Balthasare polluamus vasa templi & moriamur. *De III.* Vsus legitimus S. Cœnæ consistit in excitatione & exercitatione fidei, spei & charitatis. Nam *fides* soli Christum intuetur, ac firmiter statuit, Christum esse cibũ animæ, qui nobis intime vniatur, & nobis prosit ad vitã æternam. *Spes* expectat complementũ promissionis, fore sc. vt in altera vita accũbamus vna cũ Christo. *Charitas* denique, accẽditur partim erga Deum, q̃ tantopere nos dilexit, partim erga proximũ, q̃ est mẽbrũ corporis Christi mystici æque atq; nos sumꝰ.

Conclusio. Ante Cœnam præpara intellectum & affectum tuum: in Cœna excita vtrumque: post Cœnam exprime affectum vero effectu.

Alia dispositio.

Docebimus hæc duo. 1. Quod in S. Cœna sit necessaria mãducatio corporis Christi. 2. Quomodo fiat. *De I.* Fundamẽta manducationis sunt. 1. Mãdatum Christi. 2. Promissio Christi. 3. Natura sacramentorũ, in quib. fides percipit rẽ sacramenti 4. Explicatio Paulina, q̃ panis sit cõmunio corporis Christi. Ex his concludimus corpus Christi vere & realiter esse præsens in S. Cœna, atq; adeo vere ac realiter mãducari. *De II.* Manducatio corporis Christi nõ fit Capernaitice *Io. 6.* sed mystice, ita vt fides formet hujusmodi syllogismũ practicum: Qui præditus est vera fide in Christũ, is quam vere accipit panẽ, tam vere accipit corpus Christi crucifixum, & illo nutritur ad vitam æternam. Atqui ego sum præditus vera fide. Ergo. *Alia*

Alia dispositio.

Considerabimus substantiam, circumstantiam & efficaciam. *De I.* Sacra Cœna successit in locum Paschæ, & est pictura, signum & sigillum mortis Christi omniumque ejus beneficiorum; vbi passio Christi repræsentatur per varios ritus, verbi gratia, crucifixio per fractionem panis: & in legitimo vsu fides percipit corpus & sanguinem Christi. *De II.* Circumstantia est in tempore, quo celebratur; loco, vbi celebratur; consuetudine rationabili, qua celebratur. *De III.* Efficacia est, quod per eam gratias agimus Deo pro morte Christi; & nobis specialissime illam applicamus. *1. Cor. 11. v. 24. 25. 26. & c. 10. v. 16.*

De præparatione ad S. Cœnam.

Præparatio ista consistit in cognitione & deuotione. *Cognitio* est examen miseriæ, fidei, & nouæ obedientiæ. *Deuotio* consistit in eo, vt intelligamus quid sit S. Cœna, & ita cogitemus dominum conuiuij, cibum & conuiuas.

LOCVS XLI.

De Communione Sanctorum.

Exordium. Quemadmodum in qualibet societate est vnio & communio, vt inter conjuges, conciues, commilites; ita etiam inter conciues cœli, hoc est, electos.

Propositio. Inter electos est communio gratiæ & gloriæ.

Tractatio. I. Communio naturæ est inter omnes homines. Communio gratiæ communis est inter omnes externe vocatos. Hinc videmus per vocationem externam etiam hypocritas participare de gratia illa communi, quatenus vt homo sit in Ecclesia, ibique audiat verbum Dei, percipiat sacramenta, & gustet gratiam illuminationis. *Heb. 6. & 10.* Sed sublimior est communio, quam electi habent inter sese. Nam est communio gratiæ singularis & salutaris, quæ cernitur in vocatione interna, justificatione & sanctificatione: vnde emergunt priuilegia & titul honorificentissimi, quod sint filij Dei, reges, sacerdotes, regale sacerdotium, &c.

II. Communio gloriæ hic inchoatur, ibi perficitur. Inchoatur, inquam, in hac vita: quia Deus nos sibi vnitos facit gloriari in media cruce: quæ est gloria adoptionis, & bonæ conscientiæ. Huc etiam pertinet gloriatio, quod soli electi sunt legitimi possessores & dispensatores bonorum Dei terrestrium, cum impij sint possessores malæ fidei. Magna profecto est hæc gloria. Gloria, inquam, desponsationis, quod sumus Christo insiti & desponsati *Esa. 54. v. 5.* qua de re vide Canticum canticorum. Item gloria adoptionis, *Hos. 1. v. 10. Matth. 5. v. 9.* Gloria consolationis. *Psal. 94. vers. 19. 2. Cor.*

...Cor.1.v.3.4.5. Gloria bonæ conſcientiæ. 2.Corinth.1.v.11.1.Petr.3.verſ.21. ...gloria denique bonæ diſpenſationis & ſalutaris vſurpationis bonorum ...rerum. Deut.28.v.1.2.3.4.5.6.1.Tim.4.v.3.4. Quod attinet ad gloriam ...æ æternæ, illa eſt excellentiſſima: quia ibi erimus cohæredes Chriſti, & ...imus in throno ejus. Vide loc. de vita æterna.

Concluſio. Hæc eſt communio ducis, lucis & crucis, quam habent electi inter ſeſe. Nam Chriſtus eſt Dux & caput illorum, donans illos luce ſpirituali quæ illuminat, purgat & lætificat, denique coronans illos corona gloriolæ crucis.

LOCVS XLII.

De vltimo Judicio.

Exordium. Illuſtris admodum eſt explicatio ſomnij Nebucadnezaris Dan.2. vbi inter alia mentio fit lapidis, qui comminuerit reliquias imaginis illius, quæ quatuor monarchias repræſentauit. Lapis ille eſt Jeſus Chriſtus, judex ille in magno die Domini.

Propoſitio. Tria ſunt tenenda de vltimo judicio. 1. Quod ſit futurum. 2. Quomodo ſit futurum. 3. Quomodo debeamus nos ad illud præparare.

Tractatio. I. Habemus teſtimonia, & indicia. Teſtimonia ſunt. 1. Vaticinia prophetarum, Chriſti, & Apoſtolorum. *Eſa.cap.51. 66. Zephan.1. 2.Corinth.5.1.Theſſal.4. 2. Petr.3.* 2. Conſcientiæ. 3. Vniuerſalis conſenſus. 4. Rationes à juſtitia Dei. Judicia ſunt duplicis claſſis. Nam alia ſunt in cœlo & elementis. *Luc.21.* alia in ſtatibus vitæ humanæ, puta abominatio deſolationis, perſecutio Eccleſiæ, falſa prophetia charitatis extinctio in ſtatu Eccleſiaſtico: rebellio, expilationes, bella, & mutationes imperiorū in ſtatu politico: odium, rixæ, calumnia, fraudes in ſtatu œconomico, quo pertinent ſuperbia, luxus, fames, peſtis, &c. *Vſus.* 1. Hæc teſtimonia & ſigna excutient torporem & ſecuritatem noſtram. 2. Signa iſta ſunt picturæ magnificentiæ vltimi judicij. 3. Vt iſta ſigna terrorem incutiunt impijs, ita pijs lætitiam adferunt. Illi enim attollunt capita ſua *Luc.21.*

II. Modus ſiue forma vltimi judicij conſiſtit in proceſſu judiciali. *Judex* erit Chriſtus: *Aſſeſſores*, ſancti Angeli: *teſtes*, conſcientiæ: *judicandi*, omnes homines: *executio ſententiæ*, Venite, Ite, &c.

III. Præparatio noſtra ad hoc judicium petitur ex *Luc. capit. 12. & 21.*

Concluſio. Semper meditemur vltimum judicium, ne veniamus in judicium.

Alia dispositiones.

I. Indicentur antecedentia, connexa & consequentia vltimi judicij.

II. Sana doctrina, & vsus proponantur.

III. Considerentur ista tria: Comparitio, sententiæ dictio & Executio. *De I.* Comparebit ibi judex vna cum assessoribus, id est Christus vna cum sanctis Angelis. Comparebunt ibi omnes in vniuersum homines qui fuerunt, sunt & erunt, infantes & adulti, docti & indocti, reges & subditi, domini & serui, parentes & liberi, præceptores & discipuli, pastores & auditores, &c. Sive fuerint boni, sive mali. Illi comparebunt vt rosæ apparent tempore verno, hi vt spinæ, quæ vna cum rosis prodeunt nouo vere. *De II.* Sententia feretur claro, juste, & peremptorie ita vt non detur appellatio. *De III.* Executio fiet irresistibiliter, infallibiliter, & sensibiliter. Quæ cum ita sint, gnauiter hic faciamus officium, memores istius sententiæ.

Quod sibi quisque serit præsentis tempore vitæ,
Hoc sibi messis erit, cum dicitur ITE, VENITE.

LOCVS XLIII.

De Resurrectione Carnis.

Exordium. Resurrectio mortuorum non ab re dicitur esse consolatio Christianorum. Vana enim esset omnis illorum fides, spes & charitas, si non resurgeret caro, in qua Deum glorificarunt & mundi ludibria pertulerunt. *1. Cor. 15.*

Propositio. Duo videbimus, quod sit futura resurrectio carnis & quomodo sit futura.

Tractatio. I. Quatuor sunt classes argumentorum: videlicet dicta & exempla Scripturæ *Ioh 5. v. 28. Dan. 12. v. 2. Apoc. 20. v. 12. 13.* natura Dei omnipotentis, justi, veracis & misericordis: œconomia saluris, quæ consistit in promissione & expectatione mediatoris illiusque missione, in vnione & communione Christi & electorum, & in repræsentatione resurrectionis quæ fit in sacramentis: denique liber naturæ, vbi est testimonium conscientiæ & imago resurrectionis in herbis tempore verno prodeuntibus, in grano tritici quod computruerit, in gemmis quæ fiunt ex terra obscura, in Phœnice, in destructione & vinificatione sparsica.

II. Modus resurrectionis describitur *1. Corinth. 15.* vbi obserua, quis sit excitaturus mortuos, videlicet Christus: quos sit excitaturus, videlicet omnes mortuos: Quomodo sit excitaturus, videlicet per verbum

Sua

SURGITE MORTVI, quemadmodum per verbum FIAT omnia creauit, (nam resurrectio carnis est noua quædam creatio,) denique ad quid sit excitaturus mortuos, nimirum alios ad vitam æternam, alios vero ad mortem æternam.

Conclusio. Quotidie in cordibus nostris sonet illa vox: *Surgite mortui, venite ad judicium.*

Alia dispositio.

Considerabimus fundamenta & modum resurrectionis. *Fundamenta* sunt quatuor. 1. Omnipotentia, omniscientia, justitia & veracitas Dei, qui reproduxit omnia, sic potest reproducere; & scit instar patrisfamilias, quo quidlibet loco sit repositum. 2. Meritum & efficacia Christi. 3. Inhabitatio Spiritus S. 4. Immortalitas animæ. *Modus* est in excitatione gloriosa & ignominiosa.

LOCVS XLIV.

De Vita & morte æterna.

Prima dispositio.

Circa *vitam æternam*, adeoque gloriam cœlestem, considerare oportet, illam esse longam, latam, altam & profundam. *Longa* erit, quia omnia bona ibi erunt æterna. *Lata* erit & ampla, quia omne bonum, quod imaginari nobis possumus, continebit: imo plus quam nos imaginatione nostra, aut desiderio assequi possimus. *Alta*, quoniam omnia ipsius bona erunt altissima iuxta & nobilissima: supra aurum scilicet & gemmas, supra sapientiam & virtutes huius sæculi supra gloriam & gaudium huius mundi. *Profunda*, quoniam vera puraque sunt ibi bona, nullius mali commixtione inquinata. Vbi insuper hoc aduertendum est, bona huius mundi nullam ex quatuor his conditionibus habere, quandoquidem brevia, exigua, semperque doloribus & angustijs temperata sunt.

Circa *mortem æternam*, siue infernum similiter considerandum est, quod infernus sit longus, latus, altus & profundus. *Longus*, quia omnes pœnæ sunt æternæ. *Latus*, quia complectitur omnes pœnas, quas homo imaginatione potest assequi. *Altus*, quia ibi sunt pœnæ in summo gradu. *Profundus*, quia sunt meræ pœnæ, nullo prorsus consolationis genere permixtæ. Vbi insuper & hoc aduertendum est, mala huius mundi nullam ex his quatuor conditionibus habere, quandoquidem brevia & exigua sunt, semperque aliqua consolatione temperata.

Secunda dispositio.

De Vita Æterna.

Exordium. Etsi nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec vllus homo cogitatione comprehendit, qualis sit gloria, quam Deus præparauit suis: tamen cum Scriptura vitam æternam comparet cum rebus illis, quæ sub intelligentiam nostram cadunt, age anima mea, paremus scalam, per quam possis quotidie meditando ascendere in gaudium & gloriam vitæ æternæ.

Propositio. Decem erunt ascensiones mentis in vitam æternam.

Prima ascensio. Vita æterna appellatur paradisus *Luc. 23.* id est, horum deliciarum siue voluptatis. Appellatur hortus, quia est emtus magno pretio, videlicet sanguine Christi, atque ita ad nos deuoluitur jure hæreditario. Appellatur speciatim paradisus, ob amplitudinem & pulchritudinem. Denique appellatur hortus voluptatis siue gaudij, quia hic est ineffabile gaudium ratione animæ, omnium sensuum & membrorum. Erit enim ibi gaudium intellectus seu mentis, videre Deum à facie ad faciem. Erit gaudium voluntatis, amare Deum & conciues Angelos & sanctos homines, quiescere in Deo, satiari summo bono, & radiare justitia perfecta. Erit gaudium memoriæ, recordari beneficia Dei spiritualia & corporalia, itemque varia pericula, è quibus erepti sumus. Gaudium oculorum erit, videre corpus suum conformatum glorioso corpori Christi, itemque corpora omnium sanctorum instar solis lucida. Gaudium auriu erit, audire Christum loquentem, & sanctos angelos atque homines canentes. Gaudium narium erit, olfacere odorem suauissimum, quem despirabunt corpora glorificatorum. Gaudium linguæ erit, gustare suauitatem mannæ absconditi, & laudes Dei sonare. Gaudium tactus erit, palpare corpus tot dotibus insigne. Atque hæc gaudia superabunt gaudia totius mundi, quæ neque sincera, neque summa, neque perpetua sunt.

Secunda ascensio. Quia domus addita horto, illum valde commendat, Scriptura Sacra confert vitam æternam cum domo. *Iohan. cap. 14.* Nam omnes electi & glorificati erunt domestici & Filij Dei: hæc insuper domus est maxima & pulcherrima instar alicujus regiæ & palatij: est ibi triclinium in quo CHRISTVS nos cibat: cubile nostrum ibi est requies omnimoda & somnus suauissimus, quo requiescemus à laboribus nostris: portæ per quas introimus in hanc domum, sunt tres, videlicet fides, spes & charitas, quæ sunt portæ admodum angustæ.

Tertia ascensio. Quoniam domus, quantumuis magna, non multos homines capere potest, ideo Scriptura vitam æternam vocat ciuitatem, quæ

multos hortos & multa palatia capiat. *Apoc.* 21. In hac ciuitate mira- anima mea, magnitudinem & pulchritudinem, concordiam & liber- ...sinum saluberrim..um & munitissimum, figuram quadratam i.e. per- ...ctionem & æqualitatem maximam. Porro fundamentum hujus ciui- ...s est veritas illa Dei Jesus Christus; murus est custodia diuina; platea charitas ignita & lucida; templum est Agnus & ipse Deus, cibus est pa- angelorum Jesus Christus, idemque est potus; portæ ipsius duodec m ...partim duodecim patriarchæ, partim duodecim apostoli, per quos ...tura est ecclesia militans V. & N. T. lapides mystici, sunt reliqui fide- Hæc est ciuitas illa superna, ad quam si vis recta contendere, caue te ...pias in ciuitatem mundi vel potius diaboli.

Quarta ascensio. Habitatio sanctorum *Matth.* 20. 21. 25. & alibi passim ...pellatur regnum, quia est regio amplissima, & multo amplior quam ...manæ cogitationes capere possint. Deinde maxima ibi est frequentia ...gelorum & sanctorum hominum. Tertio ibi est perfecta forma re- ...ndi, puta vere monarchica, qualis non est inter homines. Quarto o- ...nes sancti sunt reges in cœlo, vtpote filij regis regum. Coruscant enim ...pientia, justitia & potentia regia Quinto ibi sunt bona regia, videl. po- ...stas, honor, diuitiæ & deliciæ. Quarto sicut regna terrena magni fiunt ...quod homines: ita hoc regnum magni fit à sapientibus. Denique sicut ...ltæ sunt viæ, quæ ad regnum ducunt, & in via regia, itemq; in regno ita ...concurrunt, vt putentur vna via: sic octo illæ beatitudines, quas Christus ...præscripsit *Matth.* 5. sunt semitæ, quæ in Christo tanquam via regia & ...ipso regno cœlorum concurrunt.

Quinta ascensio. Hactenus vidisti, anima mea; quomodo Spiritus S. feli- ...tatem sanctorum sub nominibus locorum, in quibus illi habitant, de- ...scribat: vide nunc nomina rerum, quibus eadem felicitas comparatur. ...Hic primo occurrit parabola *Matth.* 20. vbi præmium vitæ æternæ com- ...paratur denario diurno, qui datur laborantibus. Non promittitur thesau- ...rus vel gemma; quia inepta foret similitudo, si laborantibus per vnam ...diem in vinea promitteretur margarita, sceptrum, vel corona regalis. ...Promittitur itaque denarius, vt merces congruat cum labore. Promitti- ...tur, inquam, denarius cœlestis, qui satis abunde sufficit ad victum & ami- ...cum per omnem æternitatem.

Sexta ascensio. Vita æterna est plenissimum gaudium & potestas super ...omnia bona Patris cœlestis. *Matth.* 15. & 24. vbi dicitur, quod Dominus ...seruum fidelem sit constituturus super omnia bona sua, & ipsum his verbis ...affaturus. *Intra in gaudium Domini tui.* Quid autem est super omnia bo- ...na Domini constitui, nisi potestatem accipere super omnes res, & con- ...fortem fieri imperij quod habet Dominus? Quis capiat quanta sit hæc

potestas? Cæterum hæc potestas non comparatur aut possidetur tum felicitudine, sed cum summo gaudio. Ideo dicet Deus, *Intra in gaudium Domini tui*: qua phrasi significatur, majus esse illud gaudium, quam vt nos totum capere possimus.

Septima ascensio. Vita æterna confertur cum cœna magna. *Luc.* 14. Cum cœna quidem: quia datur ad finem vitæ, negotijs omnibus peractis, sub tempus quietis. Cum magna vero cœna; quia vt in cœna regia (hæc enim sola est magna) inueniuntur omnia quæ sensus humanos oblectare possint, & quæ potentiam, diuitias & gloriam hujus mundi demonstrent: sic in vita æterna oculi delectabuntur apparatu splendido, aures musica angelica, olfactus & gustus odore & sapore suauitatis Dei, tactus recubitu suauissimo.

Octaua ascensio. Similis præcedenti est parabola *Matth.* 25. vbi felicitas sanctorum confertur nuptiis regalibus, in quibus Christus est sponsus, anima fidelis est sponsa, quæ Christo in hac vita desponsatur per fidē, spem & charitatem, & in altera vita deducitur in thalamum, vt cum eo viuat & regnet in æternum.

Nona ascensio. Porro cœlestis beatitudo significatur per brauium. 1. *Cor.* 9. Hoc brauium datur à principe omnium maximo: datur athletis victoriosissimis, videl. illis qui vicerunt diabolum, mundum, peccatum & mortem: datur fruendum in omnem æternitatem.

Decima ascensio. Postremum nomen felicitatis æternę est corona justitiæ. 1. *Cor.* 9. 2. *Tim.* 4. Hanc coronam nobis imponet justus judex, illaque nos totos circumdabit: quæ tanto erit illustrior, quanto paucioribus illa continget.

Conclusio. Hæ sunt ascensiones mentis in vitam æternam. Quibus explicatis, hoc superest, vt ad felicitatem illam tum in se maximam & eminentissimam, tum ab omnibus hominibus inprimis expetendam & procurandam, ineamus viam illam, quæ eo perducit; vt nempe simus boni hortulani vel saltem bonæ herbæ, domestici Dei, ciues sanctorum, operarij assidui, conuiuæ digni, negotiatores qui bene collocent, talentum hospites nuptiales, strenui cursores, & denique fortes athletæ: quia hæ sunt decem viæ, per quas ascendimus in vitam æternam agendo, quemadmodum mens per decem nomina parabolica ascendit contemplando. Hanc praxin adjunge theoriæ, ô dilecta mea, quam coronidis loco sic affari libet:

O mea mens sursum mortalem dirige cursum!
Despice regna soli, suspice regna poli.

Alia

Alia dispositio.

DE MORTE ÆTERNA.

Exord. Quemadmodum vita æterna non potest in hac vita cogitatione comprehendi: ita nec mors æterna: ob id scil. quia est æterna. Sed rursus quemadmodum vitæ æternæ felicitas in Scriptura certis nominibus exprimitur: ita & mors æterna.

Propos. Præcipua nomina, quibus designatur æterna infelicitas impiorum, sunt numero octo.

Tractatio. Prima pœna est *privatio beatitudinis æternæ*: vt est aberratio ab vltimo fine, carentia visionis Dei, exilium sempiternum à cœlesti patria, amissio juris hæreditarij ad regnum cœlorum, demiq; jactura omnium bonorum in secula seculorum. Nã Christus dicet, *Ite maledicti.* *Matth.* 25. Altera pœna gehennæ sunt *tenebræ exteriores*: quæ erunt in anima in corpore, & in loco supplicij. *Matth.* 8. 22. 25. Tertia pœna apud inferos erit *supplicium horribile ignis perpetui* *Matth.* 3. 13. 25. *Marc.* 9. *Luc.* 3. *Isa.* 33. *Apoc.* 20. 21. Multa sunt ab hominibus excogitata supplicia: sed nullum acutius, nullum vehementius, nullum acrius igne. Quarta pœna est *vermis rodens & non moriens*, id est, conscientia peccati, quæ velut canis rabidus semper latrat, ac veluti vermis venenatus semper radit. *Esa.* 66. *Marc.* 9. Quinta pœna sunt *vincula illa*, quibus alligati reprobi se moveri non poterunt. *Matth.* 22. Nimirum conscientia ipsorum erit in perpetuo motu, corpora vero in vno semper loco iacebunt, quomodo videmus febricitantes perpetuo æstu vexari & corpora vno in loco manere. Sexta pœna apud inferos erit *societas diaboli & angelorum eius* *Matth.* 25. & ea quidem in stagno ignis & sulphuris. *Apoc.* 20. Septima pœna gehennæ est *fletus*, octava *stridor dentium*: quæ duæ pœnæ sequuntur ex prioribus. *Matth.* 8. *Luc.* 13. *Matth.* 13. 22. 25.

Conclusio. Hæc quotidie cogita, deuota anima, & adde illa nomina loci: Infernus, Gehenna, Carcer, & similia. Ita enim est, vt vulgo dicitur: *Memento esse gehennæ facit non incidisse in gehennam.*

CAP. XXVI.

De concionibus per totum scripturæ corpus.

PRÆCEPTA.

Supersunt conciones per totum scripturæ sacræ systema.

Concionum istarum occurrit aphoristica designatio, & diexodica tractatio.

Aphoristica designatio est, qua conciones per totam Scripturam, breuissime delineantur: cuius rei specimen hic exhibemus.

Diexo-

Diexodica tractatio est, qua conciones per totam Scripturam plenissime consignantur: quales occurrunt in homiliis Patrum & aliorum doctorum.

REGVLÆ.

I. Aphoristica & diexodica concionum textualium ratio iisdem gubernatur regulis, quibus regitur dispositio locorum communium.

Hac de re vide cap. præced. sub initium, vbi aliquot regulas proposuimus non infructuosas, nisi vehementer fallor.

II. Varietas concionum textualium ad certa capita & classes debet reduci.

Sunt enim conciones Dominicales, Festales, Nuptiales, Funebres, Typicæ &c. quemadmodum in margine ad singulas conciones annotauimus. Hic non possum quin adnotem illud de nomenclatura Dominicarum, quod appellantur nominibus istis. Exaudi, Jucunditatis, Reminiscere &c. cujusmodi appellationes in concionibus textuum Dominicalium possunt fungi vicem exordij vel conclusionis.

III. Aphoristica delineatio concionum per totum scripturæ corpus in singulis libris complectetur tria capita.

Primum caput est Memoriale Biblicum metro comprehensum, in quo argumenta capitum certis vocabulis exprimuntur, & singulis vocabulis mnemonicis numerus certus additur, quo notatur versus, ex quo nota mnemonica est desumta. Secundum caput est Oeconomia seu dispositio methodica totius libri. Tertium caput est dispositio concionum ad hos vel illos singulorum librorum textus.

QVARTA

QVARTA CLASSIS EXHIBENS

CONCIONES TEXTVALES PER TOTVM SCRIPTVRÆ CORPVS.

CONCIO PRÆLIMINARIS IN S. BIBLIA.

QVemadmodum in omnibus artibus & facultatibus diligens fit præparatio per prolegomena siue præcognita, in quibus *natura & studium* artis & facultatis docendæ & discendæ enarratur: ita in arte illa artium, & facultate facultatum illustrissima & amplissima, quam sacra Biblia nos docent, hujusmodi præparatio valde est necessaria. Principio *natura* hujus artis cognoscitur ex archelogia, hexilogia & technologia sacra. *Archelogia sacra* disserit de principijs scripturæ: quæ sunt duum generum, videl. essentiæ, & cognitionis. Principia essentiæ sunt externa & interna. Externa sunt efficiens & finis. Efficiens prima est Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus: secunda sunt amanuenses Dei, prophetæ & apostoli. Finis summus & vniuersalis est gloria Dei: subordinatus est salus æterna, quæ hic inchoatur, post hanc vitam conseruatur, & consistit in cognitione suprema veritatis, actione boni spiritualis, &, quæ inde resultat, voluptate theorica & practica. Causæ internæ sunt materia & forma. Materia sunt verba & res diuinæ. Forma externa est ipsa dispositio Bibliorum: interna est ἐνέργεια illa, quæ se exerit per vim & efficaciam in cordibus hominum commouendis. Principia cognitionis sunt dogmata sacra, quæ in Scripturis occurrunt. Principia ista sunt vera, necessaria, vniuersalia, & euidentia. *Hexilogia sacra* ostendit genus hujus facultatis, quod est partim sapientia, partim prudentia spiritualis. *Technologia sacra* edisserit differentiam huius facultatis ab aliis artibus, & ipsius antiquitatem, necessitatem, dignitatem & vtilitatem ob oculos ponit. Deinde *studium*, quod impendendum est huic arti sanctissimæ, continetur regulis sex & viginti, numero & ordine librorum Biblicorum, illorumque œconomia seu catena & chronologia, hoc modo:

REGVLÆ XXVI. IN LECTIONE SS. LITERARVM OBSERVANDÆ.

Quicunq; ad veram scripturarum sacrarum intelligentiam pertingere cupit: Is

I. Omni præiudicio, in lectione aut meditatione illarum misso, à sola veritate diuina instrui ac edoceri, paratus esto.

II. Dominum Deum ante omnia serio inuocato, sanctique Spiritus gratiam implorato.

III. In his vero omnibus nil nisi Dei gloriam, proximique ædificationem sibi propositam habeto.

IV. Quidquid in SS. literarū lectione vel auditione occurrit, ad Jesum Christum tanquam ad finem referto.

V. Hunc ita, vt in scripturis proponitur; agnoscito.

VI. Cordisque fiduciam in eo solo collocato.

VII. Omnia illarum dicta ad fidem.

VIII. Ad Charitatem.

IX. Ad alia deniq; SS. literarum testimonia conferto atq; examinato.

X. Ad verum illarum scopum diligenter attendito.

XI. Circumstantias omnes, personarum, loci, temporis, & similium.

XII. Phrases item & loquendi modos, accurate cogitato.

XIII. Interq; causas & effectus rite discernito.

XIV. Inter signa & res significatas.

XV. Et inter historicas seu proprias & allegoricas seu figuratas locutiones, legitime & accurate discernito.

XVI. Ordinem librorum in memoriæ imprimito.

XVII. Oeconomiam singulorum librorum discito.

XVIII. Ad capita catechetica omnia referto: itemq; ad quinq; illa capita, quæ in lectione scripturæ pro locis inuentionis theologicę accipi possunt, vt sunt *Doctrina, Redargutio, Institutio, Correctio, Consolatio.*

XIX. Præcipua dicta animo tuo seruanda commendato.

XX. Libros certos diligenter inter se conferto: vt cum Psalmis libros Samuelis, cum Prophetis libros Regum & Chronicorum, cum Epistolis Acta apostolorum.

XXI. Nonnullos libros præ aliis diligenter euoluito: puta Genesin, Psalmos, Esaiam, Acta apostolorum & epistolam ad Romanos.

XXII. Exemplar Bibliorum vnum idemque retineto, & in eo memoriam localem tibi parato.

XXIII. Chronologiam sacram breuiter cognoscito.

XXIV. Otium & opportunitatem sacram scripturam legendam quæ-
rito.

XXV. Certum tempus huic lectioni impendito: & ordinarie quidem horum ex matutinis primam, ex vespertinis vltimam: extraordinarie vero illud tempus, quo tentationes sunt molestæ.

XXVI. Semel intra anni spatium Biblia à capite ad calcem percurrito, hac ratione. Sunt psalmi 150. capita 777. librorum canonicorum veteris testamenti: capita 260. librorum noui testamenti. Qualibet ergo septimana legantur psalmi tres: capita 15. ex veteri Testamento, capita tria ex apocryphis, capita quinq; ex nouo Testamento.

VERSVS MEMORIALES DE NVMERO ET ORDINE LIBRORVM BIBLICORVM.

Libri Veteris Testamenti. XXXIX.

Post Geneses, Exod. Leui. Num. Deut. Iosua. Judex.
Ruth. Samuel. Reges. Cronica. Esra. Nehemia & Esther.
Iobus. Psalmographus. Prouerbia. Concio. Carmen.
Esa. Jer. Ez. Daniel. Hos. Joel. Amosus. Abadja.
Jonas. Micha. Nahum. Chab. Zeph. Hag. Zach. Malachias.

Libri Apocryphi XIV.

Jud. Sap. Tobias Sirach. Baruch. Machabæi.
Esth. Sus. Belq. Draco. tunc Asan. Tresq. Manasse.

Libri Noui Testamenti. XXVII.

Matthei. Marci. Lucæ. Johannis. & Acta.
Roma. Corinth. Galat. Eph. Phil. Col. Thess. Timo. Titusq.
Philem. ac Hebræi. Jac. Pet. Joh. Juda. reuelans.

OECONOMIA ET VELVTI CATENA SS. BIBLIORVM.

Oeconomia librorum Biblicorum.

Libri sacrorum Bibliorum sunt Veteris vel Noui Testamenti. *Libri veteris testamenti* sunt Canonici vel Apocryphi.

Libri Canonici V. T.

Libri canonici sunt historici, dogmatici, vel prophetici. *Libri historici*

sunt numero septendecim, & describunt res gestas, vel ante possessionem Canaan, vt *quinq; libri Mosis*; è quibus *Genesis* describit originē ecclesiæ reliqui ipsius gubernationem per legem promulgatā generaliter in *Exodo*, specialiter quoad ecclesiastica in *Leuitico*, quoad politica in *Numeris*: & per legem iteratam in *Deuteronomio*: vel in ipsa possessione terræ promissæ, vt liber *Iosuæ* vel post illius terræ possessionē, vbi statum populi Dei sub Iudicibus describunt *Liber Iudicum, Ruth, & primus liber Samuelis* exponet statum sub regib. enarrant *posterior pars libri primi Samuelis, liber Samuelis secundus, duo libri Regū, duo libri Chronicorū seu paralipomenon*: statum denique post collapsam remp. persequentur *Esdras, Nehemias & Esther*. Quinque libri Mosis appellantur *Pentateuchus*; liber *Iosue, Iudicū & Ruth triteuchus*. Octo isti libri vocantur *octateuchus*. Quanquā posterior illa nomenclatura imponi etiā potest octo libris sequentibus, ita vt liber Esdræ & Nehemiæ in vnū compingantur volumē. Nā Hebræis liber Esdræ dicitur primus Esdræ, & liber Nehemiæ secundus Esdræ. Hic memineris duos libros Samuelis etiā vocari primum & secundū librum regū, ita vt sint quatuor libri Regū. *Libri dogmatici* appellātur poetici: suntq; numero quinq; *Iob, Psalmi, Prouerbia, Ecclesiastes & Canticum canticorum*. *Libri prophetici* sunt numero sedecim. Sunt autem quatuor prophetæ majores, è quibus *Esaias & Jeremias* ante captiuitatem, *Ezechiel & Daniel* in captiuitate prophetarunt. Duodecim sunt minores, quos Hebræi in vnum compingunt volumen, quod Græcis Patribus dicitur βίβλος δωδεκαπρόφητος. Ex duodecim istis prophetis nouem priores vaticinati sunt ante captiuitatem, videl. *Hoseas, Joel, Amos, Obadias, Jonas, Micheas, Nahum, Habacuc & Sophonias*, tres posteriores, *Haggæus, Zacharias & Malachias* post captiuitatem, qui appellantur *Triumuiri sacri*, & nominatim Malachias vocatur terminus Veteris Testamenti.

Libri Apocryphi. V. T.

Libri Apocryphi (sic dicti, quod in dogmatibus fidei probandis nō debeant proferri) sunt partim integra scripta, vt *Judith, Sapientia, Tobias, Sirachus, Baruchus, libri Maccabæorum, & Oratio Manasse*: partim additiones quædam ad libros Canonicos, vt Estheram & Danielem. Ex his sunt duo didascalici, vid. liber Sapientiæ & Siracides, siue Ecclesiasticus: reliqui sunt historici.

Libri N. T.

Libri noui Testamenti eodem modo vt libri veteris Testamenti, sunt historici, dogmatici, & prophetici. *Libri historici* describunt statum Christi vel primitiuæ Ecclesiæ. Ibi sunt *quatuor Euangelia*, videlicet *Matthæi, Marci, Lucæ & Johannis*, hic sunt *Acta apostolorum*. *Libri dogmatici* siue doctrinales sunt epistolæ, quæ sunt

exarata

mente à Paulo, vel ab alijs Apostolis. *A Paulo scripta Epistola* sunt partim libres, numero quatuordecim è quibus aliæ sunt scriptæ ad certas Ecclesias, aliæ ad certas personas. Sunt autem hæc: *Epistola ad Romanos, duæ ad Corinthios, una ad Galatas, una ad Ephesios, una ad Philippenses, una ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, una ad Titum, una ad Philemonem, una ad Hebræos. Epistolæ ab alijs Apostolis scriptæ* sunt septem, atque fere Catholicæ, exceptis duabus posterioribus Johannis. A potiori nomen sit denominatio, & septem Catholicæ epistolæ vulgo nominantur. Ordo harum epistolarum hic est: *una Iacobi, duæ Petri, tres Iohannis, una Iudæ. Liber Prophetarum* hic est unus: videlicet *Apocalypsis Iohannis*.

CHRONOLOGIA VETERIS TESTAMENTI.

Chronologia Geneseos.

CHRONOLOGIA *Geneseos* digeri commode potest juxta seriem Patriarcharum ante & post diluuium. Ita autem se habet natiuitas & vita Patriarcharum.

		An. M.
1.	Adam *formatur ex lima terræ.*	1
2.	Seth, *nascitur.*	130
3.	Enos, *nascitur.*	235
4.	Cenan, *nascitur.*	325
5.	Malaleël, *nascitur.*	395
6.	Jared, *nascitur.*	460
7.	Enoch, *septimus ab Adam, nascitur.*	622
8.	Mathusalem, *nascitur.*	687
9.	Lamech, *nascitur.*	874
10.	Noë, *decimus ab Adam nascitur.*	1056
11.	Sem *nascitur.*	1558
12.	Arphaxad *nascitur.*	1658
13.	Sala *nascitur.*	1693
14.	Heber, *nascitur.*	1723
15.	Peleg, *nascitur.*	1757
16.	Regu, *nascitur.*	1787
17.	Serug, *nascitur.*	1819
18.	Nahor, *nascitur.*	1849
19.	Thara, *nascitur.*	1878
20.	Abraham, *nascitur tempore Beluchi* [illegible] *regis Assyriorum.*	1948

Horum Patriarcharum tempora conferenda sunt cum Belo, Nino, Semiramide, & quinque sequentibus dynastis primæ Monarchiæ.

21. Isaac, *nascitur.*
22. Jacob, *nascitur.* 2041.
23. Levi, *nascitur.* 2108.
24. Kaath, *nascitur.* 2195.
25. Amram, *nascitur.* 2228.
26. Moses *septimus ab Abraham nascitur.* 2369.
2374.

Sic itaque Genesis continet historiam annorum 1370 numero rotundato, quia Exodus incipit à natiuitate Mosis. Cæterum versus memoriales hic teneantur isti,

Adam, Seth, Enos, Cainan Malaleelq́,
Jared, Enoch, viuax, Mathusla, Lamechque, Noathque,
Sem, post Arphaxad, Sala, Heber, deinde Pelegus,
Regu, tum Serug, Nabor, Tharah, Abrahamus,
Isaacus, Jacob, post Levi, Kaath, & Amram.

Chronologia Exodi & reliquorum librorum Mosis.

Chronologia Exodi, Leuitici, Numerorum & Deuteronomij hæc est. *Moses* nascitur anno mundi 2374. Idem quadragenarius occidit Ægyptium. Octogenarius vocatur à Deo, & educit populum ex Ægypto, anno mundi 2453. Post quadraginta dies lex promulgatur in monte Sinai. *Exod. 20.* Reliquo tempore hujus anni gesta sunt, quæ commemorantur ab Exodi cap. 21. vsque ad 40. Anno mundi 2454. qui est secundus ab exitu, gesta sunt, quæ continetur Exod. 40 & Leuit. 1. & deinceps, ita vt *Leuiticus* complectatur res gestas vno mense. *Liber numerorum* continet historiam annorum 38. ab anno mundi 2454. vsque ad 2492. & quidem ab initio mensis secundi anni secundi post exitum, vsque ad initium mensis vndecimi anni quadragesimi. *Deuteronomium* continet res gestas ab initio vndecimi mensis vsque ad septimum diem mensis duodecimi, anni quadragesimi ab exitu, adeoque habet historiam sesquimensis.

Chronologia libri Iosuæ, Iudicum & Ruthæ.

Liber Josua continet res gestas à morte Mosis, quæ incidit in annum mundi 2493. vsque ad mortem Josuæ, quæ incidit in annum mundi 2517. ac proinde est historia annorum 24. *Liber Iudicum* describit statum reip. Israeliticæ inde à temporibus Josuæ vsque ad judicem Eli: estque historia à morte Josuæ annorum 291. *Liber Ruthæ* continet historiam decem annorum, è quibus primum, videlicet 2670. & vltimum, puta 2680. enarrat, intermedios præterit.

Duces

Duces & judices Hebræorum hi sunt:

		An. M.		
1.	Moses, *moritur.*	2493.		
2.	Josua, *in ducatu succedit Mosi.*	2493.		
3.	Othoniel, *fit judex.*	2511.		2532.
4.	Ehud, *succedit.*	2551.		2612.
5.	Debora *succedit*	2631.		2652.
6.	Gideon *succedit.*	2671.		2692.
7.	Abimelech, *sosintruditur.*	2711.		2693.
8.	Thola, *succedit.*	2714.		2695.
9.	Jair *succedit.*	2737.	Juxta alios	2718.
10.	Jephthe, *succedit.*	2759.		2758.
11.	Ibizan, *succedit.*	2765.		2764
12.	Elon, *succedit.*	2772.		2771.
13.	Abdon, *succedit.*	2782.		2781.
14.	Samson *succedit.*	2790.		2789.
15.	Eli, *succedit.*	2809.		2810.
16.	Samuel, *succedit.*	2849.		2850.

Versus memoriales hic notentur isti:

Moses, Josua, & Othoniel, Ehud q, Debora,
Gideon, Abimelech, Thola, Jair Jephthe, & Ibizan,
Elon, post Abdon, Samson, Eli Samuelque.

Chronologia librorum Samuelis, Regum & Chronicorum.

Liber primus Samuelis describit res gestas sub Eli, Samuele & Saule: estque historia annorum 80. *Liber secundus* cõtinet historiam 40. annorũ, à morte Saulis vsque ad finem regni Dauidis. *Liber primus Regum* continet res gestas Salomonis, & quatuor sequentium regum Juda, & octo regum Israelis: estque historia annorum 118. *Liber secundus Regum* continet res gestas sedecim Regum Juda, & duodecim Regum Israelis: Estque historia 370. annorum. *Liber primus Chronicorum* continet Chronicon Pentateuchi, Josuæ, Judicum & vtriusque libri Samuelis. *Liber secundus Chronicorum* describit statum regni Judaici à Salomone vsque ad annum reditus ex captivitate Babylonica: estque annorum 472.

Leges

Reges Hebræorum hi sunt.

		An.M.
1.	Saul, *fit Rex.*	2882.
2.	Dauid *succedit socero.*	2889.
3.	Salomon, *succedit.*	2929.

Post obitum Salomonis regnum in duas partes diuiditur propter schismaticum Jeroboam, in regnum Juda & Israel. In ditione Roboam mansit tota tribus Juda, & dimidia Benjamin, regia item & metropolis Hierosolyma. Δυάδεκα vigintiregum Juda seu Hierosolymorum hæc est.

		An.M.
1.	Roboam, *fit Rex.*	2969.
2.	Abia, *succedit patri.*	2986.
3.	Assa *succedit Patri.*	2988.
4.	Josaphath, *succedit Patri.*	3029.
5.	Joram *succedit.*	3034.
6.	Achasia, *succedit.*	3062.
7.	Athalia, *fœmina, vidua Joram.*	3063.
8.	Joas, *vngitur Rex.*	3069.

Cum hoc connectitur Sardanapalus.

9.	Amasia *succedit Patri Joas.*	3109.
10.	Azarias, *qui & Vsias.*	3138.

Hujus anno trigesimo octauo instauratur ab Iphito prima Olympias.

11.	Jotham, *succedit Azariæ.*	3190.

Hujus anno nono contigerunt prima vrbis Palilia: & anno ejus decimoquarto incipit æra Nabonassari.

12.	Achas *succedit Patri Jotham.*	3208.
13.	Ezechias, *succedit Patri.*	3222.

Hujus anno octauo cœpit Babylone regnare Merodach.

14.	Manasse, *succedit Patri Ezechiæ.*	3251.
15.	Ammon *succedit Patri Manassi.*	3306.
16.	Josias, *sucedit Patri Ammon.*	3308.

Hujus anno decimooctauo incipit regnare Nabopalasser Pater Nebucadnezaris.

17.	Joachas *succedit.*	3337.
18.	Jojakim, *qui & Eliakim*, succedit.	3339.

Hujus anno quarto expeditio Nebucadnezaris in Syriam contigit.

19.	Joachin, *seu Jechonias succedit.*	3350.
20.	Zedechias, *vltimus succedit.*	3350.

Reges

Reges Israel, seu decem tribuum in Samaria fuerunt nouendecim, hoc ordine.

		An.M.
1.	Jeroboam, *fit Rex Israelis.*	2969.
2.	Nadab *filius Jerobami.*	2989.
3.	Baësa, *occidit Nadabum.*	2990.
4.	Ella, *Filius Baesa.*	3014.
5.	Zamri, *occidit Ellam & regnat septem dies.*	3015.
6.	Omri, *alias Amri, eligitur ab exercitu.*	3015.
7.	Achab, *succedit Patri Omri.*	3025.
8.	Achasias, *succedit Patri.*	3048.
9.	Joram, *succedit fratri Achasiæ.*	3049.
10.	Jehu, *diuinitus vocatur.*	3063.
11.	Joachas, *Filius Jehu.*	3091.
12.	Joas, *succedit Patri Ioachas,*	3107.
13.	Jeroboam, *secundus hoc nomine.*	3123.
	Hic contigit interregnum 22 annorum.	
14.	Zacharias, *succedit Jeroboamo, post interregnum.*	3180.
15.	Sellum, *percusso Zacharia inuadit regnum.*	3180.
16.	Menahem, *percutit Sellumum.*	3181.
17.	Pekaja, *filius Menahem.*	3194.
18.	Pekah, *percutit Pekajam.*	3196.
19.	Hoseas, *percutit antecessorem.*	3210.

Sub Hosea Salmanassar obsidet Samariam, & post triennium expugnat, finemque imponit regno Samariæ.

Versus memoriales de regibus Juda.

Saul, Dauid, Salomoon, dein noscito reges,
Roboam, & Abiam, tunc Assa, Josaphath, Joram,
Achasias, Athalia, Joas, Amazia, Azarja,
Jotham, Achas, Ezechia, Manasse, ac filius Ammon,
Josias, Joachas, Jojakim, Joachin, Zedekias.

Chronologia libri Esdræ, Nehemiæ & Estheræ.

Liber Esdræ & Nehemiæ pertinet ad historiam Artaxerxis Mnemonis, qui à Judæis vocatur Artachsasta Magnus, quod ejus permissu Nehemias venerit Hierosolymam, & per annos 12. instauraverit muros ciuitatis. Floruit autem iste Artaxerxes anno mundi 3545. Octauus in serie regum Persiæ. *Liber Esthera* continet partem eorum, quæ gesta sunt sub Ahasvero, quem Judæi Rium cognominant. Hic est Xerxes, maritus Estheræ, & fi-

 euit

tuit anno mũdi 3465. Hic memineris librum Esdræ continuare historiam Chronicorum: nempe ab edicto Cyri vsque ad annum 19. Artaxerxis Mnemonis, ita vt complectatur res gestas per annos 125. In libro Nehemiæ est historia 69. annorum, à 20. anno Artaxerxis Mnemonis vsque ad regnum Darij Codomanni. Hic accipe versus memoriales de successione decem regum monarchiæ Persicæ.

Cyr. Camb. Hystaspis, tum Xerxes, Longimanusque;
Hinc Nothus, & Mnemon, Ochus, Arses, & Codomannus.

Chronologia librorum Poeticorum.

Liber Iobi putatur à Mose scriptus. Iob videtur vixisse, quo tempore Israelitæ in Ægypto degebant. Nam post latam legem non licuisset alibi quam coram arca vel tabernaculo Dei sacrificare, sine singulari mandato. Amicorum ejus vnus fuit è posteris Abrahami, alter Naboris, alij Esavi. *Liber Psalmorum* continet odas & hymnos sacros, quales in veteri Ecclesia fuerunt inde à Mose vsque ad funesta tempora Antiochi Epiphanis. Plerique Psalmi sunt Dauidis. Sunt numero centum quinquaginta. Apud Græcos tamen legitur etiam psalmus quinquagesimus primus, in quo Dauid prædicat, se à vita pastoritia ad regnum Dei beneficio euectum esse, & Goliathum prostrauisse. Hebræorum nonnulli existimant Esdram collegisse omnes Psalmos: alij hoc tribuunt viris magnæ Synagogæ, siue Sanhedrin. *Proverbia*, *Ecclesiastes* & *Canticum Canticorum* sunt prosecta à Salomone.

Chronologia librorum Propheticorum.

Esaias cœpit docere circa annum mundi 3138. & quidem fuit sub quatuor regibus, Oza (qui & Azarias) Jotham, Achazo & Ezechia. Ad minimum prophetauit annos 45. Hebræi Amozum, patrem Esaiæ, volunt fuisse fratrem Amaziæ regis. *Jeremias* prophetauit in Judæa sub Josia, Joachimo & Zedekia, per annos nimirum 43. Cœpit prædicare anno 13. Josiæ, anno mundi 3318. Tandem in Ægyptum fuit cum alijs deportatus, & ibi aliquamdiu prophetauit. Fuit è genere sacerdotali. *Ezechiel*, itidem oriundus è genere sacerdotali, prophetauit inter deportatos, in Mesopotamia regione Chaldææ. Cœpit munere suo fungi circa annum mundi 3350. quo Jechonias (& cum eo Jeremias) fuit deportatus à Nebucadnezare. *Daniel*, de tribu Judæ, & ipse fuit Babylonem deportatus, ibique vixit sub Nebucadnezare, Belsazare, Dario Medo & Cyro. *Hoseæ* Ἀνθρωπος Esaiæ, docuit apud Israelitas, regnante Jeroboamo II. Circa annum mundi 3138. Functus est suo officio annos 70. *Joel* putatur vixisse tempore Hoseæ: quia res, de quibus agit, incidunt in Vsiæ & Jeroboami II.

tempor-

pora. Prophetauit in Judæa. *Amos* eodem vixit tempore, vt colligere ex titulo prophetiæ. Habet historiam 10. annorum. *Obadias* existimatur vixisse Jeremiæ & Ezechielis tempestate, circa annum mundi 3358. *Jonas* vixit sub Jeroboamo II. circa annum mundi 3123. Ejus prophetia cõplectitur historiam 8. annorum. *Micha* docuit sub Jotham, Achas & Ezechia, circa annum mundi 3198. *Nahum* quibusdam videtur prophetasse sub finem regni Josiæ, circa annum mundi 3337. Alij eum collocant sub Ezechia. Hebræi Joëlem, Nahumum & Habacucum vna vixisse sub Manasse contendunt. *Habacuc* contemporaneus fuit Nahumo. *Sophonias* tẽporibus Josiæ post reformatam Ecclesiam prophetauit, circa annum mũdi 3316. *Haggæus* anno secundo Darij Nothi qui est annus mundi 3527. altero post mense *Zacharias* docere cœpit. Ambo hortantur ad instaurandum templum. *Malachias*, templo restructo & cultu restituto, profanationes ejus nefarias redarguit. Videtur docuisse circa annum mundi 3537. Hebræi autumant Esdram & Malachiam esse eundem. Vulgo hac serie historica numerantur prophetæ: vndecim vixerunt ante captiuitatem Babylonicam, *Ionas*, *Hoseas*, *Amos*, *Esaias*, *Micheas*, *Nahum*, *Ioel*, *Habacuc*, *Ieremias*, *Sophonias*, *Obadias seu Abdias*: duo in captiuitate, *Ezechiel*, & *Daniel*: tres post captiuitatem, *Haggæus*, *Zacharias*, *Malachias*.

Chronologia librorum Apocryphorum.

Liber Iudith alijs videtur continere fictam tragœdiam, alijs historiam, quæ nonnullis refertur ad res Cambysis, nonnullis ad tempora Darij Hystaspis, nonnullis etiam ad tempus Manassis. *Sapientia Salomonis* sic dicitur non ab authore, sed ab argumento. Scriptus enim est hic liber à Philone Judæo Alexandrino, qui vixit tempore Caligulæ Imperatoris, apud quem gentis suæ causa legatione functus est contra Apionem grammaticum legatum Græcorum Alexandrinorum, qui Iudæis Alexandriæ habitantibus multa exprobrabant crimina. Liber hic ab Epiphanio & Hieronymo vocatur πανάρετος: quæ ipsa nomenclatura etiã tribuitur Ecclesiastico. *Liber Tobiæ* cõtinet historiam, quæ pertinet ad tẽpora Salmanassaris, à quo Tobias fuit deportatus. Pertinet itaq; ad annum M. 3227. *Liber Siracidis*, alias vocatur Sapientia Iesu, filij Sirachi: item Ecclesiasticus, quod in Ecclesia frequenter legeretur, ob varias sententias, quarum vsus est in formãda pij hominis vita. Siracides, author hujus libri, vixit circa annum M. 3700. Ipse enim scribit, se in Ægyptum venisse sub Euergete. *Liber Baruchi* scriptus est à Barucho scriba, cujus Ieremias facit mentionem *ca 36. v. 32.* *Liber primus Maccabæorũ* recitat res gestas sub Antiocho Epiphane, Eupatore, Demetrio Sotere, Alexandro Epiphane, Demetrio Nicanore, & Antiocho Sidete, per

te, per annos fere 40. *Liber secundus Maccabæorum* continet historiam annorum fere 14. à fine Seleuci Philopatoris ad tempora vsq; Antiochi Eupatoris. Duobus hisce libris additur *tertius*, qui ordine historia est primus. Nam habet gesta sub annum quartum Antiochi Magni, qui est annus M. 3729. Cæterum libri Maccabæorum scripti sunt à Josepho, sacerdote Hierosolymitano, qui à Vespasiano captus cum Tito filio ejus relictus est Hierosolymis, & postea Romam venit. *Additiones ad Estheram & Danielem* habent manifestam Chronologiam ex libris, quorum dicuntur esse fragmenta. *Oratio Manassis* nomen habet à rege qui vixit circa annum M. 3251.

Hoc loco teneatur successio & Chronologia regum tertiæ monarchiæ, quæ est Græcorum in Ægypto.

		An. M.
1.	Alexander Magnus.	3619.
2.	Ptolemæus Lagus.	3616.
3.	Ptolemæus Philodelphus.	3666.
4.	Ptolemæus Euergetes.	3703.
5.	Ptolemæus Philopator.	3729.
6.	Ptolemæus Epiphanes.	3746.
7.	Ptolemæus Philometor.	3770.
8.	Ptolemæus Euergetes II. cognomento Physcon.	3805.
9.	Ptolemæus Lathurus.	3834.
10.	Ptolemæus Lathurus redux.	3860.
11.	Ptolemæus Auletes.	3868.
13.	Cleopatra.	3899.

Operæ quoque pretium fuerit hoc in loco recitare successionem & Chronologiam Regum Syriæ seu Assyriæ.

1.	Seleucus Nicanor.	3638.
2.	Antiochus Soter.	3668.
3.	Antiochua Theos.	3689.
4.	Seleucus Callinicus.	3704.
5.	Seleucus Ceraunus.	3724.
6.	Antiochus Magnus.	3726.
7.	Seleucus Philopator.	3763.
8.	Antiochus Epiphanes.	3775.
9.	Antiochus Eupator.	3786.
10.	Demetrius Soter.	3788.
11.	Alexander Bala.	3798.
12.	Demetrius Nicanor.	3804.
13.	Antiochus Entheus.	3809.

14. Antiochus Sidetes, seu Soter. 3811.
15. Antiochus Grypus. 3826.
16. Antiochus Cyricenus. 3834.

CHRONOLOGIA LIBRORVM NOVI TESTAMENTI.

Chronologia quatuor euangeliorum & actorum Apostolorum.

Theophylactus author est, *Matthæum* octauo. *Marcum* decimo, *Lucam* decimoquinto, *Johannem* trigesimo secundo anno post ascensionem Domini scripsisse historiam euangelicam. *Matthæus* (qui & Leui) vocatus est à Christo ad apostolatum, & putatur euangelicam historiam scripsisse ad confirmationem Judæorum, cũ ab illis ad gentes in Macedoniam & Æthiopiam concederet. Fertur capite plexus esse in Æthiopia. *Marcus & Lucas* à Theophylacto ponuntur inter 70. discipulos Christi. Sed ex initio euangelij Lucæ patet, ipsum inter Christi familiares non vixisse. Eusebius refert, Marcum à Romanis rogatum scripsisse euangelium, quod Petrus confirmauerit. Videtur esse is, quem Petrus 1. *epist. cap. 5.* filium suum vocat, nempe conuersione aut charitate. Lucas ex Pauli Apostoli comitibus fuit, domo Antiochenus, professione medicus & pictor. Idem est, qui scripsit etiam Acta apostolorum. *Johannes*, charissimus Christo discipulus, euangelium scripsit aduersus Cerinthum alios que hæreticos, rogatus ab Asiæ Episcopis. Mortuus est anno 68. post Christi passionem. *Acta apostolorum* sunt Chronica quædam primitiuæ in nouo Testamento ecclesiæ. Complectuntur historiam annorum 31. ab anno nempe 20. Tiberij, & hinc sub Caligula & Claudio vsque ad 10. annum Neronis.

Chronologia Epistolarum.

Ad epistolas quod attinet, de tẽpore & loco, quo singulæ scriptæ sunt, non est facile statuere. Neque enim subscriptiones, quæ ad calcem sunt additæ, cum veritate historiæ omnino consentiunt. Probabiliter tamen hæc adferuntur à classicis scriptoribus. Paulus videtur scripsisse *ad Romanos* Corintho, anno 56. Christi nati, conuersionis suæ 22. Claudij 14. *Primam ad Corinthios* Epheso, anno Christi 60. conuersionis 26. Neronis 4. *Secundam ad Corinthios* Philippis, anno Christi 61. *ad Galatas* Antiochia, vel, vt alij volunt, Roma: *Ad Ephesios, Philippenses, & vtramq; ad Colossenses*, Roma; & illam quidem anno Christi 59. istam 60. has. 55. *Primam ad Timotheum* Laodicea, *secundam* Roma: ad *Titum* Nicopoli Macedoniæ, anno Christi 57: *ad Philemonem* Roma: *Ad Hebræos* itidem Roma. Hinc

patet, Paulum pleraſq; epiſtolas ſcripſiſſe ex vinculis, cum Romæ captiuus eſſet. Cæterum Paulus ſuperſtes fuit ad annum Chriſti 70. & docuit per annos 36. Itaq; vixit ſub Tiberio quatuor annos, ſub Caligula quatuor, ſub Claudio quatuordecim, totidem ſub Nerone, cujus juſſu plexus eſt capite, anno poſt Chriſti paſſionē 37. juxtā Hieronymū. *Jacobus Apoſtolus*, frater, id eſt cognatus Domini, epiſtolam ſuam ſcripſit ante annum Chriſti 63. quo fertur Hieroſolymis eſſe trucidatus. Appellatur Jacobus Juſtus & Oblias, itē Jacobus Alphæi ad differentiā alterius Jacobi. Fuerunt enim duo apoſtoli hoc nomine: puta Jacobus Zebedæi, & Jacobus Alphæi. Illius frater fuit Johannes, huius Judas author epiſtolæ. *Petrus* Apoſtolus, annotante Marco Antonio de Dominis li. 1. de repub. eccl. c. 4. poſt concilium Hieroſolymitanū in oriente prædicauit, videl. in Ponto, Cappadocia, Aſia, Bithynia, & alibi, & poſtremo ſe contulit Romā anno Neronis 12. & vix ad pauculos menſes illic vt hoſpes vixit, martyrijq; coronā accepit. Cæterum epiſtolam ſuam primam ſcripſit Babylone: vbi alteram exarauerit, non cōſtat. *Iohannes* euangeliſta & Apoſtolus ſcripſit tres epiſtolas. Verisimile eſt illas Epheſi exaratas eſſe, vbi Johannes obiit morte naturali circa annum Domini 104. tametſi alii exiſtimant illum ſub Traiano fuiſſe occiſum. Sūt qui exiſtimant tres iſtas epiſtolas non à Johanne euangeliſta eſſe ſcriptas, ſed ab alio quodam Johanne theologo & presbytero. Sed cōuenientia rerum & ſtyli arguit eundem eſſe authorem & euangelii & trium harum epiſtolarum. *Judas*, frater Jacobi, ſcilicet eius, qui fuit frater, id eſt cognatus Domini, videtur ſuam epiſtolam ſcripſiſſe Hieroſolymis, vbi Jacobus fuit epiſcopus. Appellatur Judas Thaddæus & Lebbæus, vt diſtinguatur ab Iſcariote. Et Thaddæus quidem dicitur à confeſſione, Lebbæus autem ab inuicto animo. *Apocalypſis* ſcripta eſt à ſan. Johanne Apoſtolo, poſtquam ſub imperatore Domitiano fuit relegatus in Pathmum inſulam.

TABVLA CHRONOLOGIÆ NOVI TESTAMENTI.

Anni imperatorum.	Anni Chriſti.	
Auguſti 42.		Chriſtus naſcitur.
Tiberii 15.	30.	Chriſtus baptizatur.
20.	35.	Chriſtus patitur.
21.	36.	Stephanus lapidatur. Paulus conuertitur. Perſecutio prima, in qua diſcipuli diſperguntur.
Caligulæ.		
1.	40.	Paulus venit Hieroſolymam, ibique vidit Petrum.
2. 3. 4.	41. 42.	Pax in Judæa, Galilæa & Samaria.

Claudii

Claudij
3. 43. Ecclesia in his locis crescit.
44. Jacobus ab Agrippa occiditur.
4. 5. 45. 46. Petrus in Palestina, Paulus in Syria & Cilicia, præsertim in sua patria Tarsi docet.
6. 47. Paulus cum Barnaba venit Hierosolymam. Petrus è carcere liberatus pergit Antiochiam.
9. 50. Synodus apostolorum celebratur.
11. 52. Paulus disputat Athenis.
Neronis.
7. 61. Paulus Romæ docet, Petrus vero post concilium apostolorum prædicat in oriente, videl. in Ponto, Cappadocia, Asia, Bithynia, &c.
12. 67. Simon magus Romæ iterum debacchatur. Accurrunt Petrus & Paulus, prosternunt magum, & martyrio coronantur.

I. CONCIONES IN GENESIN.

Memoriale Geneseos. Cap. 50.

1 16 6 8 24
Mundus, Lex fertur, Peccatur, Abelus, Enochus,
22 7 18 15 1
Arca fit, Intrat, Abit, Fœdera, Noachidæ.
4 1 7 9 6
Turris, Ii Abramus, pastores, Pugna, Fidelis,
3 11.12 27 24 2
Hagar, Mas, Puluis, Versa Gomorrha, Soror.
1 2 2 67 26
Sara parit, Mactat, Moritur Sara, Nubit, Esauus,
7 21 12 18 37
Falsa soror, Tactus, Scala, Rahel, Baculi.
23 30 17 2 18
Labanus, Phanuel, Succoth, Dina, Benjaminus,
1 28 4 8 12
Esauidæ, Vendunt, Ger, Pudor, Eloquitur.
25 24 34 12 3
Somnia, Vas Simeon, Prandent, Inuentio, Notus,
5 3 1 1 1
Ii, Pecudes, Æger, Vaticinatur, obit.

Oeconomia Geneseos.

Genesis enarrat mundi creationem & primam administrationem

I. Histo-

I. Historia creationis explicat res creatas communiter, *cap.1.* & hominis statum à creatione singulariter, *cap.2.*

II. Historia primæ administrationis mundi continet res gestas in mundo veteri ante diluuium *vsq; ad cap.8.* & res gestas in mundo renouato post diluuium, *reliquis capitibus 39.*

Ad historiam mundi veteris pertinent tria I. Lapsus primi hominis, *cap.3.* II. Posteritas Adami, eaque duplex, vna dolenda, nempe Caini & Abelis, *cap.4.* altera eligenda in Setho, *cap.5.* III. Historia diluuij; cujus explicatur tum denunciatio, eaq; triplex, *cap.6.* tum executio *cap.7.*

Historia mũdi post diluuium instaurati, est de modo & ordine instaurationis, *cap.8.* Et de mundi instaurati statu, vbi quinque sunt partes, secundum seriem quinque patriarcharum, videl. Noe, Abrahami, Isaaci, Jacobi & Josephi.

I. Noachi describitur benedictio, *cap.9.* & familia, eaque cum propagata, *cap.10.* tum dispersa, *cap.11.*

II. Abrahami historia complectitur tempus vocationis & confirmationis. Tempus vocationis & promissionis tres habet periodos: vnam profectionis duplicis, *cap.12.* alteram versionis ex Ægypto, *cap.13.* tertium commorationis in Canaan, vbi sunt res gestæ Abrahami, ratione Lothi, *cap.14.* Dei, *cap.15.* & vxoris, *cap.16.* Tempus confirmationis respicit fœdus Dei cum Abrahamo. Fœderis huius substantia est *cap.17* effecta varia: videl. ex parte Dei & ex parte Abrahami. Ex parte Dei est communicatio consilio rum, *cap.18.* & beneficiorum, puta liberationis Lothi, *cap.19.* Condonatio infirmitatum Abrahami *cap.20.* Et exemplum benignitatis in filios, *cap.21.* Ex parte Abrahami est officium fidelis obsequij erga Deum *c.22.* humanitatis in sepultura sacræ *cap.23.* & pietatis in matrimonio Isaaci, *cap 24.*

III. Historia Isaaci complectitur genus illius *cap.25.* & res gestas, eas; tum exteras *cap.26.* tum domesticas, *c.27.*

IV. Historia Jacobi continet res ipsius gestas, & discretionem ab Esauo. Res gestæ considerantur juxta tres periodos. *Prima* est peregrinationis in Mesopotamiam: vbi est institutæ profectionis ratio, *cap.25.* Successus ejus *c.29.* Et benedictio Dei, *c.20.* *Secunda* periodus est reuersionis Jacobi ex Mesopotamia, *c.31.* *Tertia* est commorationis in Canaan: vbi est partim congressus cum Esauo, & is ratione præparationis, *c.32.* & ipsius modi ac euentus, *c.33.* Partim progressus infelix ratione Dinæ *c.34.* & Rachelis mortuæ *c.35.* Discretio Jacobi ab Esauo est *c.36.*

V. Historia Josephi habet continuatam Jacobi historiam permixtam. Duæ sunt ipsius partes. Una rerum aduersarum quę Jacobo & Josepho acciderunt *vsq; ad c.40.* altera rerum secundarum quæ vtrique euenerunt,

ſq. ad finem libri. Rerum aduerſarum tria ſunt documenta: videl. Joſephi venditio, *cap.* 37. inceſtus Judæ, *cap.* 38. & incarceratio Joſephi, *cap.* 39. Rerum ſecundarum itidem ſunt tria documenta: videlicet 1. Joſephi exaltatio, eaque tum priuata, *c.* 40. tum publica, *cap.* 41. 2. Joſephi notitia, eaque ratione decem fratrum abſque Beniamine, *c.* 42. & ratione eorundem cum Beniamine, vbi eſt exceptio eorum *c.* 43. & exploratio nona *c.* 44. & lætitia *c.* 45. 3. Deſcenſus Jacobi in Ægyptum, vbi eſt hiſtoria profectionis in Ægyptum, *c.* 46. & commorationis, quæ deſcribit ſtatum Jacobi in Ægypto, *c.* 47. tum res geſtas reſpectu Joſephi, *c.* 48. & reliquorũ fratrum *c.* 49. tum deniq; res poſt mortem conſecutas *c.* 50.

Typicam ſiue tabellarem diſpoſitionem Geneſeos vide *lib.* 2. *prægnit. theol. pag.* 89. Chronologiam *ibid. p.* 440. *& ſupra in concione præliminari Bibliorum.* characterem deniq; & ſummariam conſiderationem *lib.* 2. *prægnit. theol. cap.* 118.

Gen. 1. v. 1. & ſeqq. per totum. & c. 2. v. 1. 2. 3.

Hoc capite deſcribitur κοσμογονία ſiue κοσμοποιία à tempore, modo, efficiente, & rebus conditis illarumque ordine & attributis. *Tempus* exprimitur his verbis, *In principio.* Quæ verba ſunt accipienda de principio & mundi, & temporis: quod fuit tempore verno ante Chriſtum in carne manifeſtatum annis 3949. ante annum præſentem 5570. *Modus κοσμογονίας* continetur verbo *Creauit.* Creare autem ſemper eſt nutu ſiue voce imperij abſoluti aliquid producere, idque vel ex nihilo, vel ex ente indiſpoſito, ſine motu, in inſtanti. Utrumque nonniſi vi infinita Dei poteſt fieri: quippe qui ea quæ non ſunt, vocat vt ſint, quomodo rex aut princeps vocando ſeruum & aliquid jubendo, rem efficit. Prior creatio dicitur immediata, poſterior mediata. Priori modo Deus omnia, poſteriore corpus hominis creauit. *Efficiens* continetur voce *Elohim*, quæ notat tres perſonas ſacroſanctæ Trinitatis, cui Scriptura creationem mundi paſſim attribuit. *Res conditæ* exprimuntur generali illa dichotomia globi ſuperioris & inferioris: *Cœlum & terram. Ordo rerum conditarum* continetur hexaemero, & ſabbato. *Hexaemeron* complectitur creationem trium domiciliorum, videl. cœli, aquæ & terræ, & incolarum, vti ſunt angeli & aſtra in cœlo, piſces in aqua, beſtiæ terreſtres & homo in terra: vbi eſt pulcherrima συμμετρία, & diuiniſſima ἀκριβεία. Nam Deus creaturas ſimpliciſſimas primo produxit, puta angelos, lucem, & cœlum: poſtea elementa: tum ſtellas, piſces & beſtias terreſtres: vltimo denique loco hominem, qui conſtat ex natura inuiſibili & viſibili, tanquam colophon & apex creationis. *Attributum commune* omnium creaturarum fuit magna bonitas: *proprium & ſingulare attributum hominis*

I. Historia creationis explicat res creatas communiter, *cap.1.* & hominis statum à creatione singulariter, *cap.2.*

II. Historia primæ administrationis mundi continet res gestas in mundo veteri ante diluuium *vsq; ad cap.8.* & res gestas in mundo renouato post diluuium, *reliquis capitibus 39.*

Ad historiam mundi veteris pertinent tria I. Lapsus primi hominis, *cap.3.* II. Posteritas Adami, eaque duplex, vna dolenda, nempe Caini & Abelis, *cap.4.* altera eligenda in Setho, *cap.5.* III. Historia diluuij; cujus explicatur tum denunciatio, eaq; triplex, *cap.6.* tum executio *cap.7.*

Historia mũdi post diluuium instaurati, est de modo & ordine instaurationis, *cap.8.* Et de mundi instaurati statu, vbi quinque sunt partes, secundum seriem quinque patriarcharum, videl. Noe, Abrahami, Isaaci, Jacobi & Josephi.

I. Noachi describitur benedictio, *cap.9.* & familia, eaque cum propagata, *cap.10.* tum dispersa, *cap.11.*

II. Abrahami historia complectitur tempus vocationis & confirmationis. Tempus vocationis & promissionis tres habet periodos: vnam profectionis duplicis, *cap.12.* alteram versionis ex Ægypto, *cap.13.* tertium commorationis in Canaan, vbi sunt res gestæ Abrahami, ratione Lothi, *cap.14.* Dei, *cap.15.* & vxoris, *cap.16.* Tempus confirmationis respicit fœdus Dei cum Abrahamo. Fœderis huius substantia est *cap.17* effecta varia: videl. ex parte Dei & ex parte Abrahami. Ex parte Dei est communicatio consilio rum, *cap.18.* & beneficiorum, puta liberationis Lothi, *cap.19.* Condonatio infirmitatum Abrahami *cap.20.* Et exemplum benignitatis in filios, *cap.21.* Ex parte Abrahami est officium fidelis obsequij erga Deum *c.22.* humanitatis in sepultura sacræ *cap.23.* & pietatis in matrimonio Isaaci, *cap 24.*

III. Historia Isaaci complectitur genus illius *cap.25.* & res gestas, easq; tum exteras *cap.26.* tum domesticas, *c.27.*

IV. Historia Jacobi continet res ipsius gestas, & discretionem ab Esauo. Res gestæ considerantur juxta tres periodos. *Prima* est peregrinationis in Mesopotamiam: vbi est institutæ profectionis ratio, *cap.25.* Successus ejus *c.29.* Et benedictio Dei, *c 20. Secunda* periodus est reuersionis Jacobi ex Mesopotamia, *c.31. Tertia* est commorationis in Canaan: vbi est partim congressus cum Esauo, & is ratione præparationis, *c.32.* & ipsius modi ac euentus, *c.33.* Partim progressus infelix ratione Dinæ *c.34.* & Rachelis mortuæ *c.35.* Discretio Jacobi ab Esauo est *c.36.*

V. Historia Josephi habet continuatam Jacobi historiam permixtam. Duæ sunt ipsius partes. Una rerum aduersarum quę Jacobo & Josepho acciderunt *vsq; ad c.40.* altera rerum secundarum quæ vtrique euenerunt,

vsq;

ad finem libri. Rerum aduersarum tria sunt documenta: videl. Josephi venditio, *cap.* 37. incestus Judæ, *cap.* 38. & incarceratio Josephi, *cap.* 39. Rerum secundarum itidem sunt tria documenta: videlicet 1. Josephi exaltatio, eaque tum priuata, *c.* 40. tum publica, *cap.* 41. 2. Josephi notitia, eaque ratione decem fratrum absque Beniamine, *c.* 42. & ratione eorundem cum Beniamine, vbi est exceptio eorum *c.* 43. & exploratio nouas *c.* 44. & lætitia *c.* 45. 3. Descensus Jacobi in Ægyptum, vbi est historia profectionis in Ægyptum, *c.* 46. & commorationis, quæ describit statum Jacobi in Ægypto, *c.* 47. tum res gestas respectu Josephi, *c.* 48. & reliquorũ fratrum *c.* 49. tum deniq; res post mortem consecutas *c.* 50.

Typicam siue tabellarem dispositionem Geneseos vide *lib.* 2. *prægnit. theol. pag.* 89. Chronologiam *ibid. p.* 440. *& supra in concione præliminari Bibliorum.* characterem deniq; & summariam considerationem *lib.* 2. *prægnit. theol. cap.* 118.

Gen. 1. *v.* 1. *& seqq. per totum. & c.* 2. *v.* 1. 2. 3.

Hoc capite describitur κοσμογονία siue κοσμοποιία à tempore, modo, efficiente, & rebus conditis illarumque ordine & attributis. *Tempus* exprimitur his verbis, *In principio.* Quæ verba sunt accipienda de principio & mundi, & temporis: quod fuit tempore verno ante Christum in carne manifestatum annis 3949. ante annum præsentem 5570. *Modus* κοσμογονίας continetur verbo *Creauit.* Creare autem semper est nutu siue voce imperij absoluti aliquid producere, idque vel ex nihilo, vel exente indisposito, sine motu, in instanti. Utrumque nonnisi vi infinita Dei potest fieri: quippe qui ea quæ non sunt, vocat vt sint, quomodo rex aut princeps vocando seruum & aliquid jubendo, rem efficit. Prior creatio dicitur immediata, posterior mediata. Priori modo Deus omnia, posteriore corpus hominis creauit. *Efficiens* continetur voce *Elohim*, quæ notat tres personas sacrosanctæ Trinitatis, cui Scriptura creationem mundi passim attribuit. *Res conditæ* exprimuntur generali illa dichotomia globi superioris & inferioris: *Cœlum & terram.* *Ordo rerum conditarum* continetur hexaemero, & sabbato. *Hexaemeron* complectitur creationem trium domiciliorum, videl. cœli, aquæ & terræ, & incolarum, vti sunt angeli & astra in cœlo, pisces in aqua, bestiæ terrestres & homo in terra: vbi est pulcherrima συστοιχία, & diuinissima ὑπαξία. Nam Deus creaturas simplicissimas primo produxit, puta angelos, lucem, & cœlum: postea elementa: tum stellas, pisces & bestias terrestres: vltimo denique loco hominem, qui constat ex natura inuisibili & visibili, tanquam colophon & apex creationis. *Attributum commune* omnium creaturarum fuit magna bonitas: *proprium & singulare attributum hominis*

fuit imago Dei, quæ erat spiritus & corporis immortalitas, facultatum animæ & corporis integritas, & in bruta omnia dominandi potestas. Atque hoc est hexaemeron, in quo dies primus, qui dicitur dies solis & feria prima, fuit dies creationis: secundus, dies distinctionis: tertius, quartus & quintus, dies ornatus, & ille quidem ornatus terræ, iste cœli stelliferi, hic aquæ. Dies sextus, qui dicitur dies Veneris, & feria sexta, fuit dies perfectionis & consummationis, quo homo tanquam paterfamilias introductus fuit in domum splendidissimam, amplissimam & instructissimam. *Sabbatum* fuit septimus dies, quo Deus quieuit ab omni opere suo, h. e. à creatione nouarum specierum, non vero indiuiduorum, quæ Deus absque intermissione creat. *Johan. 5. versiculo* 17. Hoc sabbatum dicitur creationis & legis, cui successit sabbatum Messiæ seu euangelij: quod vtrunque est symbolum sabbati cœlestis seu quietis æternæ, quod ab ecclesia Æthiopica appellatur sabbatum Enochi. Cæterum sabbatum fuit indicium, non lassitudinis Dei, sed perfectionis mundi, seu consummati operis, & acquiescentiæ Dei seu complacentiæ in perfecto opere. Atque hæc est historia primæ creationis: cujus allegoria est multiplex. *Primo* enim sex dies nobis ob oculos ponunt sex millenarios, quibus hic mundus creditur duraturus; & septimus dies est symbolum æterni sabbati. *Deinde* in septem istis diebus est illustris imago breuitatis vitæ nostræ: qua de re vide *nostram encyclopædiam pag.* 2083. *Tertio* heptazodion creationis est pictura, in qua contemplari licet heptazodion redemtionis siue nouæ creationis, vbi fauor Dei est lux & cœlum primi diei, quæ est porta creationis vtriusque: distinctio facta secundo die notat separationem hominis cœlestis & terrestris: ornatus terræ, cœli & aquæ significat ornatum hominis interioris: productio hominis notat reparationem imaginis Dei, quam sequitur sabbatum animæ internum & æternum. *Quarto* hexaemeron Mosaicum est Physica sacra, & scala quotidianæ ascensionis mentis in Deum.

Gen. 2. vers. 8. 18.

In topographia paradisi occurrunt tria: locus, fluuij & arbores. *Locus* fuit amœnissimus, in summa Chaldææ parte, quæ dicitur Auranitis ad Euphratem, contermina Mesopotamiæ, vbi segetes quotannis bis secantur, tertio depascuntur, & terra cum quinquagesimo fœnore reddit messes, & diligentioribus cum centesimo quinquagesimo. In hac regione est fons, ex quo procedunt quatuor ista *flumina*, quorum hic fit mentio. *Arbores* paradisi fuerunt triplices. Prima animæ sacra, corporis altera,

altera, tertia spiritui. Primam illam Deus vocauit arborem scientiæ boni & mali, cui alligarat primam ecclesiam & illius obedientiam. Hæc quippe arbor fuit symbolum mali in Adamo & posteris ejus futuri, si mandatum Dei transgrederetur. Habuit ergo hæc arbor nomenclaturam suam ab euentu transgressionem secuto: adeoque hoc exercitium fuit homini à Deo propositum, in quo suam obedientiam declaret. Secundi generis arbores fuerunt instar mensæ, quæ homini suppeditabat fercula visui amabilia, gustui sapida, odore plena, stomacho salutaria, & vno verbo sensus omnes exhilarantia. Tertij generis fuit arbor vitæ, quæ erat symbolum & sacramentum vitæ æternę, & simul medicina confortatiua temperamenti implantati; & præseruatiua aduersus debile senium, cujus esus & aspectus ex fide fugaturus esset omnem ἀναγκαῖον. Atque hæc est historia paradisi, cujus allegoria sic habet. Paradisus est hieroglyphicum ecclesiæ militantis & triumphantis, hoc modo. Deus plantat ecclesiam, illamque ornat plantis viuis justitiæ. Hic hortus collocatur ad orientem, vnde prodit sol justitiæ Jesus Christus. Triplices hic sunt arbores: videlicet arbor quæuis desiderabilis ad aspectum & bona ad cibum, vt sunt virtutes profluentes ex iustitia fidei: arbor vitæ, Jesus Christus: arbor scientiæ boni & mali, discrimen honestorum & turpium. Fluuius procedens ex Hedene, loco illo deliciarum, est gratuita Dei misericordia, quæ se diuidit in quatuor capita, videlicet prædestinationis, in qua est aurum præstans: vocationis, qui alluit totam regionem Cuschi, hoc est, Judæorum & gentium: iustificationis, quæ est fluuius labens ad orientem, id est Christum: denique glorificationis, quæ instar Euphratis lætificat. In horto isto collocatur homo, ad colendum eum per fidem, spem & charitatem: & ad custodiendum eum per preces ex fide profectas.

Gen. 2. vers. 17.

Confer cum *Psal. 90. v. 7. & Rom. 5. v. 12.*

Hic docemur, vnde sit mors, tum corporis, tum animæ. *Concio fune bris.* Hoc ignorant philosophi gentiles. Sola scriptura hoc nos docet. Est autem mors à diabolo, homine, & Deo. Nam diabolus est homicida inde à principio, quando hominem seduxit, & imaginem Dei corrupit. *Johan. 8. Genes. 3.* Deinde homo accommodando aures, mortem introduxit in mundum per peccatum: Stipendium

enim peccati mors est. *Roman. 5. & 6.* Vitemus itaque diabolum & peccatum. Denique Deus immisit mortem vtramque tanquam justam pœnam. *Gen. 3.*

Concio nuptialis.

Gen. 2. v. 17. 25.

Describitur hic institutio conjugij à causa efficiente, quæ est Deus: modo, qui est mirabilis: & fine, qui est in mutuo auxilio, æterna propagatione, & insigni dilectione. Hic obserua. 1. Euam non ex capite, aut pedibus Adami, sed ex latere ipsius formatam, vt socia & amica ejus, non domina aut serua intelligeretur. 2. conjugium & illius institutionem esse figuram mystici & spiritualis conjugij, quod est inter Christū & ecclesiam. Nam ecclesia ex latere Christi dormientis in cruce est extructa, & est caro de carne ejus, & os de ossibus ejus.

Gen. 2. vers. 25.

Nuditas est triplex. 1. Innocentiæ: quo pacto Adam & Eua in statu integritatis erant nudi, & nostra corpora in vita æterna erunt nuda. 2. Miseriæ corporalis & ignominiæ: quomodo nos omnes post lapsum sumus nudi quoad corpus. 3. Miseriæ spiritualis & damnationis: quomodo non omnes sumus nudi quantum ad animam, quæ destituitur imagine Dei.

Gen. 3. per totum.

In hoc capite describitur defectio seu apostasia protoplastorum, pœnitio defectionis, & promissio gratuita facta deficientibus. *De 1.* Hic distinguendæ sunt actiones Dei, Satanæ, & hominis. Deus etsi prohibuit & impedire potuit lapsum, permisit tamen justo judicio, vt primo ostenderet quid esset liberum arbitrium, postea quid posset gratiæ beneficium, & justitiæ judicium, vt docet *Augustinus de corrept. & grat. cap. 10.* Porro hæc Dei permissio non fuit coacta, neque nuda inspectio, sed libera, & coniuncta cum directione lapsus sapientissima & iustissima. Diabolus seduxit protoplastos, vsus hanc ad rem serpente, qui omnium animalium fuit callidissimus. Hinc diabolus dicitur serpens antiquus *Apoc. 12. & 20.* Homo impulsore diabolo libere peccauit, decerpendo & comedendo fructum arboris vetitæ: in quo actu cernitur inobedientia, qua ille prauitatem & maledictionem sibi totique naturæ humanæ, iustam peccati primi pœnam, inuexit. Ortus autem est lapsus iste ex infidelitate, diffidentia & superbia fuitq; metropolis omnium peccatorum aduersus omnia & singula decalogi præcepta. *De 2.* Pœna primi istius peccati est partim generalis, partim specialis. *Generalis* est respectu totius mundi sublunaris, in quem tanquam in hominis hæreditatem maledictio fuit effusa. Nimirum sicut in crimine læsæ maiestatis, author sceleris, vxor, liberi & familia

vniuer-

miuersa simul puniuntur: ita res totius mundi sublunaris, tanquam familia hominis, pœnam quoque rebellionis expertæ sunt. *Pœna specialis* est *Diaboli*; cujus caput est contritum. *2. Serpentis*; cujus incessus est abjectissimus & victus difficillimus. Quo etiam pertinent inimicitiæ, quæ ipsi cum homine sunt perpetuæ. *3. Communiter utriusque protoplasti*: puta ejectio ex paradiso, nuditas & mors tum animi, tum corporis. *4. Singulariter viri*: vt est labor perpetuus & anxius, & in labore maledictio. *5. Singulariter ipsius fœminæ*: vt est subjectio sub viro, damnum ratiocinationis, & dolor in partu maximus. *6. Omnium post eorum naturalium Adami & Euæ*: in quos transijt reatus & culpa, ex reatu corruptio, ex corruptione omnis generis pœnæ. Nam protoplasti fuerunt radix & fons vniuersi generis humani, vnde in ramos transijt sapor insitus. *D III.* Promissio facta primis nostris parentibus, dicitur proteuangelium. Et sane est summa totius Euangelij; quippe quæ concionator de semine mulieris, contrituro caput serpentis hoc est, de Christo, Satanæ victore, Ecclesiæ vindice. Continetur autem triplex effectum hujus promissionis. *1. Generale*: quod est omnium hominum, quatenus illi sunt semen mulieris: videlicet generale odium inter Deum & homines. *2. Speciale*: quod est electorum, qui conterunt caput serpentis in Christo, cũ Christo, & per Christum. *3. Proprium Christi*: videlicet plena & gloriosa victoria de serpente, quæ jam facta est à Christo in sese, & quotidie in nobis impletur. Hinc ista promissio, quantũ ad odium & inimicitias attinet; ad omnes in vniuersum homines pertinet: quantum vero ad contritionem capitis serpentis, ad solum Christum pertinet principaliter, cõmunicatiue ad electos. Tametsi enim omnes homines Christo communicant, quatenus est homo: soli tamen fideles ei communicant quatenus est Christus, id est, vnctus propheta, sacerdos & Rex. *Alia dispositio hujus capitis.* Describitur hic processus judicialis, qui debet esse norma omnium processuum. Nimirum occurrit reus, puta homo peccator: actor, conscientia hominis; & judex, Deus, qui pronuntiat & exequitur sententiam.

Gen. 3. v. 21.

Vestitus Adami pelliceus, est typus Messiæ promissi. Eo enim pelliceas vestes Deus protoplastis induit, vt doceret, Christum, agnum illum immaculatum, esse mactandum, & vera fide induendum. *Deinde* vestitus ille primus ex mortuorum pecudum pellibus, docet homines per lapsum factos esse ex immortalibus mortales. Deponamus itaq; peccati pallium, & induamus noui hominis indusium, Jesum Christum, quem significant pelles agninæ, quas Deus consuit primis hominibus, cum potuisset consuere exuuias leoninas, lupinas vel vulpinas. *Porro* primus ille hominum vestitus est speculum miseriæ hominis. Nam ante lapsum homines proto- *Concio Typica.*

enim peccati mors est. *Roman. 5. & 6.* Vitemus itaque diabolum & peccatum. Denique Deus immisit mortem vtramque tanquam justam pœnam. *Gen. 3.*

Concio nuptialis.

Gen. 2. v. 17. 25.

Describitur hic institutio conjugij à causa efficiente, quæ est Deus: modo, qui est mirabilis: & fine, qui est in mutuo auxilio, æterna propagatione, & insigni dilectione. Hic obserua. Euam non ex capite, aut pedibus Adami, sed ex latere ipsius formatam, vt socia & amica ejus, non domina aut serua intelligeretur. 2. conjugium & illius institutionem esse figuram mystici & spiritualis conjugij, quod est inter Christū & ecclesiam. Nam ecclesia ex latere Christi dormientis in cruce est extructa, & est caro de carne ejus, & os de ossibus ejus.

Gen. 2. vers. 25.

Nuditas est triplex. 1. Innocentiæ: quo pacto Adam & Eua in statu integritatis erant nudi, & nostra corpora in vita æterna erunt nuda. 2. Miseriæ corporalis & ignominiæ: quomodo nos omnes post lapsum sumus nudi quoad corpus. 3. Miseriæ spiritualis & damnationis: quomodo non omnes sumus nudi quantum ad animam, quæ destituitur imagine Dei.

Gen. 3. per totum.

In hoc capite describitur defectio seu apostasia protoplastorum, præmitio defectionis, & promissio gratuita facta deficientibus. *De 1.* Hic distinguendæ sunt actiones Dei, Saranæ, & hominis. Deus etsi prohibuit & impedire potuit lapsum, permisit tamen justo judicio, vt primo ostenderet quid esset liberum arbitrium, postea quid posset gratiæ beneficium, & justitiæ judicium, vt docet *Augustinus de corrept. & grat. cap. 10.* Porro hæc Dei permissio non fuit coacta, neque nuda inspectio, sed libera, & coniuncta cum directione lapsus sapientissima & iustissima. Diabolus seduxit protoplastos, vsus hanc ad rem serpente, qui omnium animalium fuit callidissimus. Hinc diabolus dicitur serpens antiquus *Apoc. 12. & 20.* Homo impulsore diabolo libere peccauit, decerpendo & comedendo fructum arboris vetitæ: in quo actu cernitur inobedientia, qua ille prauitatem & maledictionem sibi totique naturæ humanæ, iustam peccati primi pœnam, inuexit. Ortus autem est lapsus iste ex infidelitate, diffidentia & superbia fuitq; metropolis omnium peccatorum aduersus omnia & singula decalogi præcepta. *De 2.* Pœna primi istius peccati est partim generalis, partim specialis. *Generalis* est respectu totius mundi sublunaris, in quem tanquam in hominis hæreditatem maledictio fuit effusa. Nimirum sicut in crimine læsæ maiestatis, author sceleris, vxor, liberi & familia

vniuer-

uiuersa simul puniuntur: ita res totius mundi sublunaris, tanquam familia hominis, pœnam quoque rebellionis expertæ sunt. *Pœna specialis* est 1. *Diaboli*; cujus caput est contritum. 2. *Serpentis*; cujus incessus est abjectissimus & victus difficillimus. Quo etiam pertinent inimicitiæ, quæ ipsi cum homine sunt perpetuæ. 3. *Communiter vtriusque protoplasti*: puta ejectio ex paradiso, nuditas & mors tum animi, tum corporis. 4. *Singulariter viri*: vt est labor perpetuus & anxius, & in labore maledictio. 5. *Singulariter ipsius fœminæ*: vt est subjectio sub viro, damnum ratiocinationis, & dolor in partu maximus. 6. *Omnium post eorum naturalium Adami & Euæ*: in quos transijt reatus & culpa, ex reatu corruptio, ex corruptione omnis generis pœnæ. Nam protoplasti fuerunt radix & fons vniuersi generis humani, vnde in ramos transijt sapor insitus. *D III.* Promissio facta primis nostris parentibus, dicitur proteuangelium. Et sane est summa totius Euangelij; quippe quæ concionator de semine mulieris, contrituro caput serpentis hoc est, de Christo, Satanæ victore, Ecclesiæ vindice. Ceruitur autem triplex effectum hujus promissionis. 1. *Generale*: quod est omnium hominum, quatenus illi sunt semen mulieris: videlicet generale odium inter Deum & homines. 2. *Speciale*: quod est electorum, qui conterunt caput serpentis in Christo, cũ Christo, & per Christum. 3. *Proprium Christi*: videlicet plena & gloriosa victoria de serpente, quæ jam facta est à Christo in sese, & quotidie in nobis impletur. Hinc ista promissio, quantũ ad odium & inimicitias attinet; ad omnes in vniuersum homines pertinet: quantum vero ad contritionem capitis serpentis, ad solum Christum pertinet principaliter, cõmunicatiue ad electos. Tametsi enim omnes homines Christo communicant, quatenus est homo: soli tamen fideles ei communicant quatenus est Christus, id est, vnctus propheta, sacerdos & Rex. *Alia dispositio hujus capitis.* Describitur hic processus judicialis, qui debet esse norma omnium processuum. Nimirum occurrit reus, puta homo peccator: actor, conscientia hominis; & judex, Deus, qui pronuntiat & exequitur sententiam.

Gen. 3. v. 21.

Vestitus Adami pelliceus, est typus Messiæ promissi. Eo enim pelliceas vestes Deus protoplastis induit, vt doceret, Christum, agnum illum immaculatum, esse mactandum, & vera fide induendum. *Deinde* vestitus ille primus ex mortuorum pecudum pellibus, docet homines per lapsum factos esse ex immortalibus mortales. Deponamus itaq; peccati pallium, & induamus noui hominis indusium, Jesum Christum, quem significant pelles agninæ, quas Deus consuit primis hominibus, cum potuisset consuere exuuias leoninas, lupinas vel vulpinas. *Porro* primus ille hominum vestitus est speculum miseriæ hominis. Nam ante lapsum homines proto- *Concio Typica.*

plasti nudi erant, neque illos pudebat nuditatis: quia nullum turpem motum in membris sentiebant, nihilque deformitatis in ijs cernebatur. Sed post lapsum Deus vestiuit vtrumque hominem: quia vtrumque pudebat nuditatis, inprimis genitalium. Sunt & alia hic obseruanda. Et *primo* quidem, Deus vestiendo homines protoplastos, declarauit suam φιλανθρωπίαν, quatenus ipsos muniuit aduersus inclementiam cœli. *Deinde* iram suam significauit, quando ipsis per vestes in memoriam reuocauit, illos in conspectu suo fœtere, ac proinde non diu esse, quia ab ipso cernantur. *Denique* Deus hoc modo monumentum peccati erexit. Nam ex pellibus potius occisorum animalium, quam ex foljs vel lino fecit istas vestes, vt moneret hominem, ipsum in pellibus istis recentibus, velut in sepulchro & monumento mortis versari.

Genes. 4.

Hic ista sunt inprimis memorabilia. 1. Deus prius respicit ad nos, quam ad opera nostra. *vers 4.* 2. In sacrificio Caini & Abelis proponuntur fundamenta ciuitatis Dei & Diaboli. 3. Quod Cain sororem suam duxit vxorem, necessitatis fuit, quæ legem non habuit: deinceps vero in libertate reuerentia sanguinis legem habere cœpit. 4. Artes omnium primo inuenta, exercitæ & institutæ fuerunt duæ, agricultura & pastoritia.

Genes. 5.

1. Adam imaginem Dei amisit, & in ejus locum introduxit imaginem Diaboli, quemadmodum videmus decorum & odorum florem, viridi caule resectum, quando marcescit vel putrescit, colorem venustatis, tanquam lucem, immutare nigredine deformitatis in caliginem, odorem suauem in fœtorem, saporem bonum in acorem. Cæterum imago Diaboli διαβολικὴ opponitur imagini Dei: vnde illa nihil est aliud, quam totius Decalogi euersio, sicut hæc est Decalogi totius archetypum. 2. Genealogiarum series ad magnam Ecclesiæ vtilitatẽ descripta est: tum vt sola Ecclesia haberet fundamentum Chronologiæ mundi certissimum, tum vt Genealogiæ homines manuducerent ad promissum Messiam. 3. Causæ longæuitatis patriarcharum fuerunt numero quatuor, è quibus prima est principalis, reliquæ secundariæ, hoc ordine. *Primo* se offert benedictio Dei: cujus duplex erat finis, vt nempe posset propagari partim genus humanum, partim doctrina cœlestis. Patriarchæ siquidem erant Episcopi illius ætatis, qui quod longæui essent, facile poterant posteris suis veluti per manus tradere doctrinam cœlestem illibatam & incorruptam. *Deinde* occurrunt præstantia temperamenti, loci commoditas, aerisque salubritas, & denique victus simplicitas & hominum temperan-

gratia. 4. Translatio Enochi in cœlum consideratur quantum ad modum & finem suum. *Modus* est in mutatione corporis subita & euectione miraculosa. *Finis* fuit, vt pij istius ætatis confirmarentur in spe beatæ resurrectionis, & haberent typum ascensionis Christi.

Genes. 6. v. 2. 5. 9.

Filij Dei, hoc est, posteri sanctorum Patrum, promiscuerunt se filiabus hominum, hoc est, impijs mulieribus Cainitarum, sicut postea Israelitæ Moabitarum *Num. 25.* & extrema profanitate sua tandem diluuium mundo attraxerunt. 2. Nullitas liberi arbitrij stabilitur ex *vers. 5.* 3. Perfectio, quæ Noacho tribuitur, est partim imputata, partim inchoata & comparatiua respectu hominum impiorum tum temporis.

Genes. 6. v. 14. & seqq.

Arca Noe est typus Ecclesiæ, hoc modo. 1. Arca fuit ædificata jussu Dei. Sic Ecclesia est ædificium Dei. 2. In arca erat vnica janua & vnica fenestra, tametsi fuerit stupendæ molis opus. Sic vna est janua & fenestra Ecclesiæ, Christus Jesus. 3. Deus occlusit arcam. Ita Deus nos obsignat & conseruat in Ecclesia. 4. Aquæ diluuij eleuant arcam: ita Ecclesia nauigat in medijs fluctibus hujus vitæ. 5. Sicut Deus inito fœdere promisit Noacho præsentissimum suum auxilium, ita & in Ecclesia nobis idem promittit. 6. Manus Dei rexit arcam: ita Christus Ecclesiam. 7. Sicut Deus recordatus est Noachi in arca: sic nostrum recordatur. 8. Deus benedixit Noacho, & ejus sacrificium acceptauit: sic & nobis in Ecclesia benedicit, & grata ipsi sunt sacrificia nostra. 9. Extra arcam qui erant, suffocabantur: ita non est salus extra Ecclesiam. 10. In arca erant animalia munda & immunda, lupus & agnus: ita in Ecclesia sunt boni & mali, Judæi & gentes, lupi & agni *Es. 11.* 11. Columba Noe portans oleam est figura Spiritus Sancti. 12. Coruus non reuersus est figura hæreticorum, qui exeunt ex nobis. 13. Arca quieuit in monte: sic Ecclesia in Christo. *Concio Typica.*

Genes. 7.

1. Noah fuit justus coram Deo, non justitia operum, sed justitia ea, quæ est ex fide, hoc est, imputata propter Christum vt testatur Apostolus *Hebr. 11.* Istius porro justitiæ fructus est justitia operum, quæ est perfecta perfectione partium, non vero graduum. 2. Tempus & forma diluuij vtiliter confertur cum tempore & forma vltimi judicij. Sicut enim paulo ante diluuium per varios gradus impietas & securitas in altum fuit subuecta: ita etiam erit paulo ante vltimum judicium. Deinde diluuium fuit vniuersale: ita & vltimum judicium. Denique in diluuio Arca Noe fuit seruata, impij deleti.

Sic

Sic in vltimo judicio electi seruabuntur, reprobi abijcientur in lacum diluuij infernalis. 3. Diluuium est figura omnium judiciorum Dei, quæ sunt diluuium iræ ejus, temperatum igne insignis misericordiæ. 4. Discrimen animalium mundorum & immundorum, quod Deus hic facit, etsi aliquatenus est naturale: tunc tamen, & deinceps, sub lege præcipue fuit ceremoniale, quo Deus populum suum circa victum & sacrificia frænare voluit vsque ad Christum.

Gen. 7. & 8.

Concio Allegorica.

Apostolus Petrus *1. epist. c. 3.* docet, diluuium fuisse typum diluuij spiritualis, quod est in baptismo. Nam quemadmodum Deus tempore diluuij fœdus iniuit cum Noacho, & ipsi promisit liberationem ex tali tantoque periculo: ita in baptismo Deus confirmat nobis fœdus gratiæ. *Deinde* quemadmodũ diluuium sustulit è medio homines impios: ita baptismus abolet veterem Adamum. *Tertio* sicut semen justorum in arca fuit conseruatum: ita qui per fidem sunt in Christo, liberantur ex diluuio iræ Dei, in quo submerguntur, qui non sunt in hac arca. *Quarto* quemadmodum columba dimissa ex arca attulit folium oliuæ, quod erat signum terræ exsiccatæ, & iræ Dei mitigatæ: ita Spiritus S. descendit in baptismo Christi, & requieuit super ipsum, tanquam principem pacis, descendit item super nos, quando baptizamur. *Quinto* quemadmodum columbra exhilarauit Noachum: ita hodie omnes Christianos exhilarat recordatio baptismi, vtpote in quo acceperunt Spiritum S. qui illos reddit securos de placata ira Patris, quæ peccatoribus impœnitentibus immittit diluuium æternum.

Genes. 8.

1. Deus dicitur hominum recordari ἀνθρωποπαθῶς, quando illos incipit liberare. 2. Sacrificium Eucharisticum Noachi est pictura officij piorum postquam Deus illos ex præsentissimis periculis liberauit. 3. Deus omnes homines ore suo conuincit, quando dicit, omnem cogitationem cordis humani prauam esse à pueritia sua. 4 Dictum illud *vers. 21. Non addam vltra maledicere terræ, quia omnis cogitatio cordis humani prauа est a pueritia sua,* est ἐπιεικείας: ac proinde non pugnat cum dicto illo *Gen. 6. Omne figmentum cordis humani prauum est: ideo delebo hominem:* quia istiusmodi collectio est stricti juris, seu pertinet ad ἀκριβοδίκαιον. Cæterum prior illa collectio non est ab æquo, quasi prauitas hominum mereatur clementiam, cum ex ordine justitiæ mereatur pœnam: sed ab incommodo, quod homines pro sua prauitate quotidie nouo diluuio perdendi essent.

5. Noach fuit typus Christi, quantum ad nomen & rem. Nomen siquidem illius notat quietem, quam in solo Christo habemus. Res ipsa consistit in prædicatione diuina, oblatione sacerdotali, & administratione seu guber-

gubernationem tum arcæ, tum vniuersæ terræ regia: vbi est typus triplicis officij Christi. Porro coruus, quem Noah emisit ex arca est pictura hypocritarum, qui exeunt & excidunt ex Ecclesia: columba, quæ reuersa est in arcam, est figura partim electorum, qui ad Ecclesiam redeunt; partim Spiritus Sancti, qui est columba Christianæ simplicitatis & lætitiæ, in Euangelio nobis offerens folium oliuæ, id est, veram fidem, quæ est nostra victoria.

Genes. 9.

1. Esus sanguinis à Deo prohibetur triplicem ob causam. *Prima* est Physica, seu medica, quia non est nutrimentum homini commodum. *Secunda* ciuilis, ne humanum sanguinem fundere assuescerent homines, atque adeo sanguinarij forent. *Tertia* mystica propter sanguinem sacrificiorum typicorum, & sacrificij Christi. Quæ causa fuit, cur abstinentia à sanguine aliquandiu ex decreto Synodico *Actor. ca. 15.* scandali vitandi causa Christianis gentibus mansit necessaria. Scandali causa tandem cessante, facta est eis indifferens. 2. Deus peculiare fœdus cum Noacho pepigit de non amplius perdenda terra per diluuium. Signum istius fœderis fuit constitutum iris: quæ non demum post diluuium cœpit esse, sed cœpit esse signum fœderis diluuij non redituri, ex gratuita ordinatione diuina, quemadmodum aqua in baptismo cœpit esse signum remissionis siue ablutionis peccatorum per sanguinem Christi. 3. Tres colores iridis hieroglyphice explicari solent hoc modo. Ceruleus est mnemosynon diluuij, rubeus est prognosticon conflagrationis mundi, viridis est pictura cœlestis paradisi 4. Mirabile vaticinium de triarchijs mundi est *versu 27.*

Genes. 10.

Tres filij Noe sunt ethnarchæ τῆς οἰκουμένης. Ex ijs Sem fuit caput lineæ, ex qua descendit Christus. 2. Magistratus siue potestas politica differt ab acquisitione & vsurpatione potestatis. Potest enim legitimæ potestatis esse acquisitio illegitima, & vsus illegitimus: vt hic videre est in Nimrodo.

Genes. 11.

1. Turris Babylonica est typus regni Antichristi, & omnium illorum, qui gigantomachiam vel potius theomachiam moliuntur. 2. Confusio linguarum est magna pœna, cujus malagma cernitur in prima pentecoste noui Testamenti. *Act. 2.*

Genes. 12.

1. Abraham recte fecit, quod fame pressus ex Canaan migrauit in

Ægyptum. Nisi enim hoc modo sibi prospexisset, Deum tentasset. 2. Idem factus est humanæ imbecillitatis exemplum quando negauit Saram esse suam vxorem. Etsi enim verum est, quod Sara fuerit ipsius soror, hoc est, cognata; non tamen potest excusari negatio, quæ plus habuit diffidentiæ in Deum, quam charitatis in conjugem.

Genes. 13.

1. Peregrinatio Abrahami ex Canaan in Ægyptum, & ex Ægypto in terram Canaan est speculum multiplicis miseriæ, quam in hac vita experimur. Rursus profectio ejus ex Ægypto in terram Canaan est typus liberationis nostræ ex spirituali Ægypto peccati & diaboli. 2. Concordia Abrahami & Lothi est speculum conuersationis, quæ debet esse inter omnes homines, nominatim inter fratres & consanguineos, quorum gratia fere est rara. 3. Terram Canaan Deus dedit Abrahamo, vt sacramentale signum promissionum & spiritualis gratiæ, & semini ejus triplici: videlicet semini secundum carnem, semini benedicto, quod est Christus, filius ille promissionis, & denique semini ejus spirituali, quo nomine veniunt omnes electi, etiam gentes, in Christo, filio illo Abrahæ, regigendi secundum gratiam. 4. Ecclesia est ampla & angusta, numerosa & contracta. Ampla est & numerosa, si consideretur in se, idque tum ratione Judæorum in Vet. Test. tum gentium in Nou. Test. angusta est & contracta si conferatur cum cœtu impiorum, item si Ecclesia V. T. comparetur cum Ecclesia noui Testamenti.

Genes. 14.

Gentio Typica. Melchisedec hoc modo est typus Christi. 1. Melchisedec significat regem justitiæ. Qui titulus rectissime quadrat in Christum, qui est justus ab æterno, & justificat suos in æternum. 2. Melchisedec fuit ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ, quatenus ipsius parentes non describuntur. Sic Christus in terris non habet patrem, in cœlis non habet matrem. 3. Non fit mentio initij mortis vel successoris Melchisedeci. Sic Christus est æternus ratione diuinitatis, & habet sacerdotium & regnum æternum, in quo nullus potest ipsi succedere. 4. Melchisedec est sacerdos pariter & Rex: ita & Christus. 5. Melchisedec fuit Rex in Salem, quæ vox significat pacem. Ita Christus est princeps pacis, qui nobis impetrauit pacem internam & æternam. Obseruentur & ista ex hoc capite. 1. Subditi, etiam Principes, tyrannis non debent rebellare, postquam semel in eorum potestatem cum jurisjurandi religione venerunt: nisi forte gloria Dei & salus animæ imperent justam & necessariam rebellionem, quæ fiat non à singulis, sed vniuersis, quos repræsentant optimates siue ephori & ordines regni. 2. Bello justo, eoque tum defensiuo, quouis hostilis repellitur,

sint, cum offensiuo, quo atrox injuria vindicatur, Christianis principibus non est interdictum. 3. Fœdera ciuilia de mutua pace vel commercijs cum infidelibus inire licet, præsertim si sint necessaria. 4. Melchisedec Abrahamo victori panem & vinum obtulit, vt exercitui ejus fesso commeatum suppeditaret, non vt Deo sacrificaret.

Genes. 15.

1. DEVS est clypeus & merces ampla omnium illorum, qui sunt σπέρμα filij Abrahæ. 2. Fides Abrahamo imputata ad justitiam coram Deo, est justificationis Euangelicæ clarum documentum, & Apostolicæ doctrinæ in hoc argumento antiquissimum fundamentum, quo habitualis vel actualis philosophorum, Judæorum, Socinianorum, Papistarum & hypocritarum justificatio per opera in foro poli, seu Dei & conscientiæ solidissime euertitur.

Genes. 16.

Agar est typus afflictæ animæ quæ pulsa Dei domo sedet in eremo miseriæ, quoad Deus per angelum illum magnum fœderis, Jesum Christum, ostendat puteum videntis & viuentis. *Concil. Pisa.* Ex hoc etiam capite sequentia notanda veniunt.

1. Digamia Abrahami veniam habere potest, non exemplum. Nam polygamia Patriarcharum est in ijs rebus, quas Deus tolerat, sed non probat.

2. Sara & Agar, concordes, manent in eadem domo. Ita si Philosophia seruiat Theologiæ, seu ratio ancilletur fidei, vt famula dominæ, in eodem contubernio habitare possunt & debent. Rursus, Sara & Agar, discordes, non possunt in eadem domo manere. Ita si philosophia dominium sibi arroget in Theologiam, vel lumen rationis supra lumen fidei se extollat.

Genes. 17.

1. Fœdus gratiæ idem est in Vet. & Nou. Test. quantum ad substantiam, hoc est, ratione stipulatæ nobis à Deo salutis per Christum, & restipulatæ Deo à nobis obedientiæ: sed circumstantijs & ritibus est diuersum, seu, est idem οὐσίᾳ, est vetus & nouum οἰκονομίᾳ. 2. Quæ sit ratio & interpretatio phrasium sacramentalium docet Deus, quando circumcisionem appellat fœdus. Nimirum circumcisio est fœdus Dei sacramentali metonymia, quia fuit fœderis signum. 3. Circumcisio & baptismus re & fine idem sunt sacramentum, vt docet Apostolus *Coloss. cap. 2. vers. 11.* ceremonia vero & legibus quibusdam particularibus sunt diuersa. Ideo argumentum à circumcisione ad baptismum valet, quantum ad sub-

stantialia attinet. Sic verbi gratia vtrunque hoc sacramentum est absolute necessarium ad societatem fœderis propter mandatum Dei, non absolute tamen ad salutem. Item infantes Judæorum ante octauum diem decedentes non creduntur damnati; Sic neque infantes Christianorum decedentes ante baptismum, damnandi sunt. 3. Ecclesia non peccat, conferendo sacramenta hypocritis, quos tales esse ignorat, canone autem charitatis habet pro membris fœderis, sicut Abraham Ismaelem habuit.

Genes. 18.

1. Christus apparuit Patriarchis in forma hominis, vt hoc incarnationis suæ præludio illorum fidem statuminaret. 2. Cultus adorationis, qui defertur angelis, debet esse ciuilis: cultus adorationis, qui defertur Christo, magno illi angelo fœderis, debet esse religiosus. 3. Supplicatio Abrahami petentis parci multis impijs propter paucos pios, non fuit iniqua, sed charitati congrua. 4. DEVS aliquando regionibus & vrbibus impijs parcit in gratiam electorum, vt impios ad pœnitentiam inuitet, vel impœnitentes reddat inexcusabiles & grauius puniat.

Genes. 19.

1. Loth inconsiderate prostituit filias pro hospitum incolumitate: quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona. 2. Excidium Sodomæ & Gomorrhæ docet, Deum punire certissime, grauissime & justissime. 3. Sodoma & Gomorrha sunt typus regni Antichristi. 4. Lapsus Lothi & aliorum sanctorum referuntur, non vt excusentur, aut in exemplum trahantur, sed vt caueantur, juxta regulam: *Lapsus majorum sit cautio minorum.* Deinde hinc discimus, sanctissimos quosque suis laborare næuis, ne forte ex justitia nostra faciamus idolum. Denique hæc annotatio seruit nostræ consolationi.

Genes. 21.

1. Morbi & afflictiones immittuntur à Deo propter peccatum, vel vt pœna admissi, vel vt impedimentum admittendi. 2. Optimum morborum & afflictionum remedium sunt deprecationes ad Deum, tum nostræ, tum piorum pro nobis. 3. Juramenta necessaria per nomen Dei sola sunt licita. Sunt enim species inuocationis religiosæ. A Christo vero nonnisi temeraria, & illegitima per creaturas facta, damnantur. *Matth. 5.* Confer cum *Jacob. 5.* 4. Ismael est typus hypocritarum, Ismaelitæ Filiorum Dei.

Genes. 22.

Concio typica.

Isaacus immolandus,& portans ligna sibi imposita, est typus Christi, qui portauit lignum crucis suæ. Ensis, quem Abraham stringebat, significat gladium justitiæ Dei. Ignis adhibitus in holocausto, notat flammam ardentis partim iræ, partim misericordiæ Dei. Aries cornibus hærens inter vepres, notat Christum spinea corona insignitum. Potest etiam dari alius hujus historiæ typus. Abraham figurat Deum, qui paratus erat extirpare genus humanum propter peccatum. Isaacus mactandus significat genus humanum. Angelus monstrans arietem significat Spiritum sanctũ, qui nobis monstrat arietem mactandum puta Christum. Porro ex hoc capite notentur & ista. 1. Tentatio est rei occultæ vel ignotæ exploratio, ad ejus notitiam nobis vel aliis eliciendam. Sic Deus hoc loco tentat Abrahamum, vt ejus fidem reddat conspicuam aliis. Neque vero hoc pugnat cum illo Jacobi, quod Deus neminem tentet. Id enim intelligitur de tentatione mala & ad malum: cum tentatio Dei sit bona & ad bonum. Etsi autem omnis tentatio Dei sit bona ex modo & fine suo: recte tamẽ illam in oratione Dominica deprecamur, propter nostram infirmitatem. Hic instituatur antithesis inter tentationes profectas à Deo, diabolo, mũdo & carne. 2. Deus jubens Abrahamum occidere filium, non repugnat legi suæ *Gen.* 9. *v* 6. vel *Exod.* 20. *v* 13. Vetat enim lex occidere, nisi quos Deus occidere jusserit, vtpote is qui habet absolutam potestatem vitæ & necis in homines.

Genes. 23.

Concio funebris.

Tria sunt membra hujus capitis. 1. de morte Saræ: vbi discimus, mortem non parcere sexui, diuitijs aut pietati. 2. de luctu Abrahæ: vbi duo sunt notanda, videl. quod debeamus lugere defunctos, sed ita vt modum statuamus luctui. 3. de sepultura: vbi duo monenda, videl. cur corpora sint humanda, & quis modus seruandus.

Genes. 24.

Concio nuptialis.

1. Quemadmodum patriarchæ ad fontes sibi desponderunt vxores: ita Christus sibi desponsat ecclesiam ad salutarem baptismi vndam per sanguinem suum & spiritum. 2. Conjugia cum timore & inuocatione Domini inita Deus dirigit & prosperat. 3 Principium, medium & finis conjugij debet esse precatio deuota. 4. In conjugio ineundo omnia debent fieri ordine & decenter. 5. Principaliter pietas & elegantia morum in deligenda vxore spectanda est: minus principaliter forma & diuitiæ.

Geneſ. 25.

1. Nuptiæ ſecundæ non minori errore damnantur à Tertulliano & Hieronymo, quam primæ. 2. Errant Papiſtæ, qui nolunt benedicere nuptiis ſecundis. Perperam vero prætexunt benedictionem primam: quia nuptiæ ſecundæ ſunt nouum conjugium, quod vtique requirit nouam benedictionem. 3. Oraculum Dei de gemellis Rebeccæ, *Maior ſeruiet minori*, Malachias *capite primo* & apoſtolus *Roman. cap. nono.* de Eſaui reprobatione & Jacobi electione, diuino myſterio exponunt. 4. Eſau primogenituram pro pulmento non ſine peccato vendidit: quia jus primogenituræ erat ſymbolum benedictionis ſpiritualis, quam Chriſtus, primogenitus ille Dei, nobis erat largiturus: Jacob autem ſine peccato illam redemit, quia ex inſtinctu Spiritus ſancti hoc fecit. Jus ſiquidem primogenituræ ille redemit, vt hinc diſceret & nos cum illo Chriſtum nobis emtum ſuo ſanguine jus filiorum Dei.

Geneſ. 26.

1. Promiſſio gratuitæ benedictionis eſt fidei noſtræ cauſa, obiectum & effectum. *Cauſa*; quia promittit Deus, vt credamus. *Obiectum*; quia promiſſio eſt cibus & fomes fidei. *Effectum*; quia Deus amplius promittit, ſi credamus. *verſ.* 5. 2. Iſaaci conditio fuit ſimilis conditioni parentis Abrahami.

Geneſ. 27.

Conſiderabimus hiſtoriam & allegoriam. *Hiſtoria* complectitur coniugium Eſaui, benedictionem Iſaaci & benedictionis euentum. *Allegoria* hæc eſt. In duobus fratribus, Eſauo & Jacobo præfigurati ſunt duo populi, videl. filii legis in Eſauo, filii euangelii, fidei & gratiæ in Jacobo, non aliter atque in Iſmaele & Iſaaco. Confer *Galat. 3.* Populus legis conatur ſalutem æternam aſſequi per opera ſua, non aliter atque Eſau occupatur in venatione, vt mereatur benedictionem parentis, idque eo magis, quia erat primogenitus. E contrario populus euangelii nititur ſola Dei gratia & merito ſanguinis Chriſti, non aliter atque Jacob, qui hœdum, non veram feram beſtiam, mactat, & hœdina pelle indutus comparet coram Patre ſuo, vnde hoc conſequitur, vt impetret benedictionem à parente. Ita qui Chriſtum, agnum immolatum pro nobis, offert Patri cœleſti per fidem, ille eſt Deo acceptus, & hoc edulio delectatur Deus. Et qui iuſtitia Chriſti eiuſque innocentia ſuam iniuſtitiam tegit, illi Deus dat ius primogenituræ cœleſtis. Porro Jacob ait, Deum ſibi largitum eſſe gratiam, vt tam cito ferinam ſuam acciperet. Ita Chriſtus eſt

donum

donum gratuitum. Denique sicut Jacob osculatus est parentem suum: ita nos vera fide osculamur & amplexamur Deum Patrem in Christo. Ex hac allegoria patet, diuino consilio factum esse, vt Jacob anteueniret Esauum, & ipsi benedictionem præriperet. Non igitur est, quod multum laboremus de eo, an Jacob recte fecerit dolum adhibendo: cum detur dolus bonus & stratagema sit licitum. Cæterum ex hoc capite etiam notanda sunt ista. 1. Isaac errauit humano affectu, benedictionem patriarchalem filio minori natu ex oraculo debitam, in maiorem transferre cogitans. 2. Consilium Rebeccæ specie quidem subdolum, sed tamen reuera prudens & à Spiritu Sancto suggestum fuit: quia non ad mar tum fallendum, sed ad errorem mariti corrigendum pertinuit. Nam Rebecca diuinitus impulsa benedictionem patriarchalem laborauit transferre in Jacobum: quoniam patriarchæ, vicem Dei gerentes, declarabant, in cuius filii familia dignitas ecclesiæ, & gratia fœderis mansura, & promissio Abrahæ facta, complenda esset. 3. Jacob aliquoties mentiendo patri non vacat culpa. 4. Jacobo sub symbolis terrenorum bonorum etiam cœlestia bona promittuntur. Res cœli notat Christum, pinguedo terræ fidem, frumentum & mustum bona opera.

Gen. 28. vers. 1. 5.

Exordium. Patriarchæ, quibus promissus fuit Messias, vnice desiderarunt videre diem ipsius. Hinc factum est, quod Deus illis velut è longinquo monstrauerit Christum in variis figuris & imaginibus. Quo pertinet hoc somnium propheticum de scala cœli. *Concio typica.*

Propositio. Scala ista rotum salutis nostræ negotium nobis ponit ob oculos.

Tractatio. Ac *primo* quidem denotat mysterium incarnationis, adeoque personam Christi. Quemadmodum enim hæc scala attingit cœlum & terram: ita Christus est Deus & homo. *Deinde* officium Christi mediatoris exprimitur. Nam sicuti scala ista conjungit cœlum & terram: ita Christus mediator vnit Deum & hominem. *Tertio* quemadmodum angeli per hanc scalam descendunt & ascendunt: ita per Christum hoc obtinemus, vt sancti angeli nobis familiares sint, annuntiando nobis mysteria sacra, & salutem nostram procurando. *Quarto* quemadmodum Deus per hanc scalam loquitur Jacobo: ita nobis loquitur per filium suum. *Quinto* gradus, per quos ad Deum ascendimus, sunt fides, spes, charitas. *Sexto* lapis, quem Jacob inunxit oleo, est corpus Christi seruatoris, quod reuera est: Bethel, id est, domus Dei.

Alia

Alia dispositio.

Tota historia sic applicetur. 1 Jacob fugiens à facie fratris sui Esau vidit hanc scalam. Ita electi cum fugiunt vim & dolum hostium, vident Deum. 2. Jacob reclinat caput suum in lapidem. Ita nos quiescimus in Christo, petra salutis. 3. Jacobi corpus sopore opprimitur, sed anima vigilat. Ita nos semper vigilamus in Domino, etiam tum, quando dormimus. 4. Jacobo lapis durissimus est lectus mollissimus. Ita crux est lapis durus in se, sed lectus mollis in Christo. 5. Jacob in somno habet somnium θεόπνευστον. Ita anima nostra in somno, h.e. vera quiete, experitur alloquium Dei. Vera autem quies est, cessare à peccatis, & nominatim ab amore mundi. 6. Scala contingens cœlum & terram notat vnionem illam singulariter mirabilem, & mirabiliter singularem duarum naturarum in Christo. 7. Angeli descendunt per hanc scalam, annuntiando natiuitatem Christi: & rursus ascendunt, adorando ipsius deitatem. Rursus angeli per hanc scalam descendunt in cor nostrum, & illi familiarescunt. Nostri quoque officii est per hanc scalam ascendere ad Deum, tanquam nobis vnitum in Christo: & descendere per eandem, contemplando statum Christi humilem: denique rursus ascendere per illam, contemplando statum Christi glorioſum, & cœlestia meditando desiderando & faciendo, donec tandem in nouissimo die ascendamus glorioſe. Ascendamus fide, prece & vita, à terrestribus ad cœlestia, à visibilibus ad inuisibilia. 8. Deus loquitur Jacobo ex hac scala: Ita Deus loquitur nobis ex Christo, in Christo & per Christum. 9. Deus facit mentionem fœderis sui, & promittit Jacobo terram Canaan. Ita Deus in Christo pangit nobiscum fœdus, & promittit nobis cœlestem Canaan. 10. Jacob audit vocem Dei. Sic nostrum est audire Deum in Christo per fidem. 11. Quemadmodum Jacob locum illum, in quo hæc sunt gesta, nuncupat Bethel: ita Christus, ecclesia & cor hominis electi est Bethel, vbi Deus videtur. 12. Jacob erigit lapidem tanquam monumentum, & illum vngit. Ita Christus est lapis angularis, est nota seu monumentum electorum, est denique vnctus oleo lætitiæ.

Alia dispositio.

Scala Iacobi, vt vocatur, adumbrat Jesum Christum θεάνθρωπον, in quo est conjugium & contubernium cœli & terræ diuinissimum. *Angeli Dei* ascendunt super hanc scalam, & descendunt, h.e. sancti illi spiritus vnice delectantur contemplatione & cultu Christi: & pij doctores, angeli illi ecclesiæ, nihil aliud prædicant, nisi Christum crucifixum. *Iacobus in lapide dormiens*, significat, homines electos, in Christo, tanquam lapide fundamen-

damentali suauiter quiescere. *Idem videns & audiens Deum* significat, homines gratis justificari per gratiam Dei aspicientis nos oculis misericordiæ. *Iacobus in lapide abiecto dormiens*, significat, Christum esse lapidem ab incredulis rejectum, sed in oculis Dei pretiosum, & omnibus electis valde gratum, quippe qui sola fide nituntur hoc lapide angulari, & ipsi fiunt lapides spirituales lapidi isti angulari accommodandi, vt fiant habitatio sancta Dei. *Bethel*, i.e. domus Dei, est typus ecclesiæ, quæ solide est fundata super lapidem viuum angularem, Christum Saluatorem. Qui hoc modo intuetur istam scalam, verissime cum Jacobo dicere potest: Hic vere est aula Dei, & porta cœli.

Alia dispositio.

Hæc scala est longa, alta & profunda: figurat personam Christi, qui est Deus & homo: ejus officium adumbrat, quia nos conjungit cum Deo: statum exinanitionis & exaltationis gradus ejus depingunt: angeli adsunt Christi nascenti patienti, resurgenti & ascendenti: fulcra scalæ sunt verbum & sacramenta, quibus continetur Christus vna cum beneficiis suis.

Gen. 29. & 30.

Concio typica.

Jacob est typus Christi hoc modo. Quemadmodum Jacob lapidem à fonte solus deuoluit: sic Christus fontem euangelij solus reseruauit, qui magno illo lapide legis erat oneratus & occlusus. *Deinde* Jacob ex patria sua discessit, venit ad Labanem, ibique pauit oues: ita Christus venit in hūc mundum, deserta aula sua regia, vt quæreret oues Patris sui. *Tertio* sicut Jacob seruiuit Labani, primo quidem propter ambas ipsius filias, secundo autem propter mercedem: ita Christus seruitium suum impendit propter ecclesiam, & mercedem, quæ est justitia & vita æterna. *Quarto* Jacob duas vxores sibi despondit: ita & Christus. *Lea* sonat laboriosam, & significat Judæos fatiscentes sub onere ceremoniarum. *Rachel* sonat ouem, & significat perditas illas oues, gentes. Hæc est formosior quam Lea; quia nouum testamentum superat veteris testamenti vmbras. *Quinto* Jacob loco mercedis accipit oues versicolores. Ita oues Christi sunt aspersæ colore multiplicis crucis. *Sexto* sicut oues Jacobi concipiebant ad aquas & ab illo peculiari nota insigniebantur: ita homines electi fiunt fœcundi per aquam Euangelij, in qua vident versicolorem illum baculum, crucem CHRISTI, & hac ipsa nota insigniuntur. *Septimo* Jacobus fuit binomius: ita & Saluator noster est binomius. Appellatur enim Jesus, & Christus. *Denique* Christus est vere Jacob, id est, supplantator, quia conterit caput

serpentis: & vere Israel, quia est princeps Dei fortissimus. Quod vtrumque etiam competit Christiano cuilibet, per fidem cum filio Dei luctanti, prævalenti, & benedictionem diuinam impetranti, victoriam denique de Satana reportanti.

Genes. 30.

1. Fœcunditas vel sterilitas conjugum, licet causas plerunque naturales habeat, Scriptura tamen vtramque ad Deum, vt ad causam primam, illam quidem vt benedictionem, hanc vero vt maledictionem, referendam esse docet. 2. Opes quæ nobis cooperantur ad salutem, licet non sine labore & industria nostra parentur: tamen diuinæ benedictioni, sanctisque precibus acceptæ ferendæ sunt. 3. Fons diuinæ benedictionis, quantum ad opes, ad impios sæpius exundat, vt illi ad pœnitentiam inuitentur, vel hic suum habeant cœlum, & magis fiant ἀναπολόγητοι. 4. Industria Jacobi ingeniosa, qua virgis variegatis adhibitis phantasiam ouium & caprarum concipientium lacessiuit, caruit fraude, & miraculum occultum diuinæ benedictionis habuit adjunctum.

Genes. 31.

1. Vitia parentum magis transeunt in liberos, quam virtutes. Exemplo sint filij Labanis, parenti similes auaritia & iniustitia. 2. Tametsi impij, mille modis cogitent nocere pijs, & benedictionem diuinam illis interuertere: non possunt tamen, nisi quantum Deus eis permittit. 3. Deus permittit nos peccare, quando intellectum non illuminat, vel voluntatem non inhibet, vel denique non dat gratiam recte agendi. Non permittit nos peccare, quando intellectum illuminat, voluntatem flectit & potētiam agendi dirigit. 4. Deus pro absoluto suo in res humanas jure, aufert eas quibus vult, sine injustitia, & dat quibus vult, sine debito. 5. Prima ἰδωλομαχία inter Rachelem & Labanem, filiam & patrem, & ostendit grauissima semper futura in mundo certamina, etiam inter coniunctissimos, propter idola. 6. Idola tollere per se non est peccatum: quia præceptum est in lege. Peccari tamen potest in fine & modo. Recte autem abolentur, cum doctrina de vero Dei cultu præmittitur, & abolitio fit non priuatorum tumultu, sed authoritate magistratus, vel populi, penes quem est potestas publica, idque intra limites suæ jurisdictionis.

Geneſ. 32.

1. Scriptura paſſim commendat angelorum Dei præſentiam & auxilium, non vt eos adoremus, vel prouincias inter eos diſtribuamus, ſed vt in quauis fortuna de prouidentia Dei, cujus illi ſunt adminiſtri, confirmemur.

2. Timor *phyſice* communis eſt pijs & impiis: vtriſque prodeſt vt ſtimulus ad caute agendum. *Theologice* ſeruos peccati & filios Dei diſcriminat: vnde ille ſeruilis, hic filialis dicitur.

Geneſ. 33.

1. Modeſtia non derogat authoritati piorum, ſed addit decus & gratiam apud impios. Itaque Jacob incuruando ſe Eſauo, & ſeruum eius ciuiliter ſe vocando, de iure primogenituræ nihil ſibi diminuit, ſed beneuolentiam ſibi conciliauit.

Geneſ. 34.

1. Digni ſunt Sichemitarum fortuna, qui religionem voluptate vel quæſtu metiuntur. 2. Filii Jacob contra datam fidem & ſine vocatione cædendo Sichemitas, grauiter peccarunt.

Geneſ. 35.

1. Terror Dei hoſtes continet, quo minus lædant pios, h. e. Deus hoſtibus terrorem incutit, ne filios ſuos perſequantur. 2. Monumenta defunctis ponere, antiquum eſt, neque prohibitum, ſed indifferens: in iis vero ſtatuendis caueri debet luxus & ſuperſtitio.

Geneſ. 36.

Differatur de vſu genealogiarum, qui eſt triplex. 1. *Hiſtoricus*; vt ſucceſſiones regum, principum, & omnino hominum celebratorum, ſint in conſpectu, & hiſtoriæ de originibus gentium conſtent. 2. *Politicus*; vt honor familiarum poſſit demonſtrari, & gradus prohibiti in contrahendis matrimoniis euitari. 3. *Theologicus*; vt promiſſionum diuinarum illuſtrior fiat impletio, & continua ſerie recitari poſſint maiores Chriſti. *Abuſus* illarum cernitur apud filios huius ſeculi, qui vanam gloriolam quærunt in texendis genealogiis infinitis. Hic quæritur, Cur Scriptura etiam tradat impiorum genealogias? Reſpond. Ut hiſtoriæ de originibus gentium conſtent, & promiſſionum diuinarum fiat illuſtrior impletio ex diſcrimine piorum & impiorum, & impiorum vocatione ad eccleſiam.

Gen. 37.

Hoc caput est speculũ œconomiæ seu familiæ quantum ad πρὸς πατέρα parentum, & fratrum discordiam: vbi summatim hæc notentur. 1. Indicationes œconomicæ vel scholasticæ, non sunt proditoriæ, quando fiunt apud custodes disciplinæ, non nocendi, sed corrigendi studio. Idem judicium est de indicationibus ecclesiasticis & politicis. 2. Officium liberorum ingenuorum, & pars honoris parentibus debiti, est juuare disciplinam domesticam, nec dissimulare apud parentes peccata familiæ, quæ correctione opus habent in œconomia. 3. Somnia sunt ἐνύπνια, ἐνυπνιόπτρα, vel φυσικά.

Genes. 37. & seqq. capp.

Concio typica.

Josephus est valde illustris typus Christi, siue spectes nomen, siue res gestas ejus, hoc modo. 1. Joseph significat illum, qui additur. Ita Christus est donum gratiæ, quod Deus tanquam colophonem adjecit cumulo infinitorum suorum beneficiorum. 2. Joseph fuit indutus polymita tunica: sic Christus, filius Dei, carne humana. 3. Elegans Josephi vestitus, quo præcellebat fratres suos, notat insignia Spiritus sancti dona, quibus Christus radiat præ suis fratribus. 4. Joseph amandabatur in agrum, inquirere sortem fratrum suorum: Christus in mundum, restituere amissam salutem fratrum suorum, quibus factus est per omnia similis. 5. Josepho fratres erant infensi ob prædictionem somnij: Christo Judæi, ob prædicationem euangelij. 6. Ruben, qui se incestu polluerat, erga Josephum est mitior. Ita publicani & peccatores resipiscentes Christo fauebant, quem Pharisæi & scribæ oderant. 7. Joseph fuit venditus Ismaelitis, viginti argenteis, de concilio germani fratris Judæ. Sic Christus triginta argenteis ad osculum discipuli Judæ. 8. Josephus ducebatur in Ægyptum ad Potipharem. Christus Hierosolymam ad Pontificẽ. 9. Adultera impura, vxor Potipharis, effecit innocentem Josephum conjici in vincula carceris: Ita synagoga Judaica, hypocritica s. opinionibus deflorata, & falsis cultibus adulterata, Christum innocentem. 10. Cum Josepho detinebantur duo vincti, quorum alter fuit restitutus libertati, alter affixus cruci. Sic cum Christo crucifixi fuerunt duo latrones, quorum alter in paradisum fuit translatus, alter æterna morte sublatus. 11. Josephi in foueam demissi tunicam polymitam fratres sanguine tingebant: Christum sepeliendum & corpus sanguine tinctum Joseph Arimathiensis reposuit in monumento. 12. Joseph post triennium ex squalore carceris fuit eductus: Christus post triduum ex mortis carcere liberatus. 13. Joseph, nouo honore affectus, æstimabatur secundus à rege. Sic Christus ad dextram Dei collocatus, proximus à Patre. 14. Pharao commisit Josepho regni administrationem, per annuli traditionem, aureæ torquis

quis appensionem, & byssinæ vestis donationem. Deus Pater dedit Christo omnem potestatem, obsignato Euangelij annulo, & appenso pretiosi sanguinis sigillo, & induta bysso justitiæ. 15. Pharao jussit Josephum vehi curru regali, & publico præconio patrem patriæ dici. Christus ascendēs in cœlos, angelorum applausu declaratus est sospitator generis humani Opt. Max. 16. Josephus fuit Pharaoni à secretis consilijs: Ita Christus Patri suo. 17. Joseph natus annos triginta inaugurabatur: ejusdem ætatis Christus. 18. Joseph parentem & fratres tempore famis cibat liberalius, & fratres largiore potu inebriat. Christus nobis est panis & aqua vitæ.

Genes. 38.

Hic tractetur locus communis de lapsibus sanctorum, qui in Scripturis commemorantur, non laudantur: nec sunt imitandi, sed prouide cauendi: non tamen odiose sunt exagitandi, sed modeste legendi. Sunt enim speculum infirmitatis nostræ, & simul suppeditant consolationem aduersus tentationem imperfectionis.

Gen. 39. & seqq. vsque ad 47.

Historia Josephi suppeditat nobis seqq. documenta, juxta seriem capitum. 1. Deum cum solis pijs esse præsentia gratiæ specialis, qui cum omnibus hominibus, imo rebus, est præsentia essentiæ & gratiæ generalis. 2. Dotes corporis, cum proficiscantur à Deo, sunt ornandæ dotibus animæ, ne illarū occasione Satan nobis insidietur, & per illas impellat nos ad lasciuiam & fastum, in nostram perniciem. 3. Etsi Deus quandoque sinat pios affligi & premi calumnijs impiorum: sustentat tamen eos conscientia recte factorum, & manus impiorum cohibet, denique afflictionem in salutem & gloriam ipsorum conuertit 4. Solius Dei est somnia reuelare & ἀνεγκλήτως interpretari. 5. Benefactoribus gratiam non rependere, familiaris quidem est mundo gratia, sed turpissima ingratitudo. 6. Annonam abundantem in futuram necessitatem reponere, prouidi est magistratus & œconomi. 7. Honores & diuitiæ non inquinant pios, sed eos tantum, qui cor apponunt, vel sese supra quam oportet, honoribus vel diuitijs efferunt. Pijs autem honor & diuitiæ sunt medium fidei & pietatis, & symbolum spiritualis honoris & affluentiæ. 8. Magistratus est, in peregrinos suspectos seueriter inquirere, cum primis turbato vel afflicto reip. statu. 9. Simulatio Josephi non fuit vitiosa: quia non fuit suscepta fallendi aut lædendi studio, cum negatione veritatis. 10. Morsus conscientiæ est pœna peccati, quæ in electis efficit dolorem salutarem, in impijs fremitum & desperationem. 11. Etsi necessitas non habet legem: non tamen excusat nisi ea, in quam nulla nostra culpa incidimus. 12. Cum reges & principes propitios vel seueros experimur, diuinæ id moderationi

Cap. 39.

Cap. 40.

Cap. 41.

Cap. 42.

Cap. 43.

adscribere debemus. Nam Deus est arcanus moderator cordium. 13. Magnates in florente statu non debent exuere timorem Dei, pietatem erga
Cap. 44. parentes, amorem erga inferiores, ne se offerendo præcipitent. 14. Magistratus in executione legum debet seruare analogiam pœnarum & pecca-
Cap. 45. torum. 15. Joseph, non à fratribus, sed à Deo missus fuit in Ægyptum, h.e. Deus sanctum suum consilium de Josephi ad Exarchatum Ægypti euectione, per fratrum crimen sanctissime & sapientissime est executus.
Cap. 46. 16. Catalogus familiæ Jacobi descendentis in Ægyptum, fuit promissionis diuinæ de semine Abrahæ multiplicando inchoata completio.

Genes. 47.

1. Principibus & regibus bene est precandum. 2. Conueniens est jus diuino & humano omnium gentium, vt pastoribus Ecclesiarum & doctoribus scholarum pro doctrina & labore, alimenta honesta ex publico tribuantur: item vt itidem ob muneris dignitatem & difficultatem, publicis angarijs & seruilibus oneribus non grauentur.

Genes. 48.

1. Gratia adoptionis carnalibus prærogatiuis, aut etiam meritis nostris non est alligata, sed ex mera Dei eligendis δόξῃ descendit. Ita videmus Jacobum jus primogenituræ à Rubene transferre in Josephum. 2. Christus est angelus ille, qui nos vindicat ab omni malo. Appellatur autem angelus propter naturæ puritatem & officij dignitatem.

Genes. 49.

1. Piorum parentum est λόγῳ quodam προφητικῷ libros suos horari & consolari, vltimæq; voluntatis testificatione occurrere litibus. 2. Tanta est naturæ humanæ imbecillitas, vt quandoque etiam sancti, sicut Jacob & Joseph de jure benedictionis discordabant, sic alij etiam de aliquo religionis capite non idem sentiant: quæ dissensio tamen non mox vnitatem fidei & charitatis scindere, sed placida sententiarum collatione componi debet. 3. Prophetia de sceptro Judæ verissime in Christo habuit suum complementum. Nam si rationem & circumstantiam temporis spectes, sub Christi natiuitatem sceptrum à Juda per Romanos fuit ablatum, & in Herodem alienigenam translatum: si consideres personam Christi, ille fuit Schilo: denique si officium ejus perpendas, ille tanquam propheta & Rex habuit obedientem populum, & tanquam sacerdos laui. operimentum suum in succo vuarum, &c.

Genes. 50.

Concio funebris. Mortuis hæc tria debentur. 1. *Luctus moderatus.* Hic quippe luctus est naturalis: &, si Christiana spe & consolatione temperetur, valde vtilis. 2. *Sepultura honesta.* 3 *Executio vltimæ voluntatis.* Quod si virtutes illorum fuerunt valde conspicuæ, ipsis etiam debetur commendatio & imitatio.

II.

CONCIONES IN EXODVM.

Memoriale Exodi. Cap. 40.

16 10 2 25 9
Infantes, Moses, Ardens, Leppora, Premantur,
4 20 6 3 21
Fora, Cruor, Rana, Pestilitas, Tenebra.
1 12 14 28 1
Primi, Pascha, Doce sobolem, Submergitur, Odor,
15 11 1 18 1
Manna, Amalek, Jethro, Sina, Statuta decem.
3 1 12 18 18
Talio, Furta, Dies festi, Est in monte, Cherubi,
7 1 1 38 1
Velum, Altare, Aharon, Victima, Gradus odor.
2 4 20 28 21
Bezaleel, Vitulus, Faciem, Lex saxea, Sponte
6 1 1 1 2
Nemo plus, Arca, Ac ara, Togaque, Locus.

Oeconomia Exodi.

Exodus describit exitum ex Ægypto quantum ad antecedentia, exitum ipsum & consequentia.

I. Antecedentia sunt occasio, videl. Ægyptiorum tyrannis, *ca.1.* & præparatio, eaq; tum instrumenti, tum actionum. Instrumentum est Moses: cujus miraculosa conservatio est. *c.2.* Vocatio oblata est *c.3.* Suscepta *c.4.* Executioni mandata *c.5.* Iterata *c.6* Actiones sunt decem plagæ, è quibus prima describitur *c.7.* Secunda, tertia & quarta *c.8.* Quinta, sexta & septima. *c.9.* Octava & nona *c.10.* Decima *c.11.*

II. Exitus describitur ratione termini à quo, *c.12.* & per quem, ubi est institutio Paschæ, *c.13.* deductio per mare rubrũ *c.14.* gratiarum actio, *c.15.* suppeditatio mannæ, *c.16.* defectio, *c.17.* & ordo politicæ administrationis, *c.18.*

III. Consequentia sunt nomothesia, & obedientia. Nomothesia respicit præparationẽ populi *c.19.* & promulgationẽ legũ, earumq; moralium, *c.20.* judicialium sive forensium, *ca.21.22.23.* & ceremonialium, quarum 1. authoritas est *c.24.* 2. substantia quantũ ad res, *c.25.26.* actiones *c.27.* & personæ, *c.28.29.30.* 3. Causæ *c.31.* obedientia est partim respectu legis moralis, cujus trãsgressio *c.32.* ruinæ *c.33.* restitutio *c.34.* partim respectu legũ ceremonialiũ, ubi de tabernaculi partib. *c.35.36.37.38.39.* & dispositione *c.40.*

Typicam sive tabellarẽ dispositionẽ Exodi vide *li.2. Præcog. Theol. ca.17.* Chronologiam *ib. p.451.* & *supra in Conc. præliminari Bibliorũ.* characterem item & summariam considerationẽ *li.2. Prec. c.118.*

Exod. 1.

Hoc caput est speculum tyrannorum, Ecclesiæ, & filiorum Dei. *De I.* Tyranni nihil faciunt reliqui ad opprimendum Ecclesiam, & hanc ad rem vtuntur modo artibus & sophisticationibus, modo vi publica & priuata. Hic ostendatur, quomodo afflictio siue pressura Ægyptiaca sit prima inter persecutiones Ecclesiæ, & quomodo ex illa tanquam Archetypo reliquæ sint æstimandæ. Nominatim conferatur infanticidium Herodis cum infanticidio Pharaonis. *De II.* Ecclesia est palmæ similis. Quemadmodum enim palma, quo magis grauatur, eo magis assurgit: sic Ecclesia nunquam magis quam sub cruce augescit & floret. *De III.* Indoles filiorum Dei est timere Deum & charitati studere. Timor Dei facit, vt magis obtemperent Deo quam hominibus. Charitas est officiosa & ingeniosa. Officiositatis est, vitam suam impendere proximo. Ingeniositatis est, eludere vim & sophisticam, non mentiendo, sed partem veri dicendo, vt fecerunt obstetrices hoc loco. Hujus timoris & charitatis amplissimum præmium est benedictio & defensio Dei.

Exod. 2.

1. Parentes Mosis non tam metu quam consilio fideque speciali filiolum suum exposuerunt. 2. Moses percutiendo Ægyptium, non peccauit, sed Dei nomine liberationis futuræ præludium edidit. 3. Hoc caput comprobat veritatem istius versus:

Regnat in humanis diuina potentia rebus.

Regnat, inquam, defendendo pios & offendendo impios. 4. Deus exaudiuit Israelitas se inuocantes propter pactum cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo initum, hoc est, propter Christum ex illis nasciturum, & illum promissum tanquam istius fœderis fundamentum. Quæ etiam causa est, quod Deus se toties vocet Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi.

Exod. 2. & seqq.

Concio typica. Moses hoc modo est typus Christi. 1. Vt Moses adhuc infans miraculose fuit liberatus ex aqua: sic Christus fuit ereptus ex flammis infanticidij Herodis. 2. Moses fuit diuinitus vocatus ad liberandum populum: ita & Christus. 3. Moses fuit insignis propheta & Dux populi Dei: ita & Christus. 4. Moses fuit Mediator inter Deum & homines, id est, internuncius: ita & Christus. 5. Moses fuit Cancellarius Dei, ipsi familiarissimus: ita & Christus. 6. Moses percutiendo Ægyptium, edidit præludium futuræ liberationis. Ita Christus vincendo & profligando diabolum *Matth. 4.* specimen edidit gloriosæ suæ victoriæ per crucem. 7. Moses institutus fuit in omni sapientia Ægyptiorum, qui tum temporis excellebant alias nationes laude sapientiæ. Ita Christus profecit sapientia, quæ infinitis parasangis exce-

excedit & excellit sapientiam humanam quantumuis maximam. 8. Filia Pharaonis educauit Mosen. Filia oriunda ex linea Dauid, Maria, educauit Christum.

Exod. 3.

1. Angelus, qui apparuit Mosi, fuit Christus. 2. Ex eo, quod Deus vocatur Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi, qui pridem obierunt, probatur resurrectio mortuorum. 3. Nomen Dei *Ehejeh* est idem cum tetragrāmato *Jehova*. Essentiam proinde significat, idque tribus modis. *1. Formaliter*; quod Deus sit mera essentia, adeoque purus actus. *2. Originaliter*; quod Deus à se sit, & alijs rebus extra se det esse. *3. Moraliter*; quod Deus sit, (h. e. sit constans,) in promissis. Porro ex hoc capite ista etiam vtiliter obseruantur. 1. Deus jubendo Israelitas ab Ægyptijs mutuari Aurum, Argentum & res pretiosas, indeque secum auferre, non præcepit furtum: tum quia illius est terra & vniuersa ejus plenitudo, tum quia hæc merces debebatur Israelitis pro multiplici labore, tum quia Ægyptij meriti erant istam priuationem, tum denique quia Deus simul effecit Ægyptiorum consensum. 2. Recte & eleganter dici solet: *Cum duplicantur latères, venit Moses.* 3. Consolationis plenum est, quod Deus dicit, se omnino habere rationem Israelitarum. 4. Quemadmodum Moses appropinquaturus ad Rubum ardentem, jussus est exire calceamenta sua: sic nostrum est deponere carnales & impuros affectus, si de Deo cogitare & disserere velimus.

Exod. 3. v. 2.

Visio Rubi ardentis, sed non combusti, est incarnationis Filij Dei adumbratio. Vt enim rubus igni illustratur, sed non comburitur: ita humana natura dotibus diuinis illustrata, vi vnionis personalis, non absumitur aut in deitatem vertitur. *Deinde* hic idem rubus est figura Ecclesiæ, quæ non consumitur flammis persecutionum. *Denique* puritas & æternitas naturæ Dei hoc modo nobis ob oculos ponitur. *Concio typica.*

Exod. 4.

1. Etsi Moses recte facit, quod suæ sibi infirmitatis conscius, non vult temere tentare viribus majora: peccat tamen diffidentia, vocationi diuinæ non obtemperans, magis in suas intentus infirmitates, quam diuinis promissionibus confidens. 2. Cum vocatione Dei pugnat, tam se arroganter obtrudere, quam pertinaciter resistere. 3. Vocatio diuina est immediata vel mediata, & hæc fit per media ordinaria vel extraordinaria. 4. Vocatio extraordinaria, vel miraculis, vel donis extraordinarijs comprobatur. 5. Deus indurando cor Pharaonis, non est factus causa peccati, sed justus vindex contumaciæ: quatenus ipsius intellectum cœcum nō illuminauit, voluntatem duram non flexit vel emolliuit, & denique ipsi

objecit varias occasiones, partim bonas, partim indifferentes, quibus emolliri poterat, quemadmodum videmus alios illis ipsis emolliri. 6. Non priuatio, sed contemtus sacramentorum prouocat iram Dei. 7. Exemplo Zipporæ circumcidentis filium suum, non infringitur ordo ministerij Ecclesiastici à Christo sancitus. Non enim vt Christus *Matth. 28.* sanciuit, vt prædicatores Euangelij etiam baptismum dispensent: ita quoque in V. T. prædicatio verbi & administratio circumcisionis fuerunt conjunctæ.

Exod. 5.

1. Salutaris notitia Dei extra verbum non est quærenda, vt docet exemplum Pharaonis. 2. Obtemperandum est diuinæ vocationi & mandato, quantumuis impij per illud magis indurentur, vel grauius contra Ecclesiam irritentur.

Exod. 6.

Deus apparet nobis, vel vt *Schaddai*, vel vt *Jehoua*. Illo modo omnipotentiam, hoc misericordiam & intimiorem reuelationem facit testatam.

Exod. 7.

Miracula vera à falsis differunt tum forma, tum fine. Nam miracula vera sunt opera solius Dei, excedentia ordinem & cursum naturæ, illustrantia gloriam Dei, & verbum ejus confirmantia. Falsa vero miracula, vel sunt meræ præstigiæ, vel ordinem naturæ non excedunt, hominum vel diaboli fraudibus edita, vt idola, superstitiones, errores, vel scelera confirment.

Exod. 7. 8. & seqq.

Consideratio plagarū Ægypti est Historica & Allegorica. *Historica* cōtinet modum & causas plagarum. *Modus* est in circumstantijs, quæ plene recitantur in textu. *Causæ* hoc modo possunt probabiliter indicari. Aqua vertitur in sanguinem, vt sanguinarius animus puniatur, quo Pharao submersos volebat infantes Hebræorum. Ranæ vexant Ægyptios idololatras, qui reptilia adorabant. Pediculi molestant superbos, qui filios Israelis habebant pro hominibus nauci. Reptilia consumunt bona auarorum. Pestis affligit bestias hominum bestiali crudelitate prędatorum. Vlcera immittuntur hominibus, qui filios Israelis verberibus mulctauerant tyrannice. Grando vexat contemtores Dei habitantis in cœlo, & inde fulminātis erga hostes suos. Locustæ depascuntur fructus illorum qui depascebātur populum Dei viridem & fructificantē. Tenebræ immittuntur ijs, quorum cor erat obtenebratum & induratum. Angelus percussor occidit primogenita illorum, quorum impœnitentia occiderat jam ante animas. *Allegorica* consideratio hæc est. Plagæ Ægyptiacæ hoc tempore grassantur in mundo. 1. Aqua vertitur in sanguinem per cædes & bella. 2. Ranæ sunt falsi doctores. 3. Pediculi sunt superbi & pediculosi homines. 4. Reptilia sunt homines auari. 5. Pestis est vita bestialis, inficiens animam. 6. Vlcera

sunt

ſine tyrannis & vis multiplex. 7. Contemtus Dei eſt grando. 8. Odium eſt veluti locuſta depaſcens obuia quæque. 9. Tenebræ Ægyptiacæ ſunt infidelitas & atheiſmus. 10. Angelus percuſſor eſt finalis mortis certitudo, quæ eſt certiſſima mors animæ. Porro decem plagæ Ægypti poſſunt conferri cum decem præceptis Decalogi, quæ violarunt Ægyptij: & cum decem plagis vniuerſalibus, vt ſunt damnum ab aqua; ſeductio hæreticorum, qui tanquam ranæ coaxant; morbi infeſtantes corpus, illati à pediculis & ſimilibus vermibus; colluuies animalculorum, infeſtans domos; peſtis; vlcera; tempeſtas cœlitus nocens; erucæ, bruchi & locuſtæ, depopulantes fructus & fruges; ſereni temporis in nubilum commutatio; denique mors inopinata. *Exod. 11.*

De inductione Pharaonis tria notentur. 1. Deus dicitur *ſolus* obdurafſe cor Pharaonis, ne vel otioſus ſpectator, vel nudus permiſſor fuiſſe putetur, ſed juſtiſſimus contumaciæ regis vindex, ſuæque veritatis & gloriæ aſſertor in populi oppreſſi liberatione agnoſcatur. 2. Pharao dicitur ter obfirmaſſe cor ſuum, ne ipſe culpa malitiaq; vacare putetur. 3. Quinquies ipſius cor obfirmatum eſſe dicitur, vt ſciamus diabolum & mundum ſuo quoque hic fungi officio.

Exod. 12.

Deus inſtituit agni paſchalis mactationem, in liberationis ex Ægypto memoriam, & paſſionis Chriſti figuram: vbi ſeqq. ſunt obſeruanda. 1. Agnus erat mactandus. Ita Chriſtus pro nobis factus eſt victima. 2. Agnus eſt patiens. Ita Chriſtus magnam præ ſe tulit patientiam in paſſione acerbiſſima. 3. Quælibet familia tollebat agnum in domo vna. Sic quilibet cœtus fidelis, imo quiuis homo electus, habet ſecum integrum Chriſtum cũ toto ſuo merito. 4. Agnus erat abſq; labe. Ita Chriſtus abſq; peccato. 5. Agnus erat maſculus. Ita & Chriſtus. 6. Agnus erat anniculus. Ita Chriſtus fuit immolatus, non in ſua infantia, nec in ſenectute, ſed in ipſo vigore & flore ætatis. 7. Agnus fuit à grege ſeparatus. Ita Chriſtus à peccatoribus ſegregatus. 8. Agnus fuit ad veſperam mactatus. Ita Chriſtus ad mundi veſperam. 9. Poſtes domorũ illinebantur ſanguine agni. Ita ſanguinis Chriſti effuſio medetur peccati contagio, quando per Euangelium, tanquam per hyſſopi faſciculũ, manu fidei apprehenſum, credẽtes exhilarantur. 10. Edebãt carnes agni, nõ coctas, ſed aſſas igni, cũ azymis panib. & lactucis agreſtibus. Sic ardentiſſimo amore debemus cõplecti Chriſtum, qui ardẽtiſſimo amore noſtri affixus cruci tanquam veru, exquiſitiſſimos pertulit cruciatus. Quo qui frui deſiderant, fermentum peccati debent abijcere, & ferre crucem, quæ eſt amara carni, & excitat appetitum cordi, vt auidius per Euangelij verbum recipiamus Chriſtum. 11. Comedebant feſtinantes, calceamenta in pedibus habentes, & baculos in manibus tenentes. Ita

Concio Typica.

omnes Christiani sunt hospites in mundo, qui vera fide & morum sanctitate se præparant, vt semper sint expediti, per esionem agni, ad imminentem profectionem in æternam mansionem. Cæterum Pascha Deus instituit, vt non solum esset sacramentum memoriale præstitæ liberationis ex Ægypto: sed etiam sigillum promissionis gratiæ est liberationis futuræ, per & propter victimam Messiæ, per agnum paschalem significati. Vnde intelligere datur, pascha non fuisse typum Cœnæ, sed Christi, qui in Cœna est præsens. Denique metonymia illa sacramentalis, *Agnus est Pascha, hoc est, transitus Iehoua*, est norma interpretationis phrasium sacramentalium, & simul ob oculos ponit arctissimam vnionem sacramentalem, quæ fit in promissionibus Dei vera fide apprehensis.

Exod. 13. v. 21. & c. 14. v. 19.

Contio Typica.

Deus apparuit Israelitis sub forma nubis & ignis, vt illius abscondita & inaccessa essentia, aliquo modo incurraret in oculos hominis; item vt per hæc symbola testatam faceret intimam suam præsentiam. Est igitur nubes, vestitus Dei, quo Israelitis præibat, & currus, quo inuectus, eosdem ducebat, declarando suam majestatem, occultando claritatem, & irrigando mundi sterilitatem. Columna ignis notat, quod Deus sit flamma charitatis, illuminationis & puritatis.

Exod. 13.

1. Oblatio primogenitorum habuit triplicem vsum: puta *historicum*, vt esset memoriale conseruationis primogenitorum: *ethicum*, vt esset testificatio gratitudinis pro tanto officio: *mysticum*, vt totus populus consecraretur in primogenitis, qui figurabant Christum caput illud primogenitorum. 2. Circumductio populi per desertum hos habuit fines. *Principio* Deus voluit declarare potentiam suam, sustentando populum suum in deserto. *Deinde* voluit hoc modo patefacere occulta sua judicia. *Tertio* voluit testatam facere suam φιλανθρωπίαν in tolerandis infirmitatibus populi sui. *Quarto* voluit desertum & mansiones in deserto esse typum miseræ hujus vitæ, quæ nihil est aliud quam eremus. *Quinto* voluit exercere & probare fidem & obedientiam populi sui. *Sexto* voluit docere ad augusta non patere aditum nisi per angusta, & prius esse pugnandum, quam corona reportetur. *Quinto* voluit desertum, mansiones in deserto, multiplicem populi murmurationem, mirabilem denique liberationem & varia sua beneficia, esse typum Ecclesiæ militantis, quæ in deserto hujus mundi varijs infirmitatibus & miserijs est obnoxia, verum ita vt gloriosissime tandem liberetur, & percipiat omnis generis documenta gratiæ & auxilij Dei. Quo pertinent typi isti, columna ignis & nubis, Manna, Petra fundens aquas, & similia. Vbi non est prætereundũ, quod ordo militaris,

nis, quem Israelitæ seruarunt ineundo, significet hæc duo: videl. *Vnitatem* Deo in omnibus probari, & nos in ecclesia militante debere seruare ordinem militia spirituali dignum.

Exod. 14.

Sicut Deus populum suum saluum duxit ex Ægypti seruitute & Pharaonis tyrannide per mare erythræum: sic Christus per rosei sui sanguinis profluuium, liberauit genus humanum ex Ægyptiaca seruitute infernalis Pharaonis. *Deinde* sicut Pharao submersus est mari rubro, cum toto exercitu: sic sanguinis Christi roseo effluxu vis peccati, mortis & diaboli. *Tertio* mare erythræum notat miseriam nostram, & Dei misericordiam. Duplicis enim maris meminerunt sacræ literæ. Alterum est miseriæ, alterum gratiæ. Illud est hominum vita, mundi periculis exposita: hoc est Dei misericordia. *De mari miseriæ* hæc sunt tenenda. 1. Ut mare non est sine fluctibus: ita vita hominis non est sine luctibus. 2. Ut mare est in perpetuo motu, fluxu & refluxu, ejusque causa est in occulto: sic humanæ vitæ multiplex vicissitudo est ab arcano Dei consilio. 3. Ut fontes dulcissimi salsedinem imbibunt à mari: sic vitæ dotes turpitudinem attrahunt per mundi alluuionem. 4. Aqua maris est salsa & turbida: sic nostra vita est plena amaritudinis & miseriæ. 5. In mari sunt scopuli, ad quos impactæ naues franguntur. Sic in mundo sunt varij scopuli auaritiæ, libidinis, injustitiæ, & similes, ad quos qui plenis velis & remis feruntur, præsentissimum faciunt animæ naufragium. 6. Mare excludit cadauera. Sic tandem mundus homines extrudit. 7. Ut sine magnete nautis mare est inuium: sic sine Christo non possumus superare difficultates hujus mundi. 8. Ut est immensa profunditas maris: sic peccatorum incredibilis deformitas. *De mari gratiæ* ita habendum. 1. Licet profundum sit mare miseriæ: multo tamen profundius est mare gratiæ, propter largissimum sanguinis Christi affluxum, & inexhaustum diuinæ bonitatis alueum. Cæterum transitus per mare Israelitis fuit symbolum diuinæ gratiæ, & habuit typum baptismi nostri, vt docet apostolus 1. *Cor.* 10. Nam sicut Israelitæ per aquas seruabantur ad vitam naturalem, mirabiliter: ita nos per baptismum seruamur ad vitam spiritualem, sacramentaliter, quatenus videl. baptismus fluminis conjunctus est cum baptismo luminis seu flaminis, vi promissionis Dei vera fide apprehensæ. *Concio typica.*

Exod. 15.

Israelitæ transgressi mare rubrum, vagati sunt per eremum, sitibundi ad triduum: & tandem venerunt ad Maram, ab amaris aquis ita dictam: quæ amaritudo est sublata per lignum injectum diuinitus Mosi monstra- *Concio typica.*

tum. Ita Deus, dum ex vno periculo nos liberat, non statim significat, nullum posthac incommodum illis in mundo euenturum, sed illos continua cruce in deserto hujus mundi exercet, veruntamen ita, vt amaritudo afflictionum mitigetur per lignum crucis Christi, vera fide apprehensum, & in fornacem crucis nostræ injectum. Hoc enim pacto aquæ afflictionum oppido amaræ penitus dulcescunt. Cæterum in hoc capite occurrit locus communis de Musica, quæ est triplex. 1. *Externa & corporalis*, eaque tum vocalis tum instrumentalis. 2. *Interna seu spiritualis*; quæ consistit in gaudio cordis spirituali, precatione, gratiarum actione, & vita pia, tanquam harmonico concentu cogitationum, dictorum & actionum nostrarum. Qua de re Christianus poeta sic canit:

Non vox, non votum, non musica chordula, sed cor,
Non clamor, sed amor, clangit in aure Dei.

3. *Musica carnalis & lasciua*; quæ cernitur in Fescenninis cantionibus, & lasciuis organorum musicorum pulsationibus. Hæc est diabolica. De prima sic habendum. Duobus nominibus probatur musica vocalis & instrumentalis: quatenus videl. habet vsum moralem & spiritualem. *Vsus moralis* est, vt excitet affectus varios, qui tanquam stimuli promoueant virtutem; cujusmodi sunt lætitia, dolor, amor, & similes. *Vsus spiritualis* est, vt Musica externa seruiat Deo, & testetur de harmonia operum Dei & electorum. *Deinde* in hoc capite est catalogus mirabilium Dei operum: qui subinde est inspiciendus, vt historica commemoratio fiat practica consolatio. *Denique* hic occurrit locus de choreis, quæ sunt tri plices. 1. *Indifferentes*: vt est saltatio artificialis, militaris, & oualis seu liberalis. 2. *Spirituales*: vt quando exultat cor nostrum intra nos in Domino. 3. *Diabolicæ*: vt sunt impudicæ saltationes hodie in nuptijs vsitatæ, de quibus recte dicitur: *Chorea est circulus, cuius centrum est diabolus, circumferentia infernus.*

Exod. 16. v. 15. ad finem.

Historia mannæ hunc in modum consideretur. 1. Manna significat donum. Quo docemur, misericordiam Dei esse fontem omnium bonorū. 2. *Man* significat, *Quid hoc?* Nimirum Israelitæ non norant hunc cibum, vt Moses testatur *Deut.* 8. Ita coram oculis nostris est absconditum, quomodo Deus nos cibet. 3. Manna cœlitus descendit. Ita labores nostri diuinitus benedicuntur. Deus dat tempestatem commodam, & largitur incrementum fructibus. 4. Singuli accipiebant quantum satis erat, ita vt nihil deesset, nihil superesset. Ita hodieq; Deus accurate supputat & admetitur nobis quantum singulis sufficit. 5. Ante ortum solis colli-

ge-

gebatur. Ita nos cum aurora debemus incipere labores noſtros, & ſummo mane quærere verum iſtud manna, Jeſum Chriſtum. 6. Nihil erat relinquendum in craſtinum. Si quid reſeruabatur, verminabat. Hoc ipſo Deus prohibuit ethnicam ſolicitudinem & diffidentiam, quæ eſt vermis erodens & corrumpens dona Dei, ita vt largiſſimus euentus computreſcat. 7. In ſabbato non decidebat manna, ſed pridie duplum colligebatur. Quo docemur, ſabbatum eſſe ſanctificandum, & ipſius ſanctificationem dupla compenſari benedictione. 8. Manna erat ſaporis mellei, & ad guſtum cujuſuis: ita verbum Dei reficit animam cuiuſque, ſiue ſit lætus, ſiue triſtis, ſiue magnus, ſiue paruus. 9. Sicut manna hoc habebat à benedictione Dei, vt ad cuiuſuis linguam eſſet accommodatum: ita panis, quem nobis largitur benedictio Dei, cuiuis ſapit in ſua vocatione. 10. Manna ſuppeditabatur Iſraelitis in deſerto, & cum primum illi veniſſent in terram ſanctam, ceſſabat: ita quam diu verſamur in deſerto huius mundi, ſuſtentamur pane corporali, cuius defectum in altera vita ſupplebit ipſe Deus. 11. Manna aſſeruabatur in vrna, quæ reponebatur in arca fœderis. Ita noſtrum eſt verbum Dei & Chriſtum aſſeruare in capſula cordis noſtri. 12. Sicut manna vim alendi & confortandi non habebat ex ſeſe, ſed à Deo: ita nos non viuimus ſolo pane, ſed quolibet verbo prodeunte ex ore Dei. In ſumma: Vſus mannæ erat œconomicus, in alendo: & myſticus, in ſignificando ſpiritualem alimoniam. Primum vſum experti ſunt omnes Iſraelitæ, qui manna manducarunt: ſecundum omnes fideles ſpectarunt. 1. *Cor.* 10.

Exod. 16. *v.* 1.

In amœniſſimo loco Elim erant duodecim limpidiſſimi & ſalubres fontes, & ſeptuaginta palmæ arbores. Ubi occurrit typus duodecim Chriſti apoſtolorum, & ſeptuaginta diſcipulorum: qui debebant fœcundare eremum gentium. Ut enim creſcunt palmæ fertiles ad fontium ſcaturigines: ita credentes ad fontes Iſraelis, hoc eſt, ad verbum Dei fructificant. *Concio typica.*

Exod. 16. *v.* 15. 16. 31. 32.

Manna erat panis cœlitus deſcendens, & Iſraelitas in eremo ſuſtentans. Ita Chriſtus eſt panis vitæ, qui de cœlo deſcendit, & in concione eu angelii oblatus, omnibus ſe manducantibus vitam æternã donat. *Deinde* ſapor mellis & ſimilę qui fuit in manna, denotat ſuauitatẽ Dei in Chriſto: quæ eſt eſca vere angelica, qua veſci gaudet fidelis anima. *Tertio* ſicut *Concio typica.*

in man-

in manna fuit omnis sapor *Sap.* 16. *v.* 20. ita vt vnumquodque palatum afficeret ad votum: ita Christus suauitate euangelij, vnicuique cruci & afflictioni gratum applicat remedium. *Quarto* vasculum manna repletum & asseruatum in arca, significat corda fidelium, in quibus Christus habitat per spiritum.

Exod. 17.

1. Petra percussa à Mose carnalibus Israelitis carnalem tantum præbuit potum: fidelibus vero fuit Christus, præbens aquam vitæ æternæ. 1. *Cor.* 10. Petra vero fuit Christus sacramentaliter. Hinc colligere est, Christum non solum esse petram fundantem, h.e. fundamentum ecclesiæ suæ *Matth.* 16. sed etiam petram fundentem aquas vitæ. 2. Eleuatio manuum ad Deum in precibus, non debet esse ritus hypocriticus aut superstitiosus, sed symbolicus, h.e. symbolum subjectionis & fiduciæ. 3. Defensio aduersus vim injustam omni jure, diuino & humano, magistratui politico est licita. Pertinet huc versus:

Bella magistratus nonnisi iusta gerat.

4. Hostes ecclesiam opprimere molientes nihil proficiunt: sibi vero exitium attrahunt à Deo, qui mentem & oculos hostibus adimit, vt quasi amentes & cœci in suam perniciem ruendo, debitasq; peruicaciæ pœnas luendo, veritatis, justitiæ atque potentiæ Dei exemplum mundo relinquant.

Exod 17. *v.* 8. *& seqq.*

Concio allegorica.

Videbimus historiam & allegoriam. *Historia* proponit antecedentia modum & consequentia pugnæ. *Allegoria* in his consistit. 1. Pedum Mosis eminus conspectum exhilarauit & animauit Josuam ad pugnam. Ita promissiones Dei in Christo animant, exhilarant, & confortant nos in militia nostra spirituali. 2. Quamdiu Moses eleuauit manus suas, Israelitæ fuerunt superiores. Ita quamdiu nos eleuamus mentes nostras ad Deum per fidem & preces, vincimus hostes nostros. 3. Si manus nostræ delassentur, oportet vt quiescant in lapide illo angulari, qui est Christus, & sustententur ab Aharone, id est, sacrificio Christi. 4. Quemadmodum Moses præcepit, vt monumentum hujus beneficii Dei erigeretur: ita nostrum est grata mente custodire beneficia, quæ Deus in nos confert. Erigamus cum Mose altare, illudque vocemus *Jehoua Nissi*, id est, Dominus est vexillum & victoria mea. Cæterum locus communis de bello hic occurrit. Pertinent autem leges polemicæ partim ad antecedentia belli, partim ad conflictum ipsum, partim denique ad consequentia. *De I.* Diligens requiritur præparatio, quæ consistit in delectu personarum, apparatu rerum, & preci-

precatione cordis. *De II.* In conflictu requiritur diligens & ordinata congressio, & ardens precatio. *De III.* Post victoriam requiritur gratiarum actio, quam oportet testatam facere ore, manu, & monumentis varijs. Porro conflictus Israelitarum cum Amalekitis est typus militiæ spiritualis, in qua nobis pugnandum est in hostes numero infinitos, sapientia & astu præcellentes, & potentia formidabiles. Ad quam pugnam vt simus paratiores, necesse est, vt nos adjungamus commilitibus nostris, alijs scil. Christianis, & sub Christo, cœlesti Josua, strenue pugnemus, adhibitis armis spiritualibus, verbo Dei & precatione cordis.

Exod. 17. v. 6. 7.

Petra Horebi à Mose percussa est typus Christi in cruce transfossi. Ut enim ex petra percussa scaturiebant fontes, quibus poti Israelitæ sitim sedabant: sic petra salutis, transfossa in cruce, effundit aquam æternæ siti medentem. *Concio typica.*

Exod. 17. v. 10. 12. 13.

Occurrit hic typus victoriosæ precationis. Ut enim Moses lassas manus attollit difficilius: ita in oratione caro humana, dum luctatur cum Satana, est segnis & infirma. *Deinde* sicut manus Mosis fuerunt sustentatæ dextra Aharonis: ita caro nostra infirma inter precandum sustentatur dextra cœlestis Aharonis, & excitatur diuina flamma, quam Hur significat, & Spiritum S. adumbrat, qui adjuuat infirmitatem nostram. *Concio typica.*

Exod. 18.

1. Moses fuit dux populi Israelitici, & omnes causas primo solus, postea cum judicibus delegatis judicauit. Ex eo autem inepte colligunt Papistæ, Papam Romanum supremum religionis & ecclesiæ judicem esse oportere: quia judex religionis *personalis*, est Spiritus sanctus, *normalis*, est Scriptura, cuius interpretes sunt pastores, doctores, & omnino Christiani γυμνασμένα αἰσθητήρια habentes. 2. In hoc capite proponitur idea boni judicis & consiliarij.

Exod. 19.

1. Deus nos in deserto hujus mundi portat alis aquilarum, vt simus tuti aduersus omnem vim, quæ nobis eripere coronatur brauium æternę felicitatis. 2. Promissio gratiæ Dei habet annexam conditionem fidei, obedientiæ & perseuerantiæ nostræ: non quod hæc conditio sit in nostra potestate, vel sit causa promissionis, sed vt partim miseriæ, officij & gratitudinis nostræ admoneamur, partim his veluti stimulis ad eam magis magisque incitemur, ingrati vero si simus, αὐτοκαλύπτεται euadamus. 3. Magnum est priuilegium filiorum Dei, quod sunt eius peculium. 4. Pentecoste V.T. conferatur cum pentecoste N.T. *Act. 2.* idque tum pariter, tum impariter.

Exod. 19. *v.* 18. 19.

Horrendus terræmotus, mons dēſa caligine opertus, tonitrua, & ſimilia horrore plena, ſunt ſigna horribilis præſentiæ & admirabilis majeſtatis Dei, quibus ille expreſſit legis vim & officia. Montes enim celſi ſunt faſtus, ſuperbiæ, ſecuritatis, & audaciæ humanæ figura: quæ tonitru & fulgure legis mota, tacta & conturbata, tremunt, exhorreſcunt & obſtupeſcunt. *Deinde* concio legis inſtar ignis egreditur ex ore Dei & miniſtri, & comburit ſtipulas affectuum hominis. *Tertio* ſicut fulgura colluſtrabāt loca montis caliginoſa, in momento temporis inopinato: ſic in judicio Dei & conuerſione hominis, fulgor legis reuelat abditas cordium cogitationes. *Quarto* Deus habitat in caligine, h.e. ſub facie crucis & concione legis præſentiſſimam ſuam opem exhibet peccatori reſipiſcenti. *Quinto* tonitru legis ſequitur largiſſimos cordis contriti fletus, quomodo videmus tonitru habere comitē pluuiam. Atq; hic eſt fulminis legalis vſus. *In ſumma*: Patefactio Dei in promulgatione legis fuit terribilis, partim vt reuerentia doctrinæ legis conciliaretur, partim vt natura & officium legis declararetur, de quo apoſtolus *Rom.* 4. *Lex iram operatur*.

Exod. 20.

Explicatio decalogi continetur regulis generalibus & ſpecialibus. *Regulæ generales* ſunt. 1. Neceſſaria eſt decalogi repetitio in eccleſia. Etſi enim nemo juſtificatur juſtificatione legali: lex tamen eſt ſpeculum miſeriæ & norma gratitudinis: quia ex lege eſt agnitio peccati, & lex eſt lucerna pedibus noſtris. 2. Lex naturæ eſt vegetata per Moſen. h.e. lex naturæ, quæ naturaliter eſt nota, per Moſen clarius eſt explicata. Nā per lapſum varie eſt deprauata. 3. Decalogus intelligendus & declarandus eſt juxta declarationem per Moſen, prophetas, Chriſtum & apoſtolos traditam. 4. Decalogus requirit obedientiam integram, internam & externam, in mente, corde, voluntate, lingua & actionibus hominis. Itaq; hæc quinq; in ſingulis decalogi præceptis diligenter ſunt attendenda. 5. Sententia cujuſq; præcepti ex fine & ſcopo legislatoris eſt ſumenda. Lex itaq; tunc recte intelligitur, cum ad ea extenditur, quæ per eam legislator obtinere & conſequi voluit. 6. Propter diuerſos fines vnū idemq; opus ad diuerſa præcepta referri poteſt. 7. Præcepta affirmatiua ſeu imperatiua includunt negatiua ſeu prohibitiua, & contra. Quod n. præcipitur, ejus contrarium prohibetur: & quod prohibetur, ejus contrarium præcipi intelligitur. 8. Ex parte totum, ex ſpecie genus debet colligi: itē ex effectu cauſa. Præcepta igitur aut prohibita vna ſpecie aliqua præcipua, etiam cognatæ ſpecies præcipiuntur aut prohibentur: & vbi effectus præcipitur aut prohibetur, ibidem & cauſa. 9. Cū relatiuis ſanciuntur correlatiua. 10. Ceremonialia cedunt moralibus: & in his ſecunda tabulę primę. *Regulæ ſpeciales* ſunt: 1. Omnium aliorum præ-

ceptorum

ceptorum obedientia ad primum est referenda. 2. Primum præceptum solí vero Deo cultum religiosum vindicat: secundum, tertium & quartum cultum illum circumscribunt quantum ad circumstantias varias. 3. Secũda tabula complectitur officia proximo debita.

Exod. 21. 22. 23.

Regula generalis de legibus forensibus Mosaicis hæc est: Quęcunq; leges politicæ nituntur morali justitia, seu naturali honestate, sunt perpetuę, & vbiq; locum habent: quæ vero sunt juris particularis, h.e. peculiarem causam habent in illius gentis conditione, sicut olim alias gentes non obligabant, ita hodie vim nullam habent. Breuiter: Quidquid est juris communis in legibus forensibus, illud est morale & juris immutabilis. Cæterum ex tribus hisce capitibus notentur ista. 1. Etiam fortuita & casualia nobis reguntur certa & justa Dei prouidentia. 2. Lex diuina distinguit gradus furti. Nam furem simplicem damnat quadruplo, furem nocturnum impune interfici docet: quia iure luit vt grassator, si interficiatur. 3. Usura est moderata, vel immoderata, quæ dicitur rodens & mordax. Usura itaque prohibetur lege, non absolute, sed quæ mordet fratrem. Secus non permitteret eam Deus in peregrinum *Deu.* 32. Usura igtur est res indifferens. Hinc vsura spiritualis est laudabilis, si nempe bona spiritualia fœnori exponamus. Quod dici non posset, si vsura toto genere mala esset. 4. Prosopolepsia jure diuino est prohibita, quia jus peruertit. 5. Deus non iustificat impium, scil. legaliter. Et, Deus iustificat impium, scil. euangelice. Illud etiam est verum de sensu composito, hoc de diuiso. 6. Munera dare & accipere lex non vetat, nisi iudicii causa.

Exod. 24. v. 16.

Deus se inuoluit in nube, vt doceret imbecilliorem esse captum rationis humanæ, quam vt ipsum possit recte cognoscere ad salutem. Nam vt solem per interpositam nubem facilius tolerant, qui oculis laborant, quam nube remota: sic demittens se Jehoua ad infirmum hominum captum, inuoluit se sacramentis & verbo.

Exod. 25. 26. vsq; ad finem.

1. Ministerium ecclesiæ de nostris facultatibus legitime quæsitis conseruandum est, contributione libera & liberali. 2. Cherubini non erant imagines idololatricæ, sed typicæ, speciali mandato Dei erectæ. 3. Sacerdotium N.T. est præstantius sacerdotio V. T. licet non habeat vmbras & ornatum typicum. Nam quia est antitypum, præstantius est typo. Quod autem attinet ad aureum nitorem tabernaculi, & *Cap.* 25. *Cap.* 25. 26. 27. 28. 29.

similem apparatum atque ornatum, ille non probat luxum basilicarum, sed est typus splendoris & excellentiæ Christi, qui est templum deitatis splendidissimum, itemque hominis spiritualis, qui est noua creatura in
Cap. 30. Christo, & templum Spiritus Sancti. 4. Altare V.T. est typus Christi, qui in cruce fuit completus: & est figura spiritualis nostri altaris: quod est cor præditum fide in Christum. In hoc altari oportet Deo preces & sanctam
Cap. 31. vitam offerre in odorem bonæ fragrantiæ. 5. Opera artis pictoriæ & sculptoriæ non sunt prohibita, nisi accedente abusu, cum sunt vel ponuntur ad offendiculum vel idololatriam. Extra hunc casum vsus illorum potest
Cap. 32. esse historicus, mnemonicus & politicus 6. Deus statuendo sabbatum septimi diei in signum spiritualis sanctificationis, per Messiam implendæ, inter typos & vmbras legales id retulit: cum quibus & ipsum, Christo celebrante sabbatum istud in sepulchro, euanuit. Hæc itaque circumstantia & ceremonia ad nos nihil pertinet Sed substantia & morale præcepti de
Cap. 32. sabbato sanctificando est perpetuæ obligationis. 7. Omnis εἰδωλοθρησκία est conjuncta cum idololatria: quia alium cultum Dei fingere, est alium Deum fingere, quocunque prætextu pallietur. Nam culus ex cerebro nostro profectus est idolum, quod adoramus. 8. Non merita patrum defunctorum sed promissiones patribus factas Moses allegat, cum Deum orat pro populo his verbis: *Recordare Abraham, Isaac, & Iacob, seruorum tuorum.* Qui tres patriarchæ nobis in memoriam reuocant fœdus Dei Trini & vnius, quod iniit cum hominibus ex pura gratia. 9. Deus impœnitentes delet de libro vitæ, non mutando immutabile electionis propositum, sed demonstrando, illos nunquam fuisse scriptos in libro vitæ. Hic obserua librum vitæ esse partim decretum Dei, partim Jesum Christum, cui aliquis est insitus καὶ ἀληθείαν vel ἐν δόξαν. Ergo deleri è libro vitæ dicuntur, qui δοξασθῆς in illo fuerunt scripti, & judicio charitatis habiti fuerunt pro
Cap. 33. vere inscriptis. 10. Pœnitentiam seriam signis vsitatis testatam facere, id vero decet hominem Christianum. 11. Deus acceptat pœnitentiam, non propter speciem actus seu operis, sed propter personam pœnitentis, quę est justa in Christo. Distinctæ itaque sunt quæstiones, Quinam Deo placeant, & Qua re placeant. Ad priorē recte dicimus, Pœnitētes: ad posteriorem, non quia pœnitentes, sed credentes. 12. Quia tabulas legis nobis
Cap. 34. in prima creatione inscriptæ fregimus, rebellando aduersus Deum: necesse est, vt denuo istæ tabulæ inscribantur cordibus nostris. Atq; hoc significare voluit Deus, quando nouas tabulas lapideas dolari iussit, illisque legem suam altera vice inscripsit. 13. Magnifica descriptio Dei hic proponitur, quæ infinitis parasangis superat titulos omnium regum & prin-
Cap. 35. & seqq. cipum 14. Magnificentia cultus Leuitici μυστικῶς notat magnificentiam cultus spiritualis in ecclesia catholica, & in corde cuiusuis credentis.

Exod. 25.

Exod.25.v.17 & seqq.

Concio Typica.

1. *Arca fœderis* constabat ex ligno & auro: ita Christi persona ex duabus natur is. 2. Legis tabulæ in arcam positæ ostendunt Christum esse perfectionem legis, vt omnes qui credunt in ipsum, ipsius obedientia per fidem justificentur. 3. Manna in arca docebat Christum mediatorem esse panem cœlestem. 4. Aharonis virga florens notabat Christum, qui mortuus in cruce & veluti arefactus, reuixit die tertia, & per Euangelium declaratus est Pontifex noster, quomodo videmus virgam Aharonis aridam floruisse, & testimonium perhibuisse. 5. Annuli in quatuor angulis arcæ, quibus vestes erant immissi, vt quo erat opus portari posset; admonent nos, Christum fuisse ad omnes gentes portandum per Euangelj quadrigas versus quatuor cardines mundi. 5. Corona aurea in arca denotat purissima & præstantissima dona Spiritus S. quæ Christus habet citra mensuram, nos ex de mensa illius. 6. *Propitiatorium* adumbrat Christum hoc modo. Deus promisit se adfuturum apud propitiatorium: ita si quis Deum quærit & petit in nomine Christi, certo illum inuenit. Nam Deus est manifestatus in Christo. Deinde sicut Deus ex propitiatorio responsa daba Mosi, & illum de voluntate sua faciebat certiorem: ita Pater cœlestis arcanam suam voluntatem nobis reuelat per Christum, Euangelij præconem Opt. Max. Denique sicut sacerdos in sanctissima tabernaculi parte impetrabat populo remissionem peccatorum: ita Deus nobis est propitius in Christo. 7 Duo *Cherubim* se mutuo respicientes & faciem in propitiatorium vertentes, significant duo testamenta, quæ se inuicem explicant, & ad vnum Christum collimant. Quod alis operiebant arcam & propitiatorium, denotabat Euangelij ministerium esse sub protectione Dei & angelorum. 8. *Sacramensa* denotat Euangelij ministerium: panes duodecim impositi mensæ, Christum à duodecim Apostolis propositum in verbo & sacramentis. Thus impositum panibus admonet manducantes de fide & precibus.

Exod. 28. v.30.

Vrim significat lumina siue igneis: *Thummim*, perfectiones. Quæ duo nomina Aharon in pectorali gestabat, vt responsa à Deo acciperet, hoc, vt multi arbitrantur, modo. Quoties Deus affirmate respondere volebat sacerdoti de re dubia quærenti, gemmæ pectorali insitæ, emittebant splendorem, solita luce clariorem: quoties vero negatiue, obscurabantur gemmæ. Fuit autem lux illa in pectore Aharonis, typus diuinæ bonitatis in Christo relucentis. Deus enim hominibus suam reuelauit bonitatem per Christū lucem illam diuinæ suæ faciei, qui sic lucet in intellectu, ignorantiæ tenebris obsito, & in corde, tristitiæ nebulis circumsepto, vt in te-

nebris candela, & in rebus dubijs Aharonis gemma. Porro Christus est Vrim & Thummim, hoc est, lux & perfectio nostra, A καὶ Ω, primus & vltimus. Nã Vrim & Thummim primam & vltimam Alphabeti Hebraici literam habent in fonte sua, quemadmodum Alpha & Omega sunt prima & vltima Græci Alphabeti litera. Teneantur hic summatim ista. 1. Vrim & Tummim fuit medium diuinitus ordinatum, per quod Deus legitimo modo consultus responsa dabat & oracula fundebat. 2. *Vrim* erat signum intelligentiæ seu cognitionis veri, *Tummim* integritatis seu actionis boni: quæ duo habemus à Christo & in Christo, qui est via, lux & veritas. Cognitio veri perficit intellectum, actio boni voluntatem. Atque hæc est perfectio Christianissimi; quippe qui incipit à cognitione, quam Vrim notat, in qua voce *Aleph* est prima litera: & desinit in actione, quam notat Tummim, in qua voce *Tau* est prima litera. Hoc itaque sit Alphabetum nostrum, quod dies & noctes doceamus & discamus. Nihil amplius in statu viæ, nihil amplius in statu patriæ discere possumus. Hanc itaque artem factitemus, donec conjungamur cum Deo vno & trino, qui reuera est *Vrim* & *Tummim*, ἀλήθεια.

Exod. 34. v. 29. 30.

Concio Typica.

Splendicans facies Mosis ex consortio cœlestis claritatis, Israelitas commonebat diuini splendoris: cujus emissi radij mortalibus essent terrori. Sic itaque vultus Mosis, & ipsius velamen, est legis diuinæ typus. Lex enim diuina recte & vere explicata, ita perstringit hominum corda, vt ferre eam non possint: Quod norint illam non posse à quoquam impleri, sed omnes mortis damnari, ex legis sententia, nisi interueniat misericordia Dei. Ergo humana ratio, ex hypocryseos consilio, velum quoddam excogitat quo faciem Mosis tegat, & opinionem fingat, quod lex requirat externam tantum obedientiam, quam homo præstare possit integram, quodque per illam ita præstitum consequatur vitam æternam. Hoc velum cordibus omnium hypocritarum est impositum, vt legis veram non videant sensum & vsum. Qui vero illuminantur diuinitus, recte intelligunt, quod lex sit lata, vt agnoscamus peccata, & confugiamus ad Christum mediatorem. Porro vt facies Mosis ex conuersatione & colloquio cum Deo concepit splendorem & gloriam: ita nos, dum intuemur Deum in suo verbo, & per preces nostras cum illo colloquimur.

Exod. 33. & 34.

Historia ista complectitur artem videndi Deum, quæ continetur his Aphorismis. 1. Deus videtur in regno potentiæ, gratiæ & gloriæ. In illo peruidentur æterna ejus deitas & majestas ex operibus creationis; in

ista,

lio, ex operibus redemtionis & ex verbo; in hoc ex opere glorificatio-nis. 2. Homo non potest videre nisi posteriora Dei, hoc est, non potest ipsum cognoscere nisi à posteriori. Quo pertinet distinctio inter τὰ ὀπίσθια καὶ ἀποφάσεις τοῦ θεοῦ. 3. Lumen naturæ facit, vt videamus Deum creatorem: lumen gratiæ & gloriæ, vt videamus eundem redemtorem. 4. Qui vult videre Deum, debet stare in petra, hoc est, debet niti Christo crucifixo: & debet accedere ad columnam nubis, ex qua Deus concionatur, hoc est, debet audire & meditari verbum Dei. 5. Qui vult videre Deum, non debet esse μονόφθαλμος, id est, non debet tantum intueri misericordiam vel justitiam ejus, sed vtramque. Nam Deus non est μονόφθαλμος, qui habeat oculum vel justitiæ, vel misericordiæ tantum.

III.

CONCIONES IN LEVITICVM.

Memoriale Leuitici. Cap. 27.

2 1 1 2
Quando holocausta, Molam, Grates, Pro crimine, Sacra
9 1 2 24 1
Lex, Sacra, Tunc Aharon, Flamma, Profana foci.
2 2 2 2 2
Pura, Puerperium, Lepra, Tum mundatio, Fluxus,
10 10 6 2 2
Hircus, Ne sanguis, Turpia, Sancta, Molech,
1 18 2 15 18
Pontifices, Sacra, Tum festa, Et blasphemia, Jobel,
3 14 2 30
Præmia cum pœnis, Votaque cum decimis.

Oeconomia Leuitici.

Leuiticus agit de sacrificijs, & personis circa sacrificia se occupantibus.

I. Sacrificia describuntur quantum ad species suas & ritus. Species describuntur ratione materiæ, quæ erat animata, *cap. 1.* vel inanimata, *c. 2.* & ratione occasionum, quæ erant vel beneficia Dei, *c. 3.* vel maleficia perpetrata aut ex ignorantia, *c. 4.* aut ex infirmitate, *cap. 5.* Ritus describuntur *c. 6. & 7.*

II. Per-

II. Personæ sunt publicæ vel priuatæ. Personæ publicæ sunt sacerdotes; quorum consecratio *cap.8.* Officium. *c 9.* Errata. *10.* Personæ priuatæ sunt omnes pij, quorum sanctificatio est particularis vel communis. Sanctificatio particularis est vnius personæ: vbi est discretio ciborum, *cap.11.* Et lex de puerperio, *c.12.* De Lepra, *c.13.14.* Et de profluuio, *c.15.* Sanctificatio communis & totius Ecclesiæ & spectatur in legum promulgatione sanctione & additione. Promulgatio est legum vel generalium, *cap.16.17.* vel particularium, earumque œconomicarum, *c.18* Politicarum, *ca.19.20.* & Ecclesiasticarum quantum ad sacerdotes, *c.21.* Victimas, *c.22.* & tempora, *cap.23.24.25.* Sanctio legum est *c.26.* Adjectio quarundam legum *cap.27.*

Typicam siue Tabellarem dispositionem Leuitici vide *lib.2. Præcogn. Theol. cap.15.* Chronologiam *ibid. ca.116. & supra in Concione præliminari Bibliorum.* Characterem denique & summariam considerationem *lib.2. Præcog. Theol. c.120.*

Leuit.1.2.3.4.5.6.7.

Sacrificium, de quo præcipue agit hic liber, est opus à Deo præceptum, Deoque præstitum, ad testandam nostram siue humilitatem, siue obedientiam siue gratitudinem. Ejus videnda est affectio & diuisio. *Affectio* est, quod debeat fieri ex fide, secundum legem Dei, ad ipsius gloriam. Quo pertinet ipsius conuenientia & differentia cum sacramento: à quo semper differt forma & fine speciali tametsi non semper differat materia & fine generali. *Diuisio* est, quod primo sit morale vel ceremoniale, deinde typicum vel typo respondens, corporale vel spirituale, ἱλαστικὸν vel ἐυχαριστικὸν. *Sacrificium morale* est quoduis opus bonum morale ex fide factum, præcipue Spiritus contritus, misericordia eleemosynæ, preces, gratiarum actio. *Sacrificium ceremoniale* est proprium Veteris Testamenti. Ejus genera sunt sex. 1. Holocaustum, Brandopffer. 2. Oblatio seu munus, Speißopffer. 3. Pacifica siue Eucharistica, Danckopffer. 4. Peccatum seu pro peccato ex errore, Sündopffer. 5. Reatus seu delictum, Schuldopffer. 6. Sacrificium consecrationis sacerdotum, Weyopffer. *Sacrificium typicum* præfigurauit sacrificium morale, quod dicitur sacrificium antitypo respondens. *Sacrificium corporale* absoluitur externo apparatu: *Spirituale* constat interna perfectione & refectione. *Sacrificium* ἱλαστικὸν, *expiatorium*, est sacramentale, vel sacramento significatum. Ibi sunt sacrificia ἱλαστικὰ τυπικὰ, quæ reatum ceremonialem expiabant in Ecclesia, non vero ciuilem in foro, multo minus spiritualem in judicio Dei: hic est sacrificium ἱλαστικὸν Messiæ, quod solum expiat reatum spiritualem, quem Messiæ sacrificio expiandum significant typica. *Sacrificium Eucharisticum*

est

ut vel ceremoniale, vel ceremoniali significatum. Illud erat obedientiæ moralis significatium, erga Deum & ministerium Ecclesiasticum, hoc ipsa moralis obedientia. Hic notentur duo. 1. Sacrificium crucis Christi esse morale & spirituale. 2. Sacram Cœnam esse sacrificium duplici nomine, ratione repræsentationis, & gratiarum actionis, quatenus videlicet est ἀνάμνησις mortis Christi, & εὐχαριστία pro tanto beneficio.

Leuit. 1.

1. Integritas masculi ex bobus & agnis offerendi in holocausta, figura-turinnocentia & perfecta obedientia Christi, veræ illius victimæ piacularis. 2. Sanguis taurorum expiabat peccata sacramentaliter & figurate, seu in typo. 3. Sacrificia placebant Deo, non sua qualitate seu præstantia, vel quantitate, sed fide offerentium: vnde non minus turtures pauperum, quam boues diuitum Deo grati erant.

Leuit. 2.

1. Fermentum & mel ordinarijs oblationibus misceri prohibuit Deus, vt omnes corruptelas doctrinæ, cultus & morum, omnesque voluptates carnis vitandas esse doceret. 2. Sale condienda erat omnis oblatio, vt verbo Dei & fide carnem à putredine peccatorum purgandam esse discerent fideles. 3. Adipis & sanguinis comestio prohibetur, vt crudelitas & voluptas fugienda esse doceatur.

Leuit. 3.

1. Omnia per sacerdotem offerenda erant: quia oblationes & preces nostræ non placent Deo nisi in nomine Christi offerantur, & per hunc Pontificem Opt. Max. sanctificentur. 2. Deus identidem de rebus minutissimis circa sacrificia præcipit, vt omnes θελοθρησκείας cultui ejus admiscere caueamus.

Leuit. 4.

1. Etiam infirmitatis, erroris & ignorantiæ peccata trahunt reatum mortalem, qui expiatione indigebat. Ideo sua natura non sunt venialia. 2. Sacerdotes V. T. pro suis etiam peccatis offerebant: Christus pro nostris tantum. 3. Sacrificia erant expiatio ceremonialis proprie, moralis sacramentaliter & significatiue. 4. Tota Ecclesia visibilis errare ac deficere potest.

Leuit. 5.

1. Requisitia magistratu de sua fide, vel testimonio, vel judicio, non pugnante cum gloria Dei & salute proximi, tenentur respondere ingenue, absque æquiuocatione. 2. Qui jurauit rem illicitam, eam non præstando non peccat: sed peccauit temere jurando, & grauius peccat temere juratam seruando. 3. Vota vel juramenta temere suscepta, de rebus non quidem illicitis, seu lege vetitis, sed vouenti vel juranti malis,

hoc est, incommodis, sumtuosis, vel molestis, erant seruanda, vel temeritatis confessione, & oblatione expianda.

Leuit. 6. 7.

1. Ignis perpetuo erat alendus, ex causa tum *historica*, quia cœlitus fuerat accensus, vt esset signum approbationis diuinæ, si illo accenderentur sacrificia: tum *mystica*, vt disceremus, in Ecclesia solum Dei verbum lucere debere, & dona Spiritus Sancti fouenda esse. 2. Oblatio non rite ad legem facta, erat abominatio: sic opera nostra, puta eleemosynæ, preces, vsus sacramentorum, sine fide.

Leuit. 8.

Concio Typica. Sanctificatio Aharonis & filiorum ejus fuit insignis typus officij Spiritus Sancti, hoc modo. 1. Aqua, qua illi abluebantur, notat gratiam Spiritus Sancti qui abluit peccata nostra per sanguinem Christi, & in nobis creat cor mundum. 2. Vestitus splendidus notat vestem illam nitidam, qua Spiritus Sanct. nos induit. 3. Pileus notat Christum, quem nobis imponit Spiritus Sanct. 4. Oleum notat vim Spiritus S. viuificam, qua exhilarat corda nostra. 5. Impletio manuum notat plenitudinem Spiritus Sancti. 6. Accensio sacrificij notat efficaciam Spiritus Sancti & illius ardorem seu ignem, quo ille corda nostra incendit amore Dei & proximi. Porro ex hoc capite discimus. 1. Vocationem & collationem Eccl. fiasticam, & inuestituram Episcopi, hoc est, pastoris verbi, pertinere ad regalia principis: quomodo videmus Mosen vt principem populi Dei sacerdotium contulisse Aharoni & filijs ejus. 2. Habitum Ecclesiasticum debere esse dignum tum ministerio, tum ministro. Vitanda autem hic sunt duo extrema: ne scilicet in excessu peccemus, postliminio reuocando habitum Leuiticum, quippe qui fuit typicus, significans ornatum Christi & Christianorum, qui sunt regale sacerdotium: vel in defectu exorbitemus, habitu leui aut indecoro Ecclesiam scandalizando. In summa: Pastor Ecclesiæ studeat habitu externo corporis testatum facere habitum internum animi.

Leuit. 9. 10.

1. Eleuatio manus Aharonis, benedicentis populo, erat signum siue symbolum diuini fauoris erga populum: benedictio autem erat inuocatio Dei, vt populo propter Christum propitius esset, vereque præstaret, quod victimæ significabant. Sic in administratione sacramentorum pastores legitime vocati orant Deum, vt obsignet interne, quod sacramenta significant externe. 2. Deus non potest ferre audaciam adulterandi cultum suum, vt docemur exemplo filiorum Aharonis. 3. Vino aut potu inebriante

briante abstinere jubentur sacerdotes sacris operaturi, vt discamus sobrietate per opus esse, si velimus facere officium, præsertim in diuinis.

Leuit. 11.

1. Quatuor sunt causæ discriminis mundorũ & immundorum animalium. *Prima* est Physica seu Medica, vt consuleretur sanitati gentis, naturaliter ad singulares morbos dispositæ. *Secunda* ethica seu moralis, vt populus duræ ceruicis assuefieret hoc fræno ad obedientiam. *Tertia* politica, vt populus Dei discerneretur à reliquis gentibus. *Quarta* typica & mystica, vt abstinentia à cibis immundis esset eis exercitium munditiei spiritualis. 2. Sicut in mundo sunt animalia munda & immunda: sic in Ecclesia visibili boni & mali, oues & hœdi. 3. Animalia munda ruminabant cibum. Sic Filij Dei ruminant, hoc est, interdiu & noctu meditantur legem Domini. Ruminatio etiam est indicium puritatis: Quia animalia, quæ ruminant, puris vescuntur cibis; quæ vero non ruminant, vt plurimum sordibus pascuntur. Quemadmodum autem ruminatio est signum puritatis: ita diuisæ vngulæ, modestiæ & mansuetudinis. Nam animalia, quæ diuisas habent vngulas, sunt minus ferocia, quam illa quæ habent continuas. Quanquam vngulæ scissæ etiam possunt significare discretionem in rebus spiritualibus.

Leuit. 12. 13.

In explicatione & applicatione ceremoniarum Leuiticarum duæ regulæ sunt obseruandæ. 1. Typi debent referri ad suum antitypum, puta ad Christum, & cultum moralem tum Vet. tum N. T. Oportet autem, vt explicatio sit analoga fidei & naturæ ipsius rei. Ratio prioris est: quia Analogia fidei est norma & mensura cujusuis interpretationis Scripturæ. Ratio posterioris est: quia omnis similitudo debet explicari ratione proprietatis rerum, quæ inter se conferuntur. 2. Vitanda est καινοξηλία ceremoniarum Leuiticarum: qualis est in Papatu, vbi totus propemodum cultus Leuiticus reuocatur, & Synagoga honeste sepulta inhoneste refoditur. Magnum sane hoc est peccatum: quia vmbræ istæ postliminio reuocatæ, claritatem Euangelij & libertatem Christianam obscurant. Neq; est, quod patroni & magistri ceremoniarum prætendant pulchram Analogiam & significationem. Non enim significatio prætensa, sed voluntas Dei instituentis facit ceremoniam perpetuam.

Leuit. 14.

Quemadmodum Moses, infantulus pulcherrimus, in abjectissima ciſtula jacuit: ita lex Dei plurima mysteria occultat in litera externa. Nam Deus *Leuit. cap. 11.* prohibet esum carnis suillæ, vt doceat nostrum esse vitare voluptates belluinas, ne instar porci nos volutemus in cœno. *Concio Allegorica.*

Ibidem jubet quotannis putare arbores, vt significet, concupiscentiam carnis esse domandam. Ibidem prohibet edere accipitrem & aquilam, vt doceat abstinendum esse à rapinis. *Deut.25.* prohibet ne boui trituranti obligemus os, vt doceat, operarium non esse fraudandum mercede debita. *Deuter. 22.* vetat gestare vestem ex lana & lino, vt doceat studendum esse sinceritati, ne simus bilingues. *Exod.33.* Vetat hœdum coquere in suo lacte, vt doceat afflicto non esse addendam afflictionem. *Leuit. cap.16.* prohibet multiplici semine conserere agrum, vt doceat non esse serendum semen auaritiæ, voluptatis & mundi vna cum semine verbi Dei in agrum cordis nostri. Ex his videre est, legem Dei ceremonialem plurima occultare mysteria. Talis etiam est lex, quæ hic occurrit. Explicatio ipsius hæc est. 1. Triplex Lepra hic describitur, Lepra carnis, vestium & ædium. Illa notat peccatum originale, itemque peccata actualia, quæ veniunt nomine voluptatis: ista significat superbiam circa vestes, quæ Lepra totum mundum hodie inficit: hæc notat auaritiam, quæ Lepra totas domos consumit. 2. Duo aues notant corpus & animam. Priorem auem debemus mactare, adeoque Deo sacrificare, posteriorem debemus libere dimittere, vt in altum subuolet ad Deum. 3. Auis, quæ dimittitur, debet tingi sanguine, hoc est, anima nostra per preces subuolatura ad Deum, debet tingi sanguine Christi. 4. Vas terreum significat corpus tuum fragile 5. Aqua notat vitam tuam fluxam. 6. Coccinea lana est amor Christi igneus, quo hyssopus, herba illa humilis, hoc est, humana Christi natura, deuincta est cedro, arbori altissimæ, id est diuinæ naturæ. 7. Septenarius in aspersione notat Spiritum Sanctum, & septem ipsius dona *Esa.cap.11.* Potest etiam hæc ceremonia aliter exponi, hunc in modum. Sex requisita hujus mundationis continentur isto versu:

Sanguis, Aqua, Coccus, Cedrus, vas fictile, Hyssopus.

Sanguis auiculæ mundæ notat sanguinem CHRISTI. Quemadmodum enim nihil poterat esse in sanctuario, quod non erat sanctificatum sanguine: ita sine sanguine CHRISTI non datur nobis ingredi cœlum. *Deinde* auis, quæ libere dimittebatur, ita CHRISTVS euasit ex carcere mortis, fecitque vt anima nostra instar auiculæ liberetur ex laqueo Satanæ. *Tertio* aqua notat Spiritum Sanctum, baptismum & threnos pœnitentiæ. *Quarto* lana coccinea notat peccatum, quod licet altissime nobis insideat, & pertinacissime tingat instar cocci, radicitus tamen tollitur & prorsus eluitur per sanguinem CHRISTI. *Quinto* cedrus notat nouam generationem & immortalitatē. Sicut enim cedrus non eroditur à vermibus: ita vermis conscientiæ non nocet regenitis.

Sexto

lutu vas fictile notat nostram infirmitatem & humilitatem. *Septimo* hyssopus notat fidem. Quemadmodum itaque ad mundationem corporalis lepræ sex requirebantur: ita quoque ad mundationem lepræ spiritualis illa sex sunt necessaria, hoc ordine sanguis Christi, Spiritus sanctus, Agnio peccati coccineo, Regeneratio, Humilitas coram Deo, & Fides in Christum. Porro quemadmodum sacerdos jubetur mundos pronuntiare nõ nisi eos, quos Deus prius mundasset: ita præcones euangelij nonnisi absolutionis & mundationis à Deo factæ præcones & testes esse debẽt. Absoluit autem Deus tantum eos, qui agunt pœnitentiam, & credunt euangelio.

Leuit. 15.

Vsum ceremoniæ de immunditie & purgatione eorum, qui fluxum patiuntur, apostolus 2. *Cor.* 7. explicat, hortando fideles, vt mundent se ab omni inquinamento carnis & spiritus.

Leuit. 16. *v.* 5. 30.

Describitur hic sanctissimum expiationis festum, cujus typum explicabimus. 1. Duo hirci significant officium Christi sacerdotale: & alter quidem hircus, qui mactabatur, significat mortem Christi, alter autem, qui dimittebatur in desertum, significat fructum mortis Christi, quod scil. peccata sint à nobis ablata, & in desertum deportata. 2. Quod delectus hircorum per sortem est factus & alteri manus imposita, significat, Christum à Deo Patre esse ordinatum mediatorẽ. 3. Hircus dimissus in desertum significabat Christum fore maledictionem propter nostra peccata, & reuera κατάραμα, idque longe alia ratione, quam apud ethnicos fuerunt καθάρματα, id est, homines deuoti, qui mactabantur in sonticis calamitatibus, vt ira deorum placaretur. 4. Quemadmodum hircus excluſus fuit à consortio hominum & animalium: ita Judæi voluerunt Christum esse excluſissimum à societate hominum, quando in passione ipsius clamarunt, Apage, Crucifige. *Concio typica.*

Leuit. 17.

1. Sacrificia non alibi, quam ad ostium tabernaculi, neque per alũ nisi per sacerdotem offerri voluit Deus, tum ne cultus sacer corrumperetur: tum vt populi fides in verum Pontificem, Jesum Christum, dirigeretur. 2. Quatuor sunt causæ prohibitionis esus sanguinis. *Primo* est ceremonialis, vt hac nota populus Dei discerneretur ab aljis gentibus. *Secunda* politica seu ciuilis, vt eo quasi fræno populus à fundendo sanguine humano cohiberetur. *Tertia* physica, quia sanguis bestiæ est vita ipsius, h. e. est vehiculum spirituum vitalium. *Quarta* mystica, quia erat destinatus

expiationi, tanquam typu sanguinis Christi, quem esu quotidiano aut crebro profanescere Deus noluit. 3. Sanguis sacrificiorum expiabat animas populi nonnisi sacramentaliter.

Leuit. 18.

1. Non quia lex eã præstantibus promittit vitam, ideo præstari & vinificare quenquam potest: sed *sic expressum est legis imperium, vt infirmitas hominis in seipsa deficiens, ad facienda quæ lex imperat, de gratia Dei potius, ex fide quæreret adiutoriũ, cuius misericordia etiam fides ipsa donatur:* vt sunt verba Augustini lib. 4. contra duas epist. Pelag. *i.c.* 5. Nimirum lex ostẽdit quales fuerimus & quid potuerimus, quales simus & non possimus extra Christum, deniq; quid possimus & quales esse debeamus in Christo. 2. Leges matrimoniales de nuptijs incestis pertinent ad septimum decalogi præceptum: eoq; morales sunt, naturalẽ atq; vniuersalem sanguinis reuerentiam sancientes. Nulla itaq; hic datur dispensatio in foro conscientiæ. 3. Frater germanus fratris vxorem ducere hic vetatur. Frater cognatus *Deut.* 25. vxorem fratris defuncti ducere jubetur.

Leuit. 19. 20. 21. 22. 23.

Cap. 19. 1. Lex de diligendo peregrino, vt indigena, etiam peregrinos proximi nomine venire docet, contra Pharisaicam corruptelã. 2. Ceremonia circumcidendi arbores & fructus non tantum pertinebat ad discretionẽ hujus gentis ab alijs, sed et ã habebat significationẽ moralẽ geminam: omnia videl. ex terra nascentia obnoxia esse vanitati, & sanctificari per verbum & preces *Rom. 8. & 1. Tim. 4.* & nos, qui sumus arbores justitiæ *Psal.* 1. quotidie opus habere circumcisione. 3. Lex damnando omnem ἀνθρωποκτονίαν
Cap. 20. non prohibet sacrificium Christi θεανθρώπου, μεσίτου καὶ ἱλαστηρίου ἡμῶν. 4. Adulterium cum aliena vxore, vel sponsa, jure diuino est capitale. 5. Sub mundi-
Cap. 21. tie ceremoniali Deus requirebat munditiem moralem, & reuerentiam cultus sui, præsertim in sacerdotibus 6. Lex Pontificia de cœlibatu sacerdotum repugnat legi diuinæ *Leuit. 21. v. 13.* & euangelio *1. Tim 3. v. 2. 3.*
Cap. 22. Lex de integritate victimarum multoties repetitur, tum propter typum integerrimæ hostiæ Christi, tum propter doctrinam moralem de hostijs
Cap. 23. spiritualibus ex puro corde offerendis. 8. Deus non prohibet nisi seruilia opera sabbato & festis diebus. Perperam itaq; Pharisæi legem istam ad quæuis opera, etiam charitatis & necessitatis, traxerunt. 9. Festorum legalium fines erant quinque videl. discretio populi Dei à gentibus, memoria beneficiorum certorum, nexus congressuum publicorum, conseruatio puritatis in cultu, & significatio typica beneficiorum Messiæ, cujus aduentu proinde cessarunt.

Leuit. 24. 25. 26. 27.

Cap. 24. 1. Lucernæ in lychnucho aureo à sacerdotibus perpetuo fouendæ, mo-

nent

ãt omnes homines officii, vt habeant lucernas suas semper ardẽtes oleo fidei & flamma charitatis *Matth.25.* Inprimis admonent doctores verbi Dei, ne cœlestis doctrinæ lucem vnquam extingui sinant, sed perpetuo foueant in ecclesia & cordibus hominum. Cerei Papistarum sunt huius ceremoniæ κακοζηλίαι. 2. Panes facierum seu propositionis, cum thure accenso, pro numero duodecim tribuum, significabant, ecclesiam Deo cõsecratam & acceptam esse, Christi intercessione. Præterea ad sustentationem sacerdotum pertinebant, ministerii conseruationem commendantes. 3. Etsi species pœnæ, qua blasphemiam nominis sui plecti præcepit Deus, politicæ legis fuit: genus tamen morale est, blasphemos capitis reos esse, vt maxime humanæ leges & magistratus conniueant. Ratio legis isti- us est, quia blasphemi perforant & lacerant nomen Dei. 4. Sabbatismus *Cap. 25.* agrorum 1. commendabat populo sabbatum spirituale. 2. discernebat hanc gentem ab aliis. 3. erat exercitium populi in fiducia prouidentiæ Dei. 4. habebat causam politicam, ne agri perpetua cultura exhausti sterilescerent, & male audiret terra sancta. 5. *Iubilæi* sunt triplices *1. Ceremoniales* siue legales, qui conseruabant distinctionem tribuum, consulebant pauperibus, distinguebant tempora chronologice, & denique significabant tempus acceptum Messiæ, i.e. liberationem spiritualem à peccato & morte per Christum. 2. *Spirituales* siue euangelici, quos celebrant omnes credentes iubilantes Deo suo in Christo. 3 *Superstitiosi* seu Põificij, qui sunt fœda indulgentiarum nundinatio, & impia κακοζηλία. 6. Deus promittit *Cap. 26.* benedictionem obedientibus, non quod bona opera mereantur mercedem temporalem vel æternam, de congruo vel condigno, sed quia obedientia ista proficiscitur ex fide in Christum. 7. Etsi carnalis populus corporalibus potissimum præmiis & pœnis fuit continendus in officio: tamẽ spiritualium quoq; bonorum & pœnarum dispensationem habuit, tum quia corporalia erant typi spiritualium, tum quia spiritualium bonorum promissiones, pœnarumque promissiones corporalibus fuerunt adsper- se. 8. *Vota* sunt triplicia: 1. *Ceremonialia*, quæ fuerunt pars cultus ceremo- *Cap. 27.* nialis à Deo instituti. 2. *Moralia*, quæ sunt exercitia pietatis, libere susceptæ absque superstitione, & opinione necessitatis, satisfactionis, vel meriti. 3. *Papistica* seu monastica, in quibus dominatur superstitio, & triplex illa opinio, modo dicta. 9. *Decimæ* sunt. 1. *Ceremoniales*, quæ iure diuino ceremoniali erant sacerdotum. 2. *morales*, quæ iure diuino morali Deo sunt sacræ, qui ius suum contulit regibus. 1. *Sam.* 8. *Rom.* 13. 3. *ecclesiasticæ*, quæ iure humano, h.e. regum liberalitate, sunt ecclesiæ.

IV. CON-

IV.

CONCIONES IN NVMEROS.

Memoriale Numerorum. Cap. 36.

2 2 1 3 14
Summæ, Castra, Aharon, Sacramunia, zelotypusq;,
23 2 1 2 2
Sic benedic, Princeps, Sacraq; Pascha, Tubæ,
4 10 3 1 3
Carnes, Maria lepra, Mittito, Fletus, Odores,
1 8 1 2 11
Dathan, Virga, Leui, Rufa, iuuenca, Petra.
9 28 1 1 1
Serpens, Vox asinæ, Bileam, Benedictio, Scorta,
1 12 2 3
Summa, videt terram, Victima, Festa, vouens.
2 1 1 2 6
Midian, Gad, Ruben, Stationes, Finis, Asyla,
8
Filia sic nubat cui data sorte bona.

Oeconomia Numerorum.

Numerorum liber continet ordines & numeros tres, in quos populus Israeliticus tum fuit distributus. Primus ordo & numerus est Israelitarū ad iter se accingentium, *ad c.* 11. secundus est proficiscentium, *ad cap.* 11. Tertius est hæreditatem jam proxime adeuntium.

I. Ordo seu numerus ad iter se accingentium describitur à personis & legibus. Personæ sunt vel priuatæ, quarum numerus est *c.* 1. ordo *c.* 2. vel publicæ, eæque Ecclesiasticæ, quarum numerus *cap.* 3. ordo *cap.* 4. leges personis latæ respiciunt sanctimoniam *cap.* 5. 6. 7. 8. 9. & profectionem *cap.* 10. 11.

II. Ordo proficiscentium describitur secundum numerum octo murmurationum: e quibus prima ex tædio itineris, & secunda ex tædio mannæ, est *c.* 11. Tertia est ex æmulatione Mariæ & Aharonis in Mosen, *c.* 12. Quarta est diffidentia, cujus occasio *c.* 13. ratio & modus vna cum intercessione Mosis *c.* 14. & condonatio *c.* 15. Quinta & sexta murmuratio ex inuidia tum Leuitarum *c.* 16. tum populi totius, vbi est murmuratio ipsa *c.* 17. & reconciliatio, *c.* 18. 19. Septima murmuratio ex penuria aquæ, *c.* 20. Octaua ex tædio vitæ *c.* 21.

III. Ordo hæreditatem jam proxime adeuntium, est respectu hæredum & hæreditatis. Hæredum respectu narrantur impedimenta & ordinatio. Impedimenta sunt vel exotica, vel domestica. Exotica obiecta fuerunt à Bileamo, cujus describitur vocatio ad maledicendum, *cap.* 22. conatus ad maledicendum, *cap. vigesimotertio* & coactio ad maledicendum, *cap.* 24. Domestica impedimenta sunt *cap.* 25. Ordinatio populi consideratur ratione personarum, *capite* 26. 27. & legum, *cap.* 28. 29. 30. Hæreditas describitur quantum ad modum & leges. Quantum ad modum communiter *cap.* 31. singulariter *c.* 32. & historice *c.* 33. Leges attingunt hæreditatem vel vniuersam, *c.* 34. vel sacram, *c.* 35. vel popularem, *cap.* 36.

Typicam siue tabellarem Numerorum dispositionem vide *lib* 2. *præcog. theol. cap.* 19. Chronologiam *ibid. cap.* 116. *p.* 450. *& supra in concione prælimi-nari Bibliorum.* Characterem denique & summariam dispositionem *lib.* 2 *præcog. theol. c.* 119.

Num. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

1. Census populi erat memoriale & illustratio impletæ promissio- *Cap.* 1.
nis de multiplicando semine Abrahæ: itemque documentum, ostendens, Deum velle ordinem seruari in politica & ecclesia. 2. Immunitas ecclesiastica à muneribus & oneribus ciuilibus, tametsi non est absolutæ necessitatis, est tamen naturalis æquitatis. 3. Ordo castrorum & pro- *Cap.* 2.
fectionum institutus fuit his de causis. *Primo*, vt caueretur confusio, quæ cum in omnibus vitæ humanæ statibus, tum inprimis in militia maximum adfert damnum. *Deinde*, vt cauerentur contentiones. *Tertio*, vt constaret Deum habere populi hujus imperium, quem disponit pro arbitrio. *Quarto*, vt obedientia populi exerceretur in iis, quæ Deus ordinabat ex suo consilio, non vero ex illorum ingenio. *Quinto*, vt esset typus ecclesiæ in his terris militantis, in qua omnia ordine & decenter fieri decet. 4. Eleazarus, à Deo constitutus princeps o- *Cap.* 3.
mnium Leuitarum & Sacerdotum, fuit typus Christi, non vero Pontificis Romani. 5. Tametsi nulla ætas ad docendum idonea, à ministe- *Cap.* 4.
rio ecclesiæ excluditur: adolescentes tamen & juuenes non temere adsciscendi, senes vero non nimis grauandi sunt; juxta canones ecclesiasticos. 6. Confessio peccati est ordinaria vel extraordinaria; necessaria vel arbitraria; Christiana, ecclesiastica, vel hypocritica, quo pertinet auricularis confessio Papistarum. 7. Deus est vindex fidei & castitatis conjugalis. 8. Spiritus zelotypiæ est vehementissimus affectus, figura zeli Dei aduersus spiritualem scortationem, & zeli filiorum Dei pro gloria Patris cœlestis, qui discerni debet à zelo illo qui *Cap.* 5.

Cap. 6. non est κατ' ἐπιγνωσιν. 8. Vota Nazaræatus non stabiliunt vota monastica Papistarum, sed figurant sanctitatem Christi & Christianorum, qui omnes debent esse Nazaræi, Deo suo deuoti & consecrati. 9. Formula benedictionis solennis, à Deo imperata, merito retinetur in ecclesia.

Num. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

1. Ministerium ecclesiæ consistit in prædicatione verbi, & sanctificatione seu consecratione diuinitus imperata, qua consecrantur res & personæ sacræ: sustentatur liberalitate principum & populi: experitur denique præsentiam Dei, qui acceptat cultum sibi exhibitum in tabernaculo. Est autem triplex tabernaculum: videlicet ceremoniale, morale, vt est quiuis homo electus, & euangelicum, quod est Christus. 2. Expiatio Leuitarum significabat Sacerdotium Leuitarum non esse vere expiatorium, sed typicum: quia omnes ejus administri opus habebant & ipsi expiatione per victimam præstantiorem Messiæ. Cæterum est quadruplex expiatio peccati: Leuitica siue typica, mystica per sanguinem Christi fusum, eucharistica per oblationem precum ex fide, & denique superstitiosa qualis erat olim apud gentes, & hodie est apud Papistas. 3. Quemadmodum immundi ceremonialiter excludebantur à celebratione Paschæ, donec mundarentur: ita hodie ceremonia ecclesiastica recte arcentur ab vsu S. cœnæ, qui sunt moraliter notorie immundi. Et omnes hypocritæ excluduntur à participatione veri Paschæ, quod est Christus. 4. Sacerdotes clangentes tubis, partes Dei sustinebant, vt cogitaret populus, non sibi esse conueniendum, vel præliandum, vel festos dies agendos, nisi Deo jubente: victoriamque & successus felices ab ipso solo expectaret. Præterea tubæ istæ sunt figura sonoræ prædicationis euangelij, cujus clangor excitauit totum mundum. Sunt autem duæ tubæ, quæ notant testamentum V. & N. 5. Sancti sæpe peccant grauissime, impatientia & diffidentia, licet eis non imputetur ex misericordia. 6. Septuaginta seniores sunt typus septuaginta discipulorum Christi, sicut duodecim tribus duodecim apostolorum. 7. Æqualiter peccantes sæpe inæqualiter puniuntur occulto Dei judicio, propter inæquales circumstantias, nobis incognitas.

Num. 13. *v.* 23.

Concio typica. Allegoricam hujus loci expositionem vide infra *Johan.* 16. *v.* 5. *& seqq.* vbi Spiritus S. confertur cum botro, malogranatis & ficubus, tribus illis terræ Canaan fructibus.

Num. 14. 15. 16. 17. 18.

1. Consilia & bella, inconsulto vel inuito Deo cœpta, infeliciter cadunt. Oportet itaque voluntatem Dei in verbo reuelatam cognoscere, & auxilium ab ipso solo petere. 2. In doctrina & sacramentis diuinitus traditis, nihil immutare licet hominibus: quoniam in nullius creaturæ est potestate, de voluntate Dei testari, siue verbo, siue signis, citra reuelationem. 3. Quamuis seditiosi speciosos semper habent prætextus: scopus tamen eorum perpetuo est, turbare ordinem diuinitus institutum, & summam rerum ad se transferre. Nunquam vero impune turbas mouent, quia Deum vindicem sui ordinis tandem experiuntur. Cæterum seditio Core, Dathan & Abiram est speculum omnis seditionis, rebellionis & apostasiæ, tum politicæ, tum ecclesiasticæ. 4. Virga florens Aharonis fuit partim signum miraculose confirmans vocationem legitimam Aharonis, partim typus tum Christi, qui est virga ex radice Jesse semper florens & fructificans, tum fidei in Christum, tum denique verbi Dei. 5. Ministerij ecclesiastici functio est dignissima & periculosissima. *Dignissima*: quia sacerdotes in V. T. erant partim typi, partim vicarij Christi; & doctores in N. T. sunt ipsius legati & commissarij. *Periculosissima*; quia portabunt iniquitatem ministerii sui, qui negligenter vel perfide cultum Dei administrauerint. Nam Deus sanguinem populi requirit à pastoribus populi. Quod valet in omni societate.

Num. 19. *v.* 2. 3.

Vacca rufa, quam sacerdos immolabat extra castra, denotabat Christum. Ut enim vacca illa fuit rufa, sine vlla macula, ætate integra, nec jugũ passa: sic Christus, plenus igne charitatis, rubet in oculis Dei Patris, ætate integra immolatus, non passus jugum peccati aut maledictionis legis.

Num. 20. 21. 22. 23. 24.

1. Petra percussa virga Aharonis est typus Christi, qui nobis sitiẽtibus & murmurantib. suppeditat aquã vitę si percutiatur virga fidei. 2. Serpens æneus fuit typus Christi crucifixi. Quemadmodum enim Israelitæ, morsu serpentum læsi, intuitu serpentis ænei, sunt restituti pristinę sanitati, non imaginis virtute, sed verbi diuini fide: ita hominibus infectis morsu serpentis infernalis, amissam Dei imaginem restituit Christus in crucem sublatus, & fide apprehensus. Ecce, serpens nos venenauit, serpens venenatos sanat. Atq; hic fuit legitimus vsus serpẽtis ęnei apud Israelitas, vt Christus explicat. *Joh.* 3. Nimirũ fuit organũ fidei. Cũ primũ autẽ cœpit esse organũ idololatrię jure fuit ab Hiskia cõtritus. 3. Etiã inter gẽtes pfanas Deus extare voluit aliquos vaticinandi dono prędítos, qualis erat Bileam: vt in te-

nebris micarent aliquæ lucis scintillæ, omnisq; ignorantię excusatio gentibus adimeretur. Hic tractetur locus communis de triplici prædictione, videl. diuina, physica, & diabolica: item de oraculis diuinis & diabolicis: adeoq; dissertatio instituatur de Sybyllis. 4. Asina Bileami significat idiotas sæpenumero vincere sapientiam sapientum hujus mundi. 5. Hypocritę licet reuerentiam Dei simulent: obedientiam tamen suam quæstu Simoniaco metiuntur, exemplo Bileami, qui dum vult videri obtęperare Deo, cupit gratificari impio regi, turpis lucri causa. Atque hoc est ingenium omnium hypocritarum. 6. Deus etiam hypocritarum animos & linguas in potestate habet, atque ita flectit, vt nolentes volentes consilio ejus obtemperent, licet interim grauissime peccent. 7. Prophetia Bileami ostendit, donum prophetiæ sæpenumero conferri hypocritis in excellentiori gradu quam electis Dei filiis. 8. Scortatio spiritualis & corporalis paribus passibus fere ambulant: quia vna trahit alteram, perpetuis scripturæ exemplis. Sed & vtraq; pœnas horribiles trahit à Deo.

Num. 25 26. 27. 28. 29.

1. Zelus Pinehæ laudatur & præmiatur, nō vt ex officio, sed vt ex motu singulari editus. Est itaq; zelus heroicus & extraordinarius, qui non est tradendus in consequentiam. 2. Renouatio census populi post tot stragis in populum contumacem diuinitus editus fuit necessaria, tum *politice*, vt ordo familiarum & castrorum supra institutus instauraretur: tum *ecclesiastice*, vt veritas diuina tam in minis, quam in promissis præstandis publice testata fieret. 3. Remissis peccatis & pœnis æternis, non semper etiam temporales pœnas remitti à Deo docet incredulitas Mosis, morte temporali castigata. 4. Postquam Josua successit Mosi, sistitur nouus dux Eleazaro Pontifici, non vt ipsi subjiciatur, sed vt consensus inter ordinem ecclesiasticum & politicum sanciatur; vt nempe Josua & Eleazarus eam inter se concordiam fouerent, qualis fuerat inter Mosen & Aharonem. Huc accedit, quod Josua hoc modo fuit admonitus officij, ne quid, nisi Deo per *Vrim* & *Tummim* consulto, in rebus perplexis & periculosis agere auderet. Frustra itaque hinc stabilitur tyrannis Papæ in reges & principes. 5. Juge sacrificium quotidie bis offerebatur, vt quotidie, mane & vesperi, de suo reatu populus admoneretur, & in fide futuræ victimæ Messiæ, jugi sacrificio adumbratæ, exerceretur. Hoc typo nos admoniti, quotidie offeramus Deo juge sacrificium, non in Missa, sed in corde fidei & sanctitatis pleno. 6. Sumtuosa sacrificia mēsis septimi, *festo buccinarum die expiationum festo tabernaculorum, & die interdicti*, habebāt causas partim politicas, partim ecclesiasticas: vt nempe populus duræ ceruicis & ad luxum pronus, duro sumtuositatis jugo exerceretur: & magnitudo sum-

mtuum circa expiationem typicam aliquatenus adumbraret magnitudinem pretij, quo redimendum erat genus humanum, omnes totius mũdi thesauros superantis: denique vt manifestius esset discrimen V. & N. Tarque ex hac collatione beneficium Messiæ Ecclesiam ab hoc jugo liberantis tanto majus æstimaretur.

Num 30.31.32.33.34.

1. Vota ab inferioribus nuncupata, possunt rescindi à superioribus. 2 Æquiparantur ad p ælium, victoria autem est à Domino, cui gratitudo debetur ex spolijs legitime partis. 3. Qui sentit commodum debet etiam sentire onus. 4. Itinerarium Israelitarum est partim mnemosynon multipli is peccati & pœnæ, item justitiæ & m sericordiæ Dei: partim typus Ecclesiæ in his terris peregrinantis. 5. Sorte diuiditur terra, vt intelligatur esse diuina largitio & hæreditas, quæ est typus æternæ vitæ, quæ hic inchoatur, in cœlo consummatur.

Num. 35.

Confer cum Deut. 19.

Sex ciuitates refugij hoc modo sunt typus passionis Christi, quæ sola est nostrum asylum. *Prima* ciuitas refugij nostri est cœnaculum, in quo Christus comedit agnum Paschalem, & hoc ipso docuit se esse Pascha nostrum. *Secunda* ciuitas est ipsius precatio & agon in monte oliueti. *Tertia* est Consistorium Ecclesiasticum. *Quarta* Consistorium Politicum. *Quinta* est Christi crux. *Sexta* ipsius sepulchrum & resurrectio. Cæterum, quod in asylo manendum fuit, vsque ad mortem Pontificis, mysticam habuit significationem, nobis nonnisi per mortem summi Pontificis Christi patere in paradisum reditum. Hic occurrit locus communis de asylis, quæ per se non improbantur; modo non sint nimis multa, nec pateant quibuluis sceleratis, neque impediatur legitima inquisitio in profugientes ad ea, vel justa executio aduersus notorie sceleratos, quos etiam ab altari suo trahendos Deus præcepit *Exod. 21.* Atque hic est vsus asylorum ciuilis, qui nititur lege æquitatis & humanitatis. Confer legem Mosis cum legibus ciuilibus hanc in sententiam scriptis. Vsus ceremonialis pendet à lege speciali. Confer infra cum *Deut. 19.*

Num. 36.

Lex vetans abnubere filias hæredes, duo nos docet. 1. Mariam matrem Domini de tribu Juda fuisse, quippe nuptam ex hac lege, contribuli suo Josepho, cujus familia *Luc. 1.* ad Dauidem refertur. 2. electos Dei filios non debere conjugium inire extra tribum suam cum impio mundo & diabolo, sed adhærere debere sui tribui, quæ est Ecclesia, sponsa illa Christi.

V.

CONCIONES IN DEVTERONOMIVM.

Memoriale Deuteronomij. Cap. 34.

1 12 1 1 5
Commemorat, Sihon, Ogus, Fac jussa, Decemque
7 25 3 7 1
Institues, Statuæ, Pane, Memento, Duæ.
13 1 1 3 7
Præmia, Jura, Planus, Ne vescere, Pascito egenum,
1.9.13. 14 18 15 1
Festa, Cupis regem, En dabo, Testis, Adest.
23 19 1 13
Suspensus, Legis, Fœnus, Diuortia, Pondus,
1 14 3 2 14
Primitiæ, Dira, Tum bene, Facta, Prope.
2 1 1 5
Deficiunt vires, Carmen, Benedictio, Obitque.

Oeconomia Deuteronomij.

Deuteronomij partes sunt tres : εὐλογ de præparatione populi, *ad c.5.* λόγ de legis explicatione & applicatione, *ad c.27.* & ἐπιλογ, de confirmatione, *ad finem libri.*

I. Præparationis loci sunt duo : vnus beneuolentiæ, enarrans beneficia Dei, *cap.1.2.3.* alter attentionis, *c.4.* Ille est historicus, hic didascalicus.

II. Explicationis legis duo itidem sunt loci: vnus repetitionis legis datæ, *cap.5.* alter expositionis, quæ est legis moralis, ceremonialis & judicialis. Expositio legis moralis spectatur communiter & singulariter. Communiter spectatur, quantum ad propositionem & conclusionem. Propositio est quantum ad obsequium Deo præstandum, *c.6* fiduciam in Deo collocandam, *c.7.* gratitudinē *c.8.* & humilitatem, *c.9.* Cōclusio est *c.10.11.* Singulariter est interdictum idololatriæ, *c.12.* & apostasiæ, *c.13.* Expositio legis ceremonialis respicit sanctificationem priuatam. *c.14.15.* & publicā, *c.16.* Expositio legis judicialis spectatur communiter, *c.17.* & singulariter, quantum ad jus sacerdotale, *c.18.* populare, *c.19.* militare, *c.20.* & forense, vbi sunt tria judiciorum genera : videlicet judicia de conuersatione ciuili, *ca.21.22.23.* domestica, *c.24.25.* & religiosa, *c.26.*

III. Con-

III. Confirmationis duo itidem sunt loci: vnus didascalicus, alter historicus. Didascalia continet signa, *c.27.* promissiones & minas, *c.28.* redintegrationem fœderis, *c.29.30.* electionem Iosuæ, *c.31.* & denique vaticinia, *c.32.33.* Historia est de Mosis obitu, & rebus mox tem consecutis, *c.34.*

Typicam siue Tabellarem Deuteronomij dispositionem vide *lib. 2. Præcogn. Theol. cap 20.* Chronologiam *ibid. c.116. p.457. & supra in Concione præliminari Bibliorum.* Characterem denique & summariam considerationem *lib.2. Præcog. Theol. c.119.*

Deut.1.2.3.4.5.6.

1. Repetitio & explanatio verbi Dei est necessaria, non quod illud sit obscurum in se, sed quod intellectus noster sit tenebrosus: vnde lucem Scripturæ inuerti non potest, non aliter atq; cæcus non potest videre solem. 2. Deus sæpe parcit impiæ proli, vel benefacit, propter pios parentes, & suam promissionem. 3. Deus irascitur filiorum suorum peccatis, nō quidem puniendo ea pœnis æternis, sed castigando virgis temporalibus, quas abijcit in ignem, si illi se recipiant ad frugem. Vnde πληροφορία sanctorum non gignit in ijs licentiam peccandi, sed studium cauendi offensam Dei, Patris beneuolentissimi. 4. Verbum Dei est perfectum: h.e. perfecte tradit omnia, quæ ad salutem sunt necessaria creditu, speratu & factu. Facessat itaque lacuna & mantissa traditionum dogmaticarum, in quibus fingūtur esse dogmata ad salutem necessaria, quæ non cōtineantur in Scripturis. 5. Deus nihil facit reliqui ad promouendum nostram salutem. Nam & legē suam nobis dat & datam repetit, & repetitam explicat, denique inuitat & vocat nos, desideratque & optat nostram salutem, vt quantopere salute nostra gaudeat intelligamus, & his veluti stimulis ad officium nostrum impellamur. Cæterum actio illa Dei non tantum est moralis, quæ absoluitur modis docendi, sed etiam practica, quæ absoluitur modis implendi. Nam Deus iubendo suos & sua, iubendo afficit, & afficiendo efficit. 6. Iustitia vere esset ex lege, si legem vere impleremus. Neque tamen lex est frustra: quia est speculum miseriæ, pædagogus ad Christum, stimulus denique & norma officij.

Deut. 7.8.9.10.11.12.

1. Deus nos eligendo sanctos facit, non inuenit. Salutem itaque nostram in solidum acceptam feramus absoluto Dei beneplacito, & putæ misericordiæ, non vero præstantiæ fidei vel operum in nobis præuisæ. 2. Vera felicitas pendet à sincera obseruatione legis Dei, quam præstamus in Christo per Spiritum Sanctum. Nimirum si Deus nobis dat potentiam parandi victum & opes terrenas, vt hic dicitur *cap.8. versiculo 18.*

quanto

quanto magis ab illo proficiſci ſtatuenda eſt potentia credendi & obediendi Euangelio. 3. Verus eſt præco legis & Euangelij, qui Moſen imitatus, auditores ſuos ſpoliat omni opinione propriæ juſtitiæ, omniaque Dei beneficia ſoli gratuitæ bonitati Dei accepta ferenda eſſe docet. 4. Quemadmodum Moſes fundamentum precationis ſuæ ſemper ſtatuit fœdus gratuitum, (petit enim, vt Deus recordetur Abrahami, Iſaaci & Jacobi) ſic noſtrum eſt, idem fundamentum ſubſternere precibus noſtris. 5. Præputium cordis circumcidere, eſt vere reſipiſcere, & ad Deum ſe conuertere: quod dum Deus præcipit, non oſtendit, quid poſſimus ex nobis ipſis, ſed quid debeamus, & quid poſſimus per ipſius gratiam. 6. Promiſſiones Dei habent annexam conditionem fidei & obedientiæ, tacitam vel expreſſam. Ideo hanc non præſtantibus, non ſunt ratæ vel ſalutares. 7. Deus omnem ἰθελοθρησκείαν & cultum ſui ad ſtatuas, vel in ſtatuis, abominatur.

Deut. 13. 14. 15. 16. 17. 18.

1. Seductoribus, ne quidem ſigna edentibus eſt cedendum vel credendum. Quod ſi dent turbas, ſintque ſeditioſi in Eccleſia vel politia, juxta leges à magiſtratu ſunt coercendi. Cauto autem eſt hic opus, vt diſtinguamus inter errantes & turbantes, & rurſus diſpiciamus an illi, qui turbant ſocietatem publicam, ſint ſanabiles vel inſanabiles. Quod ſi ſint inſanabiles, è medio ſunt tollendi, tanquam authores apoſtaſiæ præfracti. 2. In funeribus Chriſtianorum moderandus eſt luctus, taleſque ritus adhibendi, qui longiſſime ſunt alieni à ſuperſtitione, & ſpem reſurrectionis mortuorum obſcurant. 3. Etſi nobis mundis omnia ſunt munda, quatenus in Chriſto ſumus ſanctificati; & per preces ſanctificamus ea quibus vimur fruimur: tamen quædam ex lege ceremoniali & temporali ſunt immunda. 4. Etſi ſemper ſunt futuri pauperes & mendici: cauendum tamen ne noſtra iniquitate quiſquam fiat mendicus. Atque ita conciliatur verſus 4. cum verſu 11. cap. 15. Hic diſſeratur de validis mendicantibus, & de tribus modis, quibus aliquis fit pauper. Eſt enim paupertas diuinitus per cladem immiſſa: eſt paupertas propria culpa adſcita: eſt denique paupertas per vim & juſtitiam aliorum introducta. 5. Paſchate durante omne fermentum erat expurgandum. Hac ceremonia ſignificabatur Chriſtum non eſſe miſcendum cum fermento falſæ doctrinæ, vel impiæ vitæ. 6. Quod ſacerdotes & Leuitæ judici politico in judicandis cauſis fuerunt à Deo adjuncti, id eſt juris partim communis, partim proprij. *Juris communis*: quatenus ratio dictat, vt magiſtratus politicus in cauſis mixtis, hoc eſt, Eccleſiaſtico-Politicis, vtatur judicio perſonarum Eccleſiaſticarum; & omnino in omnib. cauſis, ſiue ſint pure politicæ, ſiue mixtæ, nihil

nihil decernat contra Dei verbum, cujus interpretes sunt personæ Ecclesiasticæ: *Juris particularis*: quatenus Deus hanc politiam voluit propriam esse suo populo. Male itaque gnathones curiæ Romanæ hinc stabilire conantur suam κατ' ἐξοχὴν. 7. Jus regis verum describitur. *Deut. cap. 17.* 8. Instituatur collatio Mosis & Christi ratione legislationis & interpretationis, quæ duo pertinent ad munus propheticum, quod varijs miraculis est confirmatum.

Deut. 19. v 3.4.

Ciuitates refugij fuerunt typus Messiæ. Qui a sicut illi, qui cædem fortuitam commiserant, ad asyla confugiebant, ibique saluo conductu viuebant immunes à violentia judicis: ita nos animarum nostrarum homicidæ voluntarij, confugimus vera fide ad Christum & apud illum tuti sumus. Deinde sicut fortuitis homicidis non licebat ab exilio ad patriam redire, nisi defuncto summo Pontifice: ita nobis in cœlestem patriam non patuisset aditus, nisi Christus pro nobis mortuus fuisset.

Deut. 20. 21. 22. 23. 24. 25.

1. Disciplina militaris, & jura belli, per se & sua natura sunt iuris diuini & gentium: & proinde Christianis non sunt illicita. 2. Digamia Hebræorum fuit facti, non juris. Non enim probauit eam Deus licet ciuiliter impunem toleraverit. 3. Suspendium in lege erat maledictum: quia Christus pro nobis futurus erat maledictio in ligno Crucis. 4. Cum sexum masculinum & fœmineum natura ipsa & jus gentium ciuili honestate & habitu distinxerit: confundi sine turpitudine & periculo non possunt, & impune non debent. Datur tamen casus, in quo licet permutare habitum, videlicet tempore belli & persecutionis. 5. Eleemosynæ ex rapinis, vel male partis, non sunt acceptæ Deo. 6. Repudia & diuortia non fuerunt præcepti, vt putabant Pharisæi *Matth. 19.* Sed permissionis ciuilis. Scriptura permittit vtraque nonnisi duas ob causas, videlicet propter adulterium & malitiosam desertionem. 7. Quod Amalekitæ deuouentur exitio propter peccatum parentum, non pugnat cum lege illa diuina: *Non interficientur filij pro parentibus Deut. 24. vers. 16.* ex qua sumtus est titulus 13 lib. 4. Codicis, *Ne filius pro patre.* Hujusmodi enim leges agunt de peccato personali, non vero communi, quo filius & pater communiter sunt obstricti. Filius itaque non luit propter peccatum parentis numero idem, sed specie vnum idemque.

Deut. 26. 27. 28. 29.

1. Primitiarum oblatio diuinitus fuit imperata Israelitis, vt hoc modo

profiterentur, Deum esse largitorem frugum, terram esse Deo vectigalem, se esse Deo tributarios: item vt sanctificando primitias totum pronetum terræ sanctificarent: item, vt hoc typo eruditrentur, Christum esse primitias filiorum Dei: denique, vt Deo agerent gratias pro terra occupata, illiusque benedictionem implorarent. 2. Fulmen illud legis, *Maledictus omnis*, &c. prosternit altissimas quercus & turres superbiæ Pelagianæ, quæ prope dixerim vniuersum genus humanum peruasit. 3. Terrena bona sunt dona Dei gratuita: quæ pijs dantur tanquam præmia pietatis, & stimuli gratitudinis, & figuræ bonorum cœlestium impijs dantur, tanquam monumenta vniuersalis bonitatis Dei, & testimonia ἀναπολογίας. 4. Caput 28. hujus libri est prognosticum vere Catholicum omnium Christianorum. 5. Deus libere dat vel non dat hominibus cor ad intelligendum, & oculos ad videndum. Atq; hoc est inter arcana dominationis Dei, seu pertinet ad abyssum operum Dei: quam non oportet scrutari, sed adorare. 6. Quæ Deus abscondita esse voluit, curiose non sunt scrutanda: quæ vero reuelauit, non sunt oscitanter cognoscenda, sed habenda pro regula fidei, vitæ & vocationis nostræ.

Deut. 30. 31. 32. 33. 34.

1. Deus circumcidit cor nostrum, hoc est, solus dispensat res significatas in sacramentis. Prudenter itaque hic oportet aduertere quis det externa & interna, quis accipiat illa, & quomodo vtraque accipiantur in sacramentis. 2. Lex est facilis, si spectetur gratia Spiritus Sancti in Christo: item si conferatur cum difficilimis operibus carnis & tenebrarum. 3. Liber legis fuit depositus in arcam, vt ibi esset populo in testem. Nam sola Scriptura est canon fidei, & ad illius testimonium vnice est recurrendum, quemadmodum videmus ciues recurrere ad archiuum reip. in quo asseruantur leges fundamentales. 4. Solum Dei verbum est vita nostra: quia inspiratum cordib. nostris nos perducit ad vitam æternam. 5. Antistes alicujus societatis moribundi, debent benedicere suis vel domesticis, vel auditoribus, vel subditis, exemplo Mosis: & recte se præparare ad mortem. 6. Deus etsi infirmitatibus suorum non parcit: tamen afflictionem consolatione temperat, & de complendis tandem promissionibus illos certos reddit.

7. Deus sepeliuit Mosen: vt populo ad idololatriam prono ansam præcideret superstitionis.

CON-

VI.

CONCIONES IN JOSVAM.

Memoriale libri Josuæ. Cap. 24.

1 1 3 3
Confidas, Rahab, Jordan, Lapides, Fit apella,
20 1 1 3 13
Muri, Achan, Ajah, Fraus Gibeone, Stetit.
9 1 6 6 1
Subnernat, Victi, Sors, Caleb, Sorsque Jehudæ,
1 5 1 11 1 7
Pars, Ephraim, Manasse, Et bona, Sors, Tribus.
3 12 2.4. 1
Arua Leuitarum, Contentio, Concio, Rursus.

Oeconomia libri Josuæ.

Liber Josuæ tria ordine explicat: videlicet ingressum seu aduentum in terram Canaan, diuisionem terræ, & gubernationem illius.

I. Ad ingressum in terram Canaan tria pertinent: videlicet ordinatio occupantium, *cap. 1.* exploratio locorum occupandorum, *ca. 2.* & occupatio locorum exploratorum, vbi est transitus per Jordanem, *c. 3. 4.* instauratio circumcisionis & paschatis *c. 5.* & acquisitio terræ, vbi est partim occupatio vrbium, videlicet Jericho, *c. 6. 7.* & Hai, *cap. 8. 9.* partim debellatio regum quinque, *c. 10.* & plurium, *cap. 11.* & denique Catalogus omnium regum deuictorum *c. 12.*

II. In diuisione terræ Canaan considerantur limites, *c. 13.* partes assignatæ, *c. 14.* & ipsa assignatio, eaque triplex. Prima respicit ipsas tribus: videlicet tribum Judæ, *c. 15.* Ephraim, *cap. 16.* Manassis, *c. 17.* Benjamin, *c. 18.* & sex residuas tribus, *c. 19.* Secunda respicit fugitiuos, *c. 20.* Tertia respicit sacerdotes & Leuitas, *c. 21.*

III. Gubernatio siue administratio terræ Canaan respicit tempus belli, *c. 22.* pacis, *cap. 23.* & tempus mortis Josuæ, *c. 24.*

Typicam siue tabellarem dispositionem libri Josuæ vide *lib. 2. Præcogn. Theol. cap. 22.* Chronologiam *ibid. cap. 116. p. 451. supra in præliminari Concione Bibliorum.* Characterem denique & summariam considerationem *li. 2. Præcog. Theol. c. 119.*

Ios. 1. 2. 3.

1. Interest reipub. habere subditos pios & Deum timentes: quoniam vt pœnæ impietatis, ita præmia pietatis magistratus in remp. redundant. Quo pertinet quod dici solet: *Piscis à capite putrescit.* 2. Iosua, non Moses, nos introduxit populum in terram Canaan. Ita non lex Mosis, sed Christus nos in æternam requiem introducit. 3. Rahab & exploratores pactione inter se inita, non peccarunt: quia impulsu Spiritus Sancti hoc omne fecerunt. *Hebr. 11.*

Ios. 1. & seqq.

Iosua est typus Christi, nomine & omine. Nam Iosua idem est quod Jesus. Et Iosua fuit Dux victoriosissimus, qui per Jordanem deduxit Israelitas in terram promissam, debellatis hostibus. Eundem in modum Christus electos suos deducit in cœlestem Canaan per aquam è latere suo manantem, per aquam baptismi & pœnitentiæ. Similiter Calebus fuit typus Christi ratione nominis & ominis. Caleb enim notat virum cordicitus dilectum: id quod Christo competit, in quo complacitum est Patri cœlesti. Deinde Caleb Hebronem obsedit, & in suam redegit potestatem, tres etiam peremit Enaci filios, gigantes fortissimos. Ita Filius Dei infernum expugnauit, diabolum debellauit, & ejusdem trinam sobolem, peccatum, mundum, & mortem superauit.

Ios. 3. v. 17.

Jordan significat hujus vitæ miserias, imo mortem ipsam per quam nobis paret aditus in vitam æternam, si præferatur nobis Christus per Euangelij ministerium, quomodo videmus Israelitas sicco pede transijsse Jordanem, præuia arca fœderis, quam portabant sacerdotes. Porro lapides in Jordane erecti *Ios. 4. v. 7. 8. 9.* fuerunt memoriale tanti beneficij, & typus Christi, lapidis illius angularis, quem erigit Deus in Ecclesia & cordibus credentium. Denique *Jordan* significat lumen judicij: quæ significatio refertur ad baptismum Christi *Matth. cap. 13.* Nam Christus baptizatus est in Jordane, vt hoc suo baptismo sanctificaret nostrum baptismum, ac eoque per Spiritum Sanctum nos illuminatos traduceret in cœlestem Canaan, ibique nos constitueret judices super hostes nostros, diabolum, peccatum & mortem.

Ios. 3. v. 7. & seqq.

Concio Allegorica. Memorabilis & mirabilis hæc historia est imago baptismi Christi & nostri ipsorum. *De I.* Quemadmodū Israelitæ per Jordanem ingressi sunt terram promissam: ita Christus per baptismū suum ingressus est officium suum, & per baptismum crucis in suam gloriam. Deinde quemadmodum Deus ad Josuam ait: *Hodie te efficiam magnum*: ita in baptismo Christi Pater cœlestis Filium suum magnificauit, dicendo, *Hic est Filius meus, &c.*

De II.

De II. Quemadmodum arca fœderis præcedebat populum, & in medio Iordane consistebat, donec vniuersus populus transierat: ita Christus, verum illud propitiatorium, nos præcedit in Jordanem crucis, & ibi consistit donec perueniamus in patriam nobis promissam. Deinde sicut aquæ Iordanis tanquam murus constiterunt: sic aqua tribulationis liberum trāsitum nobis præbet in cœlum. Tertio sicut Josua duodecim lapides erexit ad testimonium huius rei: sic nos habemus duodecim apostolos testes nostræ redemtionis.

Ios. 4. 5. 6.

1. Licitum est ponere monumenta historica: modo id fiat extra casum superstitionis & scandali. Si vero cedant in abusum, rursus tollenda sunt. Atque hoc est discrimen inter res necessarias & indifferentes. Nam si circa illas contingat abusus, tenenda est regula: *Tollatur abusus, & maneat vsus.* Si vero circa has incidat abusus, illæ vna cum abusu sunt tollendæ. 2. Cultus Dei vrgente de causa intermissus, est posteriori tempore renouandus, exemplo Josuæ instaurantis circumcisionem. 3. Deus sæpenumero dat symbola voluntatis suæ vilia vel absurda, vt hic in expugnatione Hierichuntis videre est. Id vero facit, non vt eorum efficaciæ tribuamus effectum, sed vt obedientiam nostram exploret, fiduciamque confirmet. Quod si sequamur præscriptum Dei, consequimur id, quod ille promisit. 4. Expugnatio Hierichuntis triplicem habet allegoriam. Nam tuba euangelij diruit muros ciuitatis diaboli in vniuerso mundo: itemque muros superbiæ, infidelitatis, & similium vitiorum in nostris cordibus: denique tuba angelica in vltimo judicio diruet omnem potentiam, quæ se aduersus Deum effert.

Ios. 5. v. 13. 14.

Vir ille visus Josuæ de improuiso in agro Hierichuntino, gladio euaginato, habitu militari, & forma admodum illustri, ad capessendam pugnam expeditus hic, inquam, vir, fuit Filius Dei, apparens in forma humana constituto tempore assumenda. Circumcisione enim instaurata, cū populus Israeliticus quasi de nouo factus esset populus Dei, ostendit se Christus jam adesse, & populi illius propugnatorem fore. Nimirum Christus est dux vitæ, princeps suæ ecclesiæ, & defensor Christiani exercitus in hac lachrymarum valle militantis.

Ios. 5. v. 15.

Josua jubetur calceamenta deponere, & nudis pedibus terram insistere, vt intelligat, se versari jā in terra patriarchis diuinitus promissa, quæ erat sanctificata, & in hunc vsum deputata, vt locum præberet Filio Dei,

qui ibi nasci, euangelium docere, & pro peccatis mundi satisfacere debebat.

Ios. 6. v. 20.

Arca fœderis adumbrat fidem in Christum: clangor tubarum, Dei laudem: vociferatio jubilationis, precationis: Hiericho, sapientiam & potentiam mundi: casus murorum, destructionem regni Satanæ per fidem, precationem, prædicationem euangelij & administrationem sacramentorum, in quibus tanquam in arca fœderis Christus est circumgestandus. Porro Hiericho, id est mundus, opponit se Christianis terram Canaan, h. e. cœlestem patriam occupaturis. Ejus autem potentia & sapientia non superatur armis corporalibus, sed prædicatione euangelij prosternitur.

Ios. 6. v. 25.

Rahab meretrix, recepta est in castra Israelitarum, & facta est particeps tribus, denique *Matth.* 1. collocata in genealogia Christi, vt hinc discamus ista. 1. Deum non abiicere peccatores sero resipiscentes. 2. Fœmineum sexum æque pertinere ad ecclesiam atque masculinum, si sit præditus vera fide. 3. Fidem datam esse seruandam, & ius hospitij non esse violandum.

Ios. 7.

1. Qui malis arcibus opes acquirunt, exemplo Achan, pessime sibi consulunt: quia se & liberos suos maledictione inuoluunt. 2. Sæpenumero accidit, vt vniuersa societas luat propter vnius scelus: non quod societas illa nihil sit merita, sed quod scelus vnius sit causa procatarctica pœnæ. 3. Crudelis est misericordia, quæ parcit sontibus. 4. Populus Dei in executione pœnæ non adhibuit carnifices, sed promiscue admouerunt manus: vt constat ex historia lapidationis Achan.

Ios. 8.

1. Strategemata bellica, siue sophismata militaria, sunt iuris diuini & gentium. Pertinent enim ad dolum bonum, qui est effectum prudentiæ, quæ dicitur obliqua. Pertinet huc regula: *In gerendis bellis, dummodo iusta sint, vtrum hostis aperta pugna an insidiis vincatur, nihil ad iustitiam interest.* Item: *A Deo est vtrumque veritas iuris, & commoditas facti.* 2. Monumenta victoriæ diuinitus concessæ erigere licet. 3. Ducis boni est, non tantum fortitudinem suam militibus probare, sed etiam illos veluti celeusmate excitare.

Ios. 9.

Gabaonitæ adumbrant peccatores pœnitentiam agentes: qui licet

omnes

omnes digni sint æterno interitu, si tamen abjecto omni fastu, stipante humilitate, accesserint cœlestem illum Josuam, Jesum Christum, & petierint recipi in gratiam, iuramenti diuini vi seruabuntur. Debent autem operam & patientiam suam probare duci suo Christo, sub variis oneribus & cruce, ad promouendam Dei gloriam, & proximi vtilitatem. Porro sicut Gabaonitæ *Ios. 10. vers. 5. 6.* ab Adonizedeco oppugnantur, eo quod sese mancipassent Josuæ: ita peccatores resipiscentes molestantur à diabolo. Denique vt Gabaonitæ in extremis suis angustiis suppetias petunt à Josua: sic peccatores conuersi in tribulationibus suis confugiunt ad Christum. Incidit hic quæstio, An iuramenta hostibus præstita, sint seruanda? Resp. Nominis Dei gloria, iuramento attestata, præstat famæ, vitæ & fortunæ nostræ, & requirit immaculatam conscientiam. Ferenda igitur est hostium impostura, quæ euenit præcipitis consilii culpa: cuius etsi comes solet esse pœnitentia, superatur tamen Christiana patientia, ne prouocetur ira Dei, quem inuocauimus testem in iuramento legitime præstito. Cæterum in Gabaonitis laudabile est, quod nolunt πονηρεύεσθαι, vicinorum exemplo: sed reprehensione dignum, quod mendacio pacem impetrant, & dolo Josuam ad pactionem prohibitam inducunt. Quod attinet ad Josuam, ille recte fecit, quod seruauit iuramentum, quod citra Dei contumeliam violari non poterat: non recte, quod iurauerit id, quod non licebat, quamuis ignorans.

Ios. 10. v. 10. 14.

Homo solis cursum inhibuit, Deo illius voci obediente, vt ita dicam, & soli imperante. Nimirum Deus nobis obedit, quando ipsum ex fide inuocamus. Deinde sicut Josua stitit cursum solis alias velocissimum: ita nos debemus sistere cursum solis iustitiæ, h. e. Christi, ne à nobis discedat. Teneatur hic collatio Christi & solis.

Sol.	*Christus.*
1. Est pulcherrima & nobilissima stellarum, collustrans omnia mundi loca; sine cuius luce contristantur reliquæ creaturæ.	1. Est omnium pulcherrimus, celsissimus, illustrissimus & maximus, qui luce euangelii illustrat & exhilarat omnes electos.
2. Lucem & calorem impertit gratis, nec inuidet rebus creatis.	2. Gratiam suam offert & confert gratis, ἀφθόνως, citra inuidiam.
3. Est origo caloris vitalis in rebus sublunaribus.	3. Est fons æternæ salutis in piis.
	4. Splen-

4. Splendore suo stellas antecellit.

5. Circa meridiem est efficacissimus. Similiter tempore alti solstitij.

6. Pellit tenebras & nebulas, nubesq; dissipat.

7. Tempore brumæ proximior est terris.

8. Totum mundum ambit suo motu.

9. Sub nube interdum latet, sed illa disrupta iterum coruscat.

10. Est rex omnium stellarum, & dux visibilium creaturarũ cujus splendorem & calorem intensum ferre non possumus.

11. Sol oritur & occidit.

12. Unicus sol est in mundo.

4. Angelos & homines lucei. stiæ, sanctitat's claritate, & maiestatis splendore superat.

5. Christus in cruce exaltatus, & ad dextram Patris sublimatus, maximo potentiæ suæ iubare coruscat.

6. Lumine euangelii & spiritu pellit affl ctiones ecclesiæ, & tentationes peccati, mortis diaboli & gehennæ.

7. In cruce & calamitatibus propius abest à suis.

8. Toti mundo per cursum euangelij innotescit.

9. Latet sub cruce, sed refulget euangelij luce.

10. Est rerum omnium author & conseruator, cujus majestatem inaccessam & incomprehensibilẽ scrutari non possumus.

11. Christus moritur & resurgit.

12. Christus est vnicus rex in ecclesia.

Ios.10.v.1.23.24.

Urbs Hierosolyma literaliter est ciuitas Salem, primo quidem angusta, sed postea valde augusta. Allegorice est ecclesia in his terris militans. Tropologice anima cujusque hominis electi. Anagogice cœlestis patria. Quare pluribus sita est habendum. 1 Hierosolyma primo fuit angusta, postmodum facta est valde augusta. Sic ecclesia V.T. fuit angustis inclusa terminis, ecclesia N.T. longe lateque fuit propagata. 2. In vrbe erat mons Sion, vnde tanquam ex speculo longe lateque loca circumjacentia poterant prospici. Ita ex cœlo, altissima illa habitatione, Deus vniuersa mundi loca prospicit, & in interiorem Hierosolymam descendit, vt credentes liberet, & ad superiorem Sionem deducat. 3. Sion erat locus munitissimus. Ita ecclesia, tum triumphans, tum militans, est inuicta. 4. Ad Sionem non patebat aditus, nisi per vnicam portam. Ita per solum Christum patet aditus ad Sionem cœlestem. 5. In vrbe fuerunt quatuor montes, Sion,

Moria,

Moria, Acra & Bezetha: è quibus duo fuerũt præcipui, Sion ob arcis, Moria ob templi structuram. Sic in ecclesia sunt quatuor virtutes cardinales, Humilitas, Fides, Spes & Charitas: è quibus Humilitas est arx altissima, Fides sustinet templum mysticum, quod est Christus, Spes & Charitas continent varia ædificia.

Ios. 10. 41. 29.

Duo occurrunt in hac historia, quæ in Iesu Christo, cœlesti illo Iosua sunt impleta. *Primum* est confortatio & benedictio Iosuæ: vbi videmus exhortationem Dei, fulminationem cœli & stationem solis. Quæ tria in Christo sunt impleta. Nam Deus illum excitauit; tempore passionis terram & petras concussit; denique fecit vt Christus, sol ille iustitiæ, tres dies in sepulchro iaceret. *Secundum* est triumphus ille gloriosus, quo Iosua vicit quinque reges. Ita Christus peccatum deleuit, mortem absorpsit, diabolum percussit lethaliter, infernum destruxit, & mundum vicit.

Ios. 11. 12. 13.

1. Deus est, qui indurat corda regum & populorum, vt in perniciem suam ruant. Hoc vero dum facit, non est author peccati ipsorum sed iudicii sui. 2. Spolia in iusto bello sunt licita. 3. Sicut victoria de hostibus est signum fauoris Dei: sic vinci ab hostibus est signum iræ. Intellige fauorem illum generalem, quo Deus etiam impios prosequitur: & iram, partim iudicis seueri, partim patris offensi. 4. Deus voluit distribui terram, etiam nondum plane occupatam: tum vt Iosuæ & populo certam victoriæ reliquæ spem faceret, tum vt illis excussa ignauia ad nouas pugnas animos adderet. 5. Locus communis de sortibus tractatur ad *cap.* 14. & 15. hoc modo. Sunt triplices *sortes*. 1. *Ordinariæ*: cujusmodi sunt diuisoriæ & consultatoriæ, quæ prorsus sunt licitæ. 2. *Temerariæ*: quæ sunt prohibitæ. 3. *Diuinatoriæ*: eæque licitæ, vel illicitæ. Illæ sunt, quæ Deum authorem habent: hæ diabolo suadente adhibentur. De prioribus illis est regula: *Sortes diuinatoriæ non sunt suscipiendæ nisi ab iis, qui singulari instinctu de salutari euentu confirmantur.*

Ios. 14.

Dimensio terræ Canaan est adumbratio euangelij & ecclesiæ. Quemadmodũ enim terra Canaan adhibita amussi in certas portiones est diuisa: sic ecclesia, adhibita amussi euangelij, per totum terrarum orbem est dispersa. Deinde quemadmodum terra Canaan data est filijs Israel tanquam hæreditas: ita credentes sunt facti hæreditas Christi, quæ est vitæ

æternæ beatitas, quam non promerentur suis operibus, sed sortiuntur ex benignitate Patris cœlestis.

Ios. 15. 16. 17. 18. 19.

1. Cum non obtemperatur Deo, sed negliguntur media & occasiones rei bene gerendæ, Deus punit, vt deinceps facere nequeamus, quæ debuimus, priuatq; nos beneficijs nostris ob nostram ignauiam. 2. Non decet vt homines velint esse magis clementes quam ipse Deus. Ita enim fit, vt in seipsos reatum concitando crudeles fiant. 3. Manassitæ non potuerunt expellere Cananæos, culpa ignauiæ, diffidentiæ, & auaritiæ suæ. 4. In constituenda repub. præcipua cura esse debet, vt arca veræ religionis loco tuto collocetur, hoc est, vt Christus, scriptura & ecclesia sua habeant halcyonia. 5. Etsi euentus sortis est à Domino: non tamen absq; ratione & consilio conjici debet in sinum.

Ios. 20. 21. 22. 24.

1. Asyla non debent esse receptacula nequitiæ, sed innocentiæ. 2. Doctoribus & pastoribus ecclesiæ commoda habitatio, & merces sui ministerij debetur à republica. Æquum enim est, vt qui seruiunt altari, viuant de altari. 3. In rebus dubijs non est præcipitandum judicium, sed diligens inquisitio præmittenda est ante executionem. 4. Amicitia & conjugia cum infidelibus sunt insidiosa & scandalosa. 5. Optio cultus Dei vel idololatriæ Israelitis data, neque fuit idololatriæ approbatio, neque virium liberi arbitrij nondum renati circa bonum spirituale assertio, sed ingenua & prudens ad spontaneum Jehouæ cultum inuitatio.

VII.

CONCIONES IN LIBRVM JVDICVM.

Memoriale libri Judicum. Cap. 21.

8 3 4 9. 15. 31. 4 1
Iuda, Simon, Lugent, Tres præsunt, Debora, Carmen.
34 6 5 14. 3
Dux Gideon, Lambunt, Ab date, Spina, Iair.
1 6 12 5 15
Iephthah, Siboleth, Manuah, En leo, Aselli,
30 8 1 25 44
Samson obit, Michas, Dan, Giba partia, Cadit.
14
Virgine de rapta Benjaminita vir esoit.

Oecono-

Oeconomia libri Judicum.

Liber Judicum describit gubernationem populi Israelitici sub judicibus. Gubernationis huius occurrit occasio & historia.

I. Occasionis loci duo sunt: vnus transgressionis, *cap.* 1. alter reprehensionis. *cap.* 2.

II. Historia gubernationis enarrat judicia Dei sub varijs judicibus vna cum conjunctis liberationibus, *ad c.* 17. & illorũ judiciorũ causas. Judiciorum Dei & liberationum testimonia sunt septem, de quibus hic est typus.

I. { Judicium Dei per regem Syriæ. / Liberatio sub Othoniele. }
II. { Judicium Dei per Eglonem. / Liberatio sub Ehud. } *cap.* 3.
III. { Judicum Dei per Philisteos. / Liberatio sub Sangare. }
IV. { Judicium per Jabinam / Liberatio per Deboram Barach & Jahelem } *cap.* 4. 5.
V. { Judicium Dei per Midianitas, *cap.* 6. / Liberatio per Gideonem, cuius { Res gestæ, *c.* 7. 8. / Successor, *c.* 9. }
VI. { Judicium Dei per Ephraimitas, *cap.* 10. / Liberatio per Jephthe, *cap.* 11. 12.
VII. { Judicium Dei per Philistæos / Liberatio per Samsonem. } *cap.* 13. 14. 15. 16.

Causæ singulares judiciorum Dei recensentur duæ: corruptio in religione & in moribus.

Corruptio in religione est idololatria, eaque vnius familiæ, *cap.* 7. integræ tribus Dan, *c.* 18. Corruptio in moribus est libido, cujus perpetratio describitur *c.* 19. pœna *c.* 20. 21. Ex his patet librum Judicum non sine causa appellari speculum miseriæ Israelitarum.

Typicam siue tabellarem dispositionem libri Judicum vide *lib.* 2. *præcog. theolg. cap.* 22. Chronologiam *ibid. c.* 11 6. *p.* 451. *& supra in præliminari cõcione Bibliorum.* characterem deniq; & summariam considerationem *lib.* 2. *præcog. theol. c.* 119.

Iudic. 1. 2. 3.

1. Tria in capite primo recitantur de Deo valde memorabilia videlicet quod pro misericordia & omnipotentia sua faciat res nostras feliciter succedere, cum ipsum facimus consiliorum nostrorum ducem: quod justitia vindicatrix Deo sit propria: denique quod penes ipsum non sit causa, quod non consequimur bona promissa, sed penes nostram diffidentiam, inobedientiam, ignauiam & ingra-

titudinem. 2. Cum pijs magistratibus plerunque etiam pietas subditorum emoritur. Ideo sequuntur fatales mutationes in ecclesia & republica. 3. Factum Ehudi est extraordinarium, singulare & heroicum: & proinde non patrocinatur temerariis tyrannicidijs, multo minus nefarijs regicidijs.

Judic. 4.

Sicut Baraç Deboræ monitu arma sumebat, & Sisaram in fugam vertebat: ita Christus ecclesiæ affectu & amore inductus profligat hostes suos & nostros. Deinde Debora significat apem, & notat ecclesiam, quæ instar apiculæ habet aculeum legis, rore euangelij se inungit, ex floribus verbi Dei mel exsugit, fucos ignauos à suis pomœrijs abarcet, denique habet regem, qui aculeo caret & neminem lædit.

Judic. 5. & 6.

1. Non debet nobis Deus gratias, si ipsi seruiamus: nos vero gratias debemus Deo, si dignetur opera nostra vt in exequendis suis judicijs, ad seruandam ecclesiam, vel ad puniendos hostes. 2. Israelitæ, qui toties à Deo defecerunt, sunt speculum cordis humani in cunctas horas mutabilis.

Judic. 7.

Gedeon est typus Christi, hoc modo. 1. Gedeon significat destructorem Ita Christus destruxit regnum Satanæ. 2. Panis subcineritius, subuertens tentoria Midianitarum, significat Christum esse panem vitæ, quo si quis vescatur, victoriam certissimam reportat de hostibus. 3. Gedeon clangedo, clamando & Midianitas turbauit & proprio gladio jugulauit. Sic licet Christus appareat exiguis viribus coram mundo, euangelij nimirum ministerio, quod in toto mundo resonare facit: regnum tamen Satanæ euertit. Lampades sunt fidei indices: hydriæ notant imbecillitatem, per quam Deus exserit vires suas, dum ipsius ministri & filij vasis testaceis circumgestant thesaurum æterni precii & valoris. 4. Sicut non omnes Gedeonis milites ad pugnam Midianiticam erant habiles, nisi qui manus adminiculo bibissent ex flumine: ita non sunt vtiles ad pugnam spiritualem homines, qui non possunt carnis resistere illecebris, sed bestiarum more se carnis proluunt voluptate.

Judic. 6. v. 37. 39. 40.

Ros in Gedeonis vellere, sicca terra, & ros in terra, sicco vellere est mysterium de incarnatione Christi. Sicut enim ros nascitur ex vtero auroræ, quando solis splendor tenues & subtiles nubes penetrat: ita Christus natus est in vtero virginis, quã virtus Altissimi obumbrauit. Deinde sicut

ros

ros cœlitus descendens humectauit tantum vellus Gedeonis, non vero terram circa vellus: sic Dei Filius tantum est incarnatus in vtero virginis, qui alias est vbique sua majestate. Tertio ros primo illabens in vellus, significat Christum primo omnium Judæis esse promissum: qui tum exiguum mundi angulum incolebant. Terra vero postmodum tota rore madens, sicco solo vellere, denotat benedictionem Dei omnes gentes inundantem, exceptis solis Judæis, expanso vellere adumbratis. Nam vniuersus orbis prædicatione Euangelij est recreatus, ceu rore matutino, qui eam ob causam appellatur vita & gaudium plantarum.

Judic.8.9.10.11.12.

1. Etsi Deus non est alligatus medijs, sed per pauca, imo per nulla juuare potest: nobis tamen semper vtendum est medijs ad finem consequendum ordinatis & sufficientibus, donec diuersum facere non jubemur, ne Deum tentemus. Nunquam tamen medijs est nitendum aut fidendum, sed soli Deo. 2. Bona intentio non placet Deo, nisi verbo Dei sit consentanea, & fide regatur. Neque bona intentione fieri dici possunt, quæ suo genere sunt illicita, vel per se scandalosa. Nam ad bonitatem alicujus actus requiritur & forma bona, & finis bonus. 3. Modus docendi per Apologos & Parabolas suam habet gratiam. 4. Sæpe optime meritis pessima rependitur gratia ab hominibus. Deus vero ingratitudinem non diu relinquit inultam. 5. Qui sæpius abutuntur Dei gratia & beneficijs, illis plerumque grauiores pœnæ temporales sunt tolerandæ, etiamsi resipiscant. Atque hic est ignis purgatorius, quem experiuntur in hac vita. 6. Votum Jepthe fuit temerarium & inconsideratum, de offerendo Jehouæ quidquid victori redeunti primum è domo occurrisset. Quid enim si canis, aliud animal immundum, occurrisset? Peccauit igitur indiscrete vouendo sacrificium: & peccato grauiore votum implesset, si filiam mactasset contra legem. Recte itaque fecit, quod votum istud commutauerit, filiam suam perpetuæ virginitati deuouendo, vt è circumstantijs colligitur. 12. Seditiones populares nascuntur ex superbia, inuidia & auaritia. Semper vero justam pœnam, oppressionem videlicet ipsorum met oppressorum, secum trahunt.

Judic.13.14.15.16.

Samson est conspicuus Christi typus hoc modo. *Comic Typica.*

Samson	Christus
1. Solem significat, & in ipso Israelitis fuit satis lucis sub jugo crucis.	*1. Est Sol justitiæ & splendor vitæ æternæ.*

2. *Habuit præconem suæ natiuitatis angelum.*

3. *Erat Nazaræus ab vtero.*

4. *Procuraturus sponsam superauit leonem.*

5. *In cadauere leonis inuenit mel.*

6. *Ex leonis cadauere enatas vidit apiculas.*

7. *Mulierem Palæstinam ducit vxorem.*

8. *Vulpes junxit caudis, additis titionibus.*

9. *Conuiuis proposuit & soluit ænigma.*

10. *Vincit hostes asini maxilla.*

11. *Leuauit sitim aquis scaturientibus ex dente maxillæ.*

12. *Fregit & deportauit portas Gazæ vrbis in verticem montis.*

13. *Proditus fuit Palæstinis à scorto Delila.*

14. *Morte sua exitium attulit hostibus.*

2. *Similem habuit præconem futuræ & factæ natiuitatis.*

3. *Erat Nazaræus ab omni inquinamento alienissimus.*

4. *Collecturus Ecclesiam vicit diabolum occursantem.*

5. *In cadauere, hoc est, corpore suo crucifixo habet marum mel, cibum & medicinam animæ.*

6. *Ex cadauere suo facit enasci apiculas, hoc est, Christianos, qui flexanimo precum murmure susurrant, ex flosculis verbi Dei mel legunt, aculeo legis pungunt, & dulcissimos fructus pariunt.*

7. *Peccatorum cohortem facit Ecclesiam suam.*

8. *Hostium potentiam eludit & elidit.*

9. *Electis suis proponit & exponit Euangelium.*

10. *Equitans in asino prosternit hostes efficacia verbi.*

11. *Consolatus est seipsum, & ut consolatur sub onere crucis scaturigine verbi Dei.*

12. *Portas inferni & mortis destruxit, in cœlum ascendit, captiuam duxit captiuitatem, & gloriosa fastauit tropæa.*

13. *Proditus fuit Judæis à discipulo Juda.*

14. *Morte sua mortem attulit hostibus.*

Judic. 13. 14. 15.

1. Quæ olim causæ fuerunt crebræ Israelitarum à Deo & ipsius cultu apostasiæ, videlicet vicinarum gentium prosperitas, multitudo, & cultus jucundior: ijsdem hodie multi mouentur, vt in Papatu maneant, vel ad eundem, quasi canes ad vomitum reuertantur. 2. Nazaræatus perpetuus fuit

fuit Simsoni nondum nato impositus præter legem : quia debuit esse typus Messiæ singulari exemplo. 3. Sæpe tota ciuitas luit vnius hominis peccatum.

Iudic.16.

Collatio Christi cum Simsone posita est in hisce. 1. Quantum ad nomen. Simson enim significat solem, qui est decus cœli, & gaudium totius mundi. Quæ recte dicuntur de sole justitiæ, qui est Christus Jesus. 2. Occurrit personæ consecratio, qua Simson fuit homo deuotus Deo inde ab vtero matris suæ. 3. Spectanda est mellificatio leonis occisi, quæ notat passionem Christi, ex qua fluit merum nectar & mel. 4. Explicatio ænigmatis Simsonis notat Euangelium & ejus mysteria, quæ non potest capere ratio cœca. 5. Deletio hostium per maxillam, rem mortuam & nihili, notat mortem Christi. 6. Sitis Simsonis & ipsius leuatio ex fonte orto ex dente maxillæ notat sitim Christi & ipsius leuationem. 7. Portæ deportatio notat captiuationem captiuitatis, qua Christus vicit hostes suos. 8. Reuelatio roboris profecta ab insigni amore notat amorem illum, quo Christus complexus est humanum genus. Hic enim amor vicit omnipotens cor Dei, vt nostri fuerit misertus. 9. Fortitudinis recuperatio, & hostium per mortem oppressio notat victoriam Christi. *Concio Typica.*

Iudic.17.18.19.20.21.

Ex his capitibus quatuor ista inprimis sunt memorabilia. 1. Corruptissimus solet esse status reipubl. quando non est Rex aut magistratus. 2. DEVS, siue bonis siue malis organis vtatur ad producendos euentus destinatos, semper justa sua judicia implet sine peccato. 3. Sæpe tota ciuitas aut regnum vnius vel hominis, vel familiæ peccatum luere cogitur justissime; cum nempe aut dissimulat, aut defendit, aut non punit peccatum priuati hominis aut familiæ. Tunc enim DEVS id habet, ac si omnes vna peccauerint. 4. Qui exemplariter & heroice peccant, exemplariter & heroice puniuntur.

CON-

VIII.

CONCIONES IN LIBRVM RVTH.

Memoriale libri Ruthæ. Cap. 4.

3 3 2.7. 17

Naemi, Spicas, Boazus, Nascitur Obed.

Oeconomia Libri Ruth.

Libri Ruth duæ sunt partes, vna de pietate, altera de matrimonio Ruthæ. Pietas cernitur in conuersione, *cap. 1.* & conuersatione, *c. 2.* Matrimonij procuratio est *c. 3.* Celebratio *c. 4.*

Typicam siue tabellarem dispositionem libri Ruth vide *lib. 2. Pracog. Theol. cap. 23.* Chronologiam *ibid. c. 116. p. 451. & supra in Concione præliminari Bibliorum.* Characterem deniq; & summariam considerationem *lib. Pracog. Theol. c. 119.*

Ruth. 1. 2. 3. 4.

1. Fœminis singulari est honori & solatio, quod liber Ruthæ inserus est canoni. Ruthæ, inquam, quæ facta fuit proauia Dauidis per nuptias Boazi. Vnde & in Genealogia Christi mentio ipsius exprimitur. 2. Quod Philosophis gentilibus est cœca fortuna, vt Ruth & Boaz eodem tempore conueniant: id sacris literis est definita Dei prouidentia, de qua vulgo dicitur: *Conjugia sunt fatalia.* Item: *Conjugia in cœlo fiunt.* 3. Factum Ruthæ est extraordinarium: & proinde non est trahendum in regulam & consequentiam. Est enim suspectum & periculosum noctu & in occulto nuptias quærere: nisi specialis & grauis subsit causa. 4. Quemadmodum debemus συμπαίζειν τοῖς παιζουσι: sic debemus συγχαίρειν τοῖς χαίρουσι.

CON-

IX.

CONCIONES IN LIBRVM I. SAMVELIS.

Memoriale libri I. Samuelis. Cap. 31.

5 1 19 18 7
Hanna, Preces, Samuel, Eli, Facit arca Dagonem,
11 15 5 3 4
Arca redit, Judex, Rex, Asinas, Oleo.
1 18 9 7 32
Nahas, Entonitrus, Male victima, Jonathan, Agag,
1 50 27 18
David, Goliathus, Michal, Abitque, Fides,
6 9 10 12 7
Panes, Doegus, Siphei, Abscissa, Nabalque,
12 6 13 11 20
Hastam, Zidaga, Spectra, Reuertit, Orat.
4
Saulus obit mistre populi Rex primus Judæ.

Oeconomia libri primi Samuelis.

Liber primus Samuelis alias appellatur primus regum, & secundus ejusdem dicitur secundus regum. Nam ille describit reges populi Dei per electionem, hic per successionem constitutos. Cæterum liber primus Samuelis describit statum populi Dei sub Samuele Judice, & sub duobus regibus.

I. Samuelis nati vitas est *cap. 1.* res gestæ sunt partim respectu Eli & filiorum ejus; videlicet prædictio cladis: vbi est oratio Samuelis, *cap. 2. 3.* immissio cladis, *cap. 4. 5. 6.* & euentus belli, *cap. 7.* deinde respectu filiorum suorum *cap. 8.*

II. Duo reges constituti per electionem, sunt Saül & Dauid. Saulis describitur vocatio, confirmatio & rejectio. Vocatio est, *cap. 9.* Confirmatio cernitur in inauguratione, *cap. 10.* consensu populi, *cap. 11.* & abdicatione Samuelis, *cap. 12.* Rejectio explicatur à causis, puta diffidentia, *c. 13.* temeritate, *c. 14.* & inobedientia, *c. 15.* Dauidis describuntur res secundæ & aduersæ, quomodo videlicet sit electus, ejectus & euectus. In rebus secundis & prosperis est vocatio, *c. 16.* & victoria de Goliatho *c. 17.* In rebus aduersis & asperis est exilium & persecutio. Exilij explicatur causa, videlicet inuidia

Saulis, *c.18.* & varietas, quod exulauerit in patria, *c.19.20.* & extra patriam, partim apud Philistæos, *c.21.* partim apud Moabitas, *cap.22.* Persecutionis occurrit grauitas & cataſtrophe. Grauitatis duo ſunt argumenta: videlic. 1. Diuerſitas locorum, quod exulauerit inter vrbes & deſerta, *c.23.24.25.* & inter montes, *c.26.* 2. Fuga ad hoſtes, *c.27.28.29.30.* Cataſtrophe eſt læta propter mortem Saulis, *c.31.*

Typicam ſiue tabellarem diſpoſitionem libri I. Samuelis vide *lib.2. Præcog. Theol. c.24.* Chronologiam *ib. c.116. p.452. & ſupra in præliminari Concione Bibliorum.* Characterem denique & ſummariam conſiderationem *li.2. Præcog. Theol. c.120.*

1. Sam. 1. 2. 3. 4.

1. Anna, mater Samuelis, eſt idea piæ matronæ, patienter ferendo ſterilitatem, ardenter inuocando Deum, & vota ſua legitime vouendo & implendo. 2. Deus non vult, & vult mortem peccatoris. Prius illud de peccatoribus reſipiſcentibus, poſterius de non reſipiſcentibus eſt intelligendum: quo ſenſu hic dicitur, quod Deus morte voluerit afficere filios Eli. 3. Nobis non facientibus officium in noſtris domeſticis corrigendis, Deus cogitur facere ſuum officium in nobis puniendis aut caſtigandis. 4. Judicijs Dei, quamuis in ſpeciem nimium ſeueris, non eſt obmurmurandum, ſed abſolute, vt juſtiſſimis, cum fiducia veniæ & gratiæ exemplo Eli ſubſcribendum, juxta vſitatum dictum: *Quando Deus aliquid facit, homo non debet dicere, Quare:* hoc eſt, non debet opera Dei vocare ad calculos. 5. Hypocritæ in neceſſitatibus conſtituti, ſolent cum Deo expoſtulare, variaſque potius cauſas comminiſci, quam de vera cauſa, peccatis ſuis cogitare; denique deſerto Deo, ab externis medijs & ſignis ſalutem quærere, eaque in idola conuertere, vim illis affingentes extra vſum diuinitus iuſtitutum, quam non habent. Sic Iſraelitæ arcam in caſtra adduxerunt contra Philiſtæos.

1. Sam. 5. & 6.

Concio Typica.

Diabolus, mundus & mors præfiguratur per Philiſtæos. Quemadmodum enim hi ſibi perſuadebant, ſe cepiſſe Deum Iſraelis, cum cepiſſent arcam: ita illi ſibi perſuadebant, ſe viciſſe Chriſtum, cruci affixum & ſepultum. *Deinde* ſicut arca fœderis illata templo Philiſtæorum proſtrauit Deum ipſorum Dagon: ita Chriſtus in cruce, tempore illo, quo impij Judæi ipſi erexerant, vicit diabolum, amputauitque illi caput & manus, hoc eſt, omnem potentiam ipſi ademit. *Tertio* ſicut arca illata ciuitati, maxima plaga affecit Philiſtæos: ita Chriſtus vicit omnes Diaboli adminiſtros, totamque ipſius ciuitatem plurimis malis affecit. *Quarto* quemadmodum Philiſthæi neceſſe habuerunt remittere arcam, quam cogitabant retinere

loco

loco spolij: sic mors & diabolus necesse habuerunt dimittere Christum, de quo triumphare cogitabant. Denique sicut arca reducta magnum excitauit gaudium in populo Dei: ita Christus è morte atque sepulchro redux affecit nos gaudio longe maximo.

1.Sam. 5.6.7.8.9.

1. Impij illudentes Deo & Ecclesiæ, in sua tandem capita ignominiam Deo illatam retorqueri experiuntur. 2. Trophæa quæ impij sibi erigunt de Ecclesia deuicta, talia sunt; vt ea ipsi mox deijcere cupiant. 3. Post repurgatum ab idolis Ecclesiæ statum, plerumque solent ingentia se ostendere pericula ab hostibus: quibus Deus probat populum suum, an velit perstare, & constantiam præstare. Quod si perseuerent & ipsi probent suam patientiam & feruorem in precatione, mirabilem exitum ipsis largitur. 4. Jus regis est duplex, verum & vsurpatum. Jus regis verum describitur *Deut.17.* Jus partim verum, partim vsurpatum, describitur *c.8.* hujus libri: vbi Israelitæ peccant, non postulando, sed in modo postulandi regem. Res ipsa bona erat: quia Deus promiserat longe ante, se ipsis daturum regem. Sed modus postulati tria continet peccata; ingratitudinem erga Samuelem, diffidentiam & temeritatem erga Deum. Porro in jure regio accurate oportet discernere onera ciuilia & necessaria ab oneribus injustis, seu onera dura à crudelibus. 5. Mira Dei prouidentia cernitur in electione & inauguratione Saulis, quantum ad causas secundas illarumque directionem. v.g. aberratio asinarum, voluntas patris.

1.Sam.10.11.12 13.14.15.

1. Omnis vocatio diuinitus facta, habet promissionem, hoc est. Quos Deus vocat ad reipub. & Ecclesiæ gubernacula, eosdem necessarijs quoq; donis instruit, aliosque viros efficit. 2. Inter arcana magistratus est, studere clementiæ & moderationi sui status. Nam principes nulla re magis sibi conciliant authoritatem, quam tempestiua clementia & moderatione status sui. 3. Perperam facta in rebus bonis vel medijs, quæ sine violatione Decalogi, & nouo peccato rescindi non possunt, non sunt retractanda, sed per pœnitentiam, & vitij accidentalis abolitionem corrigenda. 4. Hypocritæ solent Deo deferre, quod non requirit, puta cultum externum: quod vero maxime requirit, obedientiam præstare recusant. 5. Impij non facile adduci possunt, vt seipsos accusent, sed toti in eo sunt, vt vel peccata sua excusent & ornent, quasi recte vel necessario facta, vel in conscientijs conuicti, culpam alio transferunt. 6. Principes fere ita sunt animati, vt quamdiu est commodum & ex re ipsorum, ament Christum, & stent à partibus religionis: vbi vero res bene successit, incipiunt contemnere Christum & ejus ministros.

1. Sam. 16. & seqq. capp.

Confer cum 2. Sam. 15. 17. 18. 19. 20. capp.

Dauid fuit insignis typus Christi hoc modo.

Dauid	Christus.
1. *Significat dilectum.*	1. *Est dilectus Dei Filius.*
2. *Natus est in Bethlehem.*	2. *Ibidem est natus.*
3. *Pauit oues Patris.*	3. *Pauit oues Patris cœlestis pedo legis, & voce Euangelij.*
4. *Prosternit vrsum & leonem in ouiculas irruentem.*	4. *Vincit diabolum & mortem.*
5. *Vngitur Rex sacro oleo.*	5. *Vngitur oleo lætitiæ, hoc est Spiritu Sancto, cujus indicium fuit colũba, quæ in baptismo ejus apparuit.*
6. *Suauissimos psalmos cecinit Deo.*	6. *Similes hymnos, imo suauiores, cecinit.*
7. *Cithara lusit coram Saule & melancholiam ipsius compescuit.*	7. *Cithara Euangelij tristitiam cordis nostri tollit.*
8. *Cithara ludens à Saule propemodum interficitur.*	8. *Prædicans Euangelium à Diabolo varia patitur.*
9. *Pedo pastorali & funda Goliathũ strauit, & proprio gladio jugulauit.*	9. *Funda legis, & pedo Euangelij prostrauit hostes suos.*
10. *A Doego Idumæo multa patitur.*	10. *Ab Herode Idumæo in infantia persecutionem patitur.*
11. *A Saule indignissima patitur, ita vt latebras & exilium habuerit pro solatio.*	11. *A Pharisæis plurima patitur, & non habet vbi caput reclinet.*
12. *A stulto Nabale deluditur ab Abigaile sapientissima fœmina reficitur.*	12. *Ab hostibus in cruce deluditur, a fœminis vngitur.*
13. *Cinctus ab hostibus in deserto, diuinitus eripitur.*	13. *A Judæis circumdatus, euasit illæsus.*
14. *Saulem pertulit, quoad in proprium incumberet gladium.*	14. *Differt hostium vindictam, vt seipsos mulctent.*
15. *Absolomum filium habuit persecutorem.*	15. *Judæos tanquam degeneres filios, expertus est rebelles.*
16. *Transiuit torrentẽ Cedron, versus olineti mõtem, propter sua peccata.*	16. *Propter nostra peccata tẽdit in mõtẽ olineti magna animi cõsternatione.*
17. *Acquieuit voluntati Dei.*	17. *Similiter in illa acquieuit.*
18. *Ab Archithophele seipsum mulctante suspendio patitur indigna.*	18. *A Juda proditore seipsum mulctante indignissima patitur.*

19. Se-

19. *Semeio ignouit, & deplorauit mortem Absolomi.*

20. *Fideles exilii sui comites ducit trans Iordanem in Mahanaim vrbẽ, quæ significat castra Dei.*

21. *Reuersus ab exilio ingreditur Hierosolymam, regno potitur, pacate administrat omnia, & bene de se meritos dignatur regalis mensæ contubernio.*

19. *Hostibus ignouit, & pro illis orauit.*

20. *Electos suos per passionem suã deducit in æternam mansionem.*

21. *Redux è sepulchro & prælio ascendit in cœlos glorioſe, & administrat omnia victorioſe, suisq; amicis præbet cibum gratioſe.*

1. *Sam.* 17.

Monomachia Dauidis & Goliathi fuit typus monomachiæ inter Christum & Diabolum. *Matth.* 14. idque hoc modo. 1. Dauid à Deo iam designatus rex per spiritum Dei fuit incitatus ad pugnandum cum Goliatho. Ita Christus per baptismum inauguratus à Spiritu S. quem acceperat in baptismo, fuit subductus in desertum, vt confligeret cum Satana, infernali isto Goliatho. 2. Dauid pugnat pro suo populo, Christus pro ecclesia. 3. Dauid vtitur armis vilibus abiectis, baculo, funda & lapide: ita Christus vtitur baculo & funda verbi Dei, & tribus lapidibus, h. e. dictis scripturæ. 4. Victoria Dauidis erat victoria totius Israelis: victoria Christi est victoria totius Ecclesiæ. 5. Dauid jugulat Goliathum proprio gladio: Christus Diabolum vincit ijdem armis, seu argumentis, quæ ipse adhibuerat tentando Christum. *Concio typica.*

Plenior comparatio hæc est.

1. Dauid ablegatus fuit à parente in castra, vt inuiseret fratres: ita Christus missus fuit à Patre suo in castra hujus mundi ad fratres suos, quibus assiduum & ἄσπονδον bellum intercedit cum Philistæis.

2. Israelitæ formidabant Goliathum, & ipsius armaturam: ita nobis formidabilis est Satan.

3. Dauid offert suam operam fratribus suis ita & Christus.

4. Dauid animat seipsum recordatione auxilij Dei in prosternendo vrso & leone: ita Christus oues suas seruauit, easque eripuit è faucibus vrsi & leonis infernalis.

5. Saul opinabatur, Dauidis conatum esse nullum: ita mundus Christi humilitatem spreuit.

6. Dauid exuit arma Saulis. Christus vicit hostes suos, non armis & potentia mundi, sed pedo, id est cruce sua, funda, id est virtute diuinitatis, & quinq; lapidibus, h. e. quinq; vulneribus: quos lapides sumsit ex aqua, h. e. riuo sanguinis sui.

7. Goliath spernit Dauidem. Ita diabolus contemsit humilitatem Christi.

8. Goliath maledicit Dauidi. Sic Judæi Christum in cruce maledictis impetiuerunt.

9. Dauid confidit Domino. Ita & Christus.

10. Dauid aggreditur caput Golia hi. Sic Christus cõtriuit caput serpẽtis.

11. Dauidi despondetur filia regis. Ita Christo Ecclesia, filia illa pulcherrima. *Psal.* 45.

12. Dauidi conciliatur cor Jonathanis, qui erat pius filius Saulis. Ita Christo deuinciuntur corda omnium piorum.

13. Uniuersus populus accinit Deo. Ita omnes electi laudant Christum victorem, ex *Psal.* 24. & 118.

14. Sicut Dauid à filio suo acerbã persecutionẽ expertus est: ita Christus à suo primogenito filio, populo Judaico omnis generis passiones illatas sustinuit. 2. Sicut Dauid lachrymabundus ascẽdit montẽ oliueti: sic Christus in sua passione. 3. Sicut Dauid à Semejo cõuitiis & lapidibus fuit petitus: ita Christus à Judæis. *Joh.* 8. 4. Quemadmodũ Dauid maledicta Semeii perfert animo patienti: sic Christus. 5. Sicut Dauid tandem fuit euectus ad regnum: ita quoque Christus.

1. Sam. 18. *De amicitia Dauidis & Jonathanis.*

Hæc historia est speculum 1. amicitiæ Christianæ. 2. amoris reciproci inter Christum & electos. Utrobiq; notetur sinceritas, & constantia; vtraq; in affectu, & effectu amoris.

1. Sam. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25.

1. Tyranni simulant amicitiam cum piis, & iuramentis pacẽ sanciunt: sed leuissima occasione mutati, denuo sæuire incipiunt. 2. Timere & fugere manifesta pericula licet, citra desertionem officij, & extra casum scandali. 3. Simulatio est duplex, reprehensibilis & laudabilis. Illa est, quæ proximo damnosa ad fallendum Deum aut homines malo consilio instituitur: hæc est, quæ tegit consilia necessaria apud hostes, vel eos quorum non interest, vel bonum suum aut alienum citra alterius damnum elicit. 4. Parendum est superiorum edictis, sed vsque ad aras, hoc ita, ne flagitium admittamus contra Deum. 5. Deus solet suis ἀπὸ μηχανῆς succurrere: quomodo videmus Dauidem à Saule circumuentum, diuinitus liberari allato nuntio de irruptione Philistæorum. 6. Nemo venit in potestatem sui hostis, nisi Deus eum tradat. 7. Subditi singuli possunt officij admonere principem, & à sæuitia illum dehortari, interimere non debent, etsi valde iniquum. 8. Pontifex Romanus est alter Nabal: vid. licet homo durus, potẽs, diues, ebrius, & contumelioſus in Deum.

1. *Sam.* 26.

1.Sam.26.27.28.29.30.31.

2. Conuersatio & societas cum idololatris est periculosa. 2. Scripturæ sacræ non solum describunt virtutes sanctorum, sed etiam lapsus: vt illis quidem excitemur ad imitationem, his vero fragilitatis nostræ admoniti, nos à Deo regi petamus. 3. Pythonissa fascino diabolico diabolicũ spectrũ excitauit, non vero Samuelem verum. 4. Deus electos suos mirabiliter reuhit à peccatis, quæ sibi relicti admissuri erant, euoluitq; ex laqueis, quos sibi imprudentes ipsi induerunt ne pereant. 5. Deus in suos propter peccatu graues & maturius animaduertere solet quam in reprobos, vt agnitis peccatis cito resipiscant. 6. Dij quoq; implicantur quandoq; communibus malis cum impijs citra injuriam, cum non sint ἀπαράσχετοι: quæ tamen salui eorum cooperantur.

X.

CONCIONES IN LIBRVM II. SAMVELIS.

Memoriale libri 2. Samuelis. Cap. 24.

11	4	27	5	1
Luget,	*Et eligitur,*	*Ioab,*	*Mephiboseth,*	*It omnis,*
6	13	1	8	4
Vsa,	*struet,*	*vincit,*	*Zipha,*	*Maliguus, Hanon.*
14	1	1	25	14
Vrias,	*Nathan,*	*Ammon,*	*Pulcherrimus,*	*Exul,*
5	1	9	8	21
Simei,	*Achitophel,*	*Quercus.*	*Adestq,*	*Seba.*
21	1	1		15
Magna fames,	*Cantat,*	*verba vltima,*	*Diraq,*	*pestis.*

Oeconomia libri secundi Samuelis.

Liber secundus Samuelis duas habet partes: vnã de illegitimo successore, *ad c.5.* alteram de successore vero, *ad finem libri.*

I. Illegitimi successoris describitur promotio ad regnum, *c.*1.2. & remotio à regno, *c.*3,4.

II. Legitimi successoris historia continet actum inaugurationis, *c.*5. & administrationis, quæ fuit primo laudabilis, postea culpabilis. Administratio laudabilis fuit religiosa, *cap.* 6. 7. polemica item & politica, *cap.* 8.9.10. Administratio culpabilis consideratur ratione peccatorũ Dauidis & pœnarũ. Peccata Dauidis considerantur ratione cõmissionis, *c.*11. & cõfessionis, *c.*12. Pœnę sunt internę & priuatę, vel externę & publicę. Pœnę internę & domesticæ sũt incestus Amonis, *c.*13, & seditio Absalomis, cuius

occasio

occasio est c.14. initium & origo c.15. progressus cap.16. & catastrophe, videlicet exterminatio Absalomis, c.17.18. & restitutio Dauidis, c.19. Pœnæ externæ & publicæ spectantur quantum ad exempla & euenta. Exempla duo sunt: seditio excitata à Sheba, c.20. & fames, c.21. Euenta sunt partim bona, videl. gratiarum actio seu carmen laudatiuum, cap.22. & cantio cygnea seu testamentum propheticum cap 23. partim aduersa, videl. mors Dauidis, cap.24.

Typicam siue tabellarem dispositionem libri 2. Samuelis vide lib.2 præcog.theol.cap.24. Chronologiam ibid cap.116.p.454. & supra in præliminari concione Bibliorum. characterem denique & summariam considerationem lib.2.præcog.theol.cap.120.

2. Sam. 1.2.3.4.5.

1. Priuatis non licet interficere tyrannum, qui dicitur exercitio: nisi in casu & moderamine inculpatæ tutelæ, quod angustis admodum circumscribitur terminis. 2. Tribus Juda non erat schismatica vel seditiosa, præterito Saulis filio Dauidem sibi eligens regem: quia sciebat Dauidi regnum deberi ex oraculis & promissionibus Dei. Schismaticus vero & seditiosus fuit Abner, Isbethum Dauid regem opponens. Quod schisma figurat schismata Cæsarum & Anticæsarum, Papatum & Antipapatum. 3. Principes non temere debent animaduertere in scelera potentiorum, ne dent turbas. Non itaque quando volunt, sed cum possunt commode, id præstare debent. 4. Authores apostasiæ & seditionis merito suo pœnas luunt, exemplo Isbosethi. Etsi autem is meritò luit pœnam seditionis: non tamen recte fecerunt interfectores: vnde & illis pro euangelio redditum fuit à Dauide supplicium. 5. Qui rebus aduersis se totos Deo permittunt, ejusque auxilium tranquille & patienter expectando, fidem suam testantur, exemplo Dauidis, ijs omnia feliciter succedunt, quomodocunque res cadant. Qui vero Dei consilia anteuertunt, ij & diffidentiam suam produnt, & se periculose præcipitant. 6. Reges debent esse ποιμένες λαῶν, h.e. salutem populi curare & defendere.

2. Sam. 6.7.8.9.10.

1. Exemplum Uræ docet, cultum Dei non humanis exemplis aut cõsilijs instituendum, sed ex solo Dei verbo administrandum esse. 2. Reges & principes tametsi ipsi sapiant, & religionis atque regionis ornandæ curam instituant sapienter & dextre: tamen aliorum piorum & prudentum consilia etiam audire debent, de religione theologos, de politia politicos consulendo. Sic Dauid audiuit Nathanem. 3. Promissio de semine Dauidis, templum Dei ædificaturo, virgisque hominum propter peccata casti-

castigando quidem, sed misericordia æterna seruando, etsi competit Salomoni aliquatenus, ipsumque ex lapsu resipuisse probabiliter arguit: præcipue tamen de Christo est accipiendum, & de sanctorum perseuerantia. 4. Victoriæ & euentus secundi sunt signa beneuolentiæ Dei, sed non necessaria quia etiam infidelibus quandoque contingunt. Spiritualia vero beneficia infallibile præbent diuini erga nos fauoris monumentum. 5. Liberalitas Dauidis in Mephiboseth est exemplum fidelitatis in promissis seruandis. 6. Principes fatui à consiliarijs suis similibus impulsi, sæpe nefarijs consilijs se & suos euertunt.

2 *Sam.* 11. 12. 13. 14. 15.

1. Factum Dauidis impium, homicidium puta & adulterium, displicuit Deo simpliciter: persona non simpliciter, sed in quantum isto facto polluta erat. 2 Deus resipiscentibus remittit pœnas æternas propter Christum: temporales non semper remittit, sed illis immittit παιδείας καὶ δοκιμασίας ἕνεκα. 3. Verus amicus est, non qui turpes cupiditates iuuat vel suadet: sed qui consulit, quod honestum est, mediaque honesta ostendit, turpia vero dissuadet. 4. Amor potius descendit quam ascendit: vt docet exemplum Dauidis, cui Absolomum parricidam absque pœna recipit in gratiam remittendo de suo jure. 5 Deus atrociter punit atrocia peccata, etiam piorum, in hac vita: præcipue nimiam indulgentiam parentum, nimiamque lenitatem principum, qua leges violantur, malitia sceleratorũ fouetur, & scandalis boni corrumpuntur.

2. *Sam.* 16. 17. 18. 19. 20.

1. Deus præcepit Semejo maledicere Dauidi, non id jubendo moraliter, sed cor illius impellendo judicialiter. Non itaque hic fuit externum mandatum, sed internum & arcanum actionis diuinæ principium, idque non efficiens, sed permittens, dirigens & determinans actum malum actu minime malo. Nimirum Deus peccata peccatis punit absque peccato. 2. Agnoscenda & celebranda est singularis prouidentia Dei mirabiliter gubernantis hostium consilia, & flectentis eorum animos, vt eligant sibi consilia perniciosa, ecclesiæ vero & veris ejus membris salutaria, malaque consilia in consultorum capita retorquentis. Instituatur hic collatio Achithophelis & Judæ. 3. Deus justa sua judicia per homines peccantes sæpe exequitur: quomodo videmus Absolomum seditiosum juste interfectum esse, sed injuste interfectum esse à Joabo. Hic enim peccauit, quod eum interfecerit contra regis edictum. Contineamus igitur nos intra metas obedientiæ & officij nostri: quibus præteritis male à nobis fiunt, quæ alioqui non essent mala. 4. Dauid lugendi Absolomi exitium

causas habuit grauissimas: peccauit vero in tempore, quo dolorem nimium ostendi, cum offensione populi, & defectionis periculo. 5. Etsi Dauid prudenter fecit, pœnam Simei differendo: quia seueritas tunc poterat esse noxia: peccauit tamen impunitatem ei jurando, quia reus læsæ maiestatis non debuit impune abire contra legem *Exod* 21. *versiculo* 17. & 22. *vers.* 28. *Leuit.* 20. *vers.* 9. Recte vero male juratum retractauit, quando moriturus vindictam Salomoni imperauit: 6. Amasa seditiosus juste luit pœnam seditionis Nihilominus tamen Joab illum iniuste interfecit, quia hoc fecit proditorie. Pertinet huc regula: *Etsi iusta est passio, tamen iniusta est actio.*

2. Sam. 21. 22. 23. 24.

1. Etsi fames & pestis habent causas naturales: cogitandum tamen est nobis, causas illas sic gubernari Dei prouidentia, vt euentus isti sint justa judicia, quibus peccata modo aliena, modo propria juste vlciscitur. 2. Dauid integritatem causæ suæ, non vero personæ, adeoque iustitiam particularem, non vero vniuersalem prædicat, quando salutem suam, hoc est, restitutionem in regnum ex variis periculis, suæ perfectioni & iustitiæ adscribit; & proinde nihil detogat gratiæ Dei, nihilque meritis suis arrogat. 3. Cantio cygnea Dauidis, & heroes illius fortissimi, sunt typus cantionis & concionis cygneæ Christi apud Johannem, & electorum Christi, qui sunt robustissimi heroes, aduersus quos nihil potest Satanas. 4. Numeratio populi fuit peccatum, non ipso actu per se indifferente, sed ex vitiosis causis, tum impulsiuis, tum finalibus, à Satana suggestis, quales erant superbia, ostentatio virium, fiducia multitudinis, curiositas, & contemtus legis *Exod. cap. vigesimo vers. vndecimo:* Cæterum quod furor Jehouæ dicitur concitasse Dauidem ad numerandum populum, hoc est accipiendum de permissione, hoc est, non de cessatione prouidentiæ Dei, sed de non inhibitione, cum qua coniuncta est directio mirabilis. Quare si permissio sit actio otiosa vel coacta, & opponatur occulto Dei iudicio, impie tribuitur Deo: secus, si opponatur approbationi & beneplacito ipsius.

CON-

XI.

CONCIONES IN LIBRVM I. REGVM.

Memoriale libri 1. Regum. Cap. 22.

39 10 1 2 1
Rex Salomon. Moritur, Pharao, Moxaulaq3, Templum,
2 1 1 2 1
Forma Sacra, Atq3 sua, Hinc Arca, Videtq3, Saba.
1 17 24 2 0
Fœmina, Scinduntur, Leo, Vates, Alia, & Asa,
24 6 40 5 2
Samaria, Acervis, Mactat, Adesto, & Ahab.
1 34
Nabothus, Cecidit per prælia Victus Ahabus.

Oeconomia libri primi Regum.

Liber primus Regum continet incrementum regni Dauidici, & illius decrementum.

I. Incrementum regni Dauidici est sub Salomone, cujus describitur electio, confirmatio & administratio. Electio est *c.* 1. Confirmatio cernitur in remotione impedimentorũ *c.* 2. & donorum nec sariorum cõmunicatione, *c.* 3. Administratio elucet in ordinatione familiæ, *c.* 4. extructione ædificiorum sacrorum & profanorum, publicorum & priuatorum, *c.* 5. 6. 7. 8. 9. & deniq; diuitiarum multitudine, *c.* 10.

II. Decrementum regni Dauidici spectatur in occasione & occasu. Occasio est partim iniquitas, partim mors Salomonis, *c.* 11. Occasus spectatur quãtum ad primos apostasiæ seu diuisionis authores & successores. Autores apostasiæ sunt Roboam & Jeroboam, quorum historia proponitur cõjunctim, *c.* 12. distincte; ac Jeroboami quidem, *c.* 13. & dimidia parte, *cap.* 14. Roboami vero reliqua parte capitis. Successores similiter describuntur conjunctim in regno Juda & Israel, *c.* 15. & separatim in regno Israel, vbi primo cursim recitantur quidam reges Israel *prima parte c.* 16. deinde fuse tractatur historia Achabi, cujus malitia describitur *secunda parte c.* 16. & reuocatio à malo deinceps, ad finem libri recitatur. Facta vero est illa reuocatio tribus modis. 1. Per signa denunciata ab Elia, cujus legatio est *c.* 17. 18. exilium *c.* 19. 2. Per geminam victoriam *c.* 20. 3. Per comminationes, quas secuta est mors Jesabelis *c.* 21. & Achabi, *c.* 22.

Typicam siue tabellarem dispositionem libri primi Regum vide *lib.* 2. *præcog. theol. cap.* 25. Chronologiam *ibid. c.* 116. *p.* 454. *& supra in præliminari*

concio Bibliorum characterem deniq; & summariam considerationem *lib. 2. præcog. theol. cap. 120.*

1. *Reg.* 1.

1. Qui volunt regnare sine Deo vocante, plerumque nec subditi manere possunt. 2. Deus machinationes impiorum conuertit in salutem suorum.

1. *Reg.* 2. *v.* 2.

Confer cum *Psalm.* 90. *v.* 12.

Concio funebris. Dicemus, cur mors diligenter sit meditanda. Sunt autem quinque causæ. 1. Mandatum Dei *Eccles.* 12. *v.* 1. *Matth.* 24. *v.* 9. 2. Honestas: quia videmus homines virtutis amantes hoc vnice agere, ne in officio suo aliquid desideretur. Sic nautæ prouident, ne in scopulos incidant: opiliones vbi tempestatem imminentem præsentiscunt, oues in tutum agunt. Multo itaque magis officij nostri est, mature nos præparare ad mortem. 3. Necessitas. Etenim non sic cibo, somno & veste opus est homini, quam piis præparationibus ad mortem. Omnibus enim hominibus semel est moriendum. 4. Hora mortis incerta. Nam latet vna hora, vt expectetur omnis hora. 5. Maximum momentum, quod in vltima vita situm est. Sicut enim sagittarius, si multa compositione ne arcum dirigat ad scopum, in extremo autem missionis momento vacillet, procul à scopo aberrat, ita vt omnis opera sit lusa: sic qui in agone mortis vacillant, aut trepidant, à proposito scopo, qui est Christus, aberrant. Sera nimis hic est pœnitentia: sera vota & desideria.

1. *Reg.* 2. *&* 3.

1. Scelera, quæ dissimulantur, neque secundum leges puniuntur, in ipsis magistratibus hærent. 2. Simei, licet maledicendo seruiisset consilio Dei, & impunitatem à Dauide consecutus esset: à Salomone tamen iure plectitur fitq; exemplum regulæ:

Sera licet tacitis pœna venit pedibus.

3. Sapientia ciuilis est virtus præcipue gubernatoribus necessaria, & proinde à Deo est petenda enixissime. 4. Boni iudicis est, non tantum leges nosse, sed & rerum naturam exploratam habere, vnde deficientibus argumentis manifestis, probabiles veritatis coniecturas eliciat. Neque enim omnes casus legibus comprehendi possunt.

1. *Reg.* 3. 4. 5. 6. 7. 8.

Concio typica. Salomon est illustris typus Christi, hoc modo.

Salomon

Salomon	Christus
1. *Significat pacificum.*	1. *Est princeps pacis.*
2. *Praeditus fuit insigni sapientia, opulentia & potentia, ita quidem, vt fuerit oraculum sapientiæ & quædam Dei statua.*	2. *Habuit in se omnes thesauros sapientiæ & potentiæ.*
3. *Extruxit templum, cujus forma fuit conuenientissima, lapides marmorei, columnæ cedrinæ, &c.*	3. *Struxit spirituale templum, Ecclesiam: cujus ipse est fundamentum: lapides niuei sunt Christiani: columnæ cedrinæ, Apostoli.*
4. *Extruxit sibi palatium regium, & ministris conueniens ædificium.*	4. *Præparauit aulam cœlestem sibi & electis suis.*
5. *Habuit solium eburneum auro obductum.*	5. *Judicabit mundum residens in solio plane regio.*
6. *Habuit imagines duodecim leonum gradibus solij adsistentium.*	6. *Habuit duodecim Apostolos, qui erunt totidem assessores in vltimo judicio.*
7. *Vxorem duxit filiam Pharaonis, illique gynæceum extruxit.*	7. *Gentiles credentes sibi copulat, eisque æternum domicilium ædificat.*
8. *Nationes externas ad templi ædificium requisiuit.*	8. *Gentes ad Ecclesiam vocauit.*
9. *Lapides præparatos adhibuit ad ædificium templi, ita vt non fuerit auditus strepitus malleorum.*	9. *Electos suos præparat per Spiritum Sanctum, vt fiant viui lapides, citra externam pompam aut tumultum.*
10. *Dedicauit templum dedicatione magnificentissima.*	10. *Dedicauit seipsum Deo, & nos dedicat sibi ipsi, dedicatione plena spiritualis magnificentiæ.*
11. *Habuit armamentarium & munitiones varias.*	11. *Habet armamentarium Scripturæ, & omnis generis munitiones, de quibus in panoplia Christiana Ephes. 6.*
12. *Thesauros impendit rebus necessarijs, & habuit prouentum annonæ copiosissimum.*	12. *Thesauros suos impendit saluti electorum suorum, & habet penu instructissimum ab alimonia spirituali.*

1. Reg. 6.

Confer cum 2. Paral. 3. & 4.

Templum Salomonis est typus Christi & Ecclesiæ, hoc modo. Christus

templum corporis sui passus est dissolui, vt erigeret templum spirituale, Ecclesiam, quæ est sedes Dei vbi à quærentibus vult inueniri. *Marmor niueum* præfigurabat sanctitatem Christi hominis innocentissimi *aurum*, quo erant obducti parietes templi, erat typus deitatis Christi: *lignum cedrinum*, significabat immortalitatem Christi & inuictam fidei vim. *Vtraque valua* præfigurabat duas in Christo naturas. *Duo Cherubim* in sanctissimo loco templi intuentes propitiatorium, denotabant vtrunque testamentum, quorum nucleus est Christus. *Pensile velum* ex serico, acu pictum, significabat Christum fore pensilem in cruce, inter homines & Deum, vulneribus punctum, & sanguineis maculis pictum, instar vel ex roseo bombyce texti, quo velantur peccata. *Arca fœderis* denotabat, corda credentium esse scrinium aureum, cui vna cum tabulis legis sit imponendum propitiatorium, h.e. Jesus Christus. *Altare thymiamatis aureum* notabat preces electorum & eleuationem manuum. *Decem mensæ aureæ* adumbrabant pingue conuiuium gratiæ, quod Deus in decem præcipuis mundi regnis erat instructurus cibo & potu corporis & sanguinis Christi. *Fontes, luteres, & mare fusile*, præfigurabant baptismum, aquam manantem ex latere Christi, efficaciam Spiritus Sancti & lachrymas pœnitentiæ. *Duodecim boues mare fusile portantes*, significabant totidem Apostolos maris gratiæ gerulos per quatuor mundi cardines. *Aureæ candelabra cum suis lucernis* erant indicia gratiæ Dei in Christo & Ecclesia lucentis. *Parietum cælaturæ & variæ picturæ*, repræsentabant dona Spiritus Sancti. *Triplex atrium* erat indicium Ecclesiæ visibilis & inuisibilis, ex Judæis & gentibus constantis. *Tria deambulatoria* præfigurant tres hierarchias Ecclesiæ, videlicet docere verbum, administrare sacramenta, & exercere disciplinam. *Sanctum sanctorum* erat typus Ecclesiæ in cœlo triumphantis: *sanctum*, Ecclesiæm litantis inuisibilis: *Pars exterior*, Ecclesiæ militantis visibilis. Atque hæc est templi structura & typica seu mystica figura.

1. Reg. 10.

Contio Typica.

1. Regina Sabæ, gentilis fœmina, excitata Salomonis fama, fuit typus Ecclesiæ ex gentibus collectæ. Ea enim audito Euangelio Filij Dei venit ad Christi agnitionem, & ab illo instituitur in omnibus quæ sunt ad salutem necessaria, quomodo hic videmus Salomonem quam sapientissime & appositissime respondisse ad omnia problemata reginæ.

1. Reg. 11. 12. 13. 14.

1. Judicium siue canon charitatis pie, collatio variorum Scripturæ locorum necessario, scriptio Ecclesiastis probabiliter, jubent nos statuere, Salomonem à lapsu suo resurrexisse. Pertinent huc ista dicta:

Fauors

Fauores sunt ampliandi, odia restringenda:
In dubijs & fauorabilibus mitiorem partem tenere oportet.

Item:

Rebus in obscuris quod minimum est sequimur.

Frustra itaque sunt, qui apostasiæ sanctorum prætexunt Salomonis exemplum. 2. Scissio regni vnius in duo, videlicet in regnum Juda & Israel, consideratur vt peccatum & pœna: estque imago discordiæ inter fratres & propinquos, item tyrannidis, qua subditi animorum exulcerantur. 3. Jeroboam est typus antichristi Romani hoc modo. Vterque inuexit nouum cultum, miris artibus, & illum persuasit speciosis prætextibus, cum in se sit horribilis apostasia & idololatria, offendens Deum, & pœnas attrahens suo tempore à Deo. 4. Sicut peccata, sic & pœnæ principum deriuantur in subditos, miserabili quodam diluuio, juxta versum:

Scilicet in vulgus manant exempla regentum.

1. Reg. 15. 16. 17. 18.

1. Fœdera cum impijs & idololatris, quæ habent conjunctas expeditiones, & mutua auxilia vel defensiones, simpliciter damnãtur verbo Dei. 2. Deus pœnas impiorum aliquando differt, sed non aufert: ita vt hic etiam locum habeat illud πολυθρύλλητον: *Quod differtur, non aufertur.* Nimirum Deus sæpe punit impios in posteris, facitque alios aliorum carnifices, malos per malos vlciscens justo judicio. 3. Licitum est exemplo *Eliæ*, orare contra impios & contumaces, vt Deus aduersus ipsos vindicet gloriam veritatis & justitiæ suæ, vt qui verbis vel minis coerceri nolunt, verberibus cogantur vel resipiscere, vel à peccatis desistere. Non tamen affectu priuatæ gloriæ vel vindictæ orare licet, neque etiam contra personam, sed contra causam malam, nisi forte persona peccet in Spiritum Sanctum. 4. Elias singulari instinctu trucidans Baalitas, non probat, Episcopis licitum esse jus gladij exercere, sed docet impostores & turbatores Ecclesiæ & politiæ coercere.

1. Reg. 19. v. 11. 12. 13.

In hac historia proponemus imaginem veræ pœnitentiæ. *Primo* Deus ait ad Eliam: *Exi*, nempe ex spelunca. Ita jubet nos exire ex spelunca peccati & immundi hujus mundi. *Deinde* ventus magnus & vehemens perstingens montes, & petras perrumpens est lex. In hoc vento non est Jehoua, hoc est, ipsius misericordia patefacta in Euangelio: *Tertio* post ventum illum oritur concussio, hoc est, compunctio cordis. Et in hac nondum est Jehoua, hoc est, ipsius fauor. *Quarto* existit vox silentio tenuis, hoc est, susurrus Euangelij, seu gratia Christi per Spiritum Sanctum. *Concio pœnitentialis.*

1. Reg.

1. Reg. 17. 18. 19.

1. Elias est typus Christi & Johannis Baptistæ. Idem est speculum & idea boni prophetæ atque doctoris Ecclesiæ, & cujuslibet Christiani variis pressuris exerciti. 2. Tempus Eliæ sub Achabo est typus temporis Ecclesiæ sub antichristo, quam Deus in corruptissimo Papatus statu seruauit constantem ex septem millibus hominum, à quibus recte fuit cultus & inuocatus, licet illi oculos mundi effugerint.

1. Reg. 20. 21. 22.

1. Deum locis certis alligare vel excludere, sine expresso ipsius verbo, est blasphemia intoleranda. 2. Hypocritarum pœnitentiam compensat Deus quandoque beneficijs temporalibus, non quod hypocrisin probet, sed vt quanti faciat veram pœnitentiam, demonstret. 3. Achab & Jezebel sunt idea & par principum conjugum omni scelerum genere nobilitatarum. 4. Renati peccant, reclamante conscientia, & spiritu luctante aduersus carnem, quamuis non semper eam superante: quomodo Josaphat se cum Achabo sociauit, & cognito oraculo, tamen à malo proposito non discessit.

XII.

CONCIONES IN LIBRVM II. REGVM.

Memoriale libri II. Regum Cap. 25.

2 11 20 1
Ekron, In cœlum, Dat aquas, Tum quinque, Naeman,
6 1 1 2 19
Enatat, Annonam, Annona, Jehu, Bahalim.
2 5 21 1 1
Joas, Instaurat, Fit viuus, Amazia, Asarja,
1 1 1 35 11
Ahas, Hoseas, Hiskia, Strage, Decem.
1 1 3 1 11
Manasses, Josias, Renonat, Babylonia, Capta.

Oeconomia libri secundi Regum.

Liber secundus Regum agit primo de regno Judæ & Israel simul, ad c. 8. deinde de regno Judæ seorsim.

1. De

I. De regno Judæ & Iſraelis tractatio ſic inſtituitur, vt primo reges Iſraelis ſigillatim, deinde vtrique ſimul commemorentur. Sigillatim deſcribitur ſtatus regni Iſrael ſub quinque regibus, hoc modo:

1. Sub Ochoſia, *cap.1.*

2. Sub Joram: vbi eſt Catalogus prophetarum ipſi coæternorum, Eli, & Eliſæi, *ca.2.* indicatio rerum ab ipſo geſtarum, *c.3.* & commemoratio rerum geſtarum ab Eliſæo, cujus miracula ſunt *c.4.5.* & parte prima *c.6.* item *cap.7.8.*

3. Sub Jehu: cujus electio & adminiſtratio, *c.9.10.*

4. Sub Joachaſo: cujus inauguratio, *cap.11.* adminiſtratio, *c.12.*

5. Sub Joachaſo & Joaſo ſimul, *c.13.*

Conjunctim regum Iſraelis & Judæ hiſtoria narratur, *cap. 14. 15. 16.17.*

2. Tractio de regno Judæ ſeorſim ita inſtituitur vt indicetur labefactatio, reparatio & ſubuerſio. Labefactionis duo ſunt tempora: vnum ſub Ezechia, ejus res proſperæ ſunt, *c.18.* res aſperæ ſunt *c.19.20.* Alterum ſub Manaſſe & Ammone, *c.21.* Reparatio facta per Joſiam, eſt partim reſtauratio templi, *c.22.* partim reformatio religionis, *cap. 23.* Subuerſionis initium eſt ſub Joachimo & Jechonia, *c. 24.* complementum ſub Zedekia, qui deportatus eſt Babylonem, *c.25.*

Typicam ſiue Tabellarem diſpoſitionem Regum vide *lib. 2. Præcog. Theol cap.27.* Chronologiam *ibid.cap.116.& ſupra in Concione præliminari Bibliorum.* Characterem denique & ſummariam conſiderationem *lib.2. Præcog.Theol.c.120.*

2. Reg.1.

Hypocritæ pœnis non corriguntur, ſed deteriores redduntur, & ab vno idolo ad aliud confugiunt, licet vanitatem idolorum ipſo experimento diſcant. 2. In mundo ſemper ſunt defectiones in politia vel Eccleſia.

2. Reg.2.

Tria in primis in hiſtoria Eliæ ſunt obſeruanda. *1. Miracula varia*; quæ fuerunt figuræ miraculorum Chriſti. *2. Vita & doctrina ipſius*: vbi occurrit collatio Johannis cum Elia, quæ cernitur in magna Spiritus S. gratia, Zelo religionis, virtute, veſtitu & amictu, hoc modo. *Concio typica.*

Elias.	Johannes.
1. Cum eſſet magna diſſenſio religionis, diuino plane zelo impietatem redarguit, & Iſraelitas ad agnitionem veri Dei reduxit.	*1. Sectarum diſſidia in populo Dei redarguit zelo heroico, & obſequentes auditores ad Chriſtum manduxit.*

2. *Non curauit gratiam Achabi.*	2. *Spreuit gratiam Herodis.*
3. *Pane & Aqua victitabat.*	3. *Locustis vescebatur.*
4. *Iordanem diuisit.*	4. *Ad Iordanem baptizauit.*
5. *Post triennium pluuiis terram aridam prorsus rigauit.*	5. *Post triennium fœcundauit Ecclesiam exarescentem.*

Quod dixi de triennio Johannis, sumtum est ex Ambrosio, qui primum annum constituit in Patriarchis, secundum in Mose & Prophetis, tertium in aduentu Christi. 3. *Translatio in cœlum:* quæ est adumbratio partim nostræ beatificationis ratione animæ & corporis, partim ascensionis Christi.

2. Reg. 4. v. 1. &c.

Hic locus est speculum omnipotentiæ & misericordiæ Dei erga illos, qui contra & supra rationem cœcam ipsi soli fidunt. Docemur autem ista. 1. Sicut vidua inclamauit prophetam: ita nos inuocare debemus Deum. 2. Sicut maritus hujus viduæ fuit timens Dei: ita omnes conjuges debent studere pietati, quæ est ad omnia vtilis. 3. Sicut creditores adeo molestant hanc viduam, vt filiorum libertatem vocent in discrimen: ita debita animæ nos mancipant diabolo & æternæ morti, nisi succurrat cœlestis Elisæus. 4. Sicut hæc vidua in domo sua nihil habuit præter vrceolum olei: sic pij Christiani oleum fidei debent habere in corde suo. 5. Sicut vasa inania fuerunt repleta ex vrceolo viduæ: sic inanis noster labor fœcundatur oleo fidei. 6. Propheta jubet occludere januam, vt doceat, benedictionem Dei fluere ex occulta scaturigine, quam caro & sanguis non videt. 7. Sicut vrceolus viduæ plus olei continet, quam vasa inania capere possunt: ita Deus plus boni habet, quam capere queant homines totius mundi, vasa illa vacua. 8. Sicut vidua miraculum nuntiat Elisæo: ita nostrum est celebrare benedictionem Dei. 9. Sicut Elisæus jubet satisfacere creditoribus, & residuo vti ad sustentationem vitæ: ita nostrum est delere debita nostra per fidem in Christum, & postea quærere bona temporalia.

2. Reg. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

Elisa significat salutem Dei, & adumbrat Christum, extra quem non est salus. *Elisæus* resuscitauit mortuum Sunamitidis puerum: Christus filium viduæ in Naim. *Elisæus* per aquam Jordanis mundauit lepram Naemanis: Christus nos purgat sanguine suo à peccatis. *Elisæus* vigintipanibus hordeaceis pauit centum viros: Christus quinque piscibus & duobus panibus quinquies mille viros. *In Elisæo* conspicua erant dona Spiritus Sancti duplo majora, quam fuerant in Elia. In Christo inhabitat Spiritus Sanctus sine mensura. *Ossa Elisæi* resuscitabant defunctum virtute Dei: Christus

morte

mor te sua viuificat mortuos. Cæterum de mortuus Sunamitidis filius denotat humanum genus in peccatis mortuum. Elisæus repræsentat Christum, qui misit famulum suum cum baculo, i.e. Mosen cum lege, vt illa ori & cordi applicata reuiuiscceret homo. Sed quia illud remedium non erat idoneum restituendæ hominum saluti, ipse Elisæus, hoc est, Christus, subuenit de mortuo puero, & junxit mortuis membris viuum corpus, componendo oculos oculis, os ori, & manus manibus.

2. Reg. 8. 9. 10. 11. 12.

1. Reges principes fideles cumprimis sibi cauere debent à nuptijs cum infidelibus, propter contagium, à quo vix vnus legitur mansisse immunis. Pertinet huc versus:

Adamum, Lothum, Dauidem, cum Salomone
Poemia decepit: quis modo tutus erit?

2. Pax nō potest consistere, vbi viget idololatria, crudelitas & libido: quæ tres pestes horribiliter grassantur sub Antichristo Romano, cujus typum gessit idololatrica, crudelis & impura Jezabel. 3. Nihil est ad salutem idololatriam vnam destruere, vt erigatur vel defendatur alia. 4. Pastores Ecclesiæ debent hoc agere, vt pangant duplex fœdus, exemplo Jojadæ: vnum Ecclesiasticum, inter Deum & regem vna cum populo, alterum ciuile, populi cum rege. Pangunt autem illi fœdus ministerialiter & nuntiatiue, quod Deus solus sancit authoritate & principaliter. 5. Fidi doctores & consiliarij sunt lumina & columina regni, quibus sublatis ruinæ & mutationes fatales certo sequuntur. 6. Correctio cultus collapsi, ejusque directio per pastores fideles, cumprimis ad officium principis pertinet.

2. Reg. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19.

1. Etiam hypocritarum preces Deus quandoque exaudit, ijsq; simulatam pœnitentiam agentibus benefacit: non quod non videat, vel quod probet hypocrisin, sed tum propter gloriam suam, tum vt ad veram conuersionem eos alliciat, vel impœnitentes reddat inexcusabiles. 2. Vt olim in reformationibus Judaicis manebant excelsa sacrificiorum: ita hodie in aliquibus Ecclesijs Euangelicis mordicus retinentur excelsa Papatus, videlicet Psalmodia Latina, confessio auricularis, gynæcobaptismus, vestitus histrionicus, panes nūmularij, cerei, simulacra, &c. Quoniam idololatria, vbi semel radices egit, difficulter ex animis euellitur, superstitiones vero majorum facillime populo persuadentur. 3. Deus plerumq; extra ordinē punit illos, qui ordinaria hominū potestate coerceri non possunt. 4. Impie faciunt, qui exemplo Vriæ eriguntaltare cōtra altare. Vrias iste ad mandatū regis impij hoc fecit. Nimirū similes amant labra lactucas. Qualis rex, talis sacerdos. Nos Dei verbū, non vero regis imperium habeamus, p norma & mēsura religionis. 5. In excidio regni Israelitici, q à Jeroboamo primo ad

Hoseam vsque sub viginti regibus impijs, 240. annis, steterat, elucet Dei μακροθυμία in peccatis hominum tolerandis, & veritas atque justitia in iisdem tanto grauius quanto tardius puniendis. Pertinet etiam huc illud πολυφύλακτον: *Omnes pij reges in annulo scribi possunt.* 6. Exemplo Hiskiæ, pijssimi regis, reformatio Ecclesiæ suscipienda est juxta normam Scripturæ, abolitis instrumentis idololatriæ, etiam adiaphoris. 7. Crescente cruce crescit lux consolationis. Nimirum Deus differt liberationem, vt filios suos adigat ad desperationem de suis viribus, & solus gloriam salutis nostræ reportet.

2. Reg. 20. 21. 22. 23. 24. 25.

1. Precibus piorum flectitur Deus, non ad mutandum immutabile suum consilium, sed ad mutandum causas secundas, quas juxta suum consilium immutabile & æternum mutare decreuit interuenientibus nostris precibus. 2. Rarissime parentum virtus vel pietas transit in sobolem, nec vel naturæ, vel humanæ industriæ adscribatur, sed soli gratiæ diuinæ in solidum, & occulta Dei judicia agnoscantur. 3. Idea reformationis Ecclesiasticæ est in pijssimo rege Josia. *cap. 22. 23.* Nimirum reformatio debet suscipi authoritate publica magistratus, juxta normam Scripturæ, ita vt reformatio fiat à nobis ipsis per veram pœnitentiam, vt idololatria primo euellatur ex corde, & postea tollantur instrumenta idololatriæ. 4. Tempus Josiæ conferatur cum initio reformationis Euangelicæ, quo liber legis, amissus sub Papatu, fuit in lucem.

XIII.

CONCIONES IN LIBRVM I. CHRONICORVM.

Memoriale libri I. Chronicorum. Cap. 29.

1 1 1 1 1
Acta, Jacobita, Dauid, Judasque, Reuben,
1 1 1 1 4
Et Leui, Isaschar, Benjamin, Omnis, Obit.
1 1 9 1 1
Dauid, Bello apti, Cadit vsa, Hiramus, & Arca,
8 4 1 1 1
Carmen, Non templum, Vincit, & Ammon, Jo.
1 9 3 1 1
Dinumerat, Salomon, Leui, & Aaron, Musica Sacra,
1 1 2 28
Janitor, Aula duces, Concio. Dauid obit.

Oeco-

Oeconomia libri primi Chronicorum.

Liber primus Chronicorum occupatur in Dauidis imperio, ita vt huius regis genealogiam & facta singularia recenseat.

I. Genealogiæ triplex instituitur ratio. Prima est ab Adamo ad Jacobum, *c.*1. Secunda à Jacobo ad transmigrationem Babylonis, *c.*2.3.4.5 6.7. 8. Tertia à deportatione, *c.*9. Sic itaque hæc pars continet Chronicon Geneseos, Exodi, & reliquorum librorum Mosis: item libri Josuæ & Judicum.

II. Facta sub imperio Dauidis explicantur duobus argumentis. Primũ est inaugurationis, cuius occasio est obitus Saulis & filiorum ipsius, *c.*10. modus est in vnctione, *c.*11. & confirmatione, *c.*12. Alterum argumentum est administrationis tempore belli & pacis. Quæ bellum spectat, tum res prosperas Dauidis enarrat, tum res aduersas. Res prosperæ cernuntur in actionibus Ecclesiasticis, 13.14.15.16.17. & polemicis, *c.*18.19.20. Res aduersæ sunt *c.*21. Quæ administratio pacem spectat, concernit Ecclesiam & Remp. Ad Ecclesiam pertinet templi extructio, *c.*22. & personarum sacrarum in certos ordines distributio, *c.*23.24.25.26. Ad Remp. pertinet constitutio status militaris & popularis, *c.*27. & hæredis institutio, *c.*28. atque instituti confirmatio, *c.*29. Ex his patet parte secunda huius libri contineri Chronicon librorum Samuelis.

Typicam siue tabellarem dispositionem libri primi Chronicorum vide *lib.*2. *præc. theol. cap.*27. Chronologiam *ibid. cap.*116. *& supra in præliminari concione Bibliorum.* characterem deniq; & summariam considerationem *lib.*2. *præcog. theol. c.*120.

1. *Chron.* 1.2.3.4.5.6.7.8.9.

Genealogiæ nouem istorum capitum sunt illustre testimonium ecclesiæ, inde ab orbe condito propagatæ & conseruatæ, vsque ad captiuitatem: nec non impletæ promissionis de semine Abrahæ multiplicando instar arenæ maris. Atque hic est primus vsus. Secundus, isque primarius, est testari de familiis Messiæ, & ad illum veluti manu ducere. Conferatur itaque genealogia sacra cum genealogiis principum, tanquam infinitis parasangis certior & excellentior.

1. *Chron.* 10.11.12.13.14.

I. Ἀνηφονία est contra legem Dei: ac proinde neque pro sua, neque pro Dei gloria fas est, quenquam absque speciali mandato De: sibi manus inferre, quemadmodum fecit Saul. Quẽ ipsum tamen alio respectu Deus dicitur interfeciſſe, ipsum videl. sibi ipsi relinquendo occulto iudicio, quod consuluiſſet pythonissam, & aliis peccatis se conspurcasset. 2. Tres

heroes, adferentes Dauidi aquam è cisterna Bethlehemitica cum præsenti vitæ periculo, sunt typus electorum, qui aquam vitæ, Jesum Christum, cũ præsentissimo vitæ periculo quærũt & inueniunt in cisterna Bethlehemitica scripturæ sacrę. Dauid vero nolens bibere istam aquã, docet, quẽlibet pro se & suo vase debere haurire aquam istam vitę. 3. Catalogus ducũ Dauidis *c.* 12. habet illustre exemplum prouidentiæ Dei, qui animos & voluntates hominum ita flectit, vt spontaneo motu & judicio velint & faciant ea, quæ ad implẽdas eius promissiones pertinent; quantumuis ex se prius hostes essent, contrariumq; vellẽt. 4. Concilia errare posse, & errare, quoties regulam verbi Dei non sequuntur, error Dauidis, & concilii generalissimi, hominũ 30000. (vt constat ex 2. *Sam.* 6. *v.* 1.) circa modũ arcæ reducendæ euidenter docet. Decreuit enim arcam curru transportari, quam Deus humeris Leuitarum gestari præceperat *Num.* 4. *v.* 15. 1. *Paral.* 13. *v.* 15. 5. Etsi imperatoriam maiestatem non solum armis condecoratam, sed & legibus armatam esse oportet: præcipua tamen regnorum præsidia sunt Dei beneuolentia, regumq; fides & pietas.

1. *Chron.* 15. 16. 17. 18. 19. *vsq; ad finem.*

1. Ecclesiasticę potestatis pars hactenus pertinet ad principes quatenus pastores in officio cessantes serio debet cõmonefacere & excitare. *c.* 15. bonos pastores vocare, & malos deponere. *c.* 16. ædificare tẽpla, constituere bona ecclesiastica, cõseruare publicũ ministeriũ. *c.* 22. ordinẽ constituere & defendere in ecclesia. *c.* 24. 25. 26. 27. sanã doctrinã & cultum Dei fideliter conseruare, & ad posteros stabilire. *c.* 8. Hęc omnia pertinẽt ad ius principis, & docent potestatẽ externam circa ecclesiastica, vel inprimis decere principem: quippe qui debet esse custos vtriusq; tabulæ decalogi. 2. Bonæ intentiones ad cultum Dei quidem requiruntur; sed non solę. Et necesse est, vt verbum Dei sequantur ceu regulam. Secus non placet Deo, & sunt seminarium multorum superstitionum. *c.* 17 3. Sicut non est licitum, spolia hostium diuino cultui consecrare: ita nec illicitum est, ex bonis ecclesiasticis olim idololatriæ dicatis, ministros euangelij salaria percipere. Nimirum vasa Ægyptiorum debentur Israelitis. *c.* 18. 4. Adulationes & calumniæ grassantes, inprimis in aulis, omnia iura euertunt, principesque incautos præsentissimis periculis inuoluunt. *c.* 19. 5. Atrocia scelera atroces merentur & attrahunt pœnas. *c.* 20. 6. Numeratio populi ex tribus impulsoribus tribuitur: videl. furori Jehouæ punientis, permittentis & dirigentis; Satanæ, malitiose incitantis; superbiæ Dauidis, suauiter titillantis. Vnde constat idem opus tribui Deo, diabolo & homini, diuerso modo & fine agentibus. 7. Peccatorum fructus sunt calamitates priuatæ & publicæ. Etiamsi vero per pœnitentiam cum Deo in gratiam redeamus: pœnæ tamen non semper tolluntur, quibus Deus in hac vita suos

fios castigat, vt ipsi iuxta & alii agnoscant, eum vere peccatis irasci, vtque tum ipsi, tum alii deinceps magis magisque à peccatis caueant. *cap.21.* 2. Parentes senio confecti, exemplo Dauidis, omnes res suas componere, deque illis disponere debent, vt omnes rixarum occasiones præcidant. *cap.23.* 9. Omnium est aliquid, pro modo facultatum, & quidem alacriter conferre, ad ædificationem templi, h.e. ad ecclesiæ & ministerii ecclesiastici conseruationem.

XIV.

CONCIONES IN LIBRVM II. CHRONICOR.

Memoriale libri 2. Chronicorum Cap. 36.

1 2 1 7
Rex Salomon, Opera, Templum, Ornamenta, Sacerdos,
14 5 11 1 1
Orat, Sacrificat, Pharao, Saba, Sichem.
14 2 1 2 8
Jeroboam, Sisak, Abia, Assa optimus, Assa,
12 1 8 8 6
Ad medicos Josaphat, Micha, Leuita preces.
2 11 12 20 1
Joramus, Joas, Athalja, Zacharias, Amazia,
1 1 9 1 2
Vsias, Jotham, Tunc Obed, Hiskia, Pesach.
1 1 1 1 1
Lucos, & Sanherib, Manasses, Josia, Pascha,
6 22
Nebucadnezar, Diripit inde Cyrus.

Oeconomia libri secundi Chronicorum.

Liber secundus Chronicorum describit incrementum regni Dauidici, inprimis sub Salomone, & illius decrementum post Salomonem vsq; ad Cyrum. Unde patet hic contineri Chronicum libri 1. & 2. Regum.

I. Incrementum regni sub Salomone cernitur in huius regis pietate & magnificentia. Pietas in diuinis cernitur in oblatione sacrificiorum, *c.1.* & extructione templi, cuius præparatio est *c.2.* modus *c.3.* ornatus *c.4.* dedicatio, *c.5.6.7.* Magnificentia in humanis describitur *c.8.9.*

II. Decrementum regni post Salomonem recitatur quantum ad initium & progressū. Initium est sub Roboamo, cuius historia est *c.* 10.11.12.

pro-

progressus est subvariis successoribus secundum quinque tempora declinationis & reparationis sibi invicem succedentia, & secundum tempus totalis declinationis, hoc modo:

I. Tempus { Declinationis sub Abia, *c.*13. / Reparationis, sub { Asa, *c.*14.15.16. / Josaphato, *c.*17.18.19.20.
II. Tempus { Declinationis sub { Joram, *c.*21. / Achazia, *c.*22. / Reparationis sub Joaso, *c.*23.24.
III. Tempus { Declinationis sub { Amazia, *c.*25. / Ozia, *c.*26. / Reparationis sub Jothamo, *c.*27.
IV. Tempus { Declinationis sub Achaso, *c.*28. / Reparationis sub Ezechia, *c.*29.30.31.32.
V. Tempus { Declinationis sub Manasse & Ammone, *c.*33. / Reparationis sub Josia, *c.*34.35.

Tempus totalis & finalis destinationis est sub Joachimo, Jechonia & Zedekia, *c.*36.

Typicam siue tabellarem dispositionem libri secundi Chronicorum vide *lib.*1. *præcog theol cap.*28. Chronologiam *ibid.c.*116. *& supra in prælimi-nari concione Bibliorum.* characterem deniq; & summariam consideratio-nem *lib.*2. *præcog. theol. c.*120.

2. *Chron.*1.2.3.4.5.6.7.8.9.

1. Magnificentia sacrificiorum Salomonis erat pars gratitudinis & fidei erga Deum, pro confirmato regno; & beneficentia erga sacerdotes, quorum vsibus & recreationi potior pars cedebat; denique typus sacrificij Christi, & sacrificiorum spiritualium omnium Christianorum. 2. Vera sapientia non discitur in scholis, sed datur diuinitus sedulo eam petentibus. Datur, inquam, in schola lucis & crucis. 3. Deus est magnus præ omnibus diis, essentiæ æternitate, & potentiæ immensitate. 4. Magnificentia templi Salomonis erat partim typus, partim tessera, partim denique stimulus. *Typus* triplice nomine: videl. majestatis Deo, qui habitabat in illo templo Christi, & omnium Christianorum. *Tessera*, qua ille populus discernebatur à gentibus. *Stimulus*, quo excitabatur populus iste carnalis. Faciebat itaque inter alia ad conciliandam cultui reuerentiam, & indulgebatur populo carnali, qui externum splendorem requirebat, ne vicinis gentibus videretur inferior. 5. Deus dicitur habitare in caligine, tum quia est inconspicuus & inaccessus, tum quia præsentiæ suæ symbolum promisserat caliginem *Leuit.*16. *v.*2.6. Promissiones diuinæ tantum fidelibus

libus sunt datæ & ratæ: quia semper habēt annexam conditionem fidei & obedientiæ, expressam vel tacitam. 7. Deus consecrat sibi templa, promittendo suam in illis præsentiā: nos consecramus, sacra ibi peragendo, & nominatim orando. 8. Paralipomena non faciunt mentionē lapsus Salomonis, vt de tanti regis resipiscentia ex judicio charitatis præsumamus.

2. *Chron.* 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19.

1. Quando Deus vult mutare statum regni, fere omnes peccant, ita vt possimus dicere, πάντες ἁμαρτίαι. Ita hoc loco peccat populus inani querela & defectione, senatus iuuenis stulto consilio, rex stolidus tyrannico responso. 2. Justum est, vt qui libertate sua aduersus Deum vtuntur, serui hominum fiant, vt quid Deo & hominib. seruire interfit, malo suo cognoscāt. 3. Deus aliquando defensores bonæ causæ sinit ab hostibus astutis & potentibus circumueniri & premi, ne armis confisi ponant victoriam in mēbris suis, sed Dei auxilium inclament. Tandem tamen vel diuino miraculo, potiuntur victoria. 4. Asa est idea boni principis, cujus est, illius exemplo, primo omnium sublatis idolis & idololatriæ instrumentis, purum Dei cultū restituere: postea, quæ ad reip. & ciuium incolumitatem pertinent, prouide & paterne curare. Ita enim fiet, vt sit nutritius ecclesiæ, & pater patriæ. 5. Beneficia Dei sunt merces operum bonorum, non debita, sed gratuita: quo pacto homo diues operario misero vnum diem in vinea laboranti ex gratia promittere & dare potest centum coronatos. 6. Recte faciunt pij principes, transferentes bona ecclesiastica, idolis & missis dicata, ad conseruationem veri cultus & ecclesiæ. Sunt enim ad pios vsus destinata. 7. In morbis magis confidere medicis & mediis, quam Deo, exemplo Asæ, pij alias regis; id vero graue est peccatum. 8. Visitatio ecclesiarum, & repurgatio doctrinæ atque cultus, juxta normam diuinæ legis, authoritate principis, opera prudentum theologorum & politicorum institui debet. 9. Impij volunt audire jucunda oracula, cum ipsi sint pessimi. Ideo oderunt conciones & concionatores legis, quia non dicunt placentia, sed taxant scelera, terrent conscientias, & denuntiant pœnas. 10. Qui cum Dauide & Josaphato labuntur, cum ijsdem debent resurgere à lapsu.

2. *Chron.* 20. *v.* 21. *& seqq.*

Josaphat est typus Christi ratione nominis & ominis. Nam Josaphat idem significat, quod judicabit Dominus. Ita Christus est judex viuorum & mortuorum. *Deinde* Josaphat nullo gladij ictu, sed precibus & tubæ sonitu Ammonitas & Moabitas deuicit. Sic Christus solo euangelij affatu hostes suos sternit & confundit. *Tertio* Josaphat pertriduum distri-

Concio typica.

buit spolia hostium. Sic Christus, die tertio resurgens, opima spolia distribuit credentibus, videl remissionem peccatorum, pacem & vitam æternam. *Quarto* Christus exercet judicium in valle Josaphati, hic ibi, vbi humanum deficit consilium & auxilium.

2. *Chron.* 21.

1. Subditi, exemplo vel impulsu impij regis, idololatriam exercentes, minime excusantur, sed paribus pœnis justissime implicantur. 2. Ex vno sæpe peccato infinita longo agmine sequuntur. Sic ex vno Joram peccato, nuptiis nempe illicitis, fluxit ilias malorum, fratricidium, apostasia, idololatria, clades familiæ, ipsiusq; fœdus interitus. Ideo principiis est obstãdum, & serpens in ouo est trucidandus. Alias dato vno inconuenièi, multa sequuntur.

2. *Chron.* 22. 23. 24. 25. 26.

1. Reges & principes non impune peccant, propter maiorum pietatẽ vel merita, vel generis nobilitatem. Ahasiæ enim non profuerunt Josaphat, Asa, David, & alii piissimi & meritissimi maiores, neque regia dignitas. 2. Joiada legitime vindicans regnum legitimo hæredi aduersus tyrannicam mulierem nequicquam protrocinatur Pontifici Romano regicidæ illi notorio. 3. Adulatores aulici sunt pestes principum & reip. 4. Dei consilium, quod in se est arcanum & consultum, de nobis vel alijs puniendis, non difficulter cognoscitur ex euentis, si verbum Dei ejusque legatos odio habeamus, vel persequamur. Est enim certissima Maxima: *Deus contemtus contemnit & condemnat.* 5. Ut ecclesiastici politica, sic politici ecclesiastica illicite & infeliciter tractant. Quilibet, itaque discat ἀλλοτρεπίσκοπος.

2. *Chron.* 27. 28. 29. 30. 31.

1. Præclaram laudem mentiuntur filij, qui bonorum parentum virtutes faciunt suas: vituperationem contra, qui fiunt hæredes paternorum scelerum. 2. Inter maximas pœnas referri debet cœcitas hominum, qua non agnoscunt ferulam Dei in flammis sonticarum calamitatum, quibus ad resipiscentiam inuitantur. 3. Sicut virtus & pietas majorum non prodest liberis ad salutẽ, si ab ea degenerent: sic impietas majorũ non nocet liberis ad damnationẽ, si resipiscãt. 4. Filii ex tenore præcepti quinti nõ obligãtur ad idololatriã parentũ, sed illã tollere, & abusus à parentib. inuectos corrigere debẽt. 5. Sacramẽta prærequirunt fidẽ in adultis: & cultus ceremonialis nõ placet Deo sine morali. Ideo Hiskias prius ad resipiscendũ, quam ad sacrificãdũ hortatur populũ. 6. Deus etiã in corruptissimo regno sibi seruat ecclesiã: vt in corruptissimo regno Judæ sub Ahas, & Israelis sub impijs regibus.

2. *Chron.* 32. 33. 34. 35. 36.

1. Instrumẽta idololatriæ tollẽda sunt, propter mandatũ Dei detestãtis idola: propter ingeniũ piorũ, qui amãt verũ & purũ Dei cultũ, & oderunt idolola-

idololatricũ: deniq; vt vitẽtur scãdala, tũ infirmorũ tũ hostiũ, qui vel ad idololatriã inuitantur, vel horrore idololatrię ab ecclesia magis alienantur. 2. Facilius rerum prosperitate quam asperitate boni franguntur, exemplo Hiskiæ, qui ministyranni non poterat à recto deduci, lætis succesſib. extra metas officii raptus fuit. Ideo in rebus secũdis ambulare oportet in timore Dei, & cõtra Satanã vigilare. 3. Facilius & citius deprauatur verus Dei cultus quã emẽdatur: citiusq; sectatores inuenit idololatria, quã vera doctrina. 4. Liber legis amissus tandẽ per Dei gratiã reperitur. 5. Neglect⁹ verbi Dei, temeritas & πολυπραγμοσύνη, quandoq; etiã cadit in sanctos, & malis eos implicat. 6. Perfidia politica regũ euertit regna & statum publicum.

XV.

CONCIONES IN ESDRAM.

Memoriale libri Esdræ Cap. 10.

1 1 4 1 2
Cyrus, Tum numerus, Festum, Hostes Ædificatur,
1 1 21 2 1
Darius, Tum, Esdras, Sacra, Jugum, Lachrymant.

Oeconomia libri Esdræ.

Liber Esdræ describit reductionis populi ex Babylone causas, impedimenta & successum.

I. Causæ reductionis annotantur tres: efficiens, videl. Cyrus, *c.* 1. materia, puta personæ reduces ex captiuitate, *c.* 2. & finis, videl. instauratio Ecclesiæ & politiæ *cap.* 3.

II. Impedimenta fuerunt obiecta partim à Samaritanis, *c.* 4. partim à præfecto Cananææ, *c.* 5. sed depulsa à Dario, *c.* 6.

III. Successus cernitur in legatione Esdræ, *c.* 7. 8. & in reformatione coniugii *c.* 9. 10.

Typicam siue tabellarẽ dispositionẽ libri Esdręvide *li.* 2 *præcog. theol. c.* 29 Chronologiã *ibi. c.* 116. *& supra in præluminari cõcione Bibliorũ*, characterem deniq; & summariam considerationem *lib.* 2. *præcog. theol. c.* 120.

Esdr. 1. 2. 3. 4. 5.

1. Deus verax in promissionib. gratuitis, mitigat pœnas tẽporales agẽtibus pœnitentiam flectitq; causas secundas suo nutu, vt volũtarie seruiant saluti suorũ, magna cũ laude gloriæ suæ. Hic explicatur, quomodo Cyrus fuerit typus Messiæ, qui solut spiritualẽ captiuitatem Babylonicam. 2. Reuersio populi reducis ex captiuitate Babylonica est monumentum iræ & gratiæ Dei. *Iræ*: quod ad tantã paucitatem redactus sit populus innumerabilis. *Gratiæ*: quod Deus iuxta tenorem promissionis suæ seruauit reliquias, & quidem distinctis tribubus, propter Messiam è tribu Judæ

oriundum. 3. Laudabilis est zelus populi reducti, quod primo cultum Dei instaurat, juxta edictum Cyri *cap. 1. v. 2.* licet non multo post defecerint, externo quidem impedimento, sed humanæ fragilitatis exemplo. 4. Etsi Deus promissiones suas præstet: semper tamen ecclesiam sub cruce retinuet, tum ne mutatio rerum aduersarum in prosperas, pios reddat securos & insolentes, tum vt exercitijs crucis doceat, hanc nondum esse veram promissionum impletionem, quæ fit iun mundo, sed restare pleniorem in cœlo. Sic videmus hoc loco structuram templi primo impediri à præfectis Cambysis, qui tum erat vicarius patris Cyri bello Massagetico impliciti: postea ab Ahasuero, & Arthasasta (quorum ille fuit Darius Hystaspis, hic Arraxerxes Longimanus) totos annos 42. vsque ad annum secundum Darij Nothi. 5. Deo plus est obediendum, quam hominibus: neque cessandum in cultu Dei instaurando propter externa pericula; præsertim Deo jubente, & nos juuante per varias occasiones & media.

Esdr. 6. 7. 8. 9. 10.

11 Templum fuit absolutum sub Dario Notho, spatio annorum 46. vt est *Joh. 2. v. 20.* connumeratis annis cessationis. Quanquam alij textum istum referunt ad templi Herodiani instaurationem. Cæterum templum istud secundum longe fuit inferius primo, quantum ad magnificentiam externam, licet fuerit superius quantum ad magnificentiam internam, quæ ipsi accessit à præsentia Messiæ. 2. Esdra, vigesimo post templum cõsummatum anno, in Judæam veniens, est idea boni visitatoris ecclesiastici. 3. Deus inclinat corda regum ad gratiam veriram, saluo ipsorum libero arbitrio, occulto & justo suo judicio. 4. Jejunium ecclesiasticum seu publicum canonicũ imperatum, non debet esse hypocriticum aut superstitiosum, conjunctum cũ opinione cultus necessarij aut meritorij: sed debet esse mediũ liberũ pietatis, fidei & deuotionis, signũ ieiunij interni & spiritualis de quo dici solet: *Tota nostra vita debet esse ieiunium.* Idem judiciũ est de jejunio priuato, quod priuati homines sibi indicunt, idque vel solene & statum seu ordinarium, vel extraordinarium. 5. Indicium peccati alieni apud eos, quorum scire & corrigere id interest, correctionis & salutis alienæ studio, sub genere proditionis censeri non debet. 6. Connubia cum infidelibus sunt periculosa. 7. Conjugia illegitime contracta cum infidelibus, exemplo Esdræ sunt dissoluenda. Secus est, si sint legitime inita 1. *Corinth. 7. vers. 10.*

CON-

XVI.

CONCIONES IN NEHEMIAM.

Memoriale libri Nehemiæ. Cap. 13.

4 8 1 13 1
Luget, Dat veniam, Structura, Missile, Clamor,
9 5 2 2 1
Obstant, Ordo, Legit legem, Agit omnis, Init.
1 1 11
Sorte, Sacerdotes, Praue commissa reformat.

Oeconomia libri Nehemiæ.

Liber Nehemiæ describit duplicem euentum reductionis populi. Primus est vrbis reparatio, *ad cap. 7.* Secundus est reformatio status Ecclesiastici & politici.

I. Reparationis explicantur modus & impedimenta. Modus cernitur in dispositione Nehemiæ, *cap. 1.* ejusdem legatione, *cap. 2.* & operis inchoatione, *cap. 3.* Impedimenta sunt partim externa ab hostibus, *cap. 4.* partim interna à murmure populi, *cap. 5.* partim conjuncta, id est, interna & externa simul, *cap. 6.*

II. Reformationis triplex explicatur ratio: politica, quoad vrbis custodiam, *cap. 7.* Ecclesiastica, quoad festorum celebrationem, *cap. 8.* resipiscentiam, *cap. 9.* & obedientiam, *cap. 10.* & denique mixta, id est politica & Ecclesiastica simul, *c. 11. 12. 13.*

Typicam siue tabellarem dispositionem libri Nehemiæ vide *lib. 2. Pracogn. Theol cap. 30.* Chronologiam *ibid. c. 116. p. 451. & supra in Concione præliminari Bibliorum.* Characterem deniq; & summariam considerationem *lib. 2. Pracog. Theol. c. 120.*

Neh. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

Tametsi instauratio vrbis, & conseruatio populi, ex promissione Dei certo erat futura: recte tamen Nehemias eam à Deo petit: quia Deus decreuit promissa, certoque euentura nobis dare per preces. Nam decretum Dei & media sunt subordinata. 2. Infidelibus non est jus ad rem, neque in re, hoc est, neque portio, neque memoria, neque aditus, in Ecclesia, donec non conuertuntur. 3. Præclaram laudem merentur, qui patriam & Ecclesiam corporaliter, moraliter, vel spiritualiter ædificare student. 4. Imprecationes sanctorum propheticæ non repugnãt doctrinæ Christi,

Orate pro inimicis Matth.5. 5. In bonis operibus non licet fiduciam collocare. Licet interim petere à Deo remunerationem suæ diligentiæ, exemplo Nehemiæ. 6. Etsi Satan variis technis & fraudibus insidietur laboribus & vitæ piorum magistratuum atq; pastorum strenue ædificantium muros Ecclesiæ: tamen hi freti fiducia diuini auxilij, ab officio cessare non debent.

Nehem.7.8.9.10.11.12.13.

1. Boni magistratus est vigilare pro incolumitate ciuitatis, & salute populi, vt ab insidijs & injurijs hostium in tuto sit. 2. Agenda Ecclesiastica perfecta describitur *cap.8.* 3. Primus ad salutem gradus est, peccata sua non excusare vel tegere, sed ingenue confiteri, ac veniam eorum petere. 4. Lex Dei viribus naturæ est impossibilis, sed gratia Dei est possibilis, partim imputatione partim inchoatione. 5. Omnium amore & benedictione digni sunt, qui publicam vtilitatem & incrementa Ecclesiæ atque reip. commodis priuatis anteponunt. 6. Vetæ dedicationes templorum, vrbium, &c. non in superstitiosis ceremonijs, aut ridiculis gesticulationibus, aut impijs comessationibus, sed precibus ardentibus ad Deum pro recto eorum vsu & conseruatione consistit. 7. Nehemias est speculum legitimi reformatoris *cap.13.*

XVII.

CONCIONES IN ESTHERAM.

Memoriale libri Estheræ. Cap.10.

9 7 1 1 1
Vasthi, Esthera, Haman, Mardochæus, veni. Esther,
1 9 9 26 1
Annales, Fit crux, Litera, Purim, & Honor.

Oeconomia libri Estheræ.

Liber Estheræ describit miraculosam liberationem populi Dei, proponendo medium & modum istius liberationis.

I. Medium liberationis est Esthera exaltata: cujus exaltationis occasio fuit rejectio reginæ Vasthi, *cap.1.* modus cernitur in tribus gradibus, videlicet in associatione Estheræ cum reliquis regijs virginibus, ejus gratia apud regem, & solenne desponsatione, *ca.2.*

II. Medium liberationis est instar Tragico comœdiæ: vbi est protasis, epitasis & catastrophe. Protasis est machinatio Hamonis, *c3.* Epitasis est in peri-

in periculo communi Judæorum, *c.4.* & speciali Mardochæi, *c.5.* Catastrophe cernitur in Mardochæi euectione, *c.6.* hostium punitione, videlicet Hamanis, & reliquorum aduersariorum, *cap.7.8.9.* & denique status tranquilli confirmatione *c.10.*

Typicam siue tabellarem dispositionem libri Estheræ vide *lib. 2. Pracogn. Theol. cap. 31.* Chronologiam *ibid. cap. 116. & supra in Concione præluminari Bibliorum.* Characterem deniq; & summariam considerationem *lib. 2. Pracog. Theol. c. 120.*

Esth. 1. 2. 3. 4.

1. Superbia Vasthi regina, contemnentis mandatũ sui regis Ahasveri, erat crimen læsæ majestatis, capitale trahens supplicium. Merito igitur passa fuit repudium. Præterea Vasthi est typus Ecclesiæ Judaicæ, quæ commisit crimen læsæ majestatis diuinæ, quando contemsit mandatum Dei sui de audiendo Christo. 2. Conuiuium Ahasveri instructissimum est typus magnæ illius Cœnæ, ad quam Christus inuitat Judæos & gentes. Sed Judæi sunt similes fastuosæ illi reginæ Vasthi, & fastidiunt hoc lautissimũ epulum. 3. Conjugium Estheræ cum profano rege est singulare exemplũ, idq; typicum, ac proinde nõ fuit contra legem Dei, quæ loquitur de communibus matrimonijs. Cæterum Esthera est typus Ecclesiæ ex gentibus collectæ. 4. Adoratio est licita, vel illicita. Adoratio licita est religiosa, vel ciuilis. Illa debetur soli Deo jure creationis & redemtionis: hæc debetur creaturis, in quibus imago Dei præ alijs eminet. Adoratio illicita est, quando aliqua diuini honoris significatio præstatur creaturis: quo pacto Haman volebat adorari, & hodie nomen illud plausibile, Haman Romanus, se gerit pro Vice-Deo. 5. Qui in extremis periculis ad Deum confugiunt per preces & jejunium, Euasionem plerumque mirabilem impetrant. 6. Pro salute populi & Ecclesiæ, seu pro aris & focis, nulla pericula sunt refugienda, cum fiducia diuini auxilij.

Esth. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

1. In rebus arduis & periculosis cauenda est temeritas, & captanda occasio idonea ad res gerendas, exemplo Estheræ, quæ prius sibi conciliat regem, quam accusat hostem. 2. Tyranni ebrij fortuna & successibus fiunt superbi: & experiuntur verum esse illud poetæ, *Tolluntur in altum, vt lapsu graniore ruant.* 3. Historia Hamanis & Mardochæi est illustre speculum furoris Satanæ aduersus Ecclesiam, & prouidentiæ diuinæ eandem seruantis in extremis periculis, & cruenta hostium consilia retorquentis in ipsorum capita, vt in foueam cadant, quam fecerunt. *Psal.* 7. 4. Decreta regibus fraude extorta recte retractantur, etiamsi

etiamsi jus vel consuetudo repugnare videatur. 5. Vindicta Judæorum de hostibus, fuit legitima defensio aduersus vim armatam. 6. *Dies purim*, siue festum sortium, non in cultum alicujus creatura fuit institutum, sed in celebrationem diuinæ liberationis: ac proinde est canonis Ecclesiastici, non vero juris & canonis diuini. 7. Tributa moderata & tempestiua sunt juris gentium.

XVIII.

CONCIONES IN JOBVM.

Memoriale libri Jobi. Cap. 42.

21 1 1 17 18
Jona dedit, Corpus, Maledicit, Justus, Adest que,
4 1 6 4 2
Spicula, Militia, Si pius, Ille, Preces.
8 4.5. 26 1 15
Altior, Est vilis, Conscribis, Per breue, Nemo
19 14 5 25 8
In cœlis, Vermes, Impia, Viuit, Abit.
7 12 11 1. 4
Cur felix, Cernit, Seruo, Cur addita, Purus,
14 19 21 2 1
Quis tonitru, Diues, Tecta, Prius, Juuenet.
19 1 2 1 1
Integer, Elihu, Pergit, Respondet, & Addit,
3 2 4 13 4
Justus, Cunctipotens, Condidit, Addit, Ait.
3 3
Leuiathan vastus, Respiscit denique Jobus.

Oeconomia Libri Jobi.

Liber Jobi continet Dialogum & Epilogum.

I. In Dialogo spectatur occasio & deductio. Occasio Dialogismi est status Jobi prosper, *cap. 1.* & asper, *c. 2.* Deductio Dialogismi tribus velut actibus circumscribitur. Primus continet colloquium inter Jobum & amicos illius tres, *Act. c. 15.* Secundus vtrimque allatas instantias, *ad cap. 32.* Tertius amici quarti accidentis cum Jobo sermones *ad cap. 38.*

Actus primi duo sunt velut distinctæ scenæ. Prima continet sermones Jobi,

Jobi, *cap.3.* ſecunda amicorum objectiones, & Jobi ad illas ſingulares reſponſiones: quarum pro numero amicorum tres ordine proponuntur claſſes. Prima continet objectiones & reprehenſiones primi amici Eliphaz, *c.4.5.* & Jobi ad illas reſponſiones, *c.6 7.* Secunda continet objectiones ſecundi amici Bildadi, *c.8.* & Jobi reſponſiones *c.9.10.* Tertia continet tertij amici Tropharis reprehenſiones, *c.11.* & reſponſiones Jobi, *c.12.13.14.* Secundus Dialogiſmi actus continet inſtantias, eaſque primas & ſecundas. Primarum inſtantiarum ordo eſt idem qui fuit in actu primo. Prima inſtantia eſt Eliphazi, *c.15.* ad quam reſpondet Job, *c.16.17.* Secunda inſtantia eſt *c.18.* ad quam reſpondet Job, *c.19.* Tertia inſtantia eſt Trophris, *c.20.* ad quam reſpondet Job, *cap.21.* Secundæ inſtantiæ ſunt numero duæ: vna eſt Eliphazi, qui Jobum tertio reprehendit, *c.22.* cui Job reſpondet, *cap.23.24.* altera eſt Bildadi, *c.25.* cui Job reſpondet, oſtendendo Dei majeſtatem, *c.26.27.28.* & ſuam priſtinam felicitatem cum præſenti ſtatu conferendo, *cap.29.30.31.* Tertius Dialogiſmi actus continet diſputationem amici quarti Elihu, cujus præfatio eſt *cap.32.* propoſitio, *c.33.* expoſitio propoſitionis, *c.34.35.36.* & repetitio cum propoſitionis tum expoſitionis, ac vtriuſque confirmatio, *c.37.*

II. Concluſio Dialogiſmi continet reprehenſionem Jobi & ſententiæ denuntiationem. Reprehenſio Jobi eſt, qua Deus ipſum increpat argumentis ſumtis ex creatione meteorum, *cap.38.* & trium animalium grandiſſimorum, *c.39.40.41.* Denunciatio ſententiæ eſt *c.42.*

Typicam ſiue tabellarem diſpoſitionem libri Job vide *lib. 2. Præcog. Theol. cap 32.* Chronologiam *ibid. cap.116.* & *ſupra in præliminari Concione Bibliorum.* Characterem denique & ſummariam conſiderationem *li. 2. Præcog. Theol. c.120.*

Job.1.2.3.4.5.

1. Chriſtianæ patientiæ fundamentum eſt conſideratio prouidentiæ Dei, tum vniuerſalis tum particularis. Norrigitur debemus hærere in cauſis ſecundis, ſimiles canum, qui admordent lapidem, quo læduntur. 2. Deus permittit Satanæ, illiuſque ſquamis & organis ſæuire in pios: verum ita, vt limites ponat furori diaboli, quos non excedat, ſuos ſuſtentet; omnia denique ad optimum finem dirigat. 3. Job infirmitate carnis ſuperatus, peccat impatientia: neq; tamen ideo excidit gratia Dei. Tale quid omnib. Dei filijs ſolet vſuuenire. 4. Craſſus eſt Eliphazi paralogiſmus: *Impij à Deo affliguntur. Job à Deo affligitur. Ergo Job eſt impius.* Atq; hunc paralogiſmum amici Jobi in toto hoc libro vrgent, & hanc litem cũ Jobo affirmatiue conteſtantur, Job negatiue: donec tandẽ pro Jobo Deus pronũtiat ſentẽtiam. 5. Si in angelis ſuis Deus non poſuit lumen abſolutũ & omnibus numeris perfectum, qualis amabo erit perfectio hominũ luteas domos habẽtium?

Job.6.7.8.9.10.

1. Etiam in media morte fideles habent consolationem veram & solidam, & in corde sentiunt Deum sibi propitium, licet in carne doloribus, etiam infernalibus, vtantur. 2. Etiam sanctissimi agnoscunt se miseros peccatores, & veniam delictorum à Deo petunt. Interim non raro justitiam bonæ conscientiæ, seu facti & bonæ causæ tentationibus varijs recte opponunt. 3. Hypocritarum felicitas est inconstans, cito euanescens, & subito arescens tanquam juncus sine cœno & aquis. 4. Quia Deus est absolutus omnium creaturarum dominus, & justissimus mundi judex, insaniunt profecto contra Deum quiritantes,

Quare me sic feciſti,
Quare Petrum elegiſti,
Judam reprobaſti?
Jobum juſtum afflixiſti?

5. Quemadmodum Job precibus suis affectus humanos admiscuit, sed ita vt se recollegerit, varia fiduciæ suæ in Deum argumenta inspergendo: ita omnibus sanctis solet accidere, qui facti sunt artem precandi, quam experiuntur esse difficillimam juxta & facillimam.

Job.11.12.13.14.15.16.17.18.

1. Misere consolantur afflictas conscientias, qui legales concionatores tantum crepant, neque illas temperant saccaro Euangelij. 2. Justum est Dei judicium, quando infatuat labium veracium seu prudentum, consilium senum aufert, &c. 3. Amici Jobi eo ipso, quod volebant Deum excusare, accusabant injustitiæ. Simile quid accidit ijs, qui dum volunt Deum excusare à causa peccati in prouidentiæ suæ judicijs, eundem maxime reum peragunt ignorantiæ vel injustitiæ. 4. Omnes homines ex immundis propagantur immundi, hoc est, peccato originali obnoxij, vitiosi scilicet mali, & rei iræ Dei, quomodo lupus à lupo trahit lupinum ingenium. 5. Dies cujusque hominis sunt definiti à Deo, quos nemo præterire potest. 6. Etsi verum sit, Deum finaliter tandem punire impios: falsum tamen est, illos continuo esse impios, qui afflguntur. Non raro siquidem Deo indulgente florent impij in hac vita magis quam pij. 7. Non omnis querela ad Deum est peccatum, sed ea demum, quæ cum fremitu cordis, ex impatientia vel inobedientia nascitur: non autem illa, quæ proficiscitur ex corde perturbato quidem & anxio, sed subijciente se Deo, licet subinde aliquid inordinati admiscetur. 8. Pij non abijciunt spem vitæ æternæ, sed terrenæ felicitatis, quando vident esse conclamatum. 9. Deus semper manet bonus & justus, licet affligat pios, & benefaciat impijs.

Job.19.

Iob.19.v.25.26.27.

Hoc dictũ est inter præcipuas V.T. sententias, & continet fundamentũ consolationis in vita & in morte. Agit enim 1. de natura fidei. 2. De fine fidei, qui est gloriosa resurrectio. *De I.* Natura fidei describitur tribus vocabulis valde emphaticis: *Noui*, hoc est, persuasus sum, & practice noui: *Redemtorem meum*, qui mihi est datus à Patre: *Viuere*, hoc est, viuere tum in seipso, tum in me. Nimirum Christus est vita & resurrectio. *Iohan.c.11. Philip.1. Iohan.14. De II.* Hic indicatur 1. locus, *Ex terra.* 2. Modus, *Excitabit.* 3. Res illa, quæ resurget, *Hoc corpus.* 4. Finis, *Videbo in carne mea Deum.* 5. Certitudo, *Oculi mei videbunt, & non alius.* Cæterum præclara hæc Jobi confessio, antiquitatem & veritatem doctrinæ Christianæ insigniter confirmat. Vixit enim Job ante legem Israelitis in Ægypto seruientibus, quando liberum erat vbiuis sacrificare.

Iob.20.21.22.23.24.25.

1. Insultus est Paralogismus Tzophatis: *Impij de fortunatis fiunt infelices. Iob ex fortunato factus est infelix. Igitur est impius.* 2. Beneficia temporalia, & pœnæ temporales, communiter & promiscue accidunt pijs & impijs. Diligenter itaque cauendum, ne præcipitemus judicium. 3. Licet impij conentur sibi persuadere, Deum vel nullum esse, vel non esse mundi judicem: reclamant tamen eorum conscientiæ, & coguntur trepidare ad tribunalis illius supremi cogitationem. 4. Cum Dei sit absoluta in creaturas potestas, non fit injustus, quantumuis justus affligit. 5. Præposteri euentus, vt impij grassentur in innocentes, cur permittantur fieri à Deo, ne pij quidem intelligunt. Deus vero hæc reseruata, (vt vocant) solus nouit, hoc est, gubernationis suæ rationes sibi soli reseruauit, tanquam arcana dominationis justissimæ & sapientissimæ. Ideo judicia Dei ad virgulam humanæ rationis reuocari non debent. Pertinet huc illud Jurisconsultorum: *Sacrilegium est de potestate principis disputare.* 6. Homo cum Deo comparatus est pura puta impuritas. Quis igitur expostulabit cum Deo, dicens: *Cur me sic feciſti?* Quis etiam de merito congrui vel condigni, aut de debito gloriabitur?

Iob.26.27.28.29.30.

1. Deus humanis cultibus non juuatur. Desipiunt igitur, qui his eum demereri, atque obnoxium sibi reddere conantur. 2. Impiorum beatitudo fere admirabilis est in oculis piorum juxta & impiorum: puta multitudo liberorum, opum abundantia: bona corporis valetudo, ædificiorũ magnificẽtia, nominis deniq; celebritas. Hæc tamẽ etsi adsint omnia, vere

tamen beatos reddere nequeunt: quia sunt euanida in morte. 3. Vera sapientia hominis est posita in humili timore Dei, quo fit vt arcana ejus judicia non scrutemur, vel culpemus. 4. Non est beatus, quem satellites vel arces custodiunt, sed quem DEVS seruat fauore suo, vel per angelos. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? 5. Sæpe videmur non exaudiri, nec considerari à Deo, dum absconditur consolatio, vt promur, & ingeminemus preces. Aliter tamen Deus sanctos, aliter peccatores audire dedignatur Deus. His palam iratus: illis clam misericors est: sicut & ipsi varie affecti sunt. Hi enim indignantur: illi de sua miseria queruntur Deo.

Job.31.32.33.34.35.

1. Propria laus sordet, si sit falsa, non necessaria, conjuncta cum ostentatione, ad minuendam Dei gloriam. Job vero nec falso, nec ambitiose se laudat, nec quærit suam gloriam, sed necessario se tuetur aduersus calumnias amicorum.

2. Nemo vbi vilitas postulat, à dicenda & asserenda veritate repellendus est.

3. Deus tribus fere vijs peccatores ad resipiscentiam inuitat: vel immediata inspiratione, vel externis ferulis, vel per præcones verbi sui. Ex quibus prima via est extraordinaria, secunda & tertia ordinaria.

4. Deus dando regem impium, punit peccata populi: quæ pœna dum non proficit, tandem perdit simul populum cum rege.

5. Deus justissime administrat mundum, tum in defendendis pijs, tum in coercendis impijs.

6. Vt per nostram justitiam nihil Deo accedit, sic neque per peccata nostra aliquid decedit; sicut idem Sol manet, seu cœlo sereno fulgeat, seu nubibus tegatur. Nobis vero justitia est vtilis, peccatum perniciosum.

Job.36.37.38.39.40.41.42.

1. Etsi Philosophi causas meteororum, quomodo generetur nix, pluuia, fulgur, &c. à posteriori ex effectis quos in his inferioribus fieri videmus probabiliter colligant atque cognoscant: tamen nec perfecte sciunt, nec judicia Dei, quibus inseruiunt: sola vero Theologia explicare potest. 2. Etiamsi causas judiciorum Dei minus perspiciamus: non tamen, quasi injusta sint, culpari, sed tãquam sapientissima & justissima adorari debẽt. 3. Prouidentia Dei ẽt in brutorũ gubernatione dominatur. Hinc discamus argumentari à minori ad majus: Quanto magis hominis vita curæ ac directioni diuinæ subjecta est? 4. Cũ opera Dei, quæ tã inter bruta, q̃ inter homines facit, imitari, vel pẽtare nõ possimus, agnoscamus nostrã infirmitatẽ, admi-

admiremur Dei omnipotentiam, ejusque judiciis libenter acquiescamus. 5. Etsi pij grauissime exercitij quandoque impatientia delinquunt: tamen infirmitatem suam agnoscunt & deprecantur, veniamque cum liberatione & benedictione vberiore à Deo impetrant. 6. Job liberos suos non amisit, sed præmisit. Hinc factum, quod Deus duplo auxerit quidquid Jobo fuerat, solis exceptis libetis.

XIX.

CONCIONES IN PSALMOS.

Memoriale Psalmorum. Psalm. 150.

3 6 4 7 5
Arbor, Rex, Clypeus, Faciei luce, Malignus,
2 16 2 2 9
Ah Deus, In foueam, Nomen, Quabo, Leo.
1 2 6 1 1
Sicut anis, Pauci, Spero, Dementia, Quisnam,
10 14 3 3 8
Non linques, Mundi, Petra, Reuelat, Equis.
10 1 1 1 7
Vt fornax, Cur me, Pastor mihi, Terra, Iuuenta,
2 4 3 3 6
Renes, Vt maneam, Ne trahe, Vox, Lachryma.
4 1 16 11 1
Arx mea, Ter felix, Non vis, Penuria, Pugna,
2 4 12 10 10
Improbus, Oblecta, Plaga, Silens, Facito.
1 1 1 25 10
Commiserans, Cernus, Vindex, Obliuio, Sponsa,
4 3 15 7 23
Si fremerent, Rex est, Dux, Bona fluxa, preces.
4 2 2 6 7
Ablue, Doegus, Stulti, Deus adiuuat, Alas,
4 5 7 15 13
Ficto, Sunt hastæ, Frange, Canes, Nihil est.
4 11 11 6 11
Turris, Ne fidas, Vulpi, Laqueum, Benedicis,
5 2 19 22 6
Facta Dei, faciem, Dona, Sitis, Propera.

18 1 25 9 9
In senio, Salomo, Nil curo, Insignia, Faces,
2 2 8 9 17
In Juda, Clamo, Mira, Juuato, Fide.
9 6 19 11
Audito, Vos Dii, Summus, Tua limina Jus pax,
5 2 17 19 12
Longanimis, Sion, Iraq3, Scata, Doce.
1 9 5 9.10. 8
Vmbram, Ceu gramen, Maior, Videt omnia, vocem,
5 11 1 1 3
Dij Vani, Justo, Psallite, Regnat, Oues
1 5 1 8
Jus, Aresco, Deo benedic, Res condita, Fœdus,
6 1 14 2 1
Cum patribus, Bonitas, Strenua, lingua, Sede.
2 1 7 5 7
Facta Dei, Bene erit, De puluere, Quid mare, Nares,
12 1 8 49 5
Quid domino, Gentes, Fidere, Verba, Kedar.
4 1 1 1.2 1
Non dormit, Lator, Lesso lumina, Ni Deus, Vt mons
5 1 3 3 6
Cum lachrymis, Frustra, Vitis, Arasa, Vigil.
1 1 1 1 10.15
Non magno, Memor esto, Fratres, Psallite, Gentes,
1 8 6 8 10
Durat, Tu Babylon, Altus, Ades, Recidat.
5 6 2 15 3
Corripiat, Mea pars, Non justus, Cui Deus, Ampla,
3 9 1 1 1
Ne ducibus, Cornua, Psallite, Cantus, Io.

Oeconomia Psalmorum.

Prima psalmorum diuisio.

Psalmorum scopus est *ps.* 1. & 2. substantia pro serio ipsorum explicatur in reliquis.

I. Scopus & summa psalmorum duabos primarijs partibus absolui-tur: doctrinæ videl. legis & Euangelij summaria propositione. Illius summa primo, huius secundo psalmo pertexitur.

II. Sub-

II. Substantia psalmorum pro serie ipsorum in quinq; volumina ab Hebræis diuiditur, quę ferme terminantur vocula Amen. Primus a. psalmorum liber habet psalmos XLI. Secundus XXXI. *à* 42. *ad* 73. Tertius XVII. *à* 73. *ad* 90. Quartus similiter XVII. *à* 90. *ad* 107. Quintus deniq; XLIII. *à* 107. *vsq; ad finem*. Hic obserua Hebręos & Latinos non eodem modo numerare psalmos. Nam vulgata Latina versio conjungit 9. & 10. psalmos, ac proinde sequentes vsq; ad 114. vnitate pauciores facit: deinde 114. seu 115. juxta Hebræos iterum conjungit, & 116. in duos diuidit, quēadmodum & 147. ita vt octo tantummodo primi & tres postremi numeri inter se conueniant.

Secunda psalmorum diuisio.

Deinde psalmi sunt simplices vel mixti, simplices disparantur in classes duodecim hoc ordine:

I. Psalmi didascalici. 1.15.24.32.34.49.50.73.77.78.91.107.112.119.125.127.128.

II. Psalmi prophetici, 2.16.22.40.45.68.72.96.97.98.110.117.

III. Epænetici seu laudatiui, sunt qui continent laudes Dei, vt 8.19.23.33.44.45.68.72.95.96.103.104.105.107.113.114.117.119.122.126.135.136.139.145.147.148.149.150.

IV. Eucharistici sunt, qui continēt gratiarum actiones vt, 4.8.9.18.21.24.28.30.31.34.40.41.46.47.48.56.65.66.72.75.76.81.87.89.92.93.100.101.106.108.111.116.118.119.124.138.144.

V. Confessorij sunt qui continent confessiones peccatorum: vt, 6.32.39.51.78.106.130.

VI. Psalmi eucticī seu precatorij, 3.4.5.6.7.9.10.11.12.13.14.17.19.20.21.25.26.27.28.31.35.36.38.39.40.41.42.43.44.51.54.55.56.57.58.59.60.61.63.64.67.68.69.70.71.72.74.75.79.80.83.84.85.86.88.89.90.94.102.106.108.109.115.119.120.121.123.125.126.130.132.137.140.142.143.144.

VII. Psalmi consolatorij, 3.5.10.11.12.14.17.20.21.23.25.27.36.37.42.43.53.54.55.56.57.58.59.60.61.62.63.64.85.89.94.102.115.121.129.140.

VIII. Psalmi paræneticī, qui etiam vocantur protreptici & pædeutici, & continent præcepta de officijs. Tales sunt, 1.2.4.24.27.29.31.49.62.82.85.87.98.99.122.130.131.133.134.135.136.146.

IX. Gloriabundi, 6.7.75.108.

X. Constatiui, 119.131.139.

XI. Epangeltici, 7.101.119.

XII. Querulatiui, seu queribundi & reprehensini, 3.13.14.22.36.38.41.42.44.51.58.60.62.89.94.119.137.

Psalmi mixti sunt, qui ad diuersa genera referuntur: quales sunt omnes illi

illi qui bis vel sæpius hic sunt positi: vt psalmus primus est didascalicus & protrepticus: psalmus secundus est propheticus & protrepticus. Porro psalmi ab authore diuidũtur in eos qui sunt Dauidis & aliorũ sanctorum virorum: ab accidente in ἐπιγεγραμμένους & ἀεπιγεγράφους: ab objecto in eos qui agunt de miseria, liberatione vel gratitudine hominis: & rursus in eos qui sunt praxis Symboli, Decalogi & Orationis.

Cæterum selectiores psalmos eum suis summariis vide *Præcog. theol. l. 2. cap. 3.* Typum tabellarem vide *præcog. l. 2. cap. 3.* characterem & summariam considerationem *ibid. pag. 598 & seqq.* omnia psalmorum summaria *theol. cas. pag. 472.* chronologiam, vide supra *in præliminari concione Bibliorum.*

Concio præliminaris, continens encomium Psalterij.

Quemadmodum organum musicum rite pulsatum efficit corda & aures: ita psalterium Dauidis est nablium, quo afficiuntur & reficiuntur animæ nostræ. Deinde sicut in horto varij flores gratissimum de se spirant odorem: ita in psalterio multifarius est odor, quo intellectus, voluntas & affectus hominis afficitur & perficitur hunc in modum. In psalterio est odor. 1. totius Scripturæ; quia psalterium est epitome quædam Bibliorũ. 2. sacrificij Christi; quia plurima hic sunt vaticinia de Christo. 3. luminum rhetoricorum, & emphaticorum vocabulorum. 4. vnguentorum sponsæ Christi, hoc est, ecclesiæ. 5. omnium affectuum, qui excogitari possunt; quia omnes affectus mali hic sanantur, boni excitantur. 6. sacrificij eucharistici, h.e. precum. 7. testimonij Spiritus S. in nobis habitantis per varios & inenarrabiles gemitus. In summa: Liber psalmorum continet doctrinas, prophetias, historias, precationes, gratiarum actiones, consolationes, hortationes, & quæcunque sunt ad fidem & pietatem necessaria: estque communis quidam cælestis doctrinæ thesaurus, apte singulis necessaria submistrans, vt sunt verba *Basilii.* Unde semper in ecclesia maximæ fuit authoritatis, & in quotidianis precibus pie decantatus. Sed accidit sanctissimo Dauidis psalterio, quod vino præstantissimo solet, præcipiti abusu. Id enim quotidiana, barbara & superstitiosa cantilatione in pensum diuinum, & horas meritorias, ab insulsis monachis conuersum fuit: donec tandem in apertam virginis Mariæ λατρείαν, hoc est, idololatriam, & horribilem Dei contumeliam, in hunc vsque diem apud Papistas abierit.

Psalmus I.

Dispositio. Tres sunt partes psalmi primi, qui est velut exordium & vestibulum psalterii. 1. Definitio viri beati, eaque tum negatiua, quod vitet consilia

consilia impiorum, vitam peccatorum declinet, denique cathedram derisorum auersator: tum affirmatiua, vbi est delectatio cordis & confessio oris. 2. Commendatio pietatis & fidei metaphorica; vbi arbor fidei & bonorum operum commendatur à riparum & fontium amœnitate, fructuum vbertate in omnibus statibus vitæ humanæ, perpetua viriditate & prouentuum felicitate. 3. Antithesis impiorum; quorum pœnæ sunt numero quatuor: dissimilis conditio à conditione piorum, vanitas & inconstantia, seueritas diuini iudicii, excommunicatio & desertio Dei. *Obseruationes.* 1. Finis piorum est beatitudo vera. 2. Vera beatitudo est, Deum ex verbo eius recte cognoscere, seq; totum ad eum colendum cõformare. 3. Summa infelicitas est, verbi Dei ignorantia, & eius contemtus: vbi notetur scala trium graduum impietatis. 4. Vera pietas & fides nunquam emarcescit penitus. 5. Notitia, qua Deus homines cognoscit, est theorica vel practica.

Psalmus II.

Tametsi hic psalmus ad literam est consolatio Dauid's aduersus hostes regni ejus: prophetico tamen sensu recte & necessario de Christo, & regni ejus potentia & æternitate intelligitur. *Dispositio.* Tres sunt partes. 1. Tres gradus persecutionum regni Christi videlicet hostilis furoris indignatio, regum conspiratio, violenta rebellio. 2. Consolatio aduersus istos gradus, à natura Dei & regni Christi. Natura Dei est ridere hostium furorem, subsannare conspirationem regum, & in ira sua terrere rebelles. Natura regni Christi patet ex colloquio Patris cum Filio: vbi occurrit regis confirmatio, ejusdem æterna generatio, regni propagatio & potentiæ declaratio. 3. Mandatum Dei ad magistratum politicum, vbi est institutio Dei, religio cultus diuini, & fidei exercitatio. *Obseruationes.* 1. Habemus hic speculum hostium ecclesiæ, æternitatis Filij Dei, & perpetuitatis ecclesiæ. 2. Timor Dei debet esse filialis, non seruilis.

Psalmus III.

Dispositio. Hic psalmus est speculum fidei, cujus proprietates & fructus numero septem hic describuntur. 1. Eleuare mentem & inuocationem ad Deum. 2. Judicium mundi contemnere. 3. Pendere à solo Deo. 4. Ingẽtes gemitus mittere ad Deum. 5. Quies animæ seu pax conscientiæ. 6. Fortitudo Christiana. 7. Victoria. *Obseruationes.* 1. Certitudo salutis non labefactat exercitia fidei & pietatis, sed excitat potius atque accendit: quomodo videmus Dauidem testari fiduciam suam, quod sit certus de præsidio Dei. *vers.* 7. & petere tamen se defendi *vers.* 8. 2. Fidei indoles germana est, abnegare seipsum & totum mundum, & Deum habere pro fonte salutis,

Psalmus IV.

Dispositio. Hic psalmus est perpetua antithesis piorum & impiorum. Piorum notæ & viæ sunt, exauditio precum, contemtus coram mundo, ductus Dei, sacrificia justitiæ, spes, lætitia, & secura habitatio. Impiorũ notę & viæ sunt, persequi pios, diligere mendacium, irasci impie, abundare bonis terrenis. *Observa.* 1. Pijs pluris esse debet propitius Dei vultus, quam horrea frumento plena, cellęq; vino refertæ: quoniam hęc bona euanida sunt, misericordia vero Dei æterna. 2. Tria sunt media leniendi crucem: cogitatio ductus mirabilis, quo Deus suos ducit; sacrificium laudis, pœnitentiæ & innocentiæ; lux faciei Dei. 3. Gaudium filiorum Dei non fluit ex bonis terrenis, sed cœlestibus. 4. Quies in Deo est abnegatio sui & mundi. Hic est suauissimus animæ somnus, vnde illa refocillatur.

Psalmus V.

Dispos. Tres hic sunt antitheses. 1. Pij cõfugiunt ad preces, impij ad mẽdacium. 2. Pij perunt duci à Deo, impiorũ guttur est sepulchrũ apertum. 3. Gratia Dei est corona & scutum piorum, impij decidunt in fossam quã alijs foderunt. *Observa.* 1. Deus non est causa peccati. 2. Deus cum sit justissimus, fieri non potest, quin summe detestetur impiorũ malitiam & crudelitatẽ, tandemq; pœnas de illis sumat. 3. Quatuor proprietates precationis hic recitantur: orare fiducialiter, ardenter, (*mane*) intelligenter & perseueranter. 4. Precatio est consolatio & defensio nostra contra hostes spirituales & corporales. 5. Justitia fidei & bonæ conscientiæ est scutum piorum contra accusationes diaboli & mundi. 6. Homo natura est sepulchrum cadauerosum: Nominatim vero impii. 7. Orandum est pro hostibus, & contra illos conditionaliter. *Pro illis*, si sint sanabiles, vt Deus eos conuertat, iuxta suum concilium. *Contra illos*, si non sint sanabiles, vt puniat illos, & liberet ecclesiam ab illorum tyrannide. 8. Tres sunt gradus gaudii piorum. Primus oritur ex fide, secundus ex spe, tertius ex charitate seu studio bonorum operum. 9. Summa Christianorum ars est, gaudere in Domino.

Psalmus VI.

Dispositio. Psalmus hic complectitur querelam & consolationẽ. In querela est. 1. agnitio peccati. 2. horror conscientiæ ex sensu desertionis Dei. 3. pertinacitas istius horroris. In consolatione est precatio, & pœnitentia, cuius gradus siue affectus numero tres, & totidem effectus recitantur. Gradus sunt hi: gemitus siue labor animæ, threni cordis: & afflictio corporis. Effectus sunt isti: detestatio impiorum, miseratio Dei, & hostium superatio. *Obseruationes.* 1. Homo non agnoscit infirmitatem suam, nisi

nisi à Deo castigetur interne vel externe. 2. Deus in hac vita filios suos ad tempus detinet in inferno, & fouet illum dolorem infernalem diu castigando. 3. Sũma animæ tristitia oritur ex sensu desertionis Dei. 4. Sancti deprecantur mortem, & petunt prorogationem huius vitæ, vt Deum laudare possint animo & corpore: quod est desiderium omnium filiorũ Dei in hac vita. 5. Tres sunt notæ characteristicę pœnitentiæ non hypocriticę: videl. gemere, flere, castigare suum corpus. 6. Pœnitentia seria semper impetrat aliquid à Deo, adeoq; est efficax in Domino.

Psalmus VII.

Dispositio. Quatuor fundamenta consolationis hic describũtur. 1. Fiducia; cuius proprietates sunt, esse donũ Dei, excludere omnes creaturas & media terrena, operari per preces, Deum sibi appropriare. 2. Bonitas causę & conscientiæ. Proprietates conscientiæ sunt tres: non contristari aut ligari ab homine, parere solidum gaudium & glorationem, inuocare Deum testem. 3. Vocatio seu officium à Deo impositum. 4. Natura Dei; qui misericordiam testatam facit minando, & seueritatem iustitiæ puniendo, si admonitio & commin atio non inueniat locum. *Obserua.* 1. Qui volunt habere Deum defensorem & vindicem causæ suæ, oportet vt sibi sint bene consci, ne eum faciant iniquitatis suæ patronum: quia Deus peccatores non exaudit, perdit vero loquentes mendacium. 2. Prouocatio Dauidis ad suam iustitiam & perfectionem, nõ probat opera sanctorũ iustificare seu esse partem illius iustitiæ quæ in iudicio Dei possit consistere: sed probat, Dauidem innocentem fuisse à crimine perduellionis: quia Deum innocentiæ suæ testem ac vindicem implorat. Oportet itaq; distinguere inter iustitiam personæ & facti seu conscientiæ seu bonæ causæ.

Psalmus VIII.

Quãuis Psaltes originalẽ generis humani excellentiã in Adamo amissam literaliter hic prędicet: recte tamẽ per allegoriã is locus ab apostolo *Heb. 6.* accommodatur Christo: quoniã in eo, tanquam secundo Adamo, originalis illa præstantia se exseruit, & per eũ quatenus, per mortẽ paulum est humiliatus infra angelos, amissa illa excellentia nobis restituitur. *Dispositio.* Videbimus, quomodo hic describatur regnũ potentiæ & gratię. *De I.* Tria occurrunt. 1. magnificentia & amplitudo regni. 2. humiliatio hominis. 3. coronatio hominis. *De II.* Hic quoque tria occurrunt. 1. magnificẽtia regni Christi secundum tres proprietates, quæ sunt propagatio per vniuersam terram, annuntiatio per ora infantum, i.e. apostolorum & hominũ humilium, & ornatus amplissimus, qui cernitur in eo, quod ecclesia est tanquã cœlũ, quod à Deo est factũ, & egregiis luminaribus instru-

ctum.2.causa fundans hoc regnum:videl.misericordia Dei, *Quid est homo* & humiliatio Christi.3.exaltatio Christi. *Observationes*.1.Regnum potentiæ & gratiæ eleganter possunt inter se conferri.2.Allegoriæ,quarum artifices sunt apostoli,cumprimis sunt obseruandæ pijs animabus.

Psalmus IX.

Dispositio.Hic occurrit gratiarum actio & precatio. *De I*.Obserua 1.proprietates gratiarum actionis,quæ sunt,proficisci ex animo,enumerare beneficia Dei prodire ex animo læto,& conuerti ad laudem Dei.2 materiam precationis,vt sunt beneficia Dei,nempe quod Deus sit aduocatus & patronus suorum,qui ipsos protegit & defendit contra hostes. *De II*.Precatio implorat auxilium Dei. *Observationes*.1. Deus licet quandoq; inimicis indulgeat,& injuste oppressis non statim succurrat: non cessat tamen sedere in solio judicij sui;sed exercet suorum patientiam,tandem vero hostium euersione,suorumq; liberatione se justum judicem declarat. 2. Qui pugnant contra electos,pugnant contra Deum. 3. Deus est patronus electorum,etiã tum quando illi hoc non sentiunt vel intelligunt.4 φιλανθρωπία Dei longe maxima est,quod habitat apud suos, & illorum sanguinem requirit.

Psalmus X.

Dispositio Partes sunt duæ.1.Querela super impietate hominum reproborum,qui versantur in regno tenebrarum Proponuntur autẽ decẽ proprietates & notæ characteristicę impiorum: videl premere pios,gloriari de peccato,non curare Deum secure contemnere judicia Dei, pergere in malitia,scatere mendacijs,calumniando nocere insidiari,vim injustam exercere,formatis syllogismis negare prouidentiam Dei. 2. Precatio in qua est pictura naturę Dei,quod ille tandem affulgeat suis. *Observationes*.1.Impij Deum negãt,non palam inficiando esse Deum, cujus notitia cordibus hominum,& operibus naturæ est impressa: sed quia prouidentia & virtute sua eum spoliant & idoli instar in cœlis otiosum sedere,necres humanas curare sibi fingunt.2.Deus etiam tum,quando à nobis procul abesse & se occultare videtur,gratia & spiritu suo nobis adest. 3. Deus differt auxilium, non aufert.

Psalmus XI.

Dispositio.Partes sunt duę.1.Querela de vi hostiũ,quę cernitur in dictis, quibus insultant electis Dei filijs,& factis multifarijs & nefarijs.2.Consolatio sumta ab argumentis præsentiæ Dei, quæ suauis est pijs, horribilis impijs. *Observationes*.1.Pij semper circũfluunt calamitatib.2.Impij conãtur diruere fundamentũ,h.e. leges fundamẽtales tũ regni Christi, tũ reip. sed vtrũq;fundamẽtũ manet imotũ.3.Fuga periculorũ nõ debet habere speciẽ diffi-

diffidentiæ de Dei præsidio, neque fieri cum desertione officij nostri & charitatis in proximum.

Psalmus XII.

Dispositio. Partes sunt tres. 1. Alterna descriptio piorum & impiorũ. Illi sunt sancti, & pauci: hi sunt multi, & contemtores Dei ac hominum. 2. Descriptio Dei per prosopopœjam. 3. Descriptio verbi Dei, quod sit eloquentia Dei æterna, sancta, verax, viuifica & victoriosa.

Obseruationes. 1. Electi sunt sancti sanctitate fidei & vitæ. 2. Electi sunt pusillus grex. 3. Notæ hypocritici cultus sunt labia dolosa, & lingua magniloqua. 4. Solum Dei verbum adeoque Scriptura prophetarum & Apostolorum, est argentum purum & excoctum: aliorum vero doctorum scripta & dogmata multum plerumque scoriæ & sordium admixtum habent, ideoque ad lydium lapidem Scripturæ examinanda sunt.

Psalmus XIII.

Dispositio. Psalmus hic est διδακτικὸς καὶ προφητικός. *De I.* Duo hic occurrunt. 1. Ingenium Dei est instare cruce sua. 2. Ingeniorum filiorum Dei est instare prece sua. *De II.* Hominis pij consolatio est fides, gaudium ortum ex fide, & laus Dei orta ex gaudio. Quæ est pulcherrima gradatio.

Obseruationes. 1. Quanquam sanctis non raro in diuturnis afflictionibus obrepit cogitatio, quasi Deo non sint curæ, & se deseri à Deo querantur: non ideo tamen putandum est, omnem promissionum diuinarum fidem & fiduciam in cordibus eorum extinctam esse. Secus certe contra carnis sensum & judicium precibus ad Deum non exclamarent. Aliud igitur est lucta fidei aduersus carnem, aliud Apostasia. 2. Deus cuilibet imponit crucem suam, & veluti circino delineat. 3. Precatio lenit crucem. 4. Fides in corde parit gaudium, in ore & toto corpore illiusque membris laudem Dei.

Psalmus XIV.

Dispositio. Duæ sunt partes. 1. Graphica descriptio impiorum: vbi est prauitatis grauitas siue radix in corde, & multiplex effectus in toto homine, quoad Deum & proximum, adeoque primam & secundam Decalogi tabulam. 2. Descriptio Messiæ tanquam medici, qui est aulium veniens è Sione, liberans nos ex captiuitate spirituali, & æterno gaudio instruens.

Obseruatio. 1. Querela de impiorum grauitate ad vniuersum genus humanum ab Apostolo extenditur. *Rom. 2.* 2. Deus est in generatione justorum, i.e. eorum qui tales sunt per gratiam. 3. Salus est quærenda extra nos in Christo.

Psalmus XV.

Dispositio. Dauid graphicè depingit ciues regni Dei ab integritate cordis, sinceritate linguæ, odio impiorum, fidelitate in seruandis promissis, vsuræ detestatione, & odio auaritiæ.

Obseruationes. 1. Ecclesia est tentorium, in quo Deus habitat & mons ejus. 2. Hic psalmus non ostendit, propter quid, sed quales placeant Deo, justificentur & saluentur. 3. Summa dignitas est censeri in numero ciuium veræ Ecclesiæ. 4. Omnis vsura fratrem mordens seu grauans prohibetur à Deo, non grauans vonitem. Vide *Leuit. 25. v. 35.*

Psalmus XVI.

Dispositio Psalmus hic literaliter quidem ad Dauidis consolationem pertinet: prophetice vero in solo Christo est impletus, vt docet Petrus Apostolus *Psal. 16. vers. 10.* Post epigraphen duæ sunt partes. *Epigraphe* notat præstantiam hujus Psalmi: quæ aliis quinque Psalmis etiam tribuitur, puta 56. 57. 58. 59. 60. *Pars prima* est de passione Christi & vniuerso statu humilitatis: vbi est fiducia in Deo, obedientia erga Deum, amor erga genus humanum, odium impiorum, hæreditas Christi, dolor multiplex quem sustinuit. *Secunda pars* est de statu exaltationis Christi: vbi est causa procreans, videlicet Deus qui est Christo à dextris; gaudium cordis & linguæ; excitatio à morte, & vita æterna.

Obseruationes. 1. Quæ in hoc psalmo dicuntur de Christo tanquam capite, illa nobis competunt ceu membris. 2. Extra Christum nulla est salus, qui est nulla. 3. Deus est summum nostrum bonum, & portio calicis nostri. 4. Electi sunt hæreditas Christi seu patrimonium ipsius. 5. Vita æterna est satietas gaudiorum amœnissimorum in omnem æternitatem.

Psalmus XVII.

Dispositio. Tres sunt partes. 1. Studium piorum: quod est precari, à Deo gubernari, sancte conuersari. Precationis fundamentum est justitia personæ & causæ, item cordis sinceritas; rogare à Deo judicium suæ causæ: & instare petendo. Gubernatio diuina est legalis & Euangelica: Legalis consistit in probatione cordis, visitatione nocturna, & purgatione vitæ. Euangelica est mirificare misericordias, & custodire pios tanquam pupillam oculi, &c. Conuersatio sancta est posita in custodia labiorum & ambulare in vijs Domini. 2. Studium impiorum est, persequi pios, adeoque esse manum seu flagellum Dei, & circumfluere bonis terrenis. 3. Gaudium piorum est videre faciem Dei, insigniri justitiæ, & satiari ipso Deo.

Obseruat.

Obseruationes. 1. Arma Christianorum contra vim & insidias impiorum sunt preces. 2. Pij non habent in his terris judicem, qui causam ipsorum cognoscat. Judex ipsorum est in cœlis. 3. Impij sunt gladius & manus Dei: quia ille eorum opera plerumque vtitur ad exercendos pios, vel ad puniendos impios. 4. Solus Deus est καρδιογνώστης. 5. Solus Deus dirigit vias nostras, illasque complanat. 6. Maxima sunt beneficia Dei, quod misericordias suas in nobis mirificat, & nos custodit tanquam pupillum oculi sui, sub vmbra alarum suarum. 7. Tria sunt insignia Ecclesiæ malignantium, voluptas, insidiæ, & superbia.

Psalmus. XVIII.

Dispositio. Quatuor sunt partes post epigraphen. 1. Catalogus beneficiorum Dei erga pios, quæ sunt, quod Deus ipsis sit firmitas, petra, arx, &c. 2. Descriptio miseriæ, quam Psaltes fuit expertus. 3. Descriptio majestatis Dei. 4. Descriptio misericordiæ *Dei* juuantis filios suos.

Obseruationes. 1. Etsi *Dauid* protestetur de innocentia sua, & justitia bonæ conscientiæ aduersus Saulem & alios inimicos: tamen beneficiorum, quæ prædicat, causam non facit sua merita: sed agnoscit gratuitam *Dei* erga se beneuolentiam. 2. Etiam impij in necessitatibus constituti implorant *Dei* auxilium, sed sine fide: ideo non exaudiuntur. 3. *Deus* ita se gerit erga nos, quemadmodum nos gerimus nos ipsos erga illum. 4. Electi in hac vita sunt instar feræ, quæ à venatoribus exagitatur, & à *Deo* defenditur. 5. Tria pertinent ad victoriam, scutum *Dei*, dextra *Dei*, & humilis fiducia in *Deum*. 6. Quinque sunt proprietates regni Christi: viuificare suos, vindictam exercere erga hostes, exaltare suos supra hostes, propagare Euangelium per totum mundum, exercere misericordiam erga semen justorum.

Psalmus XIX.

Dispositio. Psalmus hic literaliter accipiendus est de ordine naturæ quantum ad corpora cœlestia, spiritualiter de ordine & cursu gratiæ quantum ad Euangelium. Partes tres sunt. *Prima* est de libro seu schola naturæ: vbi occurrit lingua cœli, ejusque amplitudo, & solis pulchritudo. Quæ omnia, docente Apostolo *Roman. 10.* ad Euangelium & Christum sunt accomodanda hoc modo. 1. Sicut cœlum motu & efficacia sua infallibilis est testis omnipotentiæ & prouidentiæ *Dei*: ita Euangelium est infallibile testimonium de Christo. 2. Gloria *Dei* singulis momentis nobis annuntiatur tum à cœlo tum ab Euangelio. 3. Sicut Sol est concionator vniuersalis: ita & Christus in Euangelio. 4. Vox cœli intelligitur ab omnibus: ita & vox Euangelij à pijs. 5. Sicuti Sol est sponsus inter stellas, si spectes magnitudinem decoris, caloris & efficaciæ: ita

Christus

Christus est Sponsus Ecclesiæ, qui primo mittit procos, deinde celebrat sponsalia, tertio nuptias parat, denique sponsam amat, solatur & defendit. *Secunda* pars est encomium de verbo Dei, quod commendatur. 1. A perfectione & refectione. 2. A certitudine & institutione, seu à testimonio & consilio. 3. A manuductione & exhilaratione. 4. A luce & illuminatione. 5. A puritate & æternitate. 6. A veritate & integritate. 7. A pretiositate & dulcedine. 8. A commonefactione & præmio. *Tertia* pars est precatio: vbi duo occurrunt. 1. Quid quotidie debeamus petere, videlicet remissionem occultorum peccatorum. 2. Quod precatio nostra sit accepta Deo rupi nostræ & redemtori nostræ.

Obseruationes. 1. Laudamus Deum, videndo ipsius opera, meditando ejus verbum, & precando: quæ est climax in hoc psalmo. 2. Pulcherrima est collatio scholæ naturæ & gratiæ. 3. Etsi patefactio Dei per opera creationis omnibus est sufficiens ad ἀναπολογίαν: non tamen sufficit ad salutem. Ad hanc enim patefactio Dei per verbum & Spiritum S. est necessaria. 4. Tot sunt hominis peccata, vt illorum calculus seu arithmetica non detur. 5. Omnia nostra dicta & facta condiuntur sanctis precibus tanquam Sale, quod dicitur esse aroma aromatum.

Psalmus XX.

Dispositio. Duæ sunt partes. 1. Fundamentum magistratus politici: videlicet paterna Dei affectio erga magistratum. 2. Officium pij magistratus: gloriari de Deo, in ejus nomine omnia peragere, neque confidere in medijs humanis.

Obseruationes. 1. Hic psalmus spiritualiter accõmodetur ad Christum. 2. Hic docemur, Deum esse authorem & defensorem ordinis politici, piorumque magistratuum, pugnantium pro gloria Dei contra hostes. 3. Bella quædam sunt justa & necessaria, siue sint defensiua, siue offensiua. 4. Sicut magistratus officium est defendere rempubl. & Ecclesiam, etiam armis contra hostes armatos: ita subditorum est, juuare magistratum, & pro ejus salute, consilijs, atque successibus Deum orare.

Psalmus XXI.

Dispositio. Partes duæ sunt. I. Descriptio regni pacifici & florentis: quod literaliter de regno Dauidis, mystice de regno Christi est intelligendum. Hic occurrit 1. lætitia regis, propter robur Dei, exaudition precum, & coronam beneficiorum Dei. 2. Perpetuitas lætitiæ & gloriæ. 3. Officium regis, quod est confidere Domino. II. Descriptio miseræ sortis hostium regis.

Obseruationes. 1. Nostrum est absque intermissione lætari in Deo. 2. Deus præuenit nos suis benedictionibus. 3. Magna est Dei seueritas erga hostes suos.

Psalmus

Psalmus XXII.

Dispositio. Post epigraphen tres sunt partes. I. De passione Christi multiplici: vbi est desertio Dei, ratione auxilij & solatij, contemtus siue ignominia suprema, & denique multimoda afflictio corporis. II De victoriosa resurrectione Christi; & ejus fructibus, vt sunt prædicatio nominis Dei, fraternitas nostra cum Christo, & saturitas nostra in Christo. III. Regni Christi propagatio inter gentes: vbi occurrit qualitas regni, bona ejus, armatura & firmitas, denique subditorum siue regnicolarum officium.

Obseruationes. 1. Passio Christi, tum interna, tum externa, est speculum nostræ crucis. 2. Infernalis est dolor, qui oritur ex sensu desertionis Dei, non totalis illius, quam experiuntur soli impij, sed partialis. 3. Christus fuit infirmus in statu humilitatis secundum humanam naturam, quiescente diuina & veluti latente sub velo carnis. 4. Christus post modicam desertionem assumtus est in gloriam. Idem & nobis accidet. 5. Querela de diuisione vestimentorum in Dauide non est literaliter impleta, sed prophetice in Christo. 6. Innumeri sunt fructus passionis & resurrectionis Christi. 7. Regnum Christi dissimile est regnis hujus mundi.

Psalmus XXIII.

Dispositio. Tres gradus beneficiorum Dei in regno potētiæ & gratiæ hic describūtur. 1. Deus nos pascit. 2. Nos defendit. 3. In æternū hoc præstat.

Obseruationes. 1. Ostendatur quomodo Deus sit pastor noster ratione vitæ animalis & spiritualis: adeoque hic psalmus conferatur cum *Joh. 10.* 2. Euangelium est campus Dei compascuus, ratione amœnitatis, refectionis & æternitatis. 3. Christus nos ducit in semitis justitiæ, præ'ucendo & comitando. 4. Crux est vallis tenebrosa, in qua Deus, pastor noster, nobis est præsto. 5. Deus parat nobis mensam, dando victum corpori & animæ, tractando nos bene, plene & in perpetuum. 6. Fidei natura est vti pronomine Ego, Mei, Mihi, Me. Meus. 7. Quia Deus est noster pastor, h. e. nutritius & defensor perpetuus, ideo de ejus præsentia, beneuolentia & gratia in sustentanda fide, perseuerantia & salute æterna cōfidere perpetuo debemus.

Psalmus XXIV.

Dispositio. Duæ sunt partes. I. De regno potentiæ, quod est vniuersale, & mirabile. II. De regno gratiæ: vbi est descriptio subditorum & regis. Subditorum notæ sunt, separatio à mundo per fidem & sanctam vitam, & benedictio spiritualis. Regis triumphus, coronatio, & tituli describūtur.

Obseruationes. 1. Non omnes, qui in Ecclesia visibili versantur, sed tantum qui munditiem fidei & charitatis præstant, benedictionē à Jehoua accipiunt. 2. Pulchra & Pathetica est collatio regni Christi cū regno potētię, seu regni gratiæ cū regno naturæ. Collatio, inquā, similium & dissimilium.

Psalmus XXV.

Dispositio. Hic Psalmus artificiosè est compositus: quia singuli versus incipiunt à singulis literis juxta ordinem Alphabeti. Quæ res seruit memoriæ. Sunt autem duæ partes. I. De vnico animæ nostræ officio, quod est, seipsam attollere ad Deum, adeoque ab ipsius regimine pendere. Hic occurrit spei istius certitudo & regiminis diuini amplitudo, quæ cernitur in septem operibus gratiæ, vt sunt, docere viam, deducere in viam & in ea, πεγὴν paternam exercere, remittere peccata, instillare timorem sui nominis & numinis, securam quietem & habitationem animæ nostræ largiri, denique secretum & fœdus suum annunciare. II. De alterna agnitione miseriæ nostræ & misericordiæ Dei. *Obseruationes.* 1. Vera libertas animæ est, respicere in solum Deum. 2. Tanta est naturæ humanæ infirmitas, vt etiam à Deo illuminati & regenerati, necesse habeant petere, vt illuminentur magis, & dirigantur in via veritatis. 3. Deus electis suis per fidem veram Christo insitis atque regeneratis, gratiam pietatis & perseuerantiæ certo largitur: conditionem quoque certaminis, precum, vigilantiæ, atque constantiæ, quam saluandis præcipit, & sub qua salutem plerumque promittit, in eis operatur, vt dicere cordate possint cum Augustino: *Domine da quod jubes, & jube quod vis.*

Psalmus XXVI.

Dispositio. Occurrit descriptio ciuium veræ & falsæ Ecclesiæ. *De I.* Notæ sunt istæ: fiducia in Deo, sinceritas cordis, continuitas studij, & religio in cultu Dei. *De II.* Notæ sunt istæ: Impij sunt peccatores, viri sanguinarij, dolosi & δωροφάγοι. *Obseruationes.* 1. Appellationes sanctorum ad suam justitiam, non probant justitiam personæ aut operum, sed bonæ conscientiæ in certa causa. 2. Magnifici tituli Ecclesiæ sunt quod sit altare Dei sc. ratione sacrificij propitiatorij quoad Christum, & Eucharistiæ quoad nos quod sit habitaculum domus Dei, & tabernaculum gloriæ ipsius.

Psalmus XXVII.

Dispositio. Hic psalmus tenera est μελέτη hominis Christiani in omnis generis tentationibus. Absoluitur partibus numero sex. I. De tribus columnis fiduciæ nostræ; quod Deus sit lux, vita & robur nostrum, qui nempe nos illuminat accendendo lucem Euangelij per Sp. S. viuificando corda nostra, & illa spiritualiter confortando. II. De ingenio & natura hostium nostrorum. III. De vnico voto Christianorum. IV. De protectione electorum mirabili. V. De arte precandi, quæ consistit in feruore, fiducia & perseuerantia. VI. De felici successu operum nostrorum, quipendet ab institutione, qua Deus nos docet; à protectione, qua Deus nos non tradit desiderio hostium; à fiducia nostra; denique à nostra perseuerantia. *Obseruationes.* 1. Deus est nostra lux ratione creationis, incarnationis, prædicationis, justificationis, & glorificationis. 2. Deus est vita nostra & robur

robur nostrum ratione gubernationis in regno potentiæ gratiæ & gloriæ. 3. Nemo Christianus potest vnquam esse sine hostibus. 4. Consolatio aduersus hostes est triplex: ruina hostium, fiducia nostra in Deo, & dubitatio secura in domo Dei. 5. Vnicum votum nostrũ erit, vt maneamus in domo Dei, ibiq; videamus amœnitatem cultus quantum ad templi magnificentiam, arcę fœderis splendorem, altaris aurei excellentiam, ornatus pontificialis præstantiam, &c. Quæ omnia in V. T. fuerunt typi Christi. 6. Protectio Dei est mirabilis, & sæpe occulta. *v. 5. 6.* 7. Fiducia gratiæ Dei per preces non tollitur, sed extollitur.

Psalmus XXVIII.

Dispos. Hic Psalmus est tri membris. I. Decurrit precatio: vbi est tempus, persona, obiectum, materia & modus precationis. II. Glorificatio nominis Dei. III. Alia precatio. *Obseruationes.* 1. Deus quandoque occultis, sed justis de causis, pios cum impijs inuoluit communibus malis. Hoc est, quod deprecatur Dauid in hoc Psalmo. 2. Pictura Gnathonum aulicorum Saulis, qui simulabant amicitiam erga Dauidem, clam vero ipsum traducebant apud regem, vitæque & famæ ejus insidias struebant, etiam hodie in aulis cernitur. 3. Prophetæ, non optando, sed prænuntiando minantur impijs Dei vindictam in die judicij vt qui Deum intelligere nolunt per beneficia, intelligant eum per judicia. 4. Summa & optima ars nostra est precari. 5. In precatione notetur affectus deuotionis & fiduciæ, itemque affectus gaudij.

Psalmus. XXIX.

Dispositio. Duo sunt membra. 1. Exhortatio ad potentes. 2. Argumenta exhortationis. *Obseruationes.* 1. Potentes & filij potentum debent Deum metuere, quippe ipsis longe potentiorem, ad cujus solam vocem vniuersus contremiscit orbis. 2. Deus est causa prima, quæ causis secundis inspirat & adimit vim agendi res mirabiles, eo tempore, quo vult, taliq; ordine, modo & mensura, quali vult. 3. Vox Dei triplex inter se conferatur: videl. vox creationis, quæ adhuc durat; vox tonitrui; & vox legis ac Euangelij: ita vt nouem effecta vocis tonitrui, quæ hic recitantur, accommodentur prędicationi verbi, hoc modo, Vox Dei est supra aquam, i.e. mandat per Sp. S. intonat, id est, efficaciter agit in lege & Euangelio; confringit cedros, i.e. prosternit superbiam per concionẽ legis; facit exire, i.e. excitat gaudium per concionem Euangelij; incidit flammas, videl. in pentecoste V. & N. T. dolore afficit desertum, conuertendo gentes per dolorem offensæ & peccati; facit vt pariant ceruæ, h.e. fructus vitæ sanctæ in nobis efficit; denudat syluas, h.e. confundit splendorem mundanum; denique præsidet diluuio, h.e. per baptismum est efficax. 4. Cultus Dei consistit in humilitate cordis, gloria nominis Dei, & inuocatione religiosa.

Psalmus XXX.

Dispositio. Hic psalmus describit circulum vicissitudinis piorum quãtum ad felicitatem & calamitatem, itemque deuotionem & illius remissionem. Partes sunt tres. 1. Gratiarum actio. 2. Exhortatio seu celeusma ad pios. 3. Precatio.

Obseruationes. 1. Ne rebus secũdis insolescamus, subinde repetenda est memoria malorum, ex quibus Dei beneficio sumus liberati: ne Deo simus ingrati, & securitate correpti in similia mala incidamus. 2. Ira Dei est momentanea erga pios: secus contra impios *Psal. 7. v. 12. & 90. v. 11.* 3. Deus nos exaltat, vt ipsum exaltemus. 4. Deus est medicus, qui sanat vulnera animæ. 5. Deus nos deducit in infernum, & inde reducit. 6. Deus per vicissitudinem felicitatis & calamitatis, item per feruorem fidei, spei & charitatis, illiusq; feruoris remissionẽ, continet nos in officio. 7. Læta est crucis nostræ catastrophe. Nam immittitur à Deo, nobis in fructũ, illi in honorẽ.

Psalmus XXXI.

Dispositio. Psalmus est trimembris. 1. Est precatio. 2. Querela super infinitis persecutionibus. 3. Consolatio aduersus persecutiones.

Obseruationes. 1. Ars Christianorum est Deo confidere. 2. Fundamentũ fiduciæ nostræ est justitia Dei, h. e. ejus bonitas, & veritas promissionum ipsius. 3. Filij Dei familiarescunt Deo per precationem, & in ipsius manus deponunt animam suam. Hic nota idololatriam Papistarum, qui dicunt in Psalterio Mariano: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.* 4. Peccatum eripit animæ & corpori pulchritudinem & vigorem suum. 5. Filij Dei sunt σκύβαλα καὶ καθάρματα coram hoc mũdo. 6. Octo sunt fructus fidei & spei nostræ: videlicet quod in manu Dei sunt tempora nostra, quod Deus est lux nostra, quod non confundimur, quod cognoscimus magnitudinem bonitatis Dei, quod Deus abscondit & protegit nos, quod gratias agimus Deo, quod in tentationibus non succumbimus, denique quod Deum diligimus. 7. Hic Psalmus potest ad Christi passionẽ accommodari.

Psalmus. XXXII.

Dispositio. Hic Psalmus est inter septem illos, qui appellantur pœnitentiales, vt sunt *6. 32. 38. 51. 102. 130 143.* Duæ sunt partes hujus Psalmi. 1. De gratuita remissione peccatorum. 2. De pœnitentiæ proprietatibus & effectis. Proprietates sunt sinceritas cordis, fletus oculorũ, rugitus oris, sensus iræ Dei, confessio & fides. Effecta sunt protectio Dei, instructio Spiritus S. obedientia erga Deum, benignitas Dei nos circumdans, denique lætitia.

Obseru. 1. Augustinus in Ps. 32. Optime complectitur argumentũ ejus in titulo *Mascil. Intelligentia Dauidis, qua intelligitur, non meritis operum, sed gratia Dei hominem liberari, confitentem peccata sua Deo.* 2. Apostolus *Ro. 3.* ex hoc psalmo demonstrat, justificationem peccatoris esse impurationem

justi-

justitiæ absq; operibus, seu remissionem peccatorum per fidem. 3. Non propter pœnitentiam, sed per pœnitentiam consequimur benedictiones Dei temporales & spirituales.

Psalmus XXXIII.

Dispositio. Duæ sunt partes. 1. Excitatio piorum ad exultandum: vbi est modus exultationis, & causa. Modus est in affectu interiori cordis, & signis externis. Causa est veracitas Dei, ejusque justitia, judicium, misericordia & potentia. 2. Excitatio ad timendum Deum, vbi est dissertatio de fundamentis timoris Dei, quæ sunt in quinque partibus prouidentiæ Dei. Partes istę sunt, quod Deus sit καρδιογνώστης, quod consilium ejus nemo possit impedire, quod Deus suos mirabiliter ducat, quod sit omniscius, denique quod corda hominum flectat: vbi est antithesis consilij & auxilii humani, à quo non pendent electi, sed à solo Deo. *Observ.* 1. Ex cognitione summi boni non potest non oriri gaudium. 2. Musica Christiana est, quæ arguit affectum cordis. 3. Canticum quotidianum piorum est ipse Deus potens & misericors. 4. Verbum Dei verax est πείωμα fidei nostræ. 5. In omnibus Dei operibus occurrit fasciculus veritatis, iudicii, justitiæ, misericordiæ & omnipotentiæ ipsius. 6. Deus est nobis honorandus timore filiali & fiduciali. 7. Prouidentia Dei est infallibilis, irresistibilis, vniuersalis, amabilis & terribilis. 8. Beatitudo nostra est in eo, quod Deus est peculium nostrum, & nos vicissim peculium Dei. 9. Vana est fiducia in brachio humano. 10. Quinque sunt fundamenta fiduciæ nostræ in Deo: quia oculus eius ad nos attendit; quia eripit animam nostram à morte; quia est auxilium & scutum nostrum; quia cor in ipso solo inuenit materiam lætitiæ; denique quia benignitas eius est supra nos.

Psalmus XXXIV.

Dispositio. Hic psalmus est inter principes eucharisticos. In eo Dauid rem agit Deo gratias pro exauditione precũ, & auxilii exhibitione in monomachia cum Goliatho, & persecutione Saulis inde orta. 2. excitat electos adhortatione consolationis & institutionis plena. *Obser.* 1. Tota nostra vita debet esse perpetua Dei laus. 2. Omnium electorum gloriatio est sola Dei gloria, pax propriæ conscientiæ, & ædificatio proximi. 3. Christianorum est in cruce exultare, & Deum exaltare, h.e. celsitatem eius demõstrare, aliis monstrare, & denique celebrare. 4. Dei consuetudo & ingenium est, in cruce se occultare. Nostri ergo officii est, ipsum quærere. Ita fiet, vt certo nobis respondeat. 5. Duæ virtutes commendant precationem, fiducia & constantia. 6. Deus non despicit precationem eorum, qui sunt pauperes spiritu. 7. Quemadmodum pii vndique oppugnantur non

ſolum ab impiis hominibus, ſed etiam ab ipſo Satana & angelis eius: ita Deus viciſſim præſidio ſuorum angelorum vndique eos circumdat & tuetur, ſi inſtent precando & ſancte viuendo. 8. Tanta eſt Dei bonitas, vt illam videamus & guſtemus, partim in operibus naturæ, partim in regno gratiæ par verbum & ſacramenta, operante Spiritu. 9. Timor Dei eſt virtus reſpondens dilectioni Dei, quam ſemper præcedit, vel comitatur, actibus contrarijs. Ut enim dilectio Dei proſequitur bonum, videlicet Deum & conjunctionem cum eo: ita timor Dei auerſatur malum, nempe offenſionem & iram Dei, & auulſionem ab eo. 10. Duo ſunt media quietæ, beatæ & diuitis vitæ: videl. eſſe filium Dei, & Deum timere filialiter. Ibi eſt beneficium adoptionis: hic officium adoptati & ſignum adoptionis. 11. Quatuor ſunt media, quibus pax aliunde tacere, pati, manſuetum eſſe, orare. 12. Faſciculus conſolationis miſerorum hic proponitur. Cõplectitur autem ille octo floſculos, hoc ordine: Oculi Domini attendunt ad juſtum; facies Domini compeſcit impios; Deus audit & exaudit preces ſuorum; Deus prope eſt ijs, qui ſunt confracto corde; prouidentia Dei nobis definit & imponit onus cruce, indeq; nos liberat; Deus cuſtodit omnia noſtra oſſa; impium occidet ejus malitia; Deus redimit animas ſeruorum ſuorum.

Pſalmus XXXV.

Diſpoſitio. Tres ſunt partes. 1. Deſcribitur hic armatura Dei. 2. Propheta affatur hoſtes. 3. Idem precatur. *Obſer.* 1. Vita hominis Chriſtiani eſt perpetua pugna. 2. Arma, quib. Deus nos defendit, & hoſtes offendit, ſunt ipſius omnipotentia, quæ eſt tanquam ſcutum; exercitum angelorũ & reliquarum creaturarum; deniq; ancipitem gladium ſpiritus & verbi, quo vincit hoſtes noſtros internos & externos. 3. Qui pugnant aduerſus Deum & filios ejus, confunduntur, ita vt fiant tanquam palea &c. 4. Qui ſtudent integritati & innocentiæ, poſſunt de illa gloriari, & cum Dauide orare ex *verſ.* 24. *Judica me ſecundum juſtitiam tuam.* Neque enim hæ preces pugnant cum illis *Pſalm.* 143. *Ne intres in judicium cum ſeruo tuo*: quia Dauid ibi precatur iudicari euangelice: hic deprecatur iudicari legaliter. 5. Deus hoc habet in more poſitum, vt ſe conuertat ad miſeros atque contritos. 6. Perſecutio piorum, quam ſuſtinent ab impiis vertitur in calumniis, compenſatione boni per malum, & lætitia ſuper malo ſiue ἐπιχαιρεκακίᾳ. Atque hæc eſt gratitudo mundi. 7. Capita conſolationis in cruce ſunt iſta: Deus ita probat & exercet noſtram patientiam; Crux facit ad gloriam Dei; præſentia Dei in cruce magis magiſque innoteſcit; Bona cauſa & conſcientia; Læta cataſtrophe piorum, & miſera cataſtrophe impiorum.

Psalmus XXXVI.

Dispositio. Tres sunt partes: Descriptio impiorum, Consideratio bonitatis Dei, & precatio. *Observ.* 1. Impiorum notæ sunt contemtus Dei & hominum, hypocrisis in doctrina & vita, doctrina mendax, opinio & vita contumax, denique studium aliis nocendi. 2. Dei bonitas & iustitia est mplissima, altissima, profundissima, & efficacissima. 3. Hominem & bestias seruat Deus diuersimode; has ad vitam temporalem, illum insuper ad vitam spiritualem, ita vt omnibus det bona temporalia & quædam spiritualia, fidelibus autem insuper vitam æternam. Ideo Deus dicitur seruator omnium hominum, maxime vero fidelium. 1. *Timoth.* 4. 4. Si gratia vitæ & illuminationis naturalis est irresistibilis humano arbitrio: quanto magis gratia vitæ spiritualis, h. e. illuminationis & regenerationis irresistibiliter confertur, quibus confertur. 5. Deus est æterna scaturigo vitæ naturæ, gratiæ & gloriæ. Simili ratione est lux nostra.

Psalmus XXXVII.

Dispositio. Hic psalmus complectitur regulas vitæ, & consolationem in omni statu vitæ. *Observ.* 1. Regulæ vitæ proponuntur hoc ordine: Non accendi ira propter maleficos, sed perpendere Dei consilium circa prosperitatem ipsorum, & miseram catastrophen: Sperare in Domino: Facere bonum: Manere in vocatione: Oblectare se in Jehoua, meditando opera naturæ, gratiæ & gloriæ confidendo in ipso, & sanctitatem ipsius imitando: Jactare curam suam super Dominum, non vero torqueri curis huius mundi: Patientiam Christianum Deo probare, & quidem in his partibus, acquiescere Jehouæ, indesinenter, ipsum expectare, non accendi ira propter prosperitatem impiorum, vtpote quæ est caduca: denique, perpendere præmium pietatis, quod est in his duobus positum; Deus profert tanquã lucem iustitiam nostram: &, Mansueti hæredabunt terram. 2. Fundamenta consolationis piorum sunt: Vitrea conditio impiorum: Paterna cura Dei, qui nouit tempora iustorum, & illis benedicit omnimoda benedictione, temporali & æterna: Sanctimonia cordis miserentis, vitæ à malo recedentis, & oris Deum confitentis: Potentia Dei, quæ longo interuallo superat potentiam & conatum hostium. 3. Pii quidem laborãt aliquando inopia, respectu copiæ impiorũ nunquam vero deest illis modicum illud, quod eis est melius, quam diuitiæ impiorum multæ. 4. Magna consolationis anchora est perseuerantia totalis & finalis sanctorum. Etsi enim cadunt, non tamen excidunt: quoniam Dominus manum illis supponit.

Psalmus

Psalmus XXXVIII.

Dispositio. Hic psalmus est vnus è pœnitentialibus, in quo Dauid instituit geminam querelam precatione temperatam; vnam de angustiis animæ, alteram de angustiis corporis. Illa oritur ex sensu iræ Dei, hæc ex hostium persecutione. *Observ.* 1. Querelæ piorum de sensu iræ Dei in morbis & aliis afflictionibus, non arguunt incertitudinem gratiæ, sed luctam fidei cum tentationibus carnis. Et quia Deus non sinit suos tentari supra vires, certoque exaudit inuocantes, certitudinem gratiæ tantum abest vt labefactent, vt magis confirment. 2. Ira Dei cernitur in acutis sagittis penetratum, & legis vibrantis fulmen maledictionis. 3. Sex sunt propria effecta peccati: Valetudinem corporis & animæ afflgere: Onerare conscientiam, & caput transcendere: Vulnerare animam & corpus: Omnia membra corporis exsiccare & affligere: Conterere hominem, & cor reddere inquietum: Tremorem cordis & caliginem oculorum adferre spiritualiter & corporaliter. 4. Infidelitas mundi cernitur in quatuor gradibus, qui sunt, deserere amicum, amicum desertum persequi clam & palam, ex persecutione acquirere felicitatem, & compensare bonum malo. 5. Quatuor sunt gradus Christianæ patientiæ: Silere. Non exercere vindictam, Arcanum Dei consilium adorare, præsentiam Dei orare & exorare.

Psalmus XXXIX.

Dispositio. Psaltes proponit septem fundamenta seu argumenta patientiæ, quæ sunt: Non peccare lingua sua: Concoquere suam afflictionem: Æstum & inquietudinem cordis sedare: Cogitare vanitatem felicitatis & vitæ humanæ: Sperare in Deo: Deum inuocare: Suam miseriam deplorare. *Observ.* 1. Quantumuis sancti in lucta sua quandoque supplantentur infirmitatibus carnis: non peccant tamen toto corde, & fide viua atque victoriosa rursus eluctantur. 2. Contra scandalum felicitatis impiorum nos munimus consideratione voluntatis Dei, & vanitatis hominum. 3. Probare Deo sacrum silentium, est ars longe diuinior arte silentii Pythagorici. 4. Quotidie debemus orare Deum, vt ille sit noster præceptor, qui nos doceat externe per verbum, interne per spiritum: in secundis & aduersis artem denique bene credendi seu sapiendi, bene viuendi seu agendi, & bene moriendi, seu δόξαν καὶ εὐθανασίαν. 5. Tabula breuitatis & vanitatis vitæ hic proponitur: quod dies nostri sint palmares, tempus nostrum veluti nihil, omnis homo omnis vanitas, & denique quod simus peregrini. 6. Castigatio Dei consumit pulchritudinem & formam hominis. 7. In precibus debet cerni clamor & fletus.

Psalmus XL.

Dispositio. Duæ sunt partes. 1. Confirmatio fidei per argumenta sumta à bene-

beneficiis Dei præteritis,& futuris per Messiam. 2. Precatio. *Observa.* 1. Patientiæ est constanter expectare Dominum. 2. Peccata sunt lacus tumulosus,& cœnum lutosum,è quo solus Deus nos extrahit. 3. Euangelium est nouum canticum,quod Deus ponit in ore nostro. 4. Hominis Christiani est enumerare innumera Dei beneficia. 5. Deus noluit sacrificia V.T. vt λύτρα expiatoriũ; noluit etiã sine fide & charitate,seu sine cultu morali: noluit deniq; vt cultum principalem. Voluit vero eadem vt typos sacrificij Messiæ,& vt obedientiam ceremonialem. 6. Sacrificiũ Christi est perfectum & omnib. numeris absolutum,quia constat plena obediẽtia,& adfert justitiam,quam annuntiat euangelium. 7. Sicut Christus in cruce sua, illam agnoscit & contra hostes orat: ita nostrum est,calamitatem nostram numerare juxta & ponderare,& contra hostes orare,saltem in thesi. 8. Pij semper exultant in Domino.

Psalmus XLI.

Dispos. Tria hic occurrũt. 1. Descriptio Christianę lenitatis. 2. Descriptio hostium Dei & filiorũ ejus. 3. Precatio. *Observa.* 1. Prosperi euentus hujus vitę,per se non sunt argumenta diuini fauoris sed quatenus sentiũtur esse piarum precum effecta: quia tunc confirmant pios de exauditione precũ, & de gratia Dei. 2. Beatitatis pars magna est in discretione,qua quis attendit ad singula. 3. Sextuplex est remuneratio lenitatis seu misericordiæ erga egenum: videl. Deus eripit ipsum tẽpore mali: Viuificat illum: Beatũ reddit in terra: Non trahit eum desiderio inimicorum: Sustentat iacentem in lecto languoris: Sanat ipsius morbum. 4. Crux semper est gemina: passio seu afflictio,& lætitia hostium super passione nostra. 5. Proprietates hostiũ filiorum Dei sunt, inuidere,hypocrisi tegere suam maleuolentiam, susurrare & calumniari,agitare consilia exitiosa,& conculcatio violenta. 6. Cõsolatio in cruce est Deum inuocare,signa gratiæ Dei obscruare, innocentiam suam considerare,deniq; Deum laudare.

Psalmus XLII.

Dispos. Duę sunt partes. 1. Desideriũ refocillationis spiritualis. 2. Querela de hostiũ insectatione. *Obser.* 1. Sãcti cupiunt Deum inuocare & celebrare potius in ecclesię cœtu, quã priuatim,tũ qa sciunt, Deũ velle publice celebrari;tũ vt alios suo exẽplo excitẽt atq; ædificẽt;tũ deniq; vt seipsos cõsolatione erigãt de certa exauditione,ex promissionib. ecclesię factis. 2. Sitis animę,qua sitit fontẽ salutis,i. e. gratiã Dei,est πρωτότυπον electionis. 3. Maxima est tristitia,quã sancti cõcipiunt ex derisione cultus Dei,qua fit vt impij cõtẽnant Deum,& derideãt nostrã fidẽ. 4. Cõsolatio aduersus istã derisionẽ est posita in precatione,& spe sancta. 5. In tristitia & angore animi nos eriget recordatio Dei. 6. Abyssus miseriæ nostrę inuocare debet abyssum misericordiæ Dei. 7. Alternis debemus alloqui Deum & animam nostam in tribulationibus.

Psalmus XLIII.

Dispositio. Hic psalmus exhibet quadruplicem consolationem aduersus persecutiones hostium: quod videl. nostra causa sit causa Dei: quod Deus sit fortitudo nostra: quod Deus sit emissurus lucem suam: quod aliquando simus accessuri ad altare Dei. *Observa.* 1. Si jus negetur nobis ab hominibus in terra, appellandum est ad judicium Dei in cœlo. 2. In summis persecutionibus precatio sit nostra munitio.

Psalmus XLIV.

Dispositio. Psalmus est bimembris. Prima pars est historia de præterito & præsenti statu ecclesiæ: altera est precatio. *Observa. 1.* Sancti commemorantes Deo suam constantiam & opera, non jactant sua merita, sed erigunt se argumentis diuinæ gratiæ, fiduciamque exauditionis hic tanquam fidei suæ effectis testantur. 2. Ex præteritis Dei beneficijs debemus ratiocinari de futuris. 3. Deus semper conseruat ecclesiam, etiam in medijs persecutionum flammis. 4. Deus excindit gẽtes, h. e. hostes ecclesiæ. 5. Dextra, brachium & fortitudo Dei sunt arma quibus defenditur ecclesia. 6. Funditus pereunt, qui confidunt in medijs. 7. Perpetua Ecclesiæ querimonia est de sui desertione, fuga, occisione, venundatione, opprobrio, & quod sit fabula vulgi. 8. Pati & precari sunt duo γνωρίσματα electorũ. 9. Notæ cultus Dei & verorum cultorum sunt, non obliuisci Dei, non violare fœdus Dei, corde suo non deficere à Deo, non recedere à vijs Dei.

Psalmus XLV.

Dispositio. Hic psalmus literaliter quidem est carmen epithalamium connubij Salomonis cum filia Pharaonis, mystice vero Christi cum sua ecclesia, vt patet ex *Heb.* 1. *v.* 8. 9. Partes sunt duæ. 1. de sponso ecclesiæ, ratione personæ, & officij. 2. de sponsa Christi, ratione ornatus & officij. *Observa.* 1. Regnum Christi propagatur per cor nostrum, verbũ Dei, & linguã nostram item stylum. 2. Cor ebulliens verbum bonum, est thesaurus Christi, & templum Spiritus S. 3. Christus est sponsus pulcherrimus ratione deitatis, puritatis & innocentiæ conceptionis, animæ, & vnionis personalis. 4. Labia Christi sunt plena gratiæ, quia est gratiosus sermo oris ejus, & nil nisi gratias Dei loquitur. 5. Christus est benedictio nostra æterna. 6. Armatura regis nostri Jesu Christi est gladius verbi & spiritus, & cingulum justitiæ. 7. Ornatus sponsi nostri est viriditas sapientiæ, flos justitiæ & fructus efficaciæ. 8. Solennis exceptio regis nostri fit per gratulationem, equitatũ, comitatum, & oblationem donorum. 9. Victoria regis nostri est catholicissima, & gloriosissima. 10. Thronus siue solium Christi est ecclesia in cœlis & in terris. sceptrum ejus est justitia: regimen consistit in odio iniustitiæ, & amore justitiæ. 11. Coronatio regis Christi complectitur ista quinque:

que titulum, ô *Deus*: personam coronantem, *Deus tuus*: vnctionem, *Oleo lætitiæ*: prærogatiuam, *præ consortibus*: palatium & vestimentum, *Aloe, cassia*. Hæc sunt quinq; clinodia diadematis Christi. 12. Ornatus sponsæ Christi, h.e. ecclesiæ Catholicæ & piæ animę, est idem cum ornatu sponsi. 13. Natales spōsę Christi sunt ex cœlo. Est enim filia regis. 14. Ecclesia est ad dextram sponsi. Qua phrasi notatur honor, amor, fortitudo, fidelitas, protectio, exercitium bonorum operum, & deniq; gaudium. 15. Mores, natura & officium sponsæ sunt, audire sponsum interne & externe, quantum ad vocationem, ad fidem, vitā sanctam & crucē: videre sponsum, credēdo, & experiundo: inclinare se ad sponsum, valere jusso veteri Adamo: denique obliuisci domum patris, h.e. mundi & propriæ carnis. 16. Sponsus noster delectatur nostra cōsuetudine, & nos amat. 17. Nostras partes decet, gratitudinē nostrā probare sponso nostro, quę cōsistit in eo, vt ipsū agnoscamus pro domino, eū inuocemus, ipsi adhęreamus in cruce, & offeramus ipsi dona, puta sacrificia labiorum & vitæ sanctæ. 18. Ornatus interior spōsæ Christi est plene aureus, videl. justitia imputata, à qua dependent omnia bona æterna, quemadmodum adamantes connectuntur in catenula aurea. 19. Deductio sponsæ Christi in hac vita fit per fidem, in altera vita per visionem beatificam. Ibi per crucem & gaudium cōjunctim, hic per gaudium purum purum. 20. Sponsa Christi parit ipsi liberos per fidem, qui sunt principes mundi, vincentes & judicantes mundum.

Psalmus XLVI.

Dispositio. Tres sunt partes. 1. Celebratio mirabilis potentię Dei. 2. Descriptio ciuitatis Dei. 3. Descriprio victoriæ Dei. *Obser.* 1. Cōstantia illa Horatiana: *Si fractus illabatur orbis, impauidū ferient ruinæ*: nōnisi in vere fideles, Deum timētes, cadere potest. 2. Cōsolatio nostra aduersus tyrannos est, quod Deus sit spes nostra, fortitudo nostra, & auxiliū in præsentissimis periculis præsentissimū. 3. Fiducia nostra est in Domino, etiamsi cœlum & elemēta concidant. 4. Ciuitas Dei est ecclesia, in qua fons est verbū Dei, habitacula sunt electæ animæ, protector est Deus, murus est fides & recta cōsciētia. 5. Victoria Dei sit nostra cōsolatio in motu & metu bellico. Istius victorię proprietates sunt quatuor: vid. terrere hostes siue coripsis adimere, quę est prima cōsolatio in bellis; pugnare forti manu, videl. cōscriptis militib. totius mūdi, h.e. vniuersis creaturis, quę militāt sub Jehoua Zebaoth; antehac edidisse specimina fortitudinis, habere nomē, titulū, & gloriā ducis victoriosi. 6. Tres sunt regulæ in motibus bellicis obseruandę: Silendum est, h.e. studendum patientiæ, humilitati & timori Dei; Deus est cognoscendus: Fidendum est Deo, quod ille sit gloriosè triumphaturus.

Psalmus XLVII.

Dispos. Duæ sunt partes. 1. de gaudio piorū, 2. de causa illius gaudij, videl.

regno Christi. *Obserua*.1. Modus gaudij spiritualis consistit in plenitudine corporis & animæ, vt interne & externe gaudeamus. 2. Materia siue causa gaudij nostri est Deus, cujus tituli sunt Jehoua, Altissimus, Reuerendus, Rex magnus supra totam terram: & effecta seu opera mirabilia in regno potentiæ & gratiæ. 3. Arca fœderis translata ex regia Dauidis in tabernaculum vocatur Deus ascendens cum jubilo: quia erat præsentiæ Dei symbolum diuinitus institutum. 4. Ascensio Christi hic describitur typice: vbi obserua, quis ascenderit, quomodo ascenderit, & quare ascenderit: nimirum Deus ascendit; ascendit glorioſe; ascendit vt sedeat in throno majestatis, vocet gentes & populos voluntarios.

Psalmus XLVIII.

Dispositio. Quatuor sunt mẽbra. 1. De protectore ciuitatis Dei. 2. De magnificentia ciuitatis Dei. 3. De protectione hujus ciuitatis. 4. De officio ciuiũ. *Obserua*. 1. Deus est protector ecclesiæ Catholicus. 2. Ecclesia est mons Dei & ciuitas ejus. 3. Dextera Dei est plena justitia, siue nos intelligamus, siue non intelligamus arcana dominationis ejus. 4. Deus est notus in palatijs ecclesiæ suæ. 5. Deus frangit insidias & vim hostium. 6. Ornatus & officium ecclesiæ est expectare bonitatem Dei, nomen ejus celebrare, exultare in Deo, & pro virili ædificare Hierosolymam, quod fit si quilibet faciat suum officium.

Psalmus XLIX.

Dispos. Duæ sunt partes. 1. Exordium. 2. Dissertatio de securitate, stoliditate & vanitate impiorum. *Obserua*. 1. Homo terrenus in honore similis est brutis in eo, quod felicitas ejus breuis est, eãq; excipit æterna miseria: sicut saginatio jumentorum breuis est, & nihil nisi ad mactationẽ præparatio. 2. Diuitiæ & honores tunc demum salutares sunt, quando illis conjungitur studium sapientiæ, cujus initiũ est timor Domini. 3. Diuitiæ hujus mũdi sunt pauperes & incertę, potentia impotens, gloria ignominiosa. 4. Diuitum sapientia est stolida, & exitus inglorius. 5. Concio de incertitudine & vanitate diuitiarum est plena sapientiæ, vt ex hujus psalmi exordio cõstat. 6. Impii non debent nobis esse formidabiles. 7. Stultitia mortalium in eo cernitur, quod confidunt in diuitijs vanis, & de iis gloriantur. 8. Vita bestialis causatur mortem bestialem. 9. Consolatio piorum aduersus insolẽtiam diuitum huius seculi est, quod ipsis aliquãdo sint dominaturi; quod Deus animam ipsorum sit liberaturus ex inferno, in quem coniiciuntur impii diuites; deniq; quod Deus animam illorũ sit susceptorus. 10. Nõ est, quod scandalizemur diuitiis improborũ, vtpote ipsa vanitate vanioribus.

Psalmus L.

Dispos. Psaltes docet hæc tria, 1. Quomodo Deus se patefaciat. 2. Quibus in re-

in rebus non consistat cultus Dei: vbi est redargutio opinionis prauæ de cultu ceremoniali, & vitæ impuræ. 3. Quibus in rebus consistat verus veri Dei cultus, nimirum in sancta precatione & vita. *Obseruationes.* 1. Maiestas Dei se patefacit patefactione maiestatis plena in libro naturæ & Scripturæ, per totum terrarum orbem, inde ab initio mundi. 2. Notæ veræ religionis sunt, sinceritas cultus, & efficacia verbi quantum ad legem & Euangelium. 3. Opera ceremonialia, quin & moralia, Deo non placent, si fiant sine fide & vera conuersione ad Deum. 4. Precatio, & immolatio veteris Adami in holocaustum, adeoque oblatio noui Adami in odorem bonæ fragrantiæ, sunt sacrificia θεῷ ἀρεστὰ. 5. Fundamentum precationis est præceptio & promissio Dei. 6. Proba & examen hypocritarum hoc loco proponitur in sex vitijs, vt sunt, larua pietatis, auaritia, impuritas, calumnia, superbia & securitas.

Psalmus LI.

Dispositio. Tres partes pœnitentiæ eleganti ordine hic proponuntur: puta contritio, fides, & studium bonorum operum. *Obseruationes.* 1. Quatuor sunt gradus per quos peccatores pœnitentes ad Deum redeunt accēdendo & descendendo. Ascensus est agnoscere peccata, & confugere ad misericordiam Dei: descensus est, misericordiam sibi applicare in Christo, & quotidie pœnitentiam instaurare. 2. Dauid petens se aspergi hyssopo, phrasi sacramentali petit se absolui sanguine Christi, aspersione hyssopi significato, hoc est, peccatum sibi remitti propter meritum Christi. 3. Peccatum est sordities animæ, quam sola Dei misericordia per sanguinem Christi & lachrymas pœnitentiæ eluit. 4. Gradus contritionis sunt tres; agnitio peccati, confusio faciei, & dolor ingens. 5. Agnoscere peccatum originale est inter fundamenta Theologiæ. 6. Arcana sapientia filiorum Dei posita est in eo, vt sciant quanam in re versatur remissio peccatorum. 7. Regeneratio est noua creatio. 8. Tria sunt præcipua capita consolationis Christianæ: remissio peccati, inhabitatio Spiritus Sancti, & constantia seu perseuerantia consolationis. 9. Fructus pœnitentiæ sunt, charitas proximi, precatio quotidiana, Spiritus contritus. Atque hæc sunt sacrificia, quæ Deo placent. 10. Solus Deus ædificat Hierosolyma, h. e. Ecclesiam in his terris militantem & in cœlis triumphantem, itemq; animam hominis regeniti.

Psalmus LII.

Dispositio. Tres sunt partes. 1. De calumniatorum natura. 2. De eorundem pœna. 3. De liberatione piorum. *Obseruationes.* 1. Cum hostes se strenuos gloriantur, quod innocentes opprimunt; pij ad se consolādos

opponant Dei misericordiam, quæ est quotidiana, nunquam deficiens, sed certo liberans pios: & justitiam, quæ strenua etiam est, certo tandem hostes destruens. 2. Calumniæ sunt verba absorptionis: quia nihil est ad absorbēdos tum innocentes, tum ipsosmet calumniatores efficacius calumnijs. 3. Calumniatorum natura est, gloriari de malitia, potentes esse in noxa, meditari & indesinenter factitare artem nocendi, linguam suam acuere ad nocendum, propendere denique ad loquendum potius falsum quam verum. 3. Pœna calumniatorum est certa seu infallibilis, & magna siue horrib lis. 4. Consolatio piorum aduersus calumnias est triplex: videre insaniam hostium & eam deridere: virere instar oliuæ: delectationem suam habere in Deo ejusque auxilio. 5. Votum Dauidis de hostibus perdendis non pugnat cum dilectionis regula: quia est vel propheticum, de certo interitu eorum ob finalem impœnitentiam; vel hypotheticum, *Destruet te Deus in æternum, nisi egeris pœnitentiam.* In comminationibus enim diuinis conditio impœnitentiæ, sicut in promissionibus resipiscentiæ finalis semper subintelligenda est, tametsi non exprimatur.

Psalmus LIII.

Dispositio. Tria hic docentur. 1. Quæ sit germanissima stultitia. 2. Quæ sit ipsius origo. 3. Qui sint ejus fructus. *Observationes.* 1. Stultitia mortalium est, ignorare Deum & seipsos, sicutè contrario solida sapientia consistit in cognitione Dei & nostri. 2. Fons stultitiæ istius est incredulitas & induratio cordis. 3. Fructus istius stultitiæ sunt, corruptum esse, & nocere seu corrumpere: ita vt corruptio passiua & actiua omnibus in vniuersum hominibus sit natiua. Corrumpere, inquam, omnia quæ pertinent ad gloriam Dei, & charitatem proximi. Quibus notis coniuratæ Synagoga Satanæ. 4. Impij timent vbi non est timor, hoc est, cum maxime simulant lætitiam, intus vexantur conscientiæ tormentis & sensu judicij diuini, quem excutere penitus non possunt, quin hunc quasi carnificem in sinu gestent: quia impietatis comes indiuiduus est mala conscientia, quæ surdo verbere cædit. 5. Summa lætitia & libertas piorum consistit in liberatione à seruitute peccati.

Psalmus LIV.

Dispositio. Psalmus hic absoluitur precatione & voto. *Observationes.* 1. Precatio pia multum valet: quia in momento penetrat nubes, & facit vt Deus nobis adsistat. 2. Proprietas hostium Dei est superbire, aduersari pijs, illis insidiari, Deum non curare. 3. Quatuor sunt fructus precationis: præsentia Dei, destructio hostium, sacrificium laudis &

dis & lætitiæ, consolatio & auxilium. 4. Pij licet in calamitatibus sæpe trepident: nunquam tamen penitus abijciunt auxilij diuini, & liberationis finalis fiduciam, qua & luctantur contra tentationem desertionis, & auxilium Dei implorantes certo liberantur.

Psalmus LV.

Dispositio. Psalmus hic continet querelam precatoriam, & insignem consolationem.

Obseruationes. 1. Exauditio precum non est nuda auscultatio apud Deum; sed efficacissima illarum obseruatio, numeratio & ponderatio, qua fit vt Deus attendat ad calamitates suorum. 2. Diabolus armat suos aduersus electos inuidia, maleuolentia & potentiæ. 3. Electi sæpe sentiunt infernales dolores in hac vita. 4. In calamitatibus debemus nobis optare alas columbæ, hoc est, fidem & precationem, quibus volemus & fugiamus ad Deum. 5. Quadruplex est persecutio Ecclesiæ: videlicet odisse pios, vnice hoc agere vt illis male sit, mentiri & fallere, denique simulare amicitiam. 6. Consolatio piorum est ruina hostium, precatio fidei, & auxilium Dei. 7. Iactare curam suam super Dominum, est agnoscere paternam & prouidam ipsius curam, in illa acquiescere toto corde, & euentum ipsi commendare per preces. 8. Speculum hypocritarum in hoc psalmo nobis exhibetur.

Psalmus LVI.

Dispositio. Hic Psalmus inscribitur aureolum Dauidis, in quo est querela precatio, & gratiarum actio.

Obseruationes. 1. Gratia & fauor Dei sonat & lenit omnem nostram crucem. 2. Spiritualis nostra armatura est verbum Dei, fides & precatio. 3. Hostes nostri nihil faciunt reliqui ad nos persequendum. 4. Hostes Euangelij oderunt & persequuntur confessionem fidelium & obseruant omnia ipsorum dicta & facta. 5. Consolatio in exilijs est, quod Deus numerat nostram fugam & lachrymas nostras, & tandem dat exire ex calamitatibus magno cum tripudio. 6. Deus nos liberat à morte, pedesque nostros dirigit, vt coram ipso ambulemus in luce. 7. Preces sanctorum in cruce fundari oportet in verbo & prouidentia Dei. Nisi enim persuasi simus ex verbo Dei, quidquid patimur, paterna Dei manu nobis immitti, & in bonum nobis cooperari, nunquam in eam precandi formam cum Dauide emergamus, quod Deus in lagena recondat lachrymas nostras, quarum intuitu ad opem nobis ferendam flectatur.

Psalmus LVII.

Dispositio. Psaltes orat, hostium naturam describit, & testatum facit suum propositum animi grati erga Deum. *Observationes.* 1. Fides in omnis generis calamitatibus nititur gratia Dei. 2. Præsidium sanctorum & ipsorum protectio cœlitus descendit. 3. Hostes nostri sunt crudeles instar leonum. 4. Gloria Dei innotescit per justa ipsius judicia. 5. Præparatio cordis consistit in abnegatione sui & precatione. 6. Lingua, qua Deus celebratur, est gloria nostra, coram Deo, angelis, & Ecclesia. 7. Gloria Dei longe lateque est propaganda, quoniam longe lateque patet. 8. Etsi pijs mentibus ad preces descensuris certum esse debet, Deo & præsentia & futura nostra, æterno, immutabili, sapientissimoque consilio statuta jam esse, nec persuasorijs argumentis Deum ad mutationem eorum flecti posse: tamen pie & recte adhibentur precibus rationes ex Dei natura & promissione, ex nostra indigentia, necessitate, fiducia, gratitudine, &c. Non ad mouendum Deum, sed ad testandam fiduciam atque obedientiam nostram, & ad excitandos atque confirmandos nos ipsos de exauditione: quia taliter precantibus Deus exauditionem promisit. 9. Deus exaltat se supra cœlos, non motu locali, sed declaratione majestatis & potentiæ suæ per opera gloriosa, quibus supra cœlos habitare seu cœlestis & omnipotens esse cognoscitur.

Psalmus LVIII.

Dispositio. Describitur natura persecutorum Ecclesiæ, ipsorum pœna, & euentus in manifestatione gloriæ Dei & gaudio piorum. *Observationes.* 1. Quatuor sunt proprietates & notæ persecutorum Ecclesiæ: non confiteri veritatem, exercere vim, sunt insanabiles inde ab vtero, non sustinent audire admonitionem. Hic instituatur antithesis piorum. 2. Consolatio aduersus persecutiones est auxilium Dei, vindicta ejus erga impios, & spiritualis lætitiæ. 3. Justi lætantur pœnis impiorum, non in quantum sunt eorum destructio, (sic enim nec Deus vult mortem peccatoris,) sed in quantum sunt gloriæ Dei ab eorum contumelijs vindicatio, & Ecclesiæ liberatio: quæ sunt magna bona, & justæ lætitiæ materia.

Psalmus LIX.

Dispositio. Psaltes precatur Deum contra hostes, prædicit hostibus interitum, & agit Deo gratias. *Observatio.* 1. In calamitatibus nostris victoria nostra est fides & precatio. Solus Deus est protector noster. 3. Regnum diaboli est mendacium & homicidium. 4. Deus ridet conatus hostium. 5. Diuitiæ bonitatis Dei sunt inexhaustæ & quotidianæ. 6. Expedit plerumque,

que, vt Deus hostes Ecclesiæ non in momento, quod nos cuperemus, sed sensim conficiat: vt & illustriora tandem fiant Dei judicia, & nostra fides, patientia atque constantia reddantur auro purgato probatiora. Ita enim habemus perpetuum spectaculum iræ Dei, & theatrum ipsius gratiæ erga pios. 7. Impiorum doctrina & vita est mala. Nullam quoque habent consolationem aut satietatem cordis sui, sed perpetua fame cruciantur.

Psalmus LX.

Dispositio. Post titulum est querela & consolatio. *Obseruationes.* 1. Licet non raro Ecclesia penitus oppressa videatur ab hostibus: Deus tamen suo tempore nouit excitare vindices, qui vexillum verbi Dei rursus erigat, & Ecclesiam in libertatem vindicent. 2. Magna est illa Dei ira, qua excitat hostes, qui vastitiem adferunt terræ, politiæ, Ecclesiæ & familijs. 3. In calamitatibus bellicis oportet implorare auxilium Dei Zebaoth, vt ille erigat vexillum victoriæ suæ catholicissimæ. 4. Deus nobis loquitur partim in verbo, partim in templo, partim in corde per lætitiam, tristitiam, amorem, & desiderium sui. 5. Vera religio, & pius magistratus sunt duo ingentia Dei beneficia. 6. Quatuor sunt gradus auxilij Dei: nos deducere in locum munitum, nobis præire in militia, nobis militantibus opem ferre, denique in *D*eo facere strenue.

Psalmus LXI.

Dispositio. Psaltes orat, se consolatur, & vouet votum. *Obseruationes.* 1. Consolatio cordis afflicti est vociferari ad Deum, vt ille sit petra & turris nostra. 2. Consolatio in exilio est fiducia illa Christianorum, qua confidunt & sentiunt se permansuros in tentorijs Dei sui. 3. Publica Ecclesiæ & reip. pax atque prosperitas est ingens donum, ideoque à Deo assiduis precibus est impetranda, pro impetrata vero etiam gratiæ Deo sunt agendæ. 4. Deus custodit pios magistratus. 5. Votum Christianum recte nuncupatum Deo recte est persoluendum.

Psalmus LXII.

Dispositio. Psalmus hic constat alterna testificatione patientiæ & reprehensione hostium Dei. *Obseruationes.* 1. Anima nostra tantummodo in Deo conquiescit, habendo ipsum pro summo bono in rebus secundis & aduersis. 2. Fundamentum Christianæ patientiæ siue sacri silentij est fides erga Dei promissiones. 3. Filij Dei semper & vbique circumdantur insidijs & mendacijs. 4. Deus est nostra salus, gloria & fortitudo in tribulationibus. 5. Victoria spiritualis consistit in spe, precatione & fide *vers.* 9. 6. Vanitas mortalium consistit in eo, quod sunt peccatores, homines nauci, & morti obnoxij. 7. Maximus impietatis cumulus est confidere oppressioni. 8. Solus Deus est potens, misericors & verax.

Psalmus LXIII.

Dispositio. Duæ sunt partes: sanctum desiderium, & firma fiducia. *Observationes.* 1. Desiderium Dei consistit in fide, spe & charitate. 2. Sanctuarium Dei est templum in quo habitat templum cordis. Nam templum externum animatur per templum internum non aliter atque corpus per animam. 3. Dei bonitas est melior quam hæc vita naturalis. In illa siquidem consistit vita spiritualis & æterna. 4. Vita spiritualis consistit in desiderio laudis Dei, gaudio conscientiæ, & perpetua recordatione Dei. 5. Auxilium Dei est certum seu infallibile, & mirabile. 6. Fides nostra constanter adhæret Deo. 7. In caput impiorum recidit, quod illi machinantur pijs. 8. Hominis Christiani est lætari in Deo. 9. In persecutionibus demum, quando priuati sumus vero Dei cultu, agnoscitur, quantum sit bonum, liberum veræ religionis & cultus Dei beneficium. Quare dum eo fruimur, pro ejus conseruatione Deus sedulo est inuocandus.

Psalmus LXIV.

Dispositio Hic Psalmus continet precationem, descriptionem calumniæ, denuntiationem pœnæ, & euentum illius pœnæ. *Observationes.* 1. Quanto præsentiora sunt piorum pericula, tanto impensius Deum inuocant, tantoque præsentius est Dei auxilium. 2. Contra calumniatores æque atque contra diabolum oportet implorare Dei auxilium. 3. Spiritus mendacij inficit omnia veneno, acuit gladium linguæ, agit ex insidijs, est audax, ponit laqueos, comminiscitur varia. Atque hæc est armatura hominum διαβολικῶν. 4. Deus agit cum calumniatoribus ex lege talionis, & adhibet tela iræ justæ, quoniam illi adhibent tela iracundiæ. 5. Præmium calumniæ est confusio, in quam incidunt capti vel decepti ex propriæ linguæ. 6. Judicia Dei tandem fiunt manifesta coram toto mundo. 7. Judicia Dei impijs terrorem incutiunt, pijs lætitiam adferunt.

Psalmus LXV.

Dispositio. Hic Psalmus est Catalogus beneficiorum Dei in statu Ecclesiastico, politico & œconomico. *Observationes.* 1. Homo conditus est ad colendum DEVM: quam ad rem pertinent precatio, agnitio peccati, & habitatio in atrijs Dei seu in Ecclesia. 2. Mundus regitur arcana Dei prouidentia per preces sanctorum & magistratum politicum. 3. Deus magistratum fundat, defendit & conseruat. 4. Sicut corona & annus in se redeunt: ita beneficentia Dei est semper recurrens & in se rediens. 5. Deus omnia lætificat & fœcundat. 6. Deus visitat terram fœcundando. 7. Veræ diuitiæ non sunt aurum & argentum,

sed

sed benedictio Dei corporalis & spiritualis. 8. Fons gratiæ Dei est inexhaustus. 9. Deus coronat annum quotidie largiendo benedictionem, & dando varia bona varijs anni temporibus, & in varijs mundi locis.

Psalmus. LXVI.

Dispositio. Psaltes celebrat Deum, & docet rationem colendi Deum. *Obseruationes.* 1. Spiritus jubilationis spiritualis est donum Dei longe maximum. 2. Mirabilia sunt Dei opera. 3. Jugis meditatio operum Dei adfert solidum gaudium. 4. Agnitio Dei parit ipsius amorem, amor Dei parit laudem Dei: laus Dei posita est in excitatione cordis nostri & aliorum, qui veluti celeusmate sunt excitandi. 5. Solus Deus conseruat vitam nostram animalem & spiritualem. 6. Proba fidei nostræ fit per aquam & ignem, id est, omnimodam tribulationem, quæ purgat nos instar aquæ & ignis, ita vt mergamur subinde, & flammis tentationum exerceamur. 7. Crux est carcer, in quo Deus edomat nostram petulantiam & stultitiam. 8. Deus nobis imponit onus crucis. 9. Deus non exaudit precantes sine fide, & cum polluta conscientia. 10. Oportet Deo sacrificare sacrificium fidei, id est, Christum, & sacrificium vitæ, id est, sanctimoniam & precationem. Illud est sacrificium ἱλαστικὸν, hoc δικαιστικόν. 11. Votum debet proficisci ex fide, secundum legem Dei, ad nominis Dei gloriam. 12. Deus non repudiat pias preces.

Psalmus LXVII.

Dispositio. Agitur hic de fundamento seu capite Ecclesiæ, & illius bonis. *Obseruationes.* 1. Benedictionis diuinæ fons est misericordia Dei, quæ fundat Ecclesiam in Christo. 2. Vocatio gentium hic describitur. 3. Octo proprietates seu bona regni Christi, hoc est, Ecclesiæ, hic describuntur: gratia Dei, benedictio Dei, illuminatio Dei, agnitio Dei, gratiarum actio, gaudium, regimen paternum, fœcunditas quæ cernitur in fructibus fidei & propagatione veræ religionis, denique timor Dei.

Psalmus LXVIII.

Dispositio. Psalmus cõstat exordio laudatiuo, & oratione pathetica laudis. *Obseruationes.* 1. Deus triumphat de hostibus suis, dissipando ipsorum consilia instar alicujus fumi. 2. Proprium piorum in quarto modo est lætari coram Deo & in Deo. 3. Oportet regi nostro cœlesti Jesu Christo præparare & complanare viam per fidem, obedientiam, preces & gratiarũ actionem. 4. Christus est Rex mitis, dominator, pater pupillarum, judex viduarũ, & liberator captiuorũ. 5. Deus semper adest & præest suo populo. 6. Deus præsentiam suam facit testatam duob. modis, per tonitrua legis, & pluuiam Euangelij. 7. Deus propagat Euangelium late, victoriose & clare. 8. Fœcunditas Ecclesiæ cernitur in ejus propagatione & fructibus.

9. Currus triumphalis Christi est multitudo electorum, quos liberauit, & hostium, quos superauit. 10. Triumphus Christi est in his positus, quod ascendit in altum, captiuam duxit captiuitatem, & dona distribuit hominibus. 11. Ascendente arca in montem, Christus dicitur ascendisse in cœlum *Ephe. 4.* primum in typo, metonymia sacramentali: deinde in celebratione Ecclesiæ, quæ Deum effert laudibus, per metaphoram: denique sensu literali in locali isto motu Christi supra omnes cœlos. 12. Consolatio in schola crucis est, scire quod Deus imponat hoc onus; item quod ille juuet liberando, mitigando, consolando: precari Deum: denique scire & confidere, quod Deus sit vindicaturus malitiam hostium nostrorum. 13. Majestas regis nostri Jesu Christi cernitur in ornatu & deductione regis, in musica regali, in comitatu regio in fundamento regni perpetuo, denique in donis quæ ipsi offeruntur certatim. 14. Persecutores Ecclesiæ sunt bestiæ feræ & boues grandes. 15. Ecclesia & fides non possunt impediri ab hominibus, sed crescunt & vigescunt in medijs persecutionum flammis.

Psalmus LXIX.

Dispositio Hic Psalmus est typicus, constans petitione & conclusione laudatiua. *Obseruationes.* 1. Aqua perueniens ad animam est sensus iræ Dei ob peccatum. Hic differatur de altitudine & profunditate crucis Christi & electorum. 2. Peccata sunt cœnum profundissimum, in quod Christus est demersus, & in quo nos quotidie hæremus. 3. Christus passus est interne & externe, in anima & corpore, ab amicis & inimicis suis. 4. Peccatum est stultitia illa, cujus pœnam luit Christus, æterna illa sapientia Patris. 5. In Christi passione notetur precatio, obedientia, zelus, lachrymæ, calumniarum perpessio, desertio ad tempus, patientia, mansuetudo. 6. Pœna, quæ manet Judæos hostes Christi, est ipsorum reprobatio, illorum excæcatio, iræ Dei effusio supra illos, deuastatio terræ, desertio ipsorum, & æterna damnatio. 7. Cordolium Christi est nostrum refrigerium. 8. Nostri muneris est lætari propter sacrificium Christi, & offerre Deo sacrificium laudis, excitando nos ipsos & alios atque componendo ad interiorem lætitiam, quam nobis Christus peperit. 9. Qui æterno electionis consilio scripti sunt in libro vitæ, nunquam inde delentur. Deleri vero dicuntur, qui externa tantum vocatione, professione & specie in illo fuerunt scripti. Quo pertinet quod Augustinus dicit, *Delere de libro vitæ est ostendere, quod aliquis ibi non sit scriptus.*

Psalmus LXX.

Dispositio. In hoc Psalmo occurrit precatio & optatio. *Obserua.* 1. Sancti petentes festinam liberationem, non præscribunt Deo, sed magnitudi-

gritudinem periculi, & ardens auxilij desiderium atque fiduciam cum subjectione declarant. 2. Maledicta recidunt in caput maledicorum. 3. Gaudium nostrum in Domino triumphat de persecutionibus hostium nostrorum. 4. Fides à miseria hominis confugit ad misericordiam Dei.

Psalmus LXXI.

Propositio. Hic psalmus constat ex duabus partibus: prior est petitio, posterior votum laudis & gratiarum actionis.

Observationes. 1. Fundamentum precationis & fiduciæ nostræ sit promissio Dei, qui suos non pudefacit. 2. Bonitas conscientiæ & causæ facit ad alacritatem precationis. 3. Deus est arx inexpugnabilis omnibus illis, qui se ad ipsum recipiunt. 4. Quiuis homo in corpore & vita sua habet monumentum & testimonium benignitatis Dei. 5. Electi sunt velut ostentum coram hoc mundo. 6. Sancti licet de gratia perseuerantiæ sint certi sensu fidei, ex promissione Dei: tamen eam sibi à Deo dari quotidie ardenter petunt: quia promissiones non minuunt vel tollunt, sed requirunt & excitant precandi studium. 7. Patientia & preces sunt victoria piorum. 8. Impij ad tempus jubilant: tãdem vero jubila conuertuntur in nubila. 9. Homo electus incedit in robore Dei, quantum ad vitam animalem & spiritualem. 10. Opera Dei sunt altiora, quam vt à nobis comprehendi queant. 11. Omnia nostra debemus incipere à laude Dei, & in illa terminare.

Psalmus LXXII.

Dispositio. Etsi hic psalmus literaliter est votum patris Dauidis pro filio Salomone: prophetice tamẽ felicitatẽ & majestatem regni Messiæ eodem describi, attributa regno Salomonico competentia euidenter docent. Distincte igitur attributa communia vtrique regno, & attributa regni Christi propria explicentur.

Observationes. 1. Christus à Patre vnctus est rex ecclesiæ. 2. Regnum Christi commendant justitia, judicium, pax, felicitas inuicta & perpetua, clementia erga egenos, beneficentia, vbertas rerum, amplitudo dominij, obedientia populorum, & gratitudo subditorum.

Psalmus LXXIII.

Disposit. Tres hic sunt partes. 1. Descriptio conditionis impiorum. 2. Pœna impiorum. 3. Consolatio piorum.

Observ. 1. De apparente ἀνωξίᾳ in mundo, quod plerumque impiis florentibus, pij iacent afflicti, non ex sensu rationis & carnis humanæ est iudicandum, sed ex verbo Dei causæ illæ discendæ sunt. 2. Deus est inæsti-

mab le bonum Israeli, h.e. omnibus ii qui puro corde ipsi adhærent. 3. Judicium carnis facile fallit. 4. Impij abutuntur rebus secundis. 5. In pijs est lucta carnis & spiritus. 6. Ex cõditione hominis externa nõ est pronuntiandum de ipsius pietate vel impietate. 7. Judicium Dei tandem fit manifestũ in impijs. 8. Magnum est discrimen inter sapientiam terrenam & cœlestẽ. 9. Cognitio & timor Dei est vera sapientia, cuius fructus est defensio & ductus diuinus. 10. Summum bonum est habere Deum sibi propitium.

Psalmus LXXIV.

Dispos. Agitur hic de persecutione, precatione & consolatione.

Observ. 1. Deus immittit horribiles pœnas & furores hostium propter contemtum verbi & nominis sui. 2. Fauor Dei est nostrum asylum inter furores hostium. 3. Pœnitentia, fides & precatio necesse est vt nitatur fundamento promissionis Dei: quæ si absque hoc sit, anima præceps ruit in barathrum desperationis. 4. Tres sunt consolationes, quæ instar fasciculi reliquas comprehendũt: videl. quod Deus elegerit & acquisierit ecclesiam, quod illa sit hæreditas ejus, denique quod sit locus quietis & habitationis ipsius. 5. Triplex est desolatio ecclesia: videlicet sanctuarij, domorum seu familiarum, quæ sunt domesticæ Ecclesiæ & publici exercitij religionis. 6. Conuitia quibus impetitur fides & confessio sanctorum, redundant in Deum. 7. Quintuplex consolatio hauriri potest ex consideratione omnipotentiæ & sapientiæ Dei, hoc modo: Deus est noster Deus ab antiquo, domans mare & monstra marina, Educens & exsiccans fontes, Efficiens vicissitudinem temporis, ponens terminos cuilibet regioni. 8. Hostes ecclesiæ sunt similes feris bestijs. 9. Homo vetus est instar bestiæ, quæ nihil intelligit & impure viuit. Magnum igitur Dei beneficium est regeneratio. 10. Fœdus gratuitum est fundamentum consolationis. 11. Inopes & afflicti celebrant Deum ipsique dant gloriam. Et hæc est maxima ipsorum gloria. 12. Vera religio est causa Dei, quam ille tandẽ asseret. 13. Non quia ecclesia sculpturas templi ab hostibus bipenni confractas esse conqueritur, male facit magistratus Christianus, imagines & sculptilia idololatrica è templis remouens. Illæ enim tantum habebant ornatum templi, vel indifferentem, vel typicum: hæc vero ad cultum vel scandalum sunt posita, neque templa ornant, sed deformant.

Psalmus LXXV.

Dispositio. Hic psalmus continet gratiarum actionem, comminationem & consolationem.

Observationes. 1. Judicia Dei sunt celebrãda. 2. Columnæ regnorum terrenorum

rerorum sunt purus Dei cultus, honestæ leges & bona disciplina. 3. Quinque sunt proprietates superborum: videl. esse jactabundos, gloriari de potentia, loqui magnifica & vana, esse securos, non timere Deum. 4. Calix, quem Deus in manu sua habet, notat afflictiones piorum & impiorum, inter quas plurimum interest. Nam pii bibunt calicem vsque ad fæces & sine fæcibus (quia judicium à domo Dei incipit) impii exhaurient etiam fæces, h. e. peribunt finaliter. De calice piorum vide *Psal. 16.* de impiorum *Psalm. 11.*

Psalmus LXXVI.

Dispositio. Hic psalmus celebrat cognitionem, inhabitationem, victoriam & iudicium Dei.

Observ. 1. Primum, antiquissimum & singularissimum Dei beneficium in ecclesia est gratiosa patefactio. 2. Deus habitat in Salem & Sion, h. e. in congregatione piorum, in corde deuoto, & in cœlis. 3. Impii luunt pœnas furoris sui: quia Deus de illis triumphat, & montes direptionis h. e. potentissimos hostes frangit. 4. Judicium, quod piis negatur in terra, conceditur in cœlis. 5. Qui pugnant in filios Dei, pugnant in Deum, & proinde in iis manifesta fit gloria victoriæ Dei, qui animum eripit principibus, & illorum vires contundit.

Psalmus LXXVII.

Disp. Usitate hic psalmus appellatur melancholicus, vbi obserua melancholiæ originem, magnitudinem & curationem siue sanationem.

Observationes. 1. Primum & vltimum, seu alpha & omega in cruce fit precatio. 2. Tria sunt media, quibus pax conscientiæ obtinetur, & cor Deo vnitur: videl. in afflictione recordari Dei, vigilare ad Deum, colloqui cum corde suo ita vt obruat se spiritus noster & diligenter meditetur. 3. Tentationibus obortis ex infirmitate carnis, quasi Deus nos deseruerit in afflictionibus, vel inconstans sit in suis promissis, non est cedẽdum, sed opponendum est verbum Dei ἀναψόφησιν, i. e. promissio Dei, & perpetua experientia, seu consideratio beneficiorum Dei. Ex his enim argumentis liquido discitur, Deum sibi perpetuo constare, & in natura, συγκρ. atq; amore suo erga suos & ecclesiam esse inuariabilem.

Psalmus LXXVIII.

Dispositio. Hic psalmus est compendium pentateuchi, constans exordio & narratione historica.

Observ. 1. Hinc discimus, quis sit vsus historiæ sacræ: vt sit speculum & regula fidei & vitæ, quatenus cõfirmat nos in fiducia in Deum, & ob oculos ponit exempla fidei, spei & charitatis, & quæ illis sunt contraria.

2. Deus

2. Deus nos suauissime inuitat ad verbi sui prædicationem. 3. Fides in Christum inde ab initio mundi viguit in ecclesia & cordibus electorum 4. Totum V.T. fuit præfiguratio N.T. quantum ad beneficia Dei, bella continua, politiæ perfectionem, ingratitudinem populi, & pœnam ingratitudinis. Hic accommodentur summatim beneficia Dei & maleficia populi Judaici, quorum fit mentio in hoc psalmo, & ad oculum ostendatur, plagas Ægypti, exitum ex Ægypto, deductionem per desertum, murmur populi, & similia, adhuc cerni in mundo. 5. Deus tentatur, cum vel potentia & veritas eius in dubium vocatur, aut negatur: vel experimentum eius capitur, faciendo aliquid à vocatione alienum. 6. Hypocritæ blándiuntur Deo ore suo, & lingua sua mentiuntur ei: cor autem eorum non est rectum cum eo, nec fideles sunt in pacto eius: & tamen quandoque Deus eis misericorditer condonauit, vt non disperderet eos, propter gloriam suam.

Psalmus LXXIX.

Dispos. Psalmus hic continet narrationem historicam, & precationem patheticam.

Obseru. 1. Falsatio & profanatio cultus Dei est maxima tetræ calamitas, & principium omnis mali. 2. Ecclesia semper habet martyres. 3. Fideles sunt impij κατ' ἐξοχήν. 4. Iram Dei debemus deprecari, & illam hostibus imprecari. 5. Remissio peccatorum humiliter & fiducialiter à Deo est petēda. 6. Deus est Deus salutis. 7. Deus afficitur cōtumeliis in sanctis suis. 8. Consolatio eximia est, quod in mediis flammis calamitatum sumus oues Dei. 9. Ecclesia petit septuplum reddi hostibus, non eius pœnæ, qui sunt peccatis commeriti (hoc enim iniquum foret) sed eius mali quod ipsi intulerunt Deo & ecclesiæ.

Psalmus LXXX.

Dispositio. Psaltes tria agit. 1. Conqueritur de calamitate ecclesiæ. 2. Depingit ecclesiam viuis coloribus. 3. Deum inuocat. *Obseruationes.* 1. Deus est pastor Israelis beneficus & magnificus. 2. Deus excitat potentiam suam in operibus naturæ & gratiæ. 3. Grauissima est tentatio, si homo electus opinetur Deum fumare contra orationem populi sui. 4. Pii lachrymæ cōmouent viscera misericordiæ Dei. 5. Ecclesia confertur cum vite, propter externam speciem, quæ est humilis, & propter insignem fœcunditatem atque vtilitatem, denique propter culturam & vnionem mysticam quam habet cum Christo. 6. Deus permittit vastari sepem ecclesiæ propter impietatem nostram. 7. Perseuerantia finalis in fide, & protectio ecclesiæ, nunquam non à Deo est petenda.

Psalmus

Psalmus LXXXI.

Dispositio. Hic psalmus continet orationem prophetæ & Dei. *Obseru.* 1. Verus Dei cultus septem proprietatibus est insignis: videl. gaudio interno & externo, cognitione Dei, celebratione nominis Dei, titibus à Deo institutis seu ordinatione Dei, agnitione miserię & liberationis. 2. Fiducia in solo Deo est collocanda. 3. Pœna infidelitatis est desertio Dei. 4. Deus αὐθρωποπαθῶς optat hominum conuersionem, vt testatum faciat, tum quantopere hominum salute delectetur, tum vt illos voto suo ad conuersionẽ alliciat, tum denique vt non resipiscentes sint ἀναπολόγητοι.

Psalmus LXXXII.

Dispositio. Hic psalmus constat ex doctrina, reprehensione & precatione. *Obser.* 1. Deus est supremus judex loquendo in verbo, dando sapientiã, & exercendo judicium in conscientia. 2. Magistratus debet facere officium suum ἀοκνοπολύπρως. 3. Magistratus & judices, quia vicem Dei in judicio sustinent, dignitate & potentia muneris sui efferri non debent, sed Deum, justissimum judicem, in judicio præsentem reuereri, & perpetuo memores, quod & ipsi mortales judicium Dei aliquando sint subituri, intra modestiæ & æquitatis limites se continere. 4. Judices vocantur *Elohim*, i.e. dij, non essentia, vel essentiali conformitate cum Deo, sed officij potestate, qua Dei nomine causas disceptant & iudicant in mundo, tanquam λειτουργοὶ i.e. ministri Dei in iudicio.

Psalmus LXXXIII.

Dispos. Psalmus continet exordium, expostulationem & imprecationem. *Obseruationes.* 1. Nunquam sunt defuturi hostes, domestici & externi, ecclesiam oppugnantes, atque opprimere conantes: aduersus quos à Deo petere debemus auxilium & defensionem. 2. Petere debemus, vt Deus conuertat hostes, si sint sanabiles, aut perdat, si deplorati. 3. Deus sæpe occultat auxilium, & nihilominus auxiliatur mirabili modo. 4. Antichristi notæ & proprietates sunt, efferre caput, insidiari electi more serpentis, eosdem persequi ad instar lupi & fœdus pangere aduersus Deum. 5. Facillimum est Deo, delere & sopire hostes per vnam etiam creaturam. 6. Tandem hostes Dei necesse habent confiteri, Deum esse Jehouam, & excelsum supra omnem terram.

Psalmus LXXXIV.

Dispositio. Hic psalmus continet commendationem ecclesiæ, cui admixtum est desiderium Dauidis: & precationem. *Obser.* 1. Instrumẽta musica vtiliter adhibentur ad cultum Dei, si cor hominis sit spirituale orga-

num Musicum. 2. Summa felicitas in terris est, esse ciuem veræ ecclesiæ, in qua viget vera Dei agnitio, inuocatio & cultus: quia extra eam non est salus. 3. Habitaculum Dei est quadruplex: cœlum, ecclesia, cor pium: & corpus Christi. Quæ habitationes eleganter & vtiliter inter sese conferuntur. 4. Sex sunt γνωρίσματα ciuium ecclesiæ: videl. desiderium pium videndi & colendi Deum: gaudium ortum ex illo desiderio; agnoscere miseriam ita vt nos abjiciamus coram Deo; beatos se prædicare si possint manere in domo Dei, Deo adhærere, ambulare per vallem miseriæ, ibiq; fodere fontem gratiæ Dei Patris, justitiæ Christi, & communicationis Spiritus sancti. 5. Pastores verbi debent aperire fontem salutis, h.e. prædicare remissionem peccatorum. 6. Deus est Sol & scutum nostrum. 7. Deus nostri miseretur intuendo faciem Christi.

Psalmus LXXXV.

Dispos. Psalmus est bimembris. Continet enim narrationem historicã beneficiorum Dei, & precationẽ pro tribus statib. vitę humanæ. *Obseru. 1.* Syllogismus practicus historiæ sacræ est: Deus optime maxime, sẽper fuisti benevolus antehac. Ergo & nunc esto benevolus. 2. Benevolẽtia Dei in primis est conspicua in remissione peccatorũ. 3. Extra Dei gratiã & benevolentiã nulla est salus. 4. Etsi pij vera fide intuẽtes promissiones euãgelij, de remissione peccatorũ & gratia Dei semper confidunt: tamen tunc demũ sentiunt, sibi vere peccata remissa esse, quando etiã effecta peccatorũ, morbos & omnis generis calamitates sibi mitigari vel tolli vident. 5. Summus quies animæ est, audire quid Deus loquatur. Hoc est sabbatũ verũ. 6. Pax conscientiæ quæritur & invenitur apud Deum gratiosum & misericordẽ. 7. Pax cõscientiæ mitigat omnes calamitates. 8. Deus ipse est omnib. pijs, etiã in cruce. 9. Justitia & pax se osculantur in Christo in quo cernere est diuinissimũ temperamentum benignitatis & severitatis Dei. Huc pertinet prosopopœja Bernhardi, qua introducit quatuor virgines colloquentes coram Deo. Justitia accusat genus humanum: misericordia suscipit partes aduocati: veritas astipulatur justitiæ, & illius sententiam confirmat: fides siue pax prodit, & promissiones Dei vrget. 10. Psalmus hic est illustris typus de regno Messiæ *à v. 10 ad finem.* 11. Magistratus ornamenta sunt religionis honor, orationis feruor, justitiæ splendor, & exempli seu imitationis decor. 12. Sola Dei benedictio ditat.

Psalmus LXXXVI.

Dispositio. Psalmus hic complectitur precationem, & gratiarum actionem. *Obserua. 1.* Proprium piorum in quarto modo est precari. 2. Deus lætificat cor lætitia solida. 3. Deus nil nisi vita est & benignitas. 4. Deus benignitatem suam nobis impertit per preces. 5. Deus est mirabilis in suis operibus, neque ipsi aliquis est similis. 6. Nisi Deus vniat & muniat cor

nostrum,

mostruam, actum est de nobis. 7. Viæ Domini sunt fides & sancta vita. 8. Gratiarũ actio æque decet filios Dei atque precatio. 9. Omnes filij Dei suos habent hostes, contra quos vnicum præsidium est misericordia Dei, qui solus efficit signum erga ipsos, quod ipsis est bono. 10. Sancti allegant pro argumento benignitatem suam in proximos: non vt ea tanquam merito nitantur in Dei judicio, sed vt testentur bonam suam conscientiam, & grauent inimicos, quod se insontes persequantur.

Psalmus LXXXVII.

Dispositio. Hic psalmus describit ecclesiæ fundamentum, & ornamentũ. *Obseru.* 1. Una Dei ecclesia supra omnia mundi regna & politias splendore & felicitate excellit: quia Deum habet perpetuum salutis suæ custodẽ, ejusq; spiritu gubernatur ad vitam æternam. 2. Fundamentum ecclesiæ est dilectio Dei ardentissima. 3. Dilectio Dei lucet in omnibus ejus operibus; inprimis autem conspicitur ex incarnatione Christi ejusque passione, ex inhabitatione Spiritus S. in nobis, ex inhabitatione ejus in ecclesia, deniq; ex vocatione gentium in ecclesiam.

Psalmus LXXXVIII.

Dispositio. Psalmus est χειμαστικὸς, complectens patheticam narrationem calamitatis, & expostulationem cum Deo. *Obser.* 1. Deus dicitur nõ recordari mortuorum, quoad beneficia, quæ viuentibus, non vero mortuis præstat; quoad sensum humanæ rationis, quæ extra Dei verbũ judicat de statu mortuorum; deniq; quoad sensum infirmitatis piorum, qui sæpe tentationibus carnis superati in fide prouidentiæ Dei circa mortuos vacillãt. 2. Dei ingenium est deducere hominẽ in infernum, priusquam ipsi aperiat cœlũ. 3. Angor conscientiæ non est signum reprobationis. 4. Deus immittit tentationes conscientiæ, vt eneruet peccatum; probet fidem, spem & charitatem; opem deniq; suam commendabiliorem reddat. 5. Dilatio diuini auxilij non est signum iræ punientis, sed gratiæ castigantis, & ad pœnitentiã inuitantis. 6. Sancti refugiunt & deprecantur mortem, quatenus est naturæ destructio, & ecclesiæ Deum hic celebrantis imminutio eandem vero expetunt, quatenus est ab ærumnis hujus vitæ liberatio, & in cœlestem vitam transitus.

Psalmus LXXXIX.

Dispos. Hic psalmus cõtinet laudationẽ Dei, & expostulationẽ cũ Deo cõjunctã cum petitione. *Obser.* 1. Quotidie debemus celebrare gratiã Dei & fœdus Dei gratuitum cũ homine initum. 2. Regnum Dei describitur ab attributis regis, & splendore regni. 3. Christus describitur quoad personã, officium & beneficia sua *versu* 20. *& seqq.* 4. Crux est paterna castigatio

Dei,qui non aufert benignitatem ſuam à dilectis ſuis filiis. 5. Ira Dei eſt ignis,quem fouent ſtipulæ peccatorum,extinguunt lachrymæ pœnitẽtiæ per ſanguinem Chriſti. 6. Nihil æque flectit Deum & miſericordiam eius impetrat,quam ſi miſeriam & vanitatem ſuam agnoſcat,& fiduciam ſuam recolligat ex beneficiorum præſtitorum commemoratione.

Pſalmus XC.

Diſpoſ. Pſalmus poſt titulum cõtinet narrationẽ de miſeriis vitæ noſtræ, & precationẽ. *Obſer.* 1. Etiã piis nimium adhęret ſecuritas & opinio æternitatis huius mundi: ideoq; & ipſi opus habẽt doceri de fugacitate huius vitę,vt ſenſus ſuos à cura rerum caducarum ad conſiderationem vitę cęleſtis abſtrahere diſcant. 2. Duodecim capita quotidianæ conſiderationis nobis hic proponuntur, hoc ordine: Vita Dei eſt breuis & laborioſa:Solus Deus eſt habitaculum & aſylum piorum: Deus eſt aſylum æternum:Nemo homo moritur caſu fortuito,abſq; Dei conſilio:Æternitas eſt ſupra & extra tempus,ideoq; neſcit mutationem: Vitæ noſtræ breuitas & fugacitas diſcenda eſt ex vigilia noctis,fluuio,ſomnio,& flore, adeoque ex libro naturæ;ad quem accedit liber ſcripturæ S. & experientiæ vniuerſalis:Hominis mors eſt fructus peccati,quod Deum in apricum profert: Vita hominis etſi quotidie decreſcit,ſecuritas tamen magis magiſque indies creſcit: Vita vitæ noſtræ & longitudo breuiſſimorum dierum noſtrorum eſt prolixa Dei gratia erga nos:Poſt nubila oritur ſol iuſtitiæ & lætitiæ: ſumma ſapientia eſt, opera & gratiam Dei cognoſcere, & illius benedictionem ſentire in operibus manuum noſtrarum h.e.in vocatione noſtra.

Pſalmus XCI.

Diſpoſ. Hic occurrit oratio pſaltis & Dei. *Obſer.* 1. Pii ſæpe offendunt,etiam in viis ſuis ambulantes. Hoc autẽ fit ipſorum culpa,quod non ſatis circumſpecte & in timore Dei ambulant. Fit inſuper ipſorum bono,vt ſuæ infirmitatis commonefacti ambulent cautius, cum aſſidua inuocatione Dei. Denique non colliduntur ſicut impii. 2. Decem ſunt capita cõſiderationis in hoc pſalmo:In omnib. anguſtiis animæ & corporis latibulum excelſi & vmbra omnipotẽtis eſt ſumma protectio & cõſolatio noſtra: Magna eſt fiducia hominis electi,qua libere cũ Deo loquitur: Præſidio angelorũ munimur aduerſus inſidias & potentiã Satanę: Quatuor ſũt plagę,quę hominẽ moleſtãt,videl. terror noctis ſeu cõſcientiæ in rebus aduerſis,ſagittę volantes de die h.e tentationes in rebus ſecundis,peſtis h.e. morbus venenatus,& lues vaſtans in meridie h.e.ſolicitudo huius vitæ; cõtra quas vna eſt medicina, confugere ad Deum, & ipſi commendare vias noſtras:

Deus

Deus inter medios hostes seruat suos: Deus retribuit impijs retributione plena, justa & delectabili: Angeli nos custodiunt in vijs nostris: Deus dat nobis vincere diabolum per veram fidem: Precatio ex fide profecta maximæ est virtutis & efficaciæ: Deus nobis est præsentissimus in periculis.

Psalmus XCII.

Dispositio. Hic Psalmus continet laudationem Dei, & antithesin conditionis impiorum & piorum. *Obseruationes.* 1. Bonitas Dei debet esse quotidianus panis cantici nostri. 2. Laus Dei est præstantissimum hominis Clinodium: quippe quod est insigne omnium sanctorum in altera vita, hominum dico & angelorum 3. Impij primo florent, sed postea magis magisque marcescit. 4. Duæ sunt viæ consequendi honorem & felicitatem, pietas & impietas. 5. Impiorum prosperitas maturius eis exitium accersit, non secus ac falcem maturitas herbarum, & saginatio porcorum mactationem. Itaque stultitia est, quod impij prosperitate sua efferuntur; præpostera vero æmulatio, quod pij eadem offenduntur. 6. Pij perpetuo virent vt palma coram Deo. Virent inquam per fidem in Christum, & fructus fidei multiplices.

Psalmus XCIII.

Dispositio. Psalmes describit regnum Christi ab attributis regis, & tribus ejus operibus, puta creatione mundi, gubernatione mundi, & gubernatione Ecclesiæ. *Obseruationes.* 1. Christus est Rex æternus & omnipotens. 2. Quamuis Dei bonitas ad totum mundum sese extendat: gratia tamen salutis, & verbo fidei solam Ecclesiam dignatur, vt præter verbum Dei omnium temporum historia & experientia testatur. 3. Fluctus maris, qui se attollunt aduersus Christum, in statu Ecclesiastico sunt hæretici & falsi doctores, in politico tyranni, in domestico crux domestica. Sed Christus hos tales tantosque fructus compescit. 4. Christus nos refocillat verbo suo, & ornat sanctitate sua.

Psalmus. XCIV.

Dispositio. Duæ sunt partes, precatio & doctrina pertinens æque ad bonos & malos. *Obseruationes.* 1. Deus est Deus salutis erga pios, & vindictæ erga impios. 2. Proprietates impiorum sunt, exultare, loqui superbe, se prædicare, affligere pios, & negare prouidentiam Dei, adeoque ex Deo facere idolum. 3 Prouidentia Dei est mirabilis, infallibilis, irresistibilis & vniuersalis. 4. Magna est vanitas hominum. 5. Consolatio nostra est Jehoua, qui sustentat nos & asylum nostrum.

Psalmus XCV.

Dispos. Hic Psalmus continet exhortationem ad laudem Dei promo-

uendam per cultum & obsequium. *Obseruationes.* 1. Deus est magnus, non quantitate aut mole; sed majestate, virtute, & operibus. 2. Deus est superior omnibus dijs, nempe fictitijs, vt sunt idola: & nuncupatiuis, vt sunt angeli & magistratus. 3. Homo obdurat cor suum, non quasi ex molli efficiat durum, sed quod ex duro faciat magis durum spernendo vocem Dei. 4. Laus Dei debet occupare totum hominem, omneque ipsius tempus. 5. Argumenta, quæ nos inuitare debent ad pœnitentiam sunt suauitas Dei vocantis, & grauitas iræ minantis & punientis.

Psalmus XCVI.

Dispositio. Hic Psalmus continet exhortationem ad laudes Dei & Christi, itemque argumenta laudis à beneficijs præsentibus & futuris. *Obseruatio.* 1. Rex ille Jehoua regnans inter gentes, & judicans populos in justitia & veritate, est Christus, sceptro Euangelij & Spiritus sui, ex omnibus gentibus colligens sibi Ecclesiam, & illam dirigens ad vitam æternam. 2. Laus Dei consistit in cantico cordis & oris, narratione mirabilium ejus, cognitione nominis ejus, denique in verò ipsius cultu. 3. Regnum Christi est plenum veritatis, lætitiæ, justitiæ & fidei.

Psalmus XCVII.

Dispositio. Psalmus est propheticus de regno Christi, cujus magnificentia describitur, item subditi κατ' ἀντίθεσιν impiorum. *Obseruationes.* 1. Regnum Christi est regnum lætitiæ siue incarnationem, siue passionem, siue inhabitationem ejus, in nobis spectes. 2. Christus est judex magnificentissimus ratione authoritatis, omnipotentiæ, jurisdictionis, sapientiæ & testium. 3. Æterna Christi deitas est firmissima consolatio Ecclesiæ & omnium electorum aduersus tempestates & calamitates innumeras. Nam quia caput nostrum est æternum, nos stabimus immoti in æternum. 4. Deus nullum suorum electorum contristat, quem non rursus exhilaret.

Psalmus XCVIII.

Dispositio. Psalmus est Propheticus de Christo, constans narratione magnificentiæ regni Christi, & adhortatione ad subditos. *Obseruationes.* 1. Christus est verus Deus, quia est Jehoua; & regnat toto orbe; & regnum diuina majestate administrat; & tam ab angelis quam ab hominibus est adorandus. 2. Christiani hominis est celebrare quotidie beneficia illa ingentia, quæ Deus in Christo nobis exhibet, adeo quidem vt conetur illa longe lateque propagare. 3. Omnes fines terræ vident salutare Dei in Christo: postquam videlicet gentes sunt vocatæ in Ecclesiam. 4. Gaudium, quod Christus nobis adfert, implet cœlum, terram & mare.

Psalmus

Psalmus XCIX.

Dispositio. Hic Psalmus exhibet quatuor fundamenta consolationis, hoc ordine. 1. Deus regnat inter gentes tumultuantes. 2. Precando & celebrando nomen Dei vincimus omnes nostros hostes. 3. In regno Christi locus est justitiæ. 4. Deus exaudit preces nostras, vt docemur exemplo Mosis, Aharonis & Samuelis. *Observationes.* 1. Deus præsentiam suam invisibilem reddit testatam signis visibilibus, vt fuerunt Cherubim in V. T. & nunc sunt sacramenta. 2. Debemus Deum adorare ad scabellum pedum ipsius, nos humiliando. 3. Deus alloquitur nos non tantum in verbo, sed etiam in signis verbi, vt erat columna nubis in Vet. T. 4. Deus misericordiam suam nobis probat partim exaudiendo preces, partim condonando peccata.

Psalmus C.

Dispositio. Psalmus hic continet hortationem ad laudem Dei, adhibitis duobus argumentis, quorum vnum sumtum est à gratuita electione, alterum à continuo cursu beneficiorum Dei quæ fluunt ex æterna illa dilectione & electione. *Observationes.* 1. Duplici nomine & titulo debetur Deo celebratio: quia scilicet fecit nos, non tantum prima creatione, sed etiam regeneratione, quæ est noua creatio. Vnde consequitur nullas esse vires nostri liberi arbitrij. 2. Magnificentissimus est titulus filiorum Dei, quod sunt populus seu peculium Dei, & oues pastus ejus. 3. Dei φιλανθρωπία quotidie est noua, & durat ab æterno in æternum.

Psalmus CI.

Dispositio. Hic Psalmus constat propositione, & narratione officij regis. *Observationes.* 1. Clementia & justitia præcipue ornant & stabiliunt thronos & regna. 2. Ornatus regius consistit in his quinque virtutibus, tanquam splendidissimis gemmis: videlicet in Timore Dei, adeoque amore Dei & verbi ejus: in Clementia: in Justitia: in Prudentia: in sinceritate & integritate cordis.

Psalmus CII.

Disp. Psalmus post titulum complectitur narrationem calamitatum, & confirmationem fiduciæ per varia argumenta. *Observationes.* 1. Cordis afflicti maxima & optima ars est precari. 2. Homo tentatus instet precando, ita vt replicet, duplicet, & quadruplicet. 3. Vita nostra est breuis & multis miserijs obnoxia. 4. Solitudo & vita vere eremitica animæ deuotæ est, seipsam abstrahere à voluptatibus hujus mundi, & similem fieri buboni deserti. 5. Optimum remedium contra maleuolorum calumnias est ardens precatio. 6. Quatuor sunt proprietates pœnitentiæ: Agnoscere suam indignitatem, pauere & trepidare coram Deo fulminante per legem, Consumi præ dolore, Niti denique æternitate immuta-

immutabilitate & veritate Dei. 7. Cœleſtis Hieroſolyma in multorum cordibus deuaſtatur per peccata deuaſtantia conſcientiam. 8. Cœleſtis Hieroſolyma inſtauratur quatuor modis. Primo requiritur miſeratio Dei, deinde ſitus juſtitiæ, tertio propagatio nominis Dei, deniq; precatio. 9 Cõſolatio noſtra eſt, quod Deus non deſpicit orationem afflicti, ſed nos gratioſe reſpicit ex cœlis, & potenti manu nos eripit ex malis. 10. Quotidie debemus orare Deum ne auferat nos in medio dierum noſtrorum, hoc eſt antequam finem creationis & redemtionis noſtræ aſſecuti ſimus. Finis autem ille eſt poſitus in laude Dei per dona quæ nobis dedit. Hæc inquam eſt meta vitæ noſtræ vt ſimus organa laudis & gloriæ Dei. 11. Etſi cœlum & terra pereunt: Deus tamen & ipſius cultores manent in æternum.

Pſalmus CIII.

Diſpoſitio. Hic Pſalmus eſt inter præcipuos, & micat in pſalterio vt pyropus inter gemmas, & Sol inter ſtellas. Eſt autem trimembris. Nam pſaltes alloquitur ſuam animam, Eccleſiam, & omnia opera creationis. *Obſeruationes.* 1. Corpus, anima & omnes vires noſtræ, tum internæ, tum externæ, debent occupari in laude Dei. 2. Remiſſio peccatorum eſt ſcatrigo ſalutis noſtræ. Quoniam igitur hic Pſalmus agit de remiſſione peccatorum jure optimo appellatur compendium Euangelij. 3. Deus electis ſuis imponit triplicem coronam, naturæ, gratiæ & gloriæ. 4. Deus cibat & renouat ſuos corporaliter & ſpiritualiter. 5. Deus nos docet per verbum, & ducit exercendo jus & juſtitiam. 6. Miſericordia Dei eſt efficaciſſima panacea ſauciatæ conſcientiæ. Eſt, inquam, arbor vitæ proferens duodecim fructus *Apoc. 21.* quos totidem ſententijs ex hoc Pſalmo excerptis adumbramus: Deus eſt miſericors: Gratioſus: Longanimis: Multus benignitate: Non in æternum litigat: Non ſecundum peccata noſtra facit nobis: Quam alti ſunt cœli, &c. Quam longe abeſt oriens, &c. Vt miſereatur pater, &c. Nouit figmentum noſtrum: Benignitas Jehouæ inde à ſeculo vſque in ſeculum: Amat timentes ſui & obſeruantes fœdus ſuum. Hæc eſt ſpiritualis Geometria & dimenſio longitudinis, latitudinis, altitudinis & profunditatis miſericordiæ Dei. 7. Solium Dei triplex videlicet potentiæ gratiæ & gloriæ eſt ſtabile. 8. Laudare Deum eſt officium vere angelicum. 9. Similes ſimus angelis in hac vita, ſi aſſidue Deum laudemus, ſimus fortes heroes in fide, & obſequioſi Dei miniſtri. 10. Quia omnes creaturæ laudant Deum, quomodo opus dicitur laudare opificem, multo magis hoc nobis incumbit.

Pſalmus CIV.

Diſpoſitio. Pſalmus præcedens eſt compendium libri naturæ & gratiæ. Hic Pſalmus eſt plenior enarratio libri naturæ, & ſpeculum triplex prouidentiæ

uidentiæ Dei, quæ cernitur in cœlo, terra & aqua. *Obseruationes.* 1. Quinque sunt præcipua Dei opera, quæ in cœlo debemus adnotare: videlicet Angeli, Lux, Ipsum cœlum, Nubes & Venti. 2. In angelis notanda est claritas lucis in intellectu, feruor charitatis in voluntate, & velocitas in obsequio. 3 In luce mirabilis est claritas splendoris, puritas fulgoris, & lætitia decoris. 4. In cœlo mirabilis est magnitudo & ornatus. 5. Mirabilis est Dei prouidentia circa nubes, quibus vtitur tanquam curru & amictu. Spectatur autem in ijs magnitudo & fœcunditas. 6. In ventis oportet considerare velocitatem, jucunditatem, & vitalem efficacitatem. 7. In terra spectentur ista; quod sit fundata super nihilo, aquis circumdata & vestita, montibus ornata, fontibus variegata, rore fœcundata, gramine decorata: pane, vino, oleo, & omnis generis fructibus onusta; denique innumeris bestijs repleta. 8. Circa solem & lunam spectetur magnitudo, motus & efficacia in temporum distinctione & tempestatum productione. 9. In mari spectetur magnitudo corporis, & multitudo animalium. 10. Prouidentia Dei cernitur in dando, & negando. Inde lætitia, hinc tristitia oritur in vniuersis creaturis. 11. Deus pro vniuersis suis beneficijs nihil amplius à nobis requirit quam animum gratum, qui Deo tribuat honorem potentiæ, ipsum canat indesinenter ad dies vitæ, meditari suauitatem ipsius, lætari in ipso, odisse peccatores aduersus ipsum ingratos, & denique celeusmate isto subinde vti. Benedic anima mea Jehouæ. Quæ quidem est scala gratiarum actionis Deo placentis, complexa gradus numero sex.

Psalmus CV.

Dispositio. Quemadmodum Psalmus 104. celebrat & enarrat opera creationis: ita hic Psalmus enarrat opus redemtionis continuatum inde ab Abrahamo vsque ad deductionem in terram Canaan, adeoque est compendium Exodi. Constat autem propositione hortationis patheticæ, & narratione historica. *Obseruationes.* 1. Celebratio nominis Dei debet occupare totum hominem secundum omnes partes, vires & differentias temporis. 2. Fœdus gratuitum est fundamentum fidei, spei & obedientiæ nostræ. 3. Deus crucem nobis immittit, & ad optimum finem dirigit, vt docet exemplum Josephi. 4. Deus certum modum, numerum, & tempus constituit cruci nostræ. 5. Deus percutit hostes suos cæcitate & duritie cordis, postquam illos varijs plagis instar Ægyptiorum visitauit. 6. Omnia beneficia Dei, quæ corporaliter exhibuit Israelitis, fiunt spiritualiter in N. T. puta eductio ex Ægypto, suppeditatio mannæ & aquæ ex petra, &c.

Psalmus CVI.

Dispositio. Hic Psalmus est gratiarū actio, confessio peccati, & precatio.

Obseruationes. 1. Laus Dei consistit in humili precatione, sanctitate vitæ, & magnifica prædicatione operum Dei. 2. Fieri non potest, vt homo particeps fiat beneficiorum Dei absque pœnitentia, quæ facit vt agnoscamus & deploremus peccata. 3. Deus omnia sua miracula facit propter hominem, vt ipsum conuertat vel euertat, prout est ejus amicus vel hostis. 4. Deus nihil facit reliqui ad suos conuertendum. 5. Concupiscentia carnis parit mortem. 6. Deus non potest ferre seditionem & rebellionem in sua Ecclesia. 7. Israelitæ mutauerunt gloriam suam, id est, Deum, in similitudinem bouis, nulla Dei passione, sed sua ipsorum opinione & scelere. 8. Pinehæ opus Zelosum dicitur imputatum ad justitiam, nempe particularem facti, quod sacerdos cum esset, videbatur fecisse præter officium, & contra legem: minime vero ad justitiam vniuersalem personæ, quomodo fides dicitur nobis imputari ad justitiam *Rom. 4.* quandoquidem vnum opus non potest esse vniuersalis justitia. 9. Mundus intereat necesse est, vbi justitia exulat. 10. Idololatria crassa fuit adorare vitulum aureum: Sed major est illa, qua adhæremus mundo. 11. Precatio sistit impetum iræ Dei: vt hic docemur exemplo Mosis. 12. Præsentissimum animæ venenum est incredulitas: quam sanat hæc medicina composita ex captiuitate rationis, meditatione verbi Dei, consideratione omnipotentiæ ejus mirabilis, & precatione ardentissima. 13. Zelus gloriæ Dei est heroica virtus. 14. Peccata dirimunt amicitiam inter Deum & homines. 15. Deus castigat quidem suos, sed non potest sibi temperare, quin ipsis opituletur.

Psalmus CVII.

Dispositio. Hic Psalmus constat propositione laudis, & narratione quintuplici, quæ continet argumenta laudis. *Obseruationes.* 1. Mundus regitur certa Dei prouidentia, non tantum in vniuersali, sed cunctis etiam particularibus, tam malis quam bonis, sapientissime & sanctissime. 2. Mundus est theatrum nostræ miseriæ, & miraculorum Dei. 3. In Dei bonitate sumus, viuimus & mouemur. Vita igitur non est dignus, qui Deum non laudat. 4. Magna est hominis miseria, versari in exilio, & in diuturna captiuitate. 5. Multiplicia peccata pariunt multiplices pœnas. 6. Mare est amplissima materia laudis Dei. 7. Bella magnam vastitiem adferunt societati politicæ, domesticæ & Ecclesiasticæ. 8. Bellum, fames & pestis cohærent tanquam annuli in catena: vnde Græci affinitatem rerum affinitate vocum videri possunt expressisse, πόλεμος, λιμός, λοιμός. 9. Consolatio in publicis & sonticis calamitatibus est paternæ Dei curæ erga suos, & judicialis vindictæ erga impios, consideratio.

Psalmus CVIII.

Dispositio. Hic Psalmus constat exordio votiuo, & petitione. *Obseruationes.* 1. Hominis mortalis gloria immortalis est sine intermissione laudare Deum immortalem. 2. Benignitas Dei est Catholica in regno naturæ & gratiæ. 3 Alloquium Dei, quo alloquitur animam, est pax conscientiæ & summum gaudium. Nimirum anima sancta est sanctuarium, in quo Deus habitat & loquitur, quomodo dicitur loqui & responsa dare in sanctuario tabernaculi & templi. 4. Victoria de hostibus non paratur armis, sed his mediantibus diuinitus datur fortiter pugnantibus. 5. Sex sunt fundamenta ciuitatum & politiarum: Religio, Justitia, Honestas morum, Fortitudo, Hospitium scholarum, & denique Promtuarium regionis.

Psalmus CIX.

Dispositio. Post inscriptionem est primo imprecatio, deinde supplex precatio. *Obseruationes.* 1. Oratio impiorum est peccatum, sicut & eleemosynæ ipsorum *Matth. cap. 6.* 2. Impij etsi abhorrent à damnatione & maledictione sui, qua talis est, id est, quatenus est destructio: volunt tamen illam, quantum ad causas & antecedentia, quæ sunt offensio Dei & peccata. 3. Gloriatio nostra est Jehoua. 4. Christus & Christiani expositi sunt calumnijs impiorum, & sunt veluti cibus & potus calumniatorum. 5. Licitum est mala imprecari hostibus Christi, si imprecatio sit vel prophetia, vel justa pœna, vel zelus heroicus, vel pars officij Ecclesiastici aut judicialis. 6. Maxima est pœna, quando crudelitas hominum punitur seueritate Dei, & quando maledictio hominum prouocat maledictionem Dei. 7. Homo in sinu suo gestat benedictionem & maledictionem sui: illam per fidem & studium sanctitatis, hanc per infidelitatem & opera tenebrarum. 8. Gratia & fauor Dei tantum abest vt cesset aut deminuatur in cruce, vt è contrario magis magisque crescat & sentiatur. 9. Magnum est Dei beneficium, quando homo in cruce agnoscit suam miseriam, & Deo fit supplex.

Psalmus CX.

Dispositio. Hic Psalmus est Propheticus de persona & officio Christi. *Obseruationes.* 1. Attributa regis & regni, de quo loquitur Psalmus, euincunt, non esse præconium Dauidis, sed vaticinium de CHRISTO. 2. Sex sunt proprietates regni CHRISTI: Habere regem, qui sit DEVS & Homo simul: Habere solium eleuatum supra omnes thronos terræ: Habere scabellum throno analogum: Habere sceptrum Sionis, hoc est, fortitudinis spiritualis: Habere bonos subditos:

Vincere hostes. 3. Tres sunt notæ subditorum Christi: Esse populum spõtaneum, innumeris ornamentis conspicuum, natum esse è supernis fœcunditate maxima, quomodo videmus rorem nasci ex cœlo, & fœcundare terram. 4. Sacerdotium Christi est longe illustrissimum: quia confirmatum est jurata Dei promissione, valore æterno, officio regio, passione infinita, & exaltatione glorioſissima. 5. Vt Christus vincit, ita quoque verbum Dei & Ecclesia.

Psalmus CXI.

Dispositio. Hic Psalmus constat propositione laudis, & narratione beneficiorum Dei. *Obseruationes.* 1. Deus nihil amplius à nobis requirit pro infinitis & immensis suis beneficijs quam infinitam & immensam cordis gratitudinem. 2. Vnica oblectatio pij pectoris in hoc mundo consistit in deuota meditatione operum Dei mirabilium. 3. Regimen Dei est plenum sapientiæ & justitiæ, quæ partim est manifesta, partim occulta & arcana. Nostrum itaque non est taxare arcana dominationis diuinæ, vel reseruata majestatis inquirere. 4. Deus omni tempore in Vet. & Nou. Testam. statuit memoriam sui in operibus naturæ & gratiæ, adeoque nunquam fuit ἀμνήσευς. Nostrum itaque est omnia Dei opera habere pro totidem memorialibus Dei. 5. Annuntiatio nominis & virtutis Dei non consistit in verbis, sed in virtute cordis & operis. 6. Soli Dei opera sunt constantia & vtilia. 7. Timor Domini seu pietas vera est fructuosissima & nobilissima sapientia. 8. Timor Dei oritur ex consideratione omnipotentiæ, sapientiæ, justitiæ, clementiæ & prouidentiæ Dei, itemque nostræ miseriæ, & denique præstantiæ atque vtilitatis hujus virtutis. 9. Timor Dei consistit in cognitione, amore, & cultu Dei.

Psalmus CXII.

Dispositio. Describitur beatitudo piorum, & illius effectus apud impios *Obseruationes.* 1. Timor Dei est arbor, proferens septemplicem fructum: videlicet. Benedictionem seminis & familiæ: Diuitias modicas & honestas: Consolatiõnem in cruce: Misericordiam erga proximum: Nominis immortalitatem spiritualem: Conscientiam lætam: Victoriam de hostibus, qui vtut ringantur, tandem tamen pereunt. 2. Licet impij affluant opibus: tamen modicum piorum superat omnes thesauros impiorum: tum quia illo sunt contenti, tum quia illis est salutare, tum denique quia defectus bonorum temporalium compensatur bonis spiritualibus: cum impijs contra noceant bona temporalia, neque illis possint satiari instar Tantali.

Psalmus CXIII.

Dispositio. Hic psalmus continet laudationem Dei, & laudationis confirmationem per varia argumenta. *Obseruationes.* 1. Laus Dei debet proficisci ex humili corde serui deuoti suo domino: debet esse vehemens: denique recitare debet opera Dei. 2. Mirabiles euentus, vt cum quis ex humili loco tollitur in altum, non sunt fortuiti, sed Deo debentur: vtpote qui extollit inopes ad principatum, vt dent Deo gloriam, vel ingrati ruant altius, luantq; grauius.

Psalmus CXIV.

Dispositio. Psalmus hic complectitur historiam & didascaliam. *Obseruationes.* 1. Miranda Dei beneficia obligant ecclesiam ad majorem gratitudinem & celebrationem. 2. Historia exitus ex Ægypto & deductionis per desertum explicetur allegorice hoc modo. Christus Israelem eduxit ex Ægypto, & Jacobum liberauit à populo peregrino, constituendo Judam & Hierosolyma in sanctuarium & peculium suum, quando transiuit per mare rubrum & Jordanem passionis suæ, & commouit montes, h.e. fregit superbos, & ex petra cordis sui fudit aquam charitatis æternæ.

Psalmus CXV.

Dispositio. Psalmus continet breuem petitionem, & multiplicem instructionem siue doctrinã. *Obseruationes.* 1. Tota nostra religio & vita gloriæ Dei debet esse dicata. Est enim sacrilegium, si vel minimam particulã gloriæ Dei nobis transcribamus. 2. A Dei potentia (quæ quidem in se est infinita, sed non in quibuslibet effectis humano ingenio excogitatis ponitur in actu) ad hoc vel illud effectum non firmiter colligitur, nisi probetur etiam Dei voluntas, verbo ejus patefacta. Omnia enim Deus fecit, quæ ipse voluit, non quæ homines volunt, vel excogitant. 3. A creaturis nos debemus auertere, & ad solum Deum conuertere, illique adhærere tanquã fonti salutis & benedictionis. 4. Cum simulacra gentium & papistarum conueniant materia, puta auro, argento, ligno, saxo &c. forma, puta specie hominis vel animalis; denique fine, qui est cultus religiosus & fiducia hominis: ne mo non videt, diuinæ maledictioni pariter ipsa & cultores eorum subjacere. 5. Cœlum beatorum non est vbique locorum: sed sursum, à terra & inferno separatum. 6. Consolatio nostra est, quod sumus benedicti Domini nostri, qui nos creauit & recreauit.

Psalmus CXVI.

Dispositio Psaltes testatur partim fidem, partim officia pietatis suæ. *Obseruationes.* 1. Singulare est gaudium illud, quo anima perfunditur ex sensu exauditionis precum. 2. Angustia animæ est maxima angustia. 3. Requies

animæ nostræ consistit in eo, vt reuertamur à mundo, & conuertamur ad Dominum. Ita enim fit, vt confidamus gratiam Dei, & abilla expectemus omnis generis bona in præsenti & futuro seculo. Vnde existit gaudium infinitum, quod est prægustus vitæ æternæ. 4. Fides vera non latet eum, qui præditus est illa, neque etiam alios pios. Nam in corde sentitur, & per confessionem oris profertur, & varios fert fructus, vt sunt humilitas, patientia in cruce, gratitudo agnitio miseriæ & mortis pretiositas: quæ omnia in hoc psalmo occurrunt post illa verba, Credidi &c. 5. Calix salutis est triplex, videlicet beneficia Dei, crux Christi, & crux nostra. In his enim poculis Deus nobis propinat salutem suam.

Psalmus CXVII.

Dispositio. Est hic hortatio laudatiua, & ejus confirmatio. *Obseru.* 1. Cum jam olim Spiritus S. hortatus sit omnes gentes ad celebrandam Dei benignitatem & veritatem, plus quam ingrati sumus, si illam in Christo præsentem neq; agnoscimus, neq; celebramus amore, more, ore, & re. 2. Vocatio gentium est inter maxima Dei beneficia. 3. Duo sunt præcipua Dei opera, quæ perpetuo debemus celebrare: videl. benignitas & fides ejus, quæ inualuerunt erga nos, & quidem in seculum.

Psalmus CXVIII.

Dispos. Hic psalmus complectitur celeusma laudatiuum, & narrationem multiplicem. *Obseru.* 1. Tunc demum tribuimus Deo justum bonitatis honorem, cum ipsius gratia in solidum confisi, contemnimus totius mundi potentiam & insultus. 2. Dei φιλανθρωπία lucet ex omnibus ejus operibus in regno potentiæ, gratiæ & gloriæ, siue sint beneficia, siue judicia, in tribus statibus vitæ humanæ. Nostrum itaq; est in politia, ecclesia & familia hanc Dei benignitatem obseruare & celebrare. 3. Insignitas est vtilitas crucis. Quia excitat spiritum precum & impetrat Dei auxilium. 4. Fides est victoria nostra. 5. Deus in persecutionib. est salus, fortitudo & psalmus noster. 6. Victoria pendet à solo Deo. 7. Optimum sacrificium laudis est, Deum laudare in cruce & ob crucem. 8. Christus Seruator est miraculum omnium maximum in cœlo & in terra. 9. Christus est lapis defensionis & offensionis. 10. Regnum Christi est spirituale, cuius fructus sunt lætitia, salus, benedictio, illuminatio, & beneuolentia Dei æterna.

Psalmus CXIX.

Hic psalmus est regula vitæ, & à Spiritu S. in 22. octonarios est diuisus, e quibus seqq. sunt obseruanda. 1. Beati sunt, qui iustificati fide, ambulant in lege Dei. Illi enim Deo vtuntur doctore, ductore, & amico, neq; confundun-

finduntur in æternum. II. Nisi gressus nostri dirigantur à Deo, vita nostra nil nisi caligo est. Notæ autem seu characteres ductus Dei, & viæ vitæque inculpatę sunt, Deum quærere cordicitus, seruare legē Dei, enarrare opera & jura Dei, denique lætari testimonio verbi Dei. III. Duplex est vita, carnalis & spiritualis, terrestris & cœlestis. Consistit autem vita spiritualis in illuminatione mentis, peregrinatione ad patriam, desiderio & siti justitiæ, humilitate, obseruatione mandatorum Dei, insuper habere judicium mundi. IV. Sex sunt gradus siue media, per quæ cor hominis reformatur, & ad salutem æternam præparatur: Contritio animæ, Examen viæ suæ, Institutio diuina, Tristitia spiritualis, Fides & Gaudium. V. Octo gradus requiruntur ad vitam spiritualem, qua Deus viuit in homine, & homo in Deo, hoc ordine: Deus monstrat viam salutis: Curà Deo institutum seruat ejus mandata: Delectatur lege domini: Inclinatur à Deo ad faciendum statuta eius: Oculi auertuntur, ne videant vanitatem: Fiducia in Deum: Habet pro summa ignominia, abnegare Deum: Desiderat justitiam. VI. Constantia siue perseuerantia fidei est maximum decus hominis Christiani. Sunt autem septem gradus constantiæ Christianæ: Sensus siue experimentum gratiæ: Apologia: Spes siue fiducia: Propositum firmum: Lætitia cordis: Cōfessio intrepida: Dilectio Dei & verbi ejus. VII. In cruce & persecutione sex sunt puncta cōsolationis valde momentosa: Considerare verbum Dei, In illo refocillationem cordis quærere, Non curare illusiones superborum, Recordari judiciorū Dei præteritorum, Cogitare exitum impiorū, Legem Dei habere pro suo thesauro, Recordari nominis Dei. VIII. Portio hęreditatis electorū est seruare vias Domini, quā ad rē ista septem requiruntur: Fidē habere pro scuto, & niti sola Dei gratia: Examinare vias suas: Festinare ad mandata Dei obseruandum: Constantem esse: Gratias agere Deo, etiā media nocte: Cōuersari cum pijs: Agnoscere benignitatē Dei, & illam implorare. IX. Summū bonū cōsistit in septē beneficiis Dei; in reuelatione bonitatis per verbum, in institutione spiritus: in humiliatione cordis in sensu fauoris Dei, in contemtu mundi, in patientia, in dilectione verbi Dei supra omnes thesauros hujus mundi. X. Paterna Dei cura lucet ex speculo creationis, judiciorū & misericordia Dei. XI. Spē sunt proprietates spei electorū: videl. Habere expectationē in verbo Dei: Alloqui Deum, & dicere, Quando cōsolaberis: A miseria sua assurgere ad Dei misericordiā: Cōsiderare judicia Dei: Meditatio exitus impiorum: Niti veritate Dei: Confidere benignitate Dei. XII. Encomiū verbi Dei est, quod sit æternū, & plenū viuę cōsolationis aduersus iram Dei, diabolū, peccatū, mortem, infirmitatem fidei, tristitiam conscientiæ, & persecutionem mundi. XIII. Veræ sapientiæ origo est dilectio Dei & studium sanctæ vitæ: superat omnē sapientiam humanā: non

datur

datur impijs, sed filiis Dei: fructus ejus deniq; est longe suauissimus. XIV. Verbum Dei est lux fidei, vitæ, consolationis & lætitiæ in cruce, morte, persecutione, & tentatione. Est, inquam, lux doctrinæ, vitæ, vocationis & virtutis. XV. Verbum Dei est regula fidei & vitæ, quia docet odisse falsos doctores, fiduciam habere in solo Deo, odisse malos, seruare mandata Domini, implorare opem Dei: observare judicia Dei erga impios, denique timere Deum. XVI. Sextuplex consolatio aduersus persecutiones & calumnias hic proponitur: Amare judicium & justitiam: Rogare Deum vt ille obeat vadimonium pro nobis: Intueri oculo irretorto salutem Domini: Confidere gratia Dei: Seruitium suum Deo impendere: Tempus auxilij expectare: Diligere mandata Dei supra aurum & argentum. XVII. Verbum Dei continet mirabilia secreta, quæ si reuelentur, corpe fundūt ingenti lætitia, & intelligentiam conferunt rudibus. Sunt autem septem gradus, per quos quæritur & acquiritur thesaurus ille occultæ sapientiæ puta, Desiderium sanctum, Amor nominis Dei, Sanctimonia vitæ, Contemtus mundi, precatio illuminationis, Lachrymæ sanctæ. XVIII. Consideratio judiciorum Dei consistit in eo, vt illa habeamus pro abysso, & pio zelo illa defendamus, denique in cruce nostra judicij Dei seueritatem judicare oculis fidei, quæ sincere judicat ex verbo Dei purgatissimo, indignitatem suam agnoscit, justitiam & sapientiam Dei admiratur, & verbo Dei delectatur. XIX. Non scientia theoretica, qua intelligimus verbum Dei, sed scientia practica, qua verba vertimus in opera, & verbum Dei conuertimus in sanguinem & succum, est perfectio & integritas Christianismi. Nostrum itaque est, absque intermissione inuocare Deum, vt hujusmodi transmutationem in nobis efficiat. Fundamentum veræ istius precationis debet esse gratia Dei, nostra infirmitas, & verbi Dei dignitas. XX. Octo sunt media, quibus crucem nostram patiendo vincimus: videl. precare, Deo commendare vindictam, Misereri persecutorum, Nti magnitudine misericordiæ Dei, seruare mandata Dei, zelo efferuescere ob peccata hostium Dei, diligere Deum, & ejus verbum, perpendere veritatem & justitiam Dei. XXI. Perseuerantia seu constantia est corona omnium virtutum hominis Christiani, & proinde in illa consistit victoria & lætitia nostra. Sunt autem octo proprietates constantiæ Christianæ: videl. Non homines, sed Deum timere: Lætari in Domino, & delectari verbo ipsius: Odisse mendacium: Septies de die laudare Deum: Pacem conscientiæ sentire ex observatione legis Dei: Expectare salutem Dei: Cordicitus diligere & seruare mandata Dei: Vias suas coram Deo complanare. XXII. Sex sunt fructus precationis longe pulcherrimi & vberrimi: videl. Intelligentia verbi Dei Liberatio. Laus Dei, Fortitudo spiritualis à domino, Vita spiritualis adeoq; angelica, Ductus diuinus ne erremus sicut oues.

Psalmus

Psalmus CXX.

Dispositio. In versu primo hujus psalmi est narratio: deinceps est c[illegible] *Observ.* 1. Calumnia est recte vel ambigue dictorum aut factorum maligna interpretatio, vel etiam malorum nimia exaggeratio. 2. Contra calumniam & linguam maledicam non est certior medicina quã oratio ad Deum. Hæc enim sanat animam, quam calumnia sauciat. 3. Mendaces homines sunt pessimi, turpissimi & nocentissimi in quauis societate: quia inficiunt, tanquam veneno aspidis, alios homines, & scindunt vinculum pacis.

Psalmus CXXI.

Dispositio. Hic psalmus continet disceptationem animi cum tentatione conflictantis, & ipsius emersionem ex tentatione. *Observationes.* 1. Oculos nostros debemus leuare ad dominum: quippe qui suam misericordiam quotidie in nobis coronat. 2. Etsi pij multas afflictiones patiuntur, vt in fide & patientia exerceantur: Deus tamen custodit eos ab omni malo: quoniam omnia ipsorum mala in salutem eorum conuertit, tandemque ab omnibus eos liberat. 3. Custodia & paterna Dei cura est manifesta in toto vitæ curriculo, ratione animæ & corporis, vocationis & status nostri, in rebus secundis & aduersis.

Psalmus CXXII.

Dispositio. Psaltes hic docet, quodnam debeat esse hominis Christiani in hac vita summum gaudium, votum & studium. *Observ.* 1. Summum nostrum votum in hac vita erit hoc: lætari si videamus florere ecclesiã & verum Dei cultum in illa. 2. Summum nostrum votum in hac vita erit hoc: optare maneat ecclesia in illo flore, & in eodem verus Dei cultus. 3. Summum nostrum studium in hac vita erit hoc: vt quisque suo loco & ordine procurent ea, quæ ad ecclesiam Dei ornandam, eiusque cultum conseruandum pertinent. 4. Triplex est Hierosolyma in sacris: materialis in terra Canaan, spiritualis in corde credentis adeoque in cœtu electorum, cœlestis in supernis. 5. Verus Dei cultus consistit in vnitate animorum, solennitate subselliorum, celebritate linguarum, & communitate pacis atque benedictionis spiritualis.

Psalmus CXXIII.

Dispositio. Psalmus hic continet propositionem, & petitionem. *Observ.* 1. Anima immortalis non debet fieri mortalis adhærendo mortalibus & caducis rebus. 2. In calamitatibus debemus leuare oculos cordis ad Deum, qui in cœlis glorioſe, in terris miraculoſe, in cordibus nostris gratioſe re-

guat.3. Omnia nostra, imo totius mundi & ecclesiæ, sunt in manibus Domini, non aliter atque administratio familiæ est in manibus patrisfamilias. Nostrum itaque est in manus Dei nos commendare, & illas diligenter respicere tanquam digitum, quo regimur. 4. Contra contemtum mundi vnica est medicina, orare Deum. Hæc enim est nostra gloria.

Psalmus CXXIV.

Dispos. Post narrationem sequitur petitio. *Obseruationes.* 1. Ecclesiæ defensio atque conseruatio non debetur nostræ potentiæ aut industriæ sed diuinæ protectioni atque clementiæ: absq; qua aduersus Satanæ & hostiũ furores ne momentum quidem consisteret. 2. Magna est crudelitas hostium irascentium, & nos submergere conantium. 3. Splendidissima est victoria electorum: quia vincuntur hostes crudelissimi & plurimi: & vincũtur armis diuinissimis, fide scil. patentia & precibus, sub duce Opt. Max. puta Deo.

Psalmus CXXV.

Dispositio. Occurrit hic consolatio & precatio. *Obseru.* 1. Sicut ecclesia non stat viribus humanis, sed virtute Dei: ita & fides nostra. 2. Soli illi sunt beati, qui confidunt Deo. Nam illi non cadent, & circũdantur à Domino, & liberantur à manu hostium, & ipsis bene est in puritate cordis, & ambulant in vijs rectis: qui sunt quinque fructus fiduciæ nostræ in Domino. 3. Qui non confidunt Deo, sunt ex asse miseri.

Psalmus CXXVI.

Dispositio. Post narrationem est precatio. *Obseru.* 1. Lætitia orta ex auxilio Dei & liberatione, major est quam tristitia in tribulatione. 2. Sancti nũc seminant cum lachrymis afflictionum & crucis: tandem vero metent cũ exultatione cœlestis gloriæ. 3. Spiritualis liberatio à seruitute peccati, diaboli & mortis est maxima nostra consolatio & lætitia. 4. Quotidie oportet solicite hoc agere, ne redeamus post liminio in seruitutem spiritualem. Hoc autem fit orando & vigilando. 5. Lachrymæ fidei & pœnitentiæ sunt præstantissimum semen, ex quo oritur fructus vitæ æternæ per sanguinem Christi.

Psalmus CXXVII.

Dispositio. Agitur hic de benedictione Dei, quantum ad laborem manuum, & propagationem generis humani. *Obseruat.* 1. Vanum est, ante lucem surgere, ædificare, vigilare, Deo non simul nobis cum surgente, ædificante, vigilante, h.e. sine Dei auxilio & benedictione. 2. Deus sit alpha & omega nostrarum actionum juxta versum:

Ἀρχὴν ἁπάντων καὶ τέλος ποίει θεόν.

3. Sola Dei benedictio ditat in societate œconomica, scholastica, ecclesiastica & politica, siue in thoro, choro & foro.

Psalmus CXXVIII.

Dispositio. Post narrationem est excitatio seu hortatio. *Obseru.* 1. Non est bona collectio: Timentes Deum, sunt beati. Ergo non debent laborare. Nam quia timent Deum, debent facere officium vocationis suæ. 2. Quinque sunt fructus timoris Dei: videl. beatitudo animi, laboris, familiæ, ecclesiæ, & pacis. Sic itaq; timor Dei est fasciculus benedictionis corporalis & spiritualis, bonorum temporalium & æternorum.

Psalmus CXXIX.

Dispos. Hic occurrit historia, & prophetia. *Obseru.* 1. Ecclesia in angustias redigitur ab hostibus. 2. Ecclesia optime confertur cum homine, qui habet suam pueritiam, ἀκμὴν seu vigorem, & senectam: & in omnibus istis ætatibus experitur varias calamitates. 3. Certissima & grauissima est ruina hostium ecclesiæ. Sicut enim gramen tectorum alto quidem loco succrescit, sed cum maxime viget, arescit, quia succum non habet: sic tolluntur in altum, vt lapsu grauiore ruant, qui ecclesiam impugnant.

Psalmus CXXX.

Dispositio. Propheta primo narrat historiam de se, deinde informat ecclesiam. *Obseru.* 1. Peccatum & pœna peccati est profunditas maxima, ex qua solus Deus potest nos eripere. 2. Abyssus miseriæ nostræ inuocare debet abyssum misericordiæ: quia hæc est multo major quam illa. 3. Nullus hominum est immunis à labe peccati. 4. Solutionem argumenti legalis valde horrendi: *Quorum peccata Deus obseruat, ij consistere nequeunt coram iudicio Dei: Atqui omnium mortalium peccata Deus obseruat. Ergo*: hujus, inquam, argumenti solutionem ostendit euangelium, distinguẽdo majorem, quod vera sit, si quidem Deus velit in ipsismet obseruare peccata, non vero in Filio suo, qui sustulit peccata electorum. 5. A throno justitiæ Dei oportet confugere ad thronum misericordiæ. 6. Euangelium de justificatione fidei, non operatur securitatem carnalem, sed spiritualem, ac proinde secum trahit timorem Dei filialem. 7. Fides, spes, & desiderium nostrum debet esse constans, & niti misericordia Dei in Christo, qui est spes Israelis, & ipsum redimit ex omnibus iniquitatibus ejus. Confer cum *Matth. 1. v. 21.*

Psalmus CXXXI.

Dispositio. Primo hic est narratio simplicitatis cordis, deinde hortatio ad

ecclesiam. *Obserua.* 1. Simplicitas & humilitas filialis, desiderium lactis gratiæ, & spes in Deo est triplex tessera Christianorum. 2. Super humilitatem & simplicitatem cordis effunduntur dona Dei, tum naturæ, tum gratiæ. 3. Oportet esse contentum sorte illa, quam Deus immittit, siue nos lactet, siue ablactet.

Psalmus CXXXII.

Dispositio. Post orationem sequitur eius confirmatio siue ætiologia. *Obser.* 1. Orãdus est Deus, vt recordetur nostri. 2. sine intermissione debemus nobis in memoriam reuocare votum siue juratam illam promissionem, qua Deo præstitimus homagium siue juramentum fidelitatis in baptismo 3. Deouimus nos totos Deo, & corpora nostra ipsi dedicauimus & consecramus tanquam templa. Ne itaq; profanemus hoc votum & templum deuotum. 4. Sicut templum est locus quietis Dei, orationis piæ, & ornatu pontificiali insignis: ita demus operam, vt hæc tria sint in nobis, quia sumus templa Spiritus sancti. 5. Templum Salomonis & regnum ipsius est æternum, quia templo & regno isto externo euerso successit templum & regnum Christi æternum & internum. 6. Octo sunt proprietates regni Christi pendere ab electione & dilectione Dei, itemque illius promissione jurata: Habere successionem perpetuam: Habere locũ electum & peculiarem in Sione, adeoq; separatum esse ab immundo hoc mundo: secum trahere bona temporalia, tanquam appendices bonorum spiritualium & æternorũ: Habere spirituale sacerdotium: Victoriam reportare in fortitudine & lumine: Hostes induere & vestire confusione & ignominia perpetua.

Psalmus CXXXIII.

Dispositio. Post propositionem est illius confirmatio & illustratio. *Obserua.* 1 Concordia non quæuis, sed conjuncta cum veritate est diligenda. 2. Pax, tum externa, tum interna, est præstantissimum & vtilissimum dimodium cuiusuis societatis & hominis. Hoc applicetur ad pacem conscientiæ & ecclesiæ, ad pacem politiæ, denique ad pacem familiæ.

Psalmus CXXXIV.

Dispos. Est hic hortatio & promissio. *Obseruationes.* 1. Deus benedicit nobis bona sua largiendo: nos benedicimus Deo, largitatem ejus fide suscipiendo & celebrando. 2. Deus est laudandus corde, ore & vita, vt impetremus ab ipso benedictionem. Quibus verbis & modus, & fructus precationis & laudis Dei continetur.

Psalmus CXXXV.

Dispositio. Est hortatio ad laudem Dei, & confirmatio istius hortationis.

Obser.

Obſeruationes. 1. Prouidentia Dei non tantum eſt generalis, ſed & particularis ſingulorum euentuum in adminiſtratione mundi & Eccleſiæ. 2. Laus Dei debet fieri in domo Dei, ſiue ſit templum, ſiue cor: proficiſci à ſeruis ejus: & fundari in miſericordia & omnipotentia Dei, cujus vtriuſque varia ſunt documenta. 3. Deus eſt mirabilis in operibus creationis & redemtionis, ita vt nullus ipſi ſit ſimilis quantum ad eſſentiam, voluntatem, & potentiam, quæ à nemine dependent. 4. Liberatio ex Ægypto, victoria de hoſtibus reportata in terra Canaan, & immiſſio in poſſeſſionem terræ ſunt typus redemtionis per Chriſtum. 5. Collatio Dei & idolorum illuſtrat majeſtatem Dei, & vanitatem tum idolorum, tum idololatrarum oſtendit.

Pſalmus CXXXVI.

Diſpoſitio. Poſt propoſitionem hortatoriam ad laudes Dei ſequuntur argumenta à ſumma ejus majeſtate, & operibus longe maximis & plurimis. *Obſeruationes.* 1. Debemus celebrare Deum ardenter, frequenter & humiliter, tum propter nominis ſui majeſtatem, tum propter opera in regno naturæ & gratiæ. 2. Deus conſeruat mundum propter Eccleſiam. 3. Etſi impij multa beneficia habent communia cum pijs; non tamen omnia habent, quæ pij habent, neque illa quæ habent, eodem gradu & modo habent, quo pij. Nam Deus pijs remittit peccata, & ſanctificat bona ipſorum temporalia, quæ impij contaminant, ita vt ipſis non ſint ſalutaria. 4. Debemus celebrare beneficia Dei, quæ partim in hiſtoria ſacra occurrunt, partim in quotidiana vita & propria experientia ſe offerunt. 5 Deus dat nobis panem miſericordiæ ſeu gratiæ ſuæ facitque vt fiat in nobis panis ſatietatis & jucunditatis, non vero luxuriæ. Hic enim eſt panis iræ Dei.

Pſalmus CXXXVII.

Diſpoſitio. Eſt hic narratio & imprecatio. *Obſeruationes.* 1. Conferantur Babylon corporalis & ſpiritualis inter ſeſe. 2. Illuſiones impiorum non ſunt exigua pars crucis Eccleſiæ. Sed exemplo Chriſti & piorum patienter ſunt ferendæ. Erit enim riſus Sardonius in capita illorum recidens. 3. Deſiderium Hieroſolymæ ſpiritualis & cœleſtis eſt ignis qui nunquam extinguitur in corde piorum. 4. Imprecationes noſtræ proficiſci debent ex ſancto affectu & zelo gloriæ Dei.

Pſalmus. CXXXVIII.

Diſpoſitio. Hic Pſalmus conſtat laudatione Dei & petitione. *Obſeruationes.* 1. In laude Dei ſpectetur modus, objectum principale, & fructus. Modus eſt in eo, vt proficiſcatur ex toto corde, & fiat coram po-

tentibus, in Ecclesia & extra Ecclesiam. Principale obiectum siue materia laudis est benignitas Dei, qua magnificat sermonem suum de Christo redemtore. Effectus siue fructus, est exauditio & virtutis spiritualis suppeditatio. 2. Deus opus manuum suarum in sanctis suis non dimittet, sed illud clementer perficiet, nosque ad finem vsque custodiet, & partim per nos, partim pro nobis perficiet, & in ipsa tribulatione quotidie nos reficiet. 3. Vocatio gentium est mirabile documentum clementiæ & potentiæ. 4. Deus est Rex in alto cœlo & humili corde regnans.

Psalmus CXXXIX.

Dispositio. Propheta describit Dei prouidentiam, & postea Deum inuocat. *Obseruationes.* 1. Hic Psalmus est luculentissimum speculum prouidentiæ Dei, cujus longitudinem, latitudinem, profunditatem & altitudinem admodum pathetice enarrat. 2 Deus est vbique immensitate essentiæ & potentiæ suæ. 3. Sancti prouocant ad examen Dei, non semper, nec absolute & vniuersaliter, sed aliquando in causa particularis innocentiæ suæ. 4. Deus videt & obseruat cogitationes, officium, vocationem & verba nostra. 5. Deus ordinat præterita, præsentia & futura. 6. Prouidentiæ Dei arcana non possumus rimari, sed debemus mirari. 7. Quinque sunt gradus prouidentiæ Dei: videre scilicet & operari in altissimis, in profundissimis, in ordinatissimis, in confusissimis, & infinitis. Nam Deus agit in cœlo & in inferno, videt cor hominis, ordinat membrorum corporis humani structuram, regit cogitationes & non impeditur nocte, denique omnia quæ fuerunt, sunt & erunt habet in numerato & promtu, siue spectes scientiam, siue potentiam. 8. Contra hostes Ecclesiæ debemus orare in genere & in specie, ex zelo gloriæ Dei, & adhibita distinctione siue addita conditione, si sint insanabiles. 9. Debemus odio prosequi eos, qui oderunt Deum: non odio injuriæ siue personæ, sed odio officij, quod est detestari vitium. 10. Puritas conscientiæ est splendidissima gemma, si aspersa sit sanguine Christi innocentissimi mortalium.

Psalmus CXL.

Dispositio. Psalmus hic constat prolixa petitione, & breui confirmatione animi supplicis. *Obseruationes.* 1. Speculum hostium Dei hic describitur, quantum ad naturam & pœnam ipsorum. Natura cernitur in quatuor proprietatibus, quæ sunt: Mala cogitare in animo, Acuere linguam, Manum violentam vibrare aduersus pios, Insidias struere. Pœna est certa & magna: quia non possunt perficere desiderium suum, & infelicitas justa talionis lege recidit in caput ipsorum, denique omni felicitate

citate euertuntur & exilio mulctantur. 2. Deus agit causam justorum. 3. Magno solatio est pijs, quod sciunt desideria, consilia & machinationes impiorum non pendere ab ipsorum voluntatibus, sed cadere sub Dei prouidentiam, & ab illo gubernari.

Psalmus CXLI.

Dispositio. Post exordium est petitio. *Obseruationes.* 1. In hoc Psalmo continetur ars precandi, quantum ad fundamenta, media & impedimenta piarum precum. Fundamentum est gratuitus Dei fauor. Media sunt crux, fides & sancta vita. Hæc enim faciunt, vt precatio nostra fit sacrificium Deo acceptum. Impedimenta sunt scandala hujus mundi, quibus cor inclinatur ad malum. 2. Corda nostra sunt in manu Dei: quocunque voluerit, inclinat ea. Orandus igitur est sedulò, ne ea inclinet ad rem malam occulto judicio. 3. Pij multa patiuntur ab impijs. 4. Oculi nostri debent respicere ad solum Deum tanquam cornu copiæ salutis & auxilij.

Psalmus CXLII.

Dispositio. Hic Psalmus est affinis Psalmis pœnitentialibus, constans exordio & petitione. *Obseruationes.* 1. Proprietates precationis sunt, clamor cordis & oris ad Deum, supplicatio humilis, & ipsius augmentum, feruor atque intentio per crucem. 2. In cruce triplex est consolatio cordis nostri: videlicet quod Deus norit semitam angustiæ & crucis; quod ille respiciat ad dextram & sinistram nostram; denique quod ille sit portio nostra. 3. Quando post tentata omnia malorum remedia contingit nos destitui consilio & auxilio Dei, & hominum, hoc nobis debet sufficere, quod Deus mala nostra non ignoret, & nostri curam suscipere tandem non dedignetur.

Psalmus CXLIII.

Dispositio. Post exordium hujus Psalmi pœnitentialis est expostulatio & precatio. *Obseruationes.* 1. Exauditio precum, est suprema electorum consolatio. 2. Duo sunt fundamenta precationis, veritas & justitia Dei Patris nostri in Christo. 3. Tentationes sunt speculum seueri & districti judicij Dei aduersus peccata & peccatores. Hunc vero ignem extinguunt Sanguis CHRISTI & aqua pœnitentis cordis largissimo imbre rigans oculos. 4. In judicio Dei nemo hominum justificatur suis operibus: quoniam illa sine fide & extra CHRISTVM sunt leuissimæ stipulæ, quibus magis fouetur ignis iræ DEI. 5. Cum DEVS pergit & instat nos exercere per tentationes internas & externas,

supra

ſupra, infra & circa nos, officij noſtri eſt pergere & inſtare precibus, & prolixe teſtari ſitim & eſuriem animæ externis geſtibus de interiori cordis affectu teſtantibus.

Pſalmus CXLIV.

Diſpoſitio. Hic Pſalmus conſtat exordio laudatiuo, & petitione magnifica. *Obſeruationes.* 1. Deus eſt, qui regibus & principibus ſubdit populum. Huic igitur tanquam authori & vindici ordo politicus & illius authoritas debet adſcribi & commendari. 2. Victoria de hoſtibus Eccleſiæ reportata magnopere illuſtrat gloriam Dei, qui ſolus regnat, ſolus vincit, ſolus imperat. 3. Mirabilis eſt Dei benignitas, qua curat hominem, qui eſt reuera nihil coram ipſo. 4. Humilitas tenet primas, ſecundas & tertias in regno virtutum. 5. Auxilium filiorum Dei non eſt terrenum, ſed è cœlo deſcendit. 6. Tonitru legis deſtruit regnum ſuperbiæ: tonitru Euangelij deſtruit regnum deſperationis: quomodo videmus tonitru è nubibus proſternere duriſſimas & altiſſimas quercus. 7. Doctrina & vita hoſtium Eccleſiæ eſt vana. 8. Homo nouus canit Deo canticum nouum, & parit ipſi filios innumerabiles.

Pſalmus CXLV.

Diſpoſitio Hic Pſalmus continet thema laudatiuum, & argumenta talia. *Obſeruationes.* 1. Quinque ſunt proprietates laudis Dei: Voluntas ſeu deſiderium ardens, Tempus quodlibet, Conſideratio magnitudinis Dei, quod ſit major omni laude, Propagatio laudis, Conſideratio operum Dei. 2. Memoria ſuperabundæ ſuauitatis Dei ſit panis animæ quotidianus. 3. Proprietates regni potentiæ Dei conſiſtit in decore maximo, potentia infinita, clementia ineffabili, & juſtitia irreprehenſibili. 4. Recte orare eſt ars artium. 5. Cum Deus aperta manu ſatiet omne animal pro beneplacito; quod ſæpe eſuriunt & fame laborant, tum homines, tum beſtiæ, id vero corruptioni naturæ per hominis peccatum adſcribi debet. 6. Fundamenta precationis ſunt quinque: Deus *eſt prope* inuocantibus ipſum: Eſt prope *omnibus* inuocantibus: Eſt prope inuocantibus ipſum *ſerio*: Facit placitum timentium ipſum: ſtudia vocis tentionem ipſorum.

Pſalmus. CXLVI.

Diſpoſitio. Poſt propoſitionem laudis eſt confirmatio propoſitionis per varia argumenta. *Obſeruationes.* 1. Vana eſt fiducia, quæ in creatura ponitur. 2. Firma eſt fiducia, quæ in Deo collocatur. Hic inſtituatur antitheſis inter Deum & hominem. 3. Difficile admodum eſt, cor hominis à rebus

à rebus terrestribus auocare, & ad solum Deum attollere. Diligenter itaque expendantur argumenta vanitatis hominum, & majestatis Dei, quæ in hoc Psalmo indicantur, h oc modo. Argumenta vanitatis hominum sunt quod illi sint filij Adam, h. e. miseri: quod in ijs non sit salus: quod in pulverem reuertantur. Argumenta majestatis Dei sunt numero vndecim, hoc modo: Est Deus Jacobi: Qui fecit cœlos: Qui seruat fidem: Qui exercet judicium erga oppressos, &c. Vide ipsum contextum.

Psalmus CXLVII.

Dispositio. Constat hic Psalmus exordio celeustico ad laudationem Dei, & argumentis illius laudis *Observationes.* 1. Laudatio Dei est pulchra & decora, & consistit in commemoratione mirabilium operum ejus, qualia hic memorantur septendecim: Deus ædificat Hierosolyma, sanat fractos corde. Numerat stellas, sapientiæ ejus nion est numerus, erigit pauperes & deprimit superbos. Dat pluuiam, dat jumentis escam, &c. Vide contextum. 2. Omnia quidem regit & curat Deus: magis tamen hominem, quam jumenta: & magis Ecclesiam, quam alienos ab ea. Nimirum magnum est hoc, quod Deus adest omnibus creaturis communiter majus quod curat hominem singulariter: maximum, quod curat electos suos specialissime. Qui tres gradus præsentiæ Dei in hoc Psalmo ordine elegantissimo proponuntur. 3. Verbum Dei est optimus hominis thesaurus.

Psalmus CXLVIII.

Dispositio. Occurrit hortatio laudatiua, & ejus confirmatio per varia argumenta. *Observationes.* 1. Deus omnia condidit ad nominis sui laudem. 2. Laus Dei lucet in omnibus creaturis. 3. Homo præ alijs creaturis debet laudare Deum. 4. Egregia argumenta laudis Dei continentur *versu 13. 14.*

Psalmus CXLIX.

Dispositio. Psaltes hortatur Ecclesiam ad laudem Dei, & hortationis argumenta recitat. *Observationes.* 1. Gaudium electorum debet esse spirituale, tum in corde & affectibus, tum in signis affectuum. 2. Deus est beneuolus erga populum suum, & illum ornat salute. Beneuolentia est fons: ornamenta sunt riui istius fontis. 3. Victoria electorum fit per gladium anticipem verbi & Spiritus. 4. Vbi Deus ipse est author vindictæ, rectum judicium est, non crudelitas.

Psalmus CL.

Dispositio. Hic Psalmus est epilogus libri, continens argumenta & genera laudis Dei. *Observationes.* 1. Musica laudibus Dei adhibita, est in-

gens Dei donum, ipsi placens. Quicunque igitur ad superstitionem vel lasciuiam musica abutuntur grauiter peccant. 2. Climax & scala musicæ cœlestis est: Laudare eum de sanctitate ejus de expanso laudato ejus, de omnimoda potentia ejus, & de amplitudine ipsius maxima. 3. Apparatus musicæ Christianæ cõplectitur nablium, buccinam, & similia instrumenta musica: denique suauissimam harmoniam animæ, quæ Deum laudat. 4. Instrumenta musica, quorum hic fit mentio, notant vitam Christiani pectoris vocem, motum & concentum Spiritus Sancti in corde, suauitatem & sonum Euangelij, precationem deuotam, varia dona doctorum Ecclesiæ Vet. & Nou. Testam. denique virtutum Christianarum concentum, verbi gratia, tuba notat confessionem inuictam, psalterium concordantiam cordis & oris in laude Dei, cymbalum deuotionem & jubilum cordis, &c. In summa, apparatus instrumentorum musicorum in Ecclesia Vet. Test. significabit concentum fidei, spei & charitatis, adeoque vnionis & communionis inter Deum & homines, itemque inter ipsos homines. 5. Finis creationis & vitæ creatæ est, vt laudetur vita primaria & fons vitæ. In qua laude vt terminatur psalterium, ita vt terminetur omnis nostra actio & ipsa etiam vita vnice nobis est optandum.

XX.

CONCIONES IN PROVERBIA.

Memoriale Prouerbiorum. Cap. 31.

7 6 15 18 3
Vt sapias, Dominus, Confidito, Lux via, Scortum,
6 5 1 3 21
Formicam, Meretrix, Sermo, Vocat, Domina.
8 24 24 25 15
Iustus, Gnara manus, Virga, Fiducia, Lata,
18 15 10 17 22
Fastus, Qui reprobum, Nomen, Ioua, Iuuat,
1 1 20 16 3
Cor regis, Nomen, Vinosi, Cum cadit, Altum,
11 2 14 22 8
Ad vomitum, Laudet, Qui timet, Ira, Cibo.
10
Fœmina virtutis cultrix est nobile donum.

Oeco-

Oeconomia Prouerbiorum Salomonis.

Prouerbia Salomonis continent regulas partim generales, partim speciales.

I. Regulæ generales habent propositionem de timore Dei, *cap. 1.* & expositionem paræneticam de præstantia & studio sapientiæ, eamque κατὰ μίμησιν, *ca. 2. 3. 4.* & κατ' ἀντίθεσιν, *c. 5. 6. 7. 8. 9.* Atque hæc nouem capita sunt Salomonis γνησίως καὶ αὐτόκτιστα, hoc est, ab eo & scripta & collecta sunt.

II. Regulæ speciales sunt Ethicæ, œconomicæ, politicæ & miscellaneæ, quarum tres sunt classes. Prima classis est à *c. 10. ad 25.* quæ capita collecta sunt à pijs quibusdam viris. Secunda classis est à *c 25. ad 30.* quæ sententiæ collectæ sunt à ministris regis Ezechiæ. Tertia classis complectitur, *c. 30. & 31.* quorum illud est prophetici cujusdam viri Agur, istud est Salomonis ex pia institutione matris comportatum.

Typicam siue tabellarem dispositionem Prouerbiorũ Salomonis vide *lib. 2. Precog. Theol. cap. 34.* Characterem & summariam consideration em *ibid. cap. 121.* Chronologiam *ibid. cap. 116. & supra in præliminari Concione Bibliorum.*

Prouerb. 1. 2. 3. 4. 5.

1. Principium sapientiæ est timor Domini, non ille seruilis, quali herus metuitur à seruo fugitiuo, qui est legalis plane: sed filialis, & Euangelicus, quo Deum benignum nobis Patrem in Christo, peccatis offendere cauemus. Hujus sapientiæ contemtores Deus non exaudit, cum in suis necessitatibus precantur, sed gaudet eorum calamitatibus, quia sunt ἀντικαμένοις, de quibus justum & æquum est vt sumatur impietatis vindicta. 2. Sapientia vera est vera Dei cognitio atque dilectio, in qua consistit vita æterna, & cujus thesauri omnes sunt reconditi in Christo, æterna & essentiali Patris Sapientia. 3. Sapientia etsi est mere θεόδιδακτος: ad eam tamen parandam opus est nostro studio, quod consistit in precatione, abstractione siue ecstasi sacra, meditatione libri naturæ & scripturæ, & sancta conuersatione atque praxi. Neque enim Deus illam dat contemtoribus, vel oscitantibus. 4. Afflictiones tam pijs, quam impijs irrogantur, sed magno discrimine. Pijs, vt sint paterna correctio, signumque amoris Dei, ne cum hoc mundo pereant: impijs, vt argumentum habeant irati Dei, justæque pœnæ, & æternæ damnationis initium atque præguſtum, nisi resipiscant. Hic ostendantur, quid pij & impij commune habeant in afflictionibus, & quid vtrique proprium. 5. In præceptis patrum & majorum nostrorum ambulare debemus, si sint secundum legem Dei. Secus, si sint præter vel

contra legem. 6. Ita debemus possidere, facultates diuinitus nobis concessas, vt illas habeamus ceu fontes semper scaturientes & apertos, quorum riuuli foras ad Ecclesiæ, reipub. & proximi, præsertim egeni, vtilitatem deriuentur.

Prouerb.6.7.8.9.10.

1. Spondere, expensis facultatibus nostris, & necessitate proximi, cautisque honestis, est liberalitatis & charitatis. Istis vero non consideratis & expensis, magna est temeritas, cujus indiuiduus comes est pœnitentia & damnum, juxta prouerbium: *Sponde, præsto est noxa.* 2. Mulier meretricia significat mentem furiosam, quam Deus infligere solet impuris hominibus, vt cœci abripiantur prauis affectibus, in quæuis scelera: quoniam vinum, & mustum, & fornicatio auferunt cor *Hos.4.* 3. Sapientia Dei in Scripturis traditur triplex. *Prima* est proprietas Dei essentialis, quæ est ipsissima Dei sapientia. *Secunda* est Filius Dei, sapientia Patris, quam Jehoua possedit initio viæ suæ. *Tertia* est, quam in nobis efficit sapiens Deus per sapientiam illam, quæ est genita antequã abyssi & colles essent. 4. Non satis est venire ad Christum & Ecclesiam, professione externa: sed oportet insuper Christo vesci, h. e. Christum cum omnibus suis beneficijs fide sibi applicare, & vitales operationes per nouam obedientiam edere. 5. Charitas operit omnes iniquitates, non nostras, sed proximi: non vt meritum coram Deo, sed vt virtus & medium ad colendam pacem & concordiam inter homines. 6. Profani scriptores virum justum prædicant impauidum ruinæ, si vel fractus illabatur orbis, vt canit Horatius: Virgilius Æneam suum celebrat mente immota constantem: Aristoteles virum bonum facit πεφράνορα ἀμετάπτωτον. Quæ igitur dementia est disputare Pelagianos, (quorum hoc æuum est fæcissimum), contra Spiritum S. qui hic dicit: *Justus in seculum non commouebitur.*

Prouerb.11.12.13.14.15.

1. In contractibus non est agendum fraudulenter, sed tenenda justitia commutatiua, seruans proportionem arithmeticam. Quæ virtus adeo est necessaria, vt sine ea respublica stare nequeat. 2. Bona opera proficiunt fauorem Dei, non merendo, sed placendo. 3. Diuitijs redimi potest vita temporalis, æterna non potest. 4. Derisores sapientiam quærunt apud se, & in suo cerebro, hypocritæ apud se & in suis cerebris: & proinde illam non inueniunt. At filij Dei quærunt veram sapientiam extra se, apud Deum in Christo, & proinde illam inueniunt. 5. Oculi Domini speculantur vbique bonos & malos: sed diuersi modo affectu & effectu: bonos gratiose ad seruandum, malos seuere ad perdendum.

Prou.

Prou.16.17.18.19.20.

1. Omnis cordis humani dispositiones,naturales,ciuiles, morales & spirituales, subjacent diuinæ gubernationi, saluo libero ipsius arbitrio. 2.Deus fecit impium (materialiter,non formaliter) ad diem malam, h.e. vt per illius pœnam declaret gloriam suæ justitiæ. 3. Misericordia & veritate,non hominis,sed Dei,redimitur peccatum. 4. Sicut justum condemnare,non est ex justo iniustum,seu ex bono malum efficere,sed justum reputare injustum:sic impium justificare, non est ex impio iustum efficere,sed impium iustum declarare.Cæterum Deus iustificat impium, non contra legem,seu citra satisfactionem legi debitam,sed interuentu satisfactionis Christi pro nobis præstitæ.5.Deus ex lapso genere humano alios eligens ad gratiam alios reprobans ab eadem, non potest accusari prosopolepsiæ,quod æqualibus inæqualia tribuat: quoniam illis indebitam gratiam,his debitam pœnam tribuit.6.Beneficentia in pauperes,est lucrosissima fœneratio apud Deum. 7. Nemo potest dicere, *Mundum est cor meum*:non quod iustitia imputata sit incerta & imperfecta, sed quod iustitia inhærens infinitis modis deficiat.

Prou.20.21.22.23.24.25.

1. Deus corda regum habet in sua manu, & flectit tanquam riuos aquarum: quod facit ad patientiam nostram exercendam,si reges nos premunt,ad gratitudinem,si benefaciunt. 2. Regula iustitiæ non est humanum arbitrium,sed Dei verbum.3.Si Deus pro beneplacito suo fecit alios diuites,alios pauperes, quanto magis æterna electione discreuit saluandos & perituros citra iniustitiam? 4. Cupediæ aulicæ sunt cibus fallax, seu esca mendaciorũ,actiue & passiue, quia deludunt multos, & mentiri faciunt gnathones & ciniflones aulicos.5. Justi licet septies labantur de die, nunquam tamen penitus excidunt;quia certo resurgunt, non sua virtute, sed manu Dei sustentati. 6. Quæ Deus occulta esse voluit,non sunt scrutanda;quæ vero manifesta fecit, non sunt neganda:ne in illis illicite curiosi,& in istis dammabiliter inueniamur ingrati.

Prou.26.27.28.29.

1. Admiratio propriæ sapientiæ est maxima stultitia. 2. Non quia non est gloriandum de crastino, ideo non est confidendum de vita æterna: quia ibi non est πληροφορία fidei,qualis est hic. 3. Non solum mala impiorum opera, sed etiam preces,omninoque opera in speciem bona sunt peccatum siue abominatio coram Deo. 4. Eleemosyna est optimum fœnus. 5.Qui præsunt rebusp. & ecclesiis, dent inprimis operam, vt floreat vera religio,fundamentum reip.& ecclesiæ.

Prou. 30. *v.*18.19.

Mysticus sensus horum v sborũpo est esse talis. *Aquila volans* est Christus, qui instar aquilę nidũ suum, h.e. ecclesiam, defendit: pullos inplumes radijs solis opponit, h.e. explorat credentes an sint præditi vera fide: serpentes diuellit, h.e. dæmones vincit: deniq; in senio rejuuenescit, h.e. à mortuis resurgit, & nos à morte liberat. Hujus aquilę volantis, h. e. à Patre abeuntis & redeuntis, vestigia nemo potest comprehendere. *Petra* est idem Christus, quem diabolus sæpe quidem aggressus est, verum ita, vt nihil potuerit proficere. Nulla igitur istius serpentis infernalis vestigia obseruari possunt in hac petra. *Nauis* est ecclesia: cujus cursus mirabilis inter varios persecutionum fluctus non potest deprehendi: quod tempore persecutionis fruatur mirabili modo protectionis. *Via* denique *viri in fœmina* est admirabilis conceptio & natiuitas Christi. Cæterum in hoc capite continetur formula necessariæ precationis.

Prouerb. 31.

Temulentia inprimis dedecet illos, qui alijs regendis præsunt in statu œconomino, scholastico, politico & ecclesiastico.

XXI.

CONCIONES IN ECCLESIASTEN.

Memoriale Ecclesiastis. Cap. 12.

2 11 1 9 1

Omnia vana, Hei vana, Sunm, Duo præfero, Tardi

2 3 14 15 20

Diuitia, Luctus, Cur male, Pauper, Anes.

1 14

Succurras inopi, Deus omnia facta reuelat.

Oeconomia Ecclesiastæ.

Ecclesiastes docet κατ' αὐταρκειαν siue ἀρκειν qua in re non consistat felicitas, & κατα τελειωσιν, qua in re consistat.

I. Felicitas non consistit in rebus vanis, de quibus ita tractat Ecclesiastes, vt ostendat vanitatem partim in suis rebus, partim in alienis. In suis rebus ostendit vanitatem quantum ad scientiam, *c.*1. & vsum, *c.*2. In rebus aliorum ostendit vanitatem ratione temporum, *c.*3. personarum, *c.*4.5. & rerum quoad diuitias, *c.*6.7.

II. Felicitas consistit partim in cognitione, partim in operatione. Cogni-

Cognitio est partim suiipsius, *c.* 8. partim Dei, *c.* 9. Operatio est in probitate erga superiores, *c.* 10. & in pietate erga Deum, *c.* 11. 12.

Typicam siue tabellatem dispositionem Ecclesiastiis Salomonis vide *lib. 2. prae theol. cap.* 135. characterem *ibid. cap.* 121. chronologiam *ibid. c.* 116. *& supra in praeliminari concione Bibliorum.*

Eccles. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

1. Omnia in mundo, maxima, medioxima & minima, sunt vana, h.e. fluxa, corruptibilia, & fallentia eos, qui in illis quasi vere & summe bonis, felicitatem quaerunt. Sunt, inquam, vana, non ex prima creatione, sed ex hominis peccato illis adjacente. Sunt etiam mala, non ex se, sed ex accidenti, quatenus fiunt instrumenta, non virtutis, sed vitij, & quatenus habentur pro summo bono. 2. Voluptas, sapientia humana, speculatiua illa & ascetica, denique vita otiosa, omni labore carens, non est verum hominis bonum: quia non implet hominem, sed inanit; non manet, sed transit. 3. Omnia habent tempus praefinitum, tum in cursu naturae, tum in statibus vitae humanae, ex aeterno diuinae prouidentiae consilio. Ideo, si quid parum vel secus quam vellemus, aliquando nobis succedat, non est quod inani cura, cor rodente, nos torqueamus, vel manus in officio nostro remittamus: sed Deum subinde respicientes, salutares actionum & consiliorum nostrorum successus ab eo petamus & expectemus Christiana patientia muniti. 4. Pigri pigritia, auari auaritia, reges potentia, tanquam summo bono, frustra se pascunt. 5. Veraе diuitiae non in possidendo, sed in vtendo fruendo consistunt. Itaq; portio hominis est, non de rebus auare partis edere, bibere, & in die viuere, sed diuitijs honeste partis cum gratiarum actione & laeta conscientia vti, Deo in honorem, nobis & aliis in fructum. 6. Longaeuitas & πολυετια, pijs salutaria bona corrumpuntur auaritia, & sic nocent.

Eccles. 7. *v.* 15. 21.

Tria ista commata considerabimus: Justus perit *v.* 15. Ne sis justus nimis *v.* 16. Non est justus *v.* 20. *De I.* Justus perit, h.e. qui justus est justitia partim imputata, partim inchoata. *De II.* Ne sis justus nimis, scil. iustitia aequiuoca seu hypocritica & pharisaica. *De III.* Non est justus, scil. iustitia absoluta, qualem requirit iustus ille iudex Deus, vrgens αὐτεξεδικαιον legis.

Eccles. 8, 9.

1. Quamuis impii diu impune peccent, & pios variis malis molestent: tamen bonum verum & permanens manet eos, qui Deum timent, impios cõtra manet malũ internũ & aeternum. 2. Ex prosperis & aduersis

rebus

rebus nemo potest colligere, an sit amore vel odio dignus apud Deum: quandoquidem hæ communiter piis & impiis eueniunt. Ex aduersis igitur iustus non potest colligere, se in odio esse apud Deum: nec impius ex prosperis, se esse in amore Dei. Nam perpetua praxis ecclesiæ V. & N.T. docet, pios fere exerceri in schola crucis, cum impii affluant bonis huius vitæ. Non itaque adhibendus est canon carnis & sanguis in judicando homine, sed canon scripturæ, quæ docet, sanctos de amore Dei erga se, certos esse ex sua fide, quam habent, & ex fidei fructibus, vt sunt fames & sitis justitiæ, gemitus inenarrabiles, & propositum sancte viuendi: impios contra, de odio Dei erga se certos esse ex impietate sua & morsibus conscientiæ diabolicis, quos etiam in medijs suis voluptatibus sentiunt.

Eccles. 9. v. 12.

Confer cum *Job. 14. v. 5.*

Concio funebris.

Dicemus de tempore, loco & genere vario mortis naturalis. *De I.* Hora mortis est certa, quatenus à Deo est constituta & definita: est incerta, quatenus nobis incognita. Hinc est, quod vita nostra *Psal. 90.* appellatur vigilia, Sicut enim nox diuiditur in primam facem, concubiam, gallicinium & matutinam, quibus per vices vigiles abscedere solent: sic homini cuique ex vita est abscedendum, vbi excubias suas absoluit. *De II.* Mors certa, sed tempus & locus incerta. Ut enim mors non habet rationem personæ, sic neque loci. Jacob moritur in lecto, Rahel in campo, Moses & Aharon in deserto, Ammon inter epulas, reges in aula & solio &c. *De III.* Mors confertur arbori & flori. Nam quot modis illa cadunt, tot modis homo moritur. Caduntautem illa, vel per se, cum inueterauerunt, vel per manum hominis, vel per ventum aut fulmen. Eodem modo videas quosdam homines naturalem oppetere mortem, quosdam violento modo tolli è medio, vel per manum hominis, vel per morbum aliquem subitaneum, vt est apoplexia.

Eccles. 10. 11. 12.

1. Qui mouet terminos, tum agrorum, tum artium, tum legum in societate, maximas dat turbas. 2. Sicut arbor, dum stat, in hanc vel illam partem agitari potest: collapsa, quocunque ciderit, in austrum vel aquilonem, ibi erit: sic homo, dum viuit, habet bene vel male agendi tempus, moriens, in quocunque statu deprehendetur, ibi erit, nec dabitur post mortem de statu in statum mutatio. *Hic enim,* inquit Cyprianus, *vita acquiritur vel amittitur: vbi hinc excessum fuerit, nullus erit pœnitentiæ locus, nullus satisfactionis effectus.* 2. Unus pastor, doctor & author omnium collectionum, à varijs sapientibus (prophetis & apostolis) in vnum volumen redactæ,

redactarum, est solus Christus. 3. Summa totius scripturæ redit ad hęc duo, Timendum esse Deum, & seruanda ejus præcepta, tum lege, tum euangelio tradita. Quæ duo adolescentibus æque ac senibus sunt necessaria: quia vtriq; habent Deum & inspectorem, & judicem actionum suarum. Non ita; est procrastinanda pœnitentia in tristem senectutem vsque, quia tempus vitæ est breue, & senectus sæpe adimit facultatem resipiscendi.

XXII.

CONCIONES IN CANTICVM CANTICOR.

Memoriale Cantici. Cap. 8.

1 10 11 12 2
Sum nigra, Pulchra veni, Quæsiui, Clausa, Columba,
9 8 7
Luna, Botri, Constans omnia vincit amor.

Oeconomia Cantici Canticorum.

Canticum canticorum introducit loquentes Christum spōsum & Ecclesiam sponsam, & amicos & amicas vtriusq;: ita vt quod breuiter *Ps. 45.* dictum est, hic latius, & quidem in morem dramatis explanetur. Quo pertinet illud hujus libri elogium: Canticum Canticorum est ecloga eclogarum, de desponsatione regis regum nati, & serui seruorum facti cum abjecta abjectarum nata & delectu delectarum facta. Cæterum duæ sunt hujus libri partes, vna de sponsalibus, altera de nuptiis inter Christum & Ecclesiam.

I. Sponsaliorum actus tres sunt: Primus est lætus, & complectitur geminum colloquium: vnum Ecclesiæ & Christi, *c.* 1. alterum Christi & Ecclesiæ, *c.* 2. Secundus est primo lætus ob sermonem Ecclesiæ, *c.* 3. & sermonem Christi, *c.* 4. deinde tristis ob discessum sponsi, *c.* 5. Tertius est lætus ob reditum sponsi, *c.* 6.

II. Nuptias petit Ecclesia Judaica, tum pro se, *c.* 7. tum pro sorore sua, id est Ecclesia gentium, *c.* 8.

Typicam siue tabellarem dispositionem Cantici canticorum vide. *lib. 2 pracog. theol. c.* 36. characterem *cap.* 121. chronologiam *ibid. cap.* 116. *& supra in præliminari concione Bibliorum.*

Cant. 1. 2. 3. 4.

1. Canticum canticorum ad literam est epithalamium Salomonis: sub typo vero historico mystice celebrat spirituale connubium, h. e. amorem castissimum & ardentissimum inter Christum sponsum & ecclesiam spōsam, ac proinde nos instituit de spirituali nostra, cum Christo, eiusq; spiri-

ritu & beneficiis κοινωνία, de sponsi in nos amore, de nostro in sponsum officio, amore, castitate, temperantia & constantia præstanda. 2. Ecclesia non currit virtute liberi arbitrii post sponsum, sed petit se ab illo trahi: quandoquidem nemo potest venire ad Christum, nisi Pater illum traxerit. *Johan. 6.* Est autem tractus iste, non violentus, quomodo aliquis trahitur crinibus, sed suauis, consistens in actione partim morali seu concionali, partim physica seu interna, quæ consistit in influxu gratiæ, motu cordis, & excitatione per crucem. 3. Ecclesia est lilium inter spinas, ratione *præstantiæ*, quam habet præ omnibus aliis sponsis, vti lilium est regina florum: ratione *crucis*, quia à spinis pungitur, h. e. ab hæreticis & tyrannis, quorum illi sunt vulpes, hi lupi: denique ratione *constantiæ*, quia inter spinas non deiicitur ventis. 4. Officium ecclesiæ erga sponsum est triplex: videl. *quærere* sponsum Christum, magno desiderio, non obstantibus periculis: *inuentum amplecti*, h. e. illi adhærere fiducia & amore: denique *suspirare* ad illum sine intermissione. Ex hoc officio existit pax & gaudium ineffabile: quia Christus per verbum & spiritum suum quiescit in corde sponsæ suæ, & præsentia sua pellit omnia nubila. 5. Ecclesia tota pulchra est, in hac quidem vita, partim imputatione, partim inchoatione: in altera, consummatione.

Cant. 5. 6. 7. &.

1. Ecclesia aperit dilecto suo, sed prius gratia eius excitata è somno, in quo naturaliter dormit. 2. Pulchritudo ecclesiæ est spiritualis, eaque partim communis, partim propria. *Pulchritudo communis* est prorsus æqualis, quam habent omnes electi ante legem, sub lege, & sub gratia, à capite suo Christo, cui sunt insiti, constituentes vnum cum ipso corpus. *Pulchritudo propria* est inhærens illa sanctitas, quæ singulis quidem regenitis inest, sed non æqualiter, verum ita vt recipiat gradus, siue magis & minus: quia variat in singulis, & inter varios. 3. Pabulum cibi & potus ecclesiæ vndique septum est liliis: h. e. Christus in euangelio oblatus, est plenus suauitate & amœnitate, gratiis & donis Dei abundans. 4. Multæ aquæ peccatorum & afflictionum non possunt extinguere incendium amoris reciproci inter Christum & ecclesiam. Nam diluuium ignis est majus diluuio aquæ, h. e. diluuium amoris & misericordiæ Dei est majus diluuio miseriæ nostræ.

CON-

XXIII.

CONCIONES IN ESAIAM.

Memoriale Jesaiæ Cap. 66.

2 5 26 2 2
Bos, In luce Dei, Lugebant, Germen, Vbi vræ,
3 14 20 6 5
Sanctus, Virgo parit, Lex, Puer, Assyrius.
1 1 1 1 1
Virgula, Te celebro, Babylon, Miseratio, Moab,
3 1 1 1 4
Moab, Damascus, Væ, Pharao, Pharao.
1 1 1 1 1
Desertum, Solymæ, Tyrus, En vacuatio, Laudes,
4 1 1 11 1
Fidite, Leuiathan, Ebria, Clausa, Malum.
1 1 14 2 1
Fidunt, Rex Christus, Flamma, Ira tonantis, Aperti,
2 36 5 2 3
Rabsacen, Sanhrib, Flet, Sua vasa, Viam.
10 1 12 8.9. 1
Auxilior, Christus, Nemo, Quid sculptile, Cyrus,
4 1 12 23 2
Ad senium, Babylon, Primus, Alumna, Manus.
17 7 5 5 1
Horroris, Pulcher pes, Plaga, Marita, Venito,
2 1 7 2 2
Jus, Perit hei, Pascas, Crimina Vestra, Nouum.
1 1 3 8 1
Vnxit, Splendescit, Calcaui, Fictor, Ego his sum,
24
Rodit eos Vermes secula cuncta manens.

Oeconomia Prophetiæ Jesaiæ.

Prophetia Esaiæ est partim legalis, partim Euangelica.

I. Prophetia legalis est sub Uzia Jotham, Achaz & Ezechia. Sub Uzia est prophetia orationis solutæ, *cap.* 1. 2. 3. 4. & poeticæ, *cap.* 5. Sub Jotham est vnica concio, *cap.* 6. Sub Achaz sunt conciones duûm ge-

nerum: vna ad Achazum, *c.*7. quatuor ad populum, è quibus prima est *c.*8. secunda *c.*9.10.11. tertia *c.*12. quarta *c.*13.14. Sub Ezechia sunt conciones aliæ ad hostes Judæorum, aliæ ad Israelitas, aliæ ad Judæos. Ad hostes Judæorum hoc ordine:

ad Philistæos, *c.*15.
ad Moabitas, *c.*16.
ad Syros, *c.*17.
ad Assyrios & Æthiopes, *c.*18.
ad Ægyptios, *c.*19.20.
ad Edomæos, *c.*21. vbi est digressio contra Judæos, *c.*22.
ad Tyrios, *c.*23. vbi est digressio consolatoria, *c.*24.25.26.27.

Ad Israelitas siue decem tribus est vnica concio, *cap.*28. Ad Judæos diriguntur conciones partim propheticæ, *cap.*29.30.31.32.33.34.35. partim historicæ de Ezechia, *c.*36.37.38.39.

II. Prophetia Euangelica est partim de liberatione Ecclesiæ ex Babylone, partim de regno Christi. De liberatione ex Babylone sunt quatuor conciones: è quibus duæ priores concernunt liberationem internam & spiritualem per Christum, *c.*40.41. duæ posteriores tractat de liberatione externa per Cyrum, *c.*42.43.44.45.46.47.48. De regno Christi est præfatio, *c.*49. & explicatio, eaque tum de Christo, tum de Ecclesia. De Christo eiusq; officio sunt conciones tres: prima *c.*50.51. secunda *c.*52. tertia *c.*53. De Ecclesia sunt conciones octo: prima. *cap.*54. secunda. *c.*55. tertia *c.*56. 57. quarta. *cap.*58.59. quinta. *cap.*60. sexta. *cap.*61.62. septima. *cap.*63.64. octaua. *c.*66.

De prophetis in genere vide *lib.*2 *prælog theol c.*115. *&* *c.*122.

Typicam siue tabellarem dispositionem prophetiæ Esaiæ vide *lib.*2. *prælog. theol. cap.*137. Chronologiam *ibid. cap.*116. *& supra in præliminari concione Bibliorum.* characterem denique & summariam considerationem *lib.*2. *prælog. theol. cap.*121.

Esa. I.

Hoc caput est summa legis & euangelij, quippe quod complectitur tres partes pœnitentiæ, contritionem, fidem, & nouam obedientiam, adeoque docet de beneficiis Dei erga suos, officio electorum erga Deum, & maleficijs reproborum & hypocritarum aduersus Deum, hoc modo. Deus filios suos primo gignit & adoptat, illos vocando ad societatem ecclesiæ suæ: deinde illos instar fidissimi patris educat & euehit, paterne eos curans in hac vita, justificando & sanctificando, itemq; post hanc vitam, illos glorificando. His beneficiis respon-

dere

dere debet officium filiorum, quod in eo est, vt sepositâ hypocrisi, naturam & ingenium patris sui, studio sanctitatis & justitiæ referant, amorem & reuerentiam dulcissimo patri præstent, & ab illo expectent hæreditatem bonorum cœlestium. Cæterum sicut inter homines vnus pater non raro habet filios morigeros, qui hæreditatem paternam obtinent; & degeneres, qui à patre exhæredantur: ita Pater cœlestis non habet vniusmodi filios. Alij enim sunt filij externa quidem vocatione, professione, communione & societate Ecclesiæ, doctrinæ & sacramentorũ, sed vel palam degeneres & impij, vel intus & clam hypocritæ, ideoque ex hæredes: alij vero sunt filij, non temporali solum vocatione & professione, sed etiam æterna in Christo electione, & spirituali regeneratione, vera fide & resipiscentia à patre præ alijs donati, & Christo adhærentes, eoque veri & germani filij, atque soli hæredes vitæ cœlestis. Primi ordinis filij, vel abijciunt fundamentum veræ doctrinæ, & à Deo deficiunt ad idola: vel fundamentum doctrinæ corrumpunt operibus hypocriticis, & ceremonijs sine fide & resipiscentia adhibitis. Secundi ordinis filij oderunt malum, & amant bonum, lotique sanguine Christi magis ac magis se lauant per gratiam Spiritus Sancti aquis pœnitentiæ.

Es. 2. 3. 4. 5.

1. Gloria Ecclesiæ N. T. per Christum instauratæ, reuera est major & eminentior quauis gloria regnorum hujus mundi: non vtique potentia, magnificentia & pompa seculari, qualem Judæi tempore Christi somniabant, qualemque Antichristus Romanus in sua pseudo-monarchia præ se fert: sed præstantia & dignitate spirituali, quæ consistit in eo, quod Christus, Euangelium & gaudium siue pax conscientiæ, non solum Judæis, vt in Vet. Test. sed etiam gentibus offeruntur: quodque electi non deseruntur à Deo, desertione vniuersali & perpetua, quomodo impij ab illo deseruntur, vtut deserantur desertione particulari & temporali, in malis culpæ vel pœnæ, vt explorentur. 2. Sicut boni & sapientes principes sunt præcipuum instrumentum per quod Deus humanæ societati benefacit, suntque quasi columnæ salutis publicæ: sic principes pueri, hoc est, stulti & impij, sunt præcipua causa ruinæ publicæ: quoniam corrupta vel collapsa gubernatione recta, introducitur ἀναρχία Cyclopica, in qua οὐδεὶς οὐδενὸς ἀκούει οὐδέν. Nimirum ἀναρχία ordinis politici secum trahit εὐταξίαν status œconomici & Ecclesiastici. 3. In ruinis & excidijs regnorum & populorum semper manet Ecclesia salua & incolumis, imo & gloriosa: quæ gloria non consistit in multitudine hominum, potentia, opulentia, & splendore mundano, sed in donis Spiritus Sancti, putitate doctrinæ, sanctitate vitæ, & zelo gloriæ Dei. 4. Parabola de vinea sufficientissime ad

racemandum & vindemiandum exculta, non confirmat vires liberi arbitrij, sed contra arguit, hominem sine cultura Dei nihil posse, accusatque vocatorum ingratitudinem, qui cum acceperint media sufficientia, ipsa tamen non sunt recte usi. Dico media sufficientia: quatenus Deus non adhibet plura media ad conuersionem, quam verbum & sacramenta.

Esa.6.7.8.9.10.

1. Deus vult in mundo verbum suum prædicari, vt gloria ipsius innotescat, in conuertendis pijs, & condemnandis impijs, qui hoc modo fiunt αὐτοκατάκριτοι in judicio Dei. Prior finis est proprius & principalis, posterior est secundarius. Quo pertinet illud Apostoli: *Euangelium est odor vitæ ad vitam, & odor mortis ad mortem.* 2. Qui rebus suis non contenti, studentalienas ad se pertrahere, plerumque alienas non consequuntur, & suas amittunt, aut etiamsi alienas cum suis conjungant, vtrisq; tandem spoliantur, & subito de spe & gradu dejciuntur. 3. Solus Jesus Nazarenus est promissus Messias: quia solus natus est ex virgine, verus Immanuel, hoc est, Deus & Homo in vnitate personæ. 4. Rebus dubijs & aduersis, non idola, vel ad homines defuncti, vel dæmones sunt consulendi, sed solus Deus in verbo legis & Euangelij: vtpote quod solum est vnica veritatis & consolationis regula. 5. Christus est verus homo & verus Deus, datus nobis à Deo Patre, ad restituendam nobis pacem & vitam æternam per Spiritum Sanctum. 6. Deus per impios & sceleratos judicia sua justa sancte exequitur, ita vt non fiat author vel fautor, effector vel adjutor peccatorum, sicut eques agitans equum claudum, non fit causa vel author claudicationis equi, & sicut Sol splendens per vitrum coloratum, est quidem causa splendoris, sed non coloris. Æque enim Deus bene vtitur instrumentis bonis & malis. Ipsa vero instrumenta, si bona sint, bene, sin mala, male faciunt, quod Deus per ea bene facit. Cujus rei causa est, quod longe alia est Dei, alia prauorum instrumentorum natura & scopus.

Esa.11.12.13.14.15.

1. Spiritus Jehouæ requieuit super Christum, tum per naturam, quatenus secundum deitatem est idem Spiritus cum Patre & Spiritu Sancto: tum per gratiam, quatenus secũdum humanitatem accepit dona Spiritus sine mensura, & suos Spiritu suo regenerat & sanctificat, ex lupis & leonibus hœdos & agnos efficiendo. 2. Deo pro suis beneficijs nihil possumus retribuere præter solam gratiarum actionem, laudes & celebrationẽ: quæ sacrificia Deus à nobis juste & seueriter requirit. 3. Diuinæ voluntati omnes voluntates obtemperant, siue Spiritus Sancti gratia, siue prouidentia generali aut speciali, quo Deus vult, inclinatæ. Atque hæc Dei voluntas, quæ

quæ beneplaciti dicitur, est irresistibilis. 4. Articulus ille Symboli, *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam*, nunquam interpolari potest. Sicut enim Deus inde ab Adamo vsque ad primum Christi aduentum, sic vsque ad secundum ipsius aduentum ad judicium, dabit in mundo aliqua hospitia Ecclesiæ, inter medios furores Diaboli & ejus administrorum, & inter ruinas imperiorum & publicas pœnas in mundo grassantes. Hæ siquidem non ad interitum, sed ad conseruationem Ecclesiæ à Deo immittuntur & diriguntur, juxta versum:

Est mundus fornax, reprobi sunt ligna, fideles
Aurum, crux ignis, sed Deus aurifaber.

5. Cum Deus decreuit pœnas infligere; etiam sapientissimorum oculos excæcat, & fortissimorum atque bellicosissimorum animos debilitat & eneruat, consilijs & actionibus, ipsi denique terræ & omnibus elementis maledicit propter nostra peccata.

Esa. 16. 17. 18. 19. 20.

1. Qui idolis, vel rebus extra Deum quibuscunque, confidunt, tandem ad ignominiam, ac pudorem & desperationem rediguntur, testante historiæ sacræ & profanæ perpetuo consensu. 2. Afflictionum finis præcipuus & effectus earum in electis, proinde & modus vnicus ex illis emergendi, est reuersio ad Deum, siue seria resipiscentia. 3. Sæpe Deus Ecclesiæ suæ subtrahit omnia humana præsidia & auxilia, vt vel castiget suos, qui spem conceperant de præsidijs & subsidijs humanis, vel doceat se non indigere humana opera ad executionem suorum consiliorum, sed ea vti vel non vti pro arbitrio, ad sapientiæ & potentiæ suæ manifestationem. 4. In Nouo Testamento Deus vult coli sacrificijs & votis spiritualibus & moralibus, quæ in veteri per ceremoniarum vmbras fuerunt significata. 5. Signa voluntatem Dei erga homines testificantia instituere, solius est Dei. Porro signa ista idem significant quod verbum, vnde sacramenta dicuntur verbum visibile: eadem denique fide, & reuerentia, qua verbum, sunt accipienda.

Es. 21. 22. 23. 24. 25.

1. Comminationes diuinæ semper includunt tacitam vel expressam conditionem pœnitentiæ, seu conuersionis: quæ vnica est illas effugiendi via. 2. Illusoribus & contemtoribus Dei non remittuntur peccata: quia Deus honorat illos, qui ipsum honorant, & contemnit illos, qui ipsum contemnunt. Deus autē honorat hominē, largiendo ipsi bona spiritualia & corporalia simul, ita vt illa sint horum ὑπολήψεις: homo honorat Deum, cognoscendo & colendo ipsum E contrario Deus contemnit hominem, vel nō dando ipsi bona spiritualia & corporalia, vel dando solū bona corporalia,

poralia, vel denique dando bona spiritualia, quæ dicuntur gratiæ gratis datæ, non præuia gratia gratum faciente: homo contemnit Deum, non faciendo ejus voluntatem, sed suam ipsius. 3. Euersiones vrbium potentissimarum non fiunt fortuito, sed sunt singularia Dei judicia, vlciscentis impietatem, injustitiam & luxum, quæ tria vitia diluuij instar inundant Ecclesiam, politiam & œconomiam. 4. Impij irritum faciunt fœdus seculi, cum non seruant, quod Deo promiserunt, seque ipsos infidelitate sua promissionibus Dei excludunt. Irritum itaque faciunt fœdus, non Deo, nec pijs, sed sibi ipsis. 5. Consilia Dei sunt à longe, hoc est, non heri vel hodie nata, sed ab æterno decreta: nec antiquitate infirmantur vel mutantur, quia sunt immutabilia, & Deo nihil est antiquum, vtpote cui omnia sunt præsentia,

Seu sint, seu fuerint, seu post ventura trahantur.

Esa. 26. 27. 28. 29. 30.

1. Judiciorum diuinorum geminus est vsus. Nam *pij* discunt inde justitiam, hoc est, ad resipiscentiam & timorem Dei ducuntur, & humiliati de suis viribus desperant, clamantes ad Dominum de profundis: impij vero fiunt ἀναπολόγητοι, dum quanto grauius affliguntur, tanto magis contra Deum fremunt atque insurgunt. Porro pij etiam lætantur judicijs Dei, quæ exercet in impios, non quatenus sunt ipsorum destructio, sed justitiæ Dei declaratio, & Ecclesiæ ipsius liberatio. 2. Non tantum impij, sed etiam peccata electorum sunt spinæ & vepres: sed dispari modo, affectu, effectu & euentu. Nam Deus impios totos exurit, sed peccata electorum incendit, & per illa hostiliter graditur, dum illis grauiter offenditur, irascitur, pœnasque irrogat, adeoque ipsos purgat ab illis, spiritu suo, verbo & flagellis, ipsos tamen non absumens. 3. Omnes, qui in operibus suis, satisfactionibus, & traditionibus humanis, vel in creaturis, aut idolis, spem ponunt: reuera mendacium spem habent, & fœdus cum morte, pactum cum inferno se percussisse, stulte sibi persuadent, atque ita non quidem verbis, sed tamen reipsa dicunt *Pepigimus pactum cum morte.* 4. Scriptura legis & Euangelij est liber signatus, non quod sit obscurus in se, sed quod contineat doctrinam reconditam, quæ obscura est noctuis, h. e. ijs, qui illam negligunt & lucem oderunt, non vero aquilis, hoc est, ijs, qui habent lumen fidei intra se, quod facit vt videant lumen extra se in scriptura radians, quomodo lumen intra oculum facit vt videamus lumen solis extra oculum. 5. Deus preces suorum semper exaudit: quia ipse per Spiritum suum eosdem in illis excitat. Differt equidem exauditionem nonnunquam, sed propter nostram vtilitatem: vt vel cum lucro præstet, quod petimus, vel in melius commutet. Et, si non esset aliud lucrum, perseuerantia ipsa precum in lucrum cedit.

Esa.

Esa.31.32.33.34.35.

1. Commercia cum impijs, non necessaria, scandalosa, vel periculosa, verbo Dei sunt prohibita, maxima, quæ fiunt per conjunctionem armorum & nuptias. 2. Christus est vir ille, qui ex malis omnibus Ecclesiam liberat & defendit, veraque consolatione recreat: qui spiritu suo cœcorum oculos aperit, aures surdorum audire facit, cœlestem sapientiam mentibus indit. 3. Deus licet permittat hostes grassari in innocentes: tamen & modum crudelitati eorum statuit, & tandem ipsos horribiliter punit, ijsdem vere malis, quibus alios affecerunt. 4. Interitus hostium dicitur sacrificium Jehouæ, quia res est grata & accepta Deo instar sacrificij: quatenus videlicet est gloriæ ipsius vindicatio, & Ecclesiæ liberatio. 5. Israelitæ ex captiuitate Babylonica reduces, fierunt similes ijs, qui ex cœcis videntes fiunt. Quæ liberatio fuit typus illuminationis veræ, qua Messias illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Esa.36.37.38.39.

1. Sanherib est imago Antichristi idololatræ. 2. Certitudo fidei non inducit securitatem carnalem, sed spiritualem: nec tollit media & preces, sed efficit & auget, vt tanto confidentius petamus à Deo beneficia promissa, quanto magis de exauditione confidimus, exemplo Hiskiæ. 3. Terminus vitæ nostræ precibus prorogari potest, quantum ad causas secundas, non vero quantum ad decretum Dei. 4. Sancti multoties errant consilijs, & peccant actionibus, deserti nempe à Deo, qui ipsos hoc modo examinat, castigat, vel humiliat. Semper tamen ad pœnitentiam reuocantur.

Esa.40.v.6.7.8.

His verbis propheta describit 1. vanitatem mundi. 2. Causam istius vanitatis, quæ est judicium Spiritus Dei, qui tanquam ventus asper florem dejcit, dum arguit mundum ob peccatum. 3. Æternitatem verbi, quo vegetamur ad vitam æternam.

Esa.41.42.43.44.45.

1. Annuntiare futura, vt futura, extra causas secundas, non est Satanæ vel hominis, sed solius Dei ἀξίωμα. Sane creaturæ possunt præuidere naturaliter, res necessario aut contingenter futuras, vt pluuiam: vel prædicere artificialiter res necessarias & contingentes, illas ἐπιστημονικῶς, vt eclipses, has τεχνικῶς, vt tempestates ex astris. Nimirum effectus hoc modo videtur in sua causa. Sed res à libertate voluntatis Dei vel hominis pendentes nulla creatura potest præuidere aut prædicere. 2. Christus est

electus ille Dei seruus, in quo sibi complacuit anima ejus, quemque posuit in fœdus populi & lucem gentium, hoc est, Messias ille promissus, mediator noui fœderis, in quo placuit Patri reconciliare sibi omnia, & extra quem non est salus. 3. Deus remittit & delet culpas & pœnas peccatorum, non propter hominum satisfactiones vel merita, sed merà sua misericordia in Christo, propter suam gloriam. Atque hæc est specialissima & generalissima Euangelij promissio. Est, inquam, promissio singulis data & applicanda. 4. Etsi idololatræ verbis non dicant idolo, *Tu es Deus meus:* dicunt tamen corde, dum idolis ligneis fingunt adesse numẽ, aut illa ipsa esse numen, & dum res caducas, puta diuitias, honores, sapientiam, &c. pro numine habent. 5. Deus est, qui creat malum, scilicet non culpæ seu vitij, sed culpæ seu conditionis & afflictionis. Illud quippe malum habet rationem boni, quatenus est executio justitiæ Dei.

Esa.45.v.8.

Natiuitas Christi varijs similitudinibus fuit adumbrata: quales sunt arbor vitæ, scala Jacobi, rubus ardens Mosis propitiatorium, habitus Pontificis maximi, manna, germen ex radice Isai, germen justitiæ, fons salutis, &c. Huc pertinet præsens textus, in quo natiuitas Christi confertur cum rore, pluuia, & fructu. *De I.* Quemadmodum ros è cœlo descendens fœcundat terram, & guttatim adhæret omnibus & singulis herbulis: ita Christus è cœlo descendit, vt fœcundet aridam terram cordis nostri, & guttulæ sanguinis ejus aspergantur omnibus & singulis credentibus. Quare dicamus cum Propheta, *Rorate cœli*, quasi dicat, Hactenus dedistis manna, rorem, & similia. Sed nondum suppeditastis verum manna, & cœlestem rorem. *De II.* Quemadmodum pluuia facit vt terra viridi vestiatur gramine: ita Christus è cœlo descendens facit virere Ecclesiam. Quare dicamus cum propheta: *Nubes superiores fluant justitia*, quasi dicat. Suppeditastis nobis infinitas pluuias, sed pluuiam justitiæ nondum suffecistis. Agite hanc pluuiam nunc date. *De III.* Quemadmodum fructus terræ corpus nostrum sustentat: ita Christus, qui patrem habet in cœlis, & matrem in terris, confortat animam nostram ad vitam æternam. Dicamus itaque cum propheta: *Terra se aperiat, & edat fructum salutis, justitiaque efflorescat simul*, quasi dicat, Terra nobis suppeditauit varios fructus: sed nondum edidit fructum salutis & justitiæ, hoc est, Jesum Christum, qui est salus & justitia nostra. Nam saluos nos facit à peccatis, & induit nos veste justitiæ, & denique confert nobis salutem æternam.

Esa.46.47.48.49.50.51.52.

1. Consilium Dei irritum fieri non potest. 2. Deus licet crudelitate Baby-

Babyloniorum justissime sit vsus ad vlciscenda Judæorum peccata: justissime tamen ijsdem propter istam crudelitatem minatur vastationem quādoquidem illi nec Dei mandato, nec obtemperandi studio, sed contra legem, priuato odio & sæuitia fuerunt crudeles. 3. Manifestum SS. Trinitatis argumentum est *Esa. 48. v. 16.* 4. Indigni sunt regum & principum nomine; qui non nutritores, sed persecutores, non nutrices, sed carnifices veræ Ecclesiæ se præstant. 5. Reprobi causam exitij sui malitiose in Deum rejciunt, quam in seipsis hærere propria eos conscientia conuincit. 6. Deus non tantum temporalia, sed etiam sempiterna bona promisit Israelitis. 7. Sicut per peccatum venditi sumus gratis, non sine nostro merito, sed sine Dei lucro: ita per Christum gratis redemti sumus, nullo nostro merito, sed Christi sanguine, in Dei lucrum seu gloriam.

Esa. 53.

Hoc caput est inter illustrissima V. Test. dicta, quæ de passione Christi vaticinantur: & non tam est vaticinium, quam Euangelium. Vnde ab Euangelistis in historia passionis citatur, & *Act 8.* explicatur atque applicatur. Quæ cum ita sint, hoc caput habeamus pro Clinodio & fulcro fidei nostræ. Sunt autem duæ partes hujus capitis. 1. De persona. 2. De statu Christi. *De I.* Primo hic occurrit præparatio ad thema, quod à paucis creditur. *v. 1.* Deinde natura ipsius humana duplici similitudine describitur *vers. 2.* dum appellatur planta & radix, quæ gestatur à diuina natura. *De II.* Status duplex describitur, humiliationis & exaltationis. *In statu humiliationis* occurrunt tria: contemta Christi forma, passio magna, & patientia maxima. Forma contemta est *v 2. & 3.* vbi differatur de scandalo accepto, quod mūdus sumit ex humilitate Christi. Passionis causæ & effecta promiscue describuntur, hoc ordine. 1. Christus vere pertulit morbos nostros, ita vt sit medicus & medicina simul. Sed Judæi opinati sunt, ipsum à Deo percussum esse ob sua ipsius peccata. *v. 4.* Non ita est. Nostra, nostra, inquam, peccata ipsum vulnerarunt. Nostros morbos ille pertulit. *v. 5.* Hic enim versus explicat, quales sint morbi, quos Christus pertulit. 2. Castigatio pacis nostræ ipsi imponitur. *v. 5.* Nimirum oportebat justitiæ Dei satis fieri, & pacem postliminio restitui. 3. Tumice ejus fit curatio. *ibid* Nam fames sitis, delirium Spiritus, dolor cordis, & similes morbi omnes ad vnum à Christo sunt curati per panaceam mortis suæ. Confer cum *v. 8. 9. 10. 11. 12.* 4. Omnes nos, vt ouis errauimus. *v. 6.* Christus instar fidi pastoris conscendit mōtem crucis suæ, & primo colligit, deinde ducit, pascit & defendit oues suas. Hi sunt quatuor fontes & fructus passionis Christi, vnde in omnis generis calamitatibus refrigerium & nutrimentū

petere debemus, & cogitare Christum loco nostro passum esse, quomodo videmus matrem assumere portionem amaram, quam infantulus lactens non potest edere aut bibere. Patientia Christi cernitur in corde, ore & opere. *vers.7.* Jam sequitur *status exaltationis*, cujus partes & gradus sunt numero quatuor. 1. Æternitas regni ejus: *At generationem ejus. vers.8.* vbi est prolepsis. 2. Declaratio innocentiæ. *v.9. ea quod non fecit violentiam.* 3. Collectio Ecclesiæ: vbi est primo vocatio efficax, *Videbit semen. v.10.* hoc est, electi nascentur ex ipsius morte: deinde prosper successus, *Delectatio Jehouæ per eum prosperabitur. v.10.* tertio justificatio, *Cognitione sui justificabit multos. v.11.* justificatione scilicet Euangelica, quia statim subjungitur, *Quorum iniquitates ipse bajulauerit.* 4. Plena victoria, quæ amplificatur simili & causa procatarctica. *v.12.*

Esa.54.55.56.57.

1. Promissio salutis annexam habet conditionem fidei & perseuerantiæ, quam vtramque Deus decreuit certo dare electis suis. 2. Promissiones Euangelij sunt vniuersales, partim simpliciter, respectu prædicationis, qua fit vt ex mandato vniuersali prædicatur omni creaturæ, partim secundum quid, respectu fruitionis, quæ est omnium electorum & credentium. 3. Prædicatio verbi Dei nunquam caret fructu suo, cedens in salutem ijs, qui credunt in testimonium & judicium ijs, qui non credunt. 4. Non solum lex, sed etiam Euangelium est concio pœnitentiæ: quia non minus vox est Euangelij, *Agite pœnitentiam*, quam, *Credite Euangelio.* 5. Deus execratur omnem idololatriam, tam subtilem, quam crassam. Crassa idololatria fuit gentilium: subtilis fuit cultus vituli aurei *Exod. cap. 32.* Judæorum hoc capit. 57. & Papistarum.

Esa.57.v.19.ad finem.

In hoc textu describitur gratiosa inhabitatio Dei in homine, cujus effecta & indicia sunt numero sex. 1. Spiritus contritus. 2. Sustentatio Spiritus contriti. 3. Sensus remissionis peccatorum gratuitæ. 4. Efficacia Spiritus S. in anima nostra. 5. Fructus labiorum. 6. Quies vera, qua destituuntur impij.

Esa.58.59.60.

1. Opera externa, siue sint moralia, siue ceremonialia, si fiant sine fide & conuersione, sunt mera hypocrysis. 2. Jejunium est licitum, vel illicitum. Licitum est publicum vel priuatum. Illicitum est vel hypocriticum, vel meritorium, vel Pharisaicum consistens in delectu ciborũ, vel rigidum

supra

supra vires hominis. 3. Peccata nostra superant nos à Deo nostro, adeoque Deum offendunt & pœnas attrahunt. Cum igitur vel beneficiis Dei priuamur, vel pœnis exercemur, non Deo, sed nobis culpam imputare debemus, seriaque resipiscentia atque precibus illa recuperare, istas auertere studeamus. 4. Dignitas & gloria ecclesiæ non est secularis, sed spiritualis.

Esa. 61. 62. 63. 64. 65. 66.

1. Christus in euangelio, fide accipientibus oblatam gratiam, annunciat annum beneplaciti, h. e æternam salutem, incredulis vero & hostibus diem vltionis, h. e. æternam damnationem, denuntiat. Et hoc est munus Christi propheticum. Munus sacerdotale & regium exprimitur illis verbis: *Misit me ad obligandum fractos animo*; scil. merito & efficacia. 2. Unus est ecclesiæ sponsus atque maritus, Christus Jesus, si consideretur despõsatio spiritualis. Plures vero sunt mariti ratione defensionis: quia quos per euangelium genuit vt filios, constituit eosdem defensores, patronos & propagatores doctrinæ, quasi maritos. 3. Magnificentissima est descriptio officij Christi sacerdotalis, quod veniat ex Edomæa, madefactus sanguinetum hostium, tum suo ipsius, torcular iræ Dei solus calcando. 4. Cum omnes justitiæ nostræ sint sicut pannus menstruatus, fieri non potest, vt coram Deo nos justificent, ex rigore judicii diuini. 5. Initium conuersionis & fidei confertur à solo Deo, non quærentibus: conuersi vero quærentes inueniunt incrementa & perfectionem. 6. Cœlum est thronus Dei, terra scabellum pedum ejus, non situ locali, sed immensitate essentiæ atque potentiæ. 7. Opera hypocritarum, licet sint præcepta à Deo, sunt tamen abominatio Deo: quia bona opera ab illis male fiunt. Hinc solet vbique dici: *Deus est remunerator aduerbiorum, non adjectiuorum.*

XXIV.

CONCIONES IN JEREMIAM.

Memoriale Jeremiæ. Cap. 52.

13 13 1 3 25
Ollam, Cisternas, Scortans, Nona pectora, Crimen,
17 4 7 13 7
Non non, Ter templum, Grus, Sapiens, Tinea
20 1 2 21 2. 3.
Remum, Cur florent, Cingas, Nereiise, Plagæ,
11 5. 7. 4 5 14
Majores, Fidens, Vas, Perit igne, Dies.

8 3 1 1 15
En Via, Iustitiam, Pastores, Ficubus, Ira,
12 2.4. 13 1 11
Me misit, Lorum, Ferrea, Scripta, Modus,
31 16 15 2.3. 2
Pango nouum, Domine ah, Germens, Tradere, Rechabus,
23 15 20 2.5. 5.6.
Exussit, Capitur, Fac, Capitur, Remanent,
3 2 2 16 1
Caditur, Ah era, Mentiri, Nonita, Baruch,
2 4 1 7 1
Ægyptus, Tyrii, Moab, Edom, Babylon.
1 4
O Babylon male habebis, Habebis tu male Tzyon.

Oeconomia prophetiæ Jeremiæ.

In prophetia Jeremiæ est περίοχος λόγος καὶ ἐπίλογος.

I. Περίοχος est de Jeremiæ vocatione, *c.1.*

II. Λόγος dirigitur ad Judæos & gentes siue hostes Judæorum. Ad Judæos dirigitur concio ante captiuitatem, & historia de captiuitate. Cócio ante captiuitatem est sub Josia, Joachimo & Zedekia. Sub Josia sunt conciones partim simplices, *a c.2. ad 13.* partim typis & dialogismis figuratæ, *c.13.14.15.16.17.18.19.* partim deniq; historicæ de Jeremiæ captiuitate, *c.20.* Sub Joachimo sunt conciones partim comminatoriæ, partim consolatoriæ, nunc ad Judæos, nunc ad Babylonios directę, *c.21.22.23.24.25.26. 27.28.* Sub Zedekia sunt quatuor conciones consolatoriæ, *c.29.30.31.32.33.* & duæ comminatoriæ, *c.34.35.* Historia de captiuitate est de antecedentibus, *c.36.37.38.* de concomitantibus, *c.39.* & consequentibus, *c.40.41.42. 43.44.45.* Ad gentes diriguntur conciones comminatoriæ: videl. ad Ægyptios, *c.46.* ad Philistæos & Tyrios *c.47.* ad Moabitas, *c.48.* ad Ammonitas &c. *c.49.* ad Babylonios *c.50.51.*

III. Ἐπίλογος est epitome historiæ de capta vrbe, & regno euerso, *c.52.*

Typicam siue tabellarem dispositionem prophetiæ Jeremiæ vide *lib. 2. præcog. theol. cap.* 38. chronologiam *ibid. c.* 116. *& supra in præliminari concione Bibliorum.* Characterem denique & summariam considerationem *lib. 2. præc. theol. c.* 121.

Jerem. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

1. Deus sanctificat sibi ministros verbi, & illos instruit parrhesia, fortitudine, & similibus donis necessarijs. 2. Quemadmodū Judæi relicto fonte salutis consectabantur cisternas, desciendo à Deo ad idola: ita Papistæ relicto

relicto Christo, illiusq; satisfactione & intercessione, cõfugiunt ad suffragia & merita sanctorum. 3. Deus nõ est μονόψυχος, sed quam est justus & severus in puniendis impœnitentibus, tam est misericors & clemens ad ignoscendum resipiscentibus. 4. Deus præcipit nobis internam cordis circumcisionem, non quod sit in nostra facultate mutare & purgare corda, sed vt doceat, quid jure à nobis requirat, quidq; ab ipso ardẽter petere debeamus. 5. Pertinacia peccandi attrahit pœnas atrociores, facitq; vt Deus supplicia supplicijs, pœnas pœnis juste cumulet. 6. Pastores illi melliti & holoserici sunt impostores, omnib. modis cauendi, qui impietate & scelerib. in populo grassantibus, pacem & felicia omnia pollicẽtur. 7. Frustra habent in ore templum Domini, qui non sunt templum Domini in corde. 8. Deprauatio religionis & cultus Dei à pseudoprophetis introducta, est ingentium malorum in repub. & ecclesia causa.

Jer. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16.

1. Fons omnium peccatorum & malorum est ignorãtia Dei. Hæc enim secum trahit contemtum Dei & verbi ejus, cum quo tanquam individuus comes cohæret ira Dei. E cõtrario vbi est vera Dei agnitio, ibi est timor Dei, trahens secum benedictionem. In vera igitur Dei agnitione, vera sapiẽtia, veraq; felicitas consistit. 2. Signa in vniuersum sunt quadruplicia: *diuinitus instituta*, quorum vsus sine fide & conuersione cordis nihil prodest, neque pœnarũ immunes, sed magis reos facit: *naturalia*, vt sunt sidera ordinate significantia, à quib. metuere debemus, sed citra superstitionẽ & diffidentiã: *ciuilia*, quæ habent vsum politicum *idololatrica*, quę ad repræsentationem vel cultũ posita sunt eruditio vanitatũ & mendacii. 3. Hominũ perfidia facit, vt fœdus Dei fiat irritum. Hinc Deus facit opus alienum, quãdo nobis benefacere, & fœdus præstare nequit. 4. Ex ordine justitiæ diuinæ tandem bonis bene, & malis male erit. Habet tamen Deus causas singulares, cur quãdoq; ad tẽpus bonis male, malis bene fac at vel fieri sinat, sine injustitia. 5. Quamuis impij bene velle aut facere non magis possint quã æthiops pellem suam mutare: justissime tamen à Deo puniuntur, quia & voluntarie peccant, quoties peccant, & impossibilitatẽ beneuolendi & agendi voluntaria malitia sibi induxerunt. 6. Hypocritæ in necessitate constituti solent precari: sed Deus καρδιογνώστης nouit corda & hypocrisin, & ideo illos nõ exaudit. 7. Non tantũ seductores, sed etiam seducti pœnis diuinis subjacent. 8. Peccata parentum juste puniuntur in filiis, quando eadem ipsi cum parentibus perpetrant. *Jer. 17. v. 5. 6. 7. 8.*

Illustris est hoc loco antithesis impij & pij. *De I.* Impius est, qui cõfidit in homine: quo nihil stultius & inutilius cogitari potest. Nam ille carnẽ, h. e. rem nauci ponit brachium suum; & recedit à Jehoua; & proinde similis est arbori nudatissimæ, in loco campestri &c. *De II.* Pius est, qui fiduciam

etiam habet in Jehoua: quo nihil potest esse vtilius. Quale enim est id, cui adhæret homo, talis etiam est ipsius consolatio. Si adhæret bono æterno, consolatio ipsius est æterna: si vero adhæret bono caduco, consolatio quoque ipsius est talis. Qui ergo confidit in Jehona, est similis arbori, cujus radix est fides, quæ semper manet viua, etiamsi pluuiæ, nix & tempestates hyemis ingruant, vel calor æstatis ipsam vrgeat. Fructus quoque aliquos fert omni tempore, in hoc vel illo statu vitæ humanæ. Fieri enim non potest, vt vera fides omni δυνάμει πλησίον sit orba.

Jer. 18. 19. 20.

1. Qui negant, Deum habere jus ex hominibus alios eligendi, alios reprobandi pro arbitrio, citra injustitiam, minus relinquunt Deo, quam cuiuis vilissimo figulo tribuere coguntur. 2. Tantus est furor idololatrarum, vt etiam nefanda scelera pro cultibus diuinis amplexentur & admirentur. 3. Sunt etiam in sanctissimis, vt in Jeremia, quandoque contrarij affectus & motus, fides & diffidentia, patientia & impatientia, lucta carnis & Spiritus. Sed Deus cum tentatione dat exitum, & fortiter eluctantibus non imputat peccatum.

Jer. 21. 22. 23. 24. 25.

1. Hypocritæ in periculis quærunt miracula, & Deum volunt sibi habere obnoxium ad opitulandum, sed nolunt serio resipiscere. 2. Ædificare domum suam cum injustitia, expilatione, & defraudatione pauperum, est peccatum in cœlum clamans. Non damnantur autem ædificia magnum splendida, si absit fastus, auaritia, injustitia, & crudelitas cum sanguine innocentum ædificans. 3. Etsi parum refert, quam honorifice sepelimur, sed potius quam bene moriamur: tamen est quædam ignominiæ politicæ seu ciuilis, & ecclesiasticæ species, abjici insepultum: quæ quidem piis nihil incommodat, impiis vero est quoddam æternæ confusionis præludium. 4. Christus est Jehoua justitia nostra, germen Dauidis justum, factus nobis à Patre sapientia, justificatio, sanctificatio, & redemtio. 5. Deum vere non cognoscunt, neque ad eum reuertuntur toto corde, nisi quibus hoc à Deo singulari gratia datur. 6. Quamuis tyranni, & impij alij aliquando diuinitus excitentur ad aliorum peccata coercenda, & serui Dei hactenus vocentur: tamen cum non habeant intentionem, seruitium suum accommodandi Deo, sed tyrannidi & affectibus suis morem gerant, iustam Dei vindictam vicissim incurrunt.

Jer. 26. 27. 28. 29. 30.

1. Pseudo-ecclesiastici semper fuerunt, & hodie sunt capitales veritatis hostes. Et veri pastores non habent atrociores aduersarios, quam episco-

pos

pos hypocritas,& sacerdotes idololatricos.2.Ingruentibus publicis calamitatibus,non tam de jungendis fœderibus cum extraneis,præsertim infidelibus,quam de instaurando fœdere Dei per preces & resipiscentiam veram soliciti esse debemus.3.In dignoscēdis prophetis nouis,h.e. doctoribus verbi Dei,ad prophetias veterum prophetarum,h.e.ad legem & testimonium est recurrendum.4.Certissima impostorum nota est,læta promittere grassantibus vulgo peccatis.5.Etiam pro impiorum prosperitate, inter quos versamur,orandum est,tum propter ipsos,vt conuertantur cōuertendi,tum propter ecclesiam, vt ea conseruetur & Deum celebret. 6.Liberatio ex captiuitate Babylonica est typus liberationis ecclesiæ per Messiam.7.Tyranni deuorant martyres:sed vna cum illis deuorant mortem: Sie freſſen den todt an jhnen.

Jer.31.32.33.34.35.

1. Conuersio nostri ad Deum, non est opus liberi arbitrij, sed Dei in nobis,quo conuertente nos conuertimur, conuersi autem conuertimus & nos, atque adeo acti agimus.Pertinent huc illa: *Deus præparat voluntatem,& adiuuat præparatam.* Item: *Ideo Deus iubet aliqua quæ non possumus,vt nouerimus,quid ab illo petere debeamus.* Item: *O homo,in præceptione cognosce,quid debeas habere: in correptione,cognosce,tuo te vitio non habere:in oratione cognosce,vnde accipias,quod vis habere.* 2. Deus non solum in fœdere gratuito siue euangelico promittit remissionem peccatorum omnibus in Christum credentibus: sed ipsam quoque fidem in nobis creat. Et hoc interest inter fœdus legale & euangelicum, quod ibi conditio relinquitur nostris viribus,hic per gratiam Dei præstatur.3.Christus solus est Dauidis germen iustum, & ejus sacrificium est jugis oblatio holocaustorum in nouo testamento.4.Deus mitigat pœnas & calamitates agentibus pœnitentiam,etiam quandoq; hypocritis:quib.tamen mitigatio non est salutaris, sed occasio & causa grauiorum peccatorum & pœnarum. Quod si pœnitentia vera non obtineat temporalium pœnarum mitigationem, non tamen ideo est inutilis: quia certo impetrat auersionem pœnarum æternarum juxta promissiones euangelii. 5. Abstinentia Rechabitarum non ex voto ipsorum, sed ex interdicto patris fuit profecta,non tanquam cultus,aut meritum,sed tanquam exercitium fidei,pietatis & patientiæ.

Jer.36.37.38.39.40.

1. Deus verbum suum tribus de causis præcepit literis mādari: tū vt in ecclesia paulatim numerosiori futura certus canon doctrinæ cœlestis extaret:tū ne doctrina ista ab impostoribus facile posset deprauari:tū deniq;

vt certius ad posteros propagari posset. 2. Promissiones corporales nõ excludunt afflictiones: quippe quæ saluti piorũ nihil incommodant, sed mirabiliter cooperantur. Oportet itaq; meminisse regulæ: *Promissiones tẽporales sunt intelligendæ cum exceptione crucis.* Sic Jeremias habebat luculentas diuinæ præsentię & conseruationis promissiones: & nihilominus conjicitur iterum iterumq; in carcerem. Quę captiuitas gloriam veritatis diuinæ valde illustrauit. Nam Jeremias pascitur in carcere, foris grassante fame. *c 37.* inque vrbis expugnatione tutus seruatur ab hoste grassatore, atque adeo ab ipsis Babylonijs liberatur. *cap. 38. 39.* 3. Conciones Dei sunt duũm generum, verbales & reales. Qui verbales & salutares conciones ministrorum verbi contemnunt, tandem cruentas conciones hostium & ministrorum gladij, magno suo malo audire, sæuitiamque experiri coguntur.

Jer. 41. 42. 43. 44. 45.

1. Nullum est tam inhumanum facinus aut nefandum, ad quod ambitio, inuidentia, auaritiaq; homines non impellant. 2. Hypocritæ palliant omnia sua dicta & facta. Hinc consilia carnis, quæ ab ipsis proficiscuntur, prima fronte sunt speciosissima & tutissima: sed tandem in fine deprehenduntur esse pernicioſissima. Sic etsi Deum & ministros ejus in corde suo contemnant, nolunt tamen videri quod sint palam impij. Hinc mãdis pressi Deum consulunt, & obedire promittunt, quatenus nimirum eorũ affectibus & prudentię carnali placentia mandauerit: quod cum non fecit, deposita larua eum cum suis ministris mendacij proterue accusare nõ erubescunt. 3. Seruus Dei triplicem habet significationem in scripturis. Et primo quidem Christus est seruus Dei; deinde electi: deiniq; hostes ecclesiæ, quo sensu Nebucadnezar vocatur *seruus Dei*, h. e. vindictæ Dei in Judæis puniendis executor & instrumentũ. Nihilominus, cum facti sui non haberet à Deo mandatum, neq; faceret, quod fecit, vt obediret Deo, grauiter peccauit, justeq; tanquam vastator & prædator à Deo fuit punitus. 4. Nullum est peccatũ, quod majestatem Dei grauius lædat offendatq; & corruptæ hominis naturę magis allubescat, etiãsi laboriosũ sit & sumtuosum ejus exercitium, quã idololatria. 5. Etiam sancti quandoq; errant cõsiliis & ruũt affectib. contra vocationẽ: quoties magis in præsentes difficultates aut vires suas, quam in Dei prouidentiam & promissiones sunt intenti: eoque opus habent correptionibus, vt in viam reuocati officium faciant.

Jer. 46. 47. 48. 49. 50 51. 52.

1. Ecclesiam Deus corripit, vt corripiendo corrigat, & è damnatione

tione eripiat. 2. Chaldæi vocantur *gladius Jehouæ*: quia per eos Jehoua vindictam ſuam contra Philiſtæos exercuit. Et gladius Jehouæ non peccabat, quia iuſte pœnas promeritas hoſtibus infligebat. Peccabat vero gladius Chaldęorum, quia nõ cauſa obtẽperandi Deo, ſed fines ſuos proferendi in Philiſtęos ſtringebatur. 3. Deus ſub cõminatione maledictionis hortando Chaldæos ad fundendum ſine miſericordia ſanguinem Moabitarum, non hortatur ad peccatũ, ſed ad ſtrenuã judicij ſui executionem, licet ipſi hoc mandatũ non attendentes, idipſum faciendo grauiter peccarent. 4. Crudelitas, qua ſæuitur in innoxios, prẽter & contra leges, peccatũ eſt: non autẽ, qua ex offi. io ſecundum leges puniuntur ſcelerati. Intempeſtiua enim miſericordia, qua ſcelera vel nõ puniuntur, vel frigide puniũtur, Deo eſt odioſa. 5. Deus mittit legatũ ad vocandas gentes contra impœnitentes, quando arcano inſtinctu impellit populos, vt arma capeſſant cõtra eas regiones, quas propter impietatẽ ſuam punire ſtatuit. 6. Sicut faber per malleũ cudit ferrum, nõ tantum permiſſiue, ſed effectiue: ſic Deus per impios grauiſſime peccantes iudicia ſua non tantum exerceri permittit, ſed efficaciſſime exequitur. 7. Quamuis Deus hoſtium opera vtatur in puniẽdis peccatis ſuorum: minime tamen illi excuſantur, ſed grauiter peccant, & merentur pœnas diuinas, quas certo tandem Deus ipſis infligit, cum tempus liberationis eccleſiæ imminet: quomodo videmus hic monarchiã Babylonicam à Deo per Cyrum euerſam fuiſſe. 8. Quando Deus populo iraſcitur ob peccata, præficit ipſi magiſtratus impios vel ſtolidos, qui ſua impietate mala impendentia & merita accelerant.

XXV.

CONCIONES IN THRENOS JEREMIÆ.

Memoriale Threnorum Cap. 5.

1 5 25 21 1
Eſt vidua, En hoſtis, Bonus eſt, Lætare, Memento

Oeconomia Threnorum Jeremiæ.

Threni ſeu Lamentationes Jeremiæ continent quinque ſermones Eccleſiæ totidem capitibus comprehenſos. Sermonum iſtorum duo ſunt capita. Primo ſunt tres lamentationes: prima ſimplex *cap.* 1. 2. ſecunda figurata, *cap.* 3. tertia dialogiſtica, *cap.* 4. Deinde eſt precatio, *cap.* 5.

Typicam ſiue tabellarem diſpoſitionem Lamentationum Jeremiæ *vide lib. 2. prælect. theol. cap. 39.* chronologiam *ibid.* & *ſupra in præliminari*

concione Bibliorum.characterem denique & ſummariam conſiderationem *lib.2.prac.theol.c.122.*

Thren. 1. 2. 3. 4. 5.

1. Vera lamentationum cauſa & materia non tam debet eſſe jactura facultatum, valetudinis, honoris, & ſimilium bonorũ priuatorũ, quam ruina & euerſio vrbium, regnorũ, templorum, & ſimilium calamitatũ publicarum, & inprimis illarum cauſę, vt ſunt peccata hominum. 2. In publicis malis conſtituti, non debemus fremere aduerſus Deum, neq; deſperare, ſed conſideratione peccatorum noſtrorum & juſtitiæ Dei ſortem noſtrã patienter ferre, reſipiſcere, & mitigationẽ malorum ac liberationem ſupplices à Deo petere, & patiẽter gemendo expectare. 3. Claudit quidẽ Deus aliquando aures ad orationem noſtram, dum auxilium differt ad nos explorandos: ſed nunquam deficiunt miſerationes ejus, quin tandem exaudiat inuocantes. 4. Bonum eſt affligi in juuentute, vt ferẽdæ cruci aptiores ſimus, & ita ſub potenti Dei manu humiliemur, diſcamus denique alijs συμπάσχειν. 5. Religio falſa eſt crudelis & ſanguinaria. 6. Etſi Deo modum & tempus liberationis præſcribere non debemus: tamen orare licitum eſt, vt Dominus liberationem acceleret, propter nominis ſui gloriam, & eccleſiæ ſuæ ſalutem. 7. Conuerſio tum cordis noſtri ad Deum, tum calamitatum publicarum & priuatarum, ſolius Dei eſt opus, & à Deo petidebet: veruntamen ita, vt adhibeamus media diuinitus ordinata ad vtramque iſtam conuerſionem promouendam.

XXVI.

CONCIONES IN EZECHIELEM.

Memoriale Ezechielis. Cap. 48.

5 6 16 13 2
Quattuor, Haad timeas, Speculator, Stercoris, Igne,
8 15 10 4 9
Relliquiæ, Gladius, Reptile, Signa, Rota.
19 2 3 14 7
Corvnum, Caci, Va Vatibus, Entrias, Igne,
15 16 4 2 12
Scortata es Balel, Morte, Leana, Dedi,
21 3 5 2
In biuio, Vah vrbs, Scortantur, Bulliat, Ammon,
2 3 2 2 3
Eja, Tyre, En Dominus, Pharao, Opaca dies.

Aſſy-

3 2 11 12 2
Assyrius, Pharao, Viuat, Pastor bonus, Edom,
26 2 3 6 3
Cor dabo, Sicca ossa, Hei Gog, Magog, Alma domus.
1 1 13 10 1
Metitur, Cameras, Altare, Leuita, Canahan,
2 1 1
Sacrificant, Flumen, Nomina tum tribuum.

Oeconomia Prophetiæ Ezechielis.

Prophetia Ezechielis absoluitur præfatione & concione.

I. Præfatio est de vocantis Dei majestate, *cap.1.* & Prophetæ vocati partim timiditate *c.2.* partim confirmatione, *cap.3.*

II. Concio est partim increpatoria, partim consolatoria. Increpatio respicit populum Dei & gentes exteras. Increpatio populi Dei, est primo generalis, qua objugatur totus populus: eaque constans typis, *ca.4.5.6.7.* & visionibus, *cap.8.9.10.11.* deinde specialis contra Zedekiam, *c.12.* contra Pseudoprophetas, *c.13.* & seniores, *cap.14.* Tertio rursus generalis, eaque partim anacæphalæosis præcedentium, *cap.15.* partim noua reprehensio, constans sermone simplici vel typis figurato, *c.16.17.18.19.20.21.22.23.24.* Increpatio gentium continet tres conciones: quarum prima est contra Ammonitas *c.25.* secunda contra Tyrios, *cap.26.27.28.* tertia contra Ægyptios, *cap.29.30.31.32.* Consolatio est de restitutione Ecclesiæ, partim inchoata per liberationem ex Babylone, partim perfecta per Christum. Illa absoluitur sex concionibus, *cap.33.34.35.36.37.38.39.* hæc præfiguratur visionibus varijs, partim de instauratione templi, *c.40.41.42.* & totius cultus sacri, *cap.43.44.* partim de restitutione totius terræ, reip. ac regni, *cap.45.46.47.48.*

Typicam siue tabellarem dispositionem Prophetiæ Ezechielis vide *li.2. Præcog. Theol. cap 40.* Chronologiam *ibid cap.116.* & *supra in præliminari Concione Bibliorum.* Characterem deniq; & summariam considerationem *lib.2. Præcog. Theol. c.122.*

Ezech.1.v.4. & seqq. ad finem.

Exordium. Scopus visionis hujus est docere, Dominum nostrum Jesum Christum Spiritu suo æterno cœlum & terram, & omnia quæ sunt in eis administrare, ita vt adhibeat ministerium angelorum. *Concio Typica.*

Propositio. Duo hic sunt indicanda: videl. administratio regni potentiæ, & administratio regni gratiæ. Hoc enim cum illo conferendum est juxta omnes hujus visionis partes.

De I. In hac visione duæ sunt partes principes: prima est de ipsio administrorum Christi, quorũ alij sunt superiores, alij inferiores. *adv 22.* Secunda est gloriæ Christi in cœlis figuratio ad finem vsque. Ex ministris inferioribus *ventus* est præcursor Christi, *nubes* ipsius vehiculum, *ignis* vestimentum purpureum splendidissimum, & purissimum. Administri superiores sunt *angeli*, qui administratione in quatuor partes orbis perfunguntur, & excellunt intelligentia vt homines, robore validi vt leones, obsequio indefessi vt boues, agilitate præpotes vt aquilæ. Cur vero hic recensentur *quatuor Cherubim*, non autem duo vt in arca? Responsio ex modo dictis est in promptu. Nimirum, vt intelligeremus prouidentiam Dei in omnibus mundi cardinibus dominari. Porro quatuor istis animalibus repræsentatur vis angelica, quia *homo* inter animantes tenet præcipuum gradum, *leo* inter feras bestias dominatur, bos, tanquam animal vtilissimũ, repræsentat omnes animantes cicures; deniq; quoniam *aquila* est auis regia, ideo comprehenduntur omnes aues sub hac voce. Illud itaque tutum esto, quod Deus mundum inferiorem regat per angelos ideoque angelicas inspirationes significet per quatuor Cherubim, & extendat ad quatuor mundi plagam. Jam vt simul pateat, nullam creaturam à seipsa moueri, sed omnes agitationes esse ex arcano Dei instinctu, ideo singulis Cherubim tribuuntur *quatuor capita*. Quo docetur, angelos exercere imperium Dei, tanquam capitis sui; & omnes creaturas sic agitari, ac si conjunctæ essent cum angelis. Ergo perinde est, ac si angeli gestent capita omnium animantium, hoc est, in se comprehendant omnia elementa, & omnes mundi partes. Præterea *quatuor rotæ* notant conuersiones seu reuolutiones mundi continuas. *Conjunguntur* autem *rotæ angelis*, quia quidquid mutationum in mundo cernitur, id pendet ab angelis, quatenus illi sunt manus Dei. Dicitur esse *rota in rota*, quia conuersiones mundi sunt contextæ. Rursus rotæ dicuntur *oculatæ*, quia nihil fit cæco impetu. *Pedes rotundi* notant agilitatem: *manus* aptitudinem ad exequendum munus: *manus sub alis* obsequium, quo angeli capessunt jussa Dei. *Homo insidens solio* est Deus manifestatus in carne hoc est, Christus. Cur autem Deus tum in hac visione, tum in alijs similibus induit formam hominis? Resp. Ex partibus: quia voluit præludium aliquod extare incarnationis. Vnde non obscure colligitur veritas illius regulæ: Quoties Deus apparuit sub specie hominis, specimen quoddam dedit mysterij, quod tandem manifestatum fuit in persona Christi. *Vsus. 1.* Discimus mundum à Deo gubernari. 2. Sanctis angelis oportet habere hunc honorem, vt illos habeamus pro ministris Dei perpetuis, & ipsorum piam solicitudinem in officio nostro imitemur. 3. Gubernationem mundi in hac visione, tanquam in speculo, oportet vt subinde contemplemur.

De II.

De II. Regnum gratiæ allegorice hic depingitur. Nam Euangelium est currus Christi, quo Christus vehitur. Quatuor animalia & rotæ sunt quatuor beneficia Christi cardinalia, videlicet incarnatio, passio siue sacrificium, resurrectio & ascensio. Quæ causa fuit, quod veteres dixerint: Christus factus est *homo* nascendo, moriendo *vitulus*, resurgendo *leo*, ascendendo *aquila*.

Conclusio. Cum homo sit microcosmus, vnusquisque nostrum fiat currus Dei, in quo ille administret regnum potentiæ & gratiæ.

Obseruationes in hoc caput.

1. Electorum, quod in hac visione describitur, denotat vnionem personalem duarum naturarum in Christo, vt docet Gregorius. Sicut enim electorum est metallum compositum ex purissimo auro & argento, in quo polito possumus contemplari propriam imaginem, non aliter atque in speculo, eoque splendidissimo: ita in Christo est aurum purissimum, videlicet diuina natura, & argentum purissimum, id est, humana natura. In hoc electro cernitur pulcherrima imago Dei Patris. Porro cœleste hoc electrum apparet in medio ignis, qui est pura puta charitas.

2. Solium Sapphirinum, in quo Deus sedit indutus formam humanã, notat Christi incarnationem. Quatuor animalia, quæ circumstant hoc solium, significant quatuor cardinalia Christi beneficia. Ille siquidem nascendo est homo, moriendo vitulus, resurgendo leo, ascendendo aquila. Porro quatuor rotæ notant quatuor Euangelia, quæ sunt veluti quadrigæ Christi, quibus ille vehitur per totum orbem.

3. Scopus hujus visionis inter alia fuit, vt glorioſa illa Dei justi judicis apparitione, & propheta in vocatione sua confirmaretur, & populus concionibus ejus fidem haberet, intelligeretque, sibi à tanta majestate juste inflictam captiuitatis pœnam, & porro grauiores infligendas, quas Ezechiel denuntiaturus erat, non resipiscentibus.

Ezech. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

1. Cum populus concionibus doctorum non obtemperat, non tamen illi, quasi operam inanem sumant, langueſcere in officio debent: quia semper conuertuntur conuertendi, reliqui in conscientijs conuicti, cognoscunt tandem suo malo, Prophetam fuisse in medio eorum. 2. Qui est apparenter justus & moraliter tantum potest se auertere à sua justitia: qui vero est vere justus in Christo & spiritualiter perseuerat vsque ad finem. 3. Ministerium verbi est organum Dei, quo vtitur in his terris ad plantandum & irrigandum Ecclesiam suam. Hinc ministri verbi intelligunt, quam pretiosum thesaurum sibi commissum habeant, nempe

animas

animas hominum: quamquam periculosum munus gerant; quia Deus si qui eorum culpa perierint, rationem ab eis exiget. 4. Vera pœnitentia semper prodest ad euitandas pœnas æternas: licet non semper prosit ad auertendas tẽporales. 5. Conspiciuntur non raro apud eos, qui Ecclesiæ nomẽ jactant, atrociora scelera quam apud profanas gentes: ideoque tantam impietatem Deus non potest non atrocius punire. 6. Nulla loci distantia contra pestem munire potest eum, quem Deus pœnæ pestis destinauit. Interim med' ordinaria homini Christiano non sunt negligenda, qualis est fuga, quæ est licita, nisi vocatio prohibeat, neque in fuga spes ponatur. 7. Vtitur Deus plerumque pejoribus hominibus pro instrumentis, vt malos puniat.

Ezech.8.v.5.ad finem.

In hac visione nobis ob oculos ponuntur quatuor principales abominationes desolationis. 1. Falsitas doctrinæ: quæ depingitur sub imagine idoli. 2. Discordia: quæ figuratur per formas reptilium. 3. Voluptas carnis: *v.12.* describitur. 4. Impietas, qua fit vt Deo nuntium remittamus & posteriora obuersa habeamus aduersus templum Domini. *v.16.*

Ezech.9.10.11.12.13.

1. Deus subinde sibi seruat Ecclesiam aliquam signatorum, recte inuocantium eum, ac detestantium idola & scelera publica: quamuis Ecclesia visibilis, inprimis cœtus hypocriticus, qui Ecclesiæ titulum jactitat, deficiat & pereat. Cæterum signum *Tau*, cujus fit mentio hoc in loco, est character filiorum Dei, vera fides in Christum per verbum Dei à Spiritu Sancto animatum. 2. Deus vtitur ministerio angelorum in exequendis beneficijs & judicijs suis. 3. Deus est, qui amouet à nobis cor lapideum & indit nobis cor carneum. Itaque homo regenerandus se habet pure passiue: & regenitus non agit ex se, sed actus à Spiritu Sancto. 4. Homines αὐτοψίας habent oculos ad videndum sed videre nolunt. 5. Falsi doctores astute impostoras suas populo obtrudunt, vt eum perdant, similes vulpibus, quæ astute & clam irrepunt in vineas, quas vastent. Confer cum *Matth.7.*

Ezech.14.15.16.17.18.19.

1. Deus decipit Pseudoprophetas & seducit impostores, non errorem vel impostoras eis ingerendo aut infundẽdo, sed gratia sua eos destituendo, & Satanæ decipiendos tradendo ac relinquendo. 2. Magna est dignitas & consolatio Ecclesiæ, quod est vinea & vitis Domini, nostri vero officij est, culturæ respondere, fructus pœnitentiæ, fidei & charitatis proferendo. Nisi enim hoc facimus, vinea ista æquiuoce est talis, & proinde vicina exustioni. 3. Omnes nascimur filij iræ, natura jacentes in sanguine, hæ-

polluti

polluti peccato originali, rei iræ Dei & mortis æternæ, donec diuinitus per fidem justificati, spirituque abluti & sanctificati Christi sanguine purgemur. 4. Fœdera, quæ non pugnant cum lege Dei, nec obstant saluti reipub. & Ecclesiæ, nec conjuncta sunt cum scandalo: licet sint grauia, seruanda sunt nihilominus, vt caueatur perfidia, & euitentur pœnæ. 5. Filij justorum parentum degenerantes, non juuantur illorum pietate. 6. Filius non portat iniquitatem patris, numero eandem, licet possit portare iniquitatem patris, eandem specie, hoc est, si insistat vestigijs patris sui. 7. Deus jubet nos facere cor nouum & spiritum nouum, non quod facere hoc ex nobis possimus, sed vt jubendo doceat, quid facere, & cum non possimus, quid ab eo petere debeamus, & quando possumus, vnde id habeamus. 8. Deus non vult mortem peccatoris morientis, quatenus est destructio creaturæ, sed quatenus est executio justitiæ. 9. Quando homines grata mente non agnoscunt dona & bona pacis, Deus immittit bella, & justas lamentandi causas præbet.

Ezech. 20. 21. 22. 23. 24. 25.

1. Sacramenta extra vsum legitimum non sunt sacramenta, id est, signa fœderis inter Deum & Ecclesiam, gratiam salutis obsignantia fidelibus, & illos vicissim ad fidem & obedientiam obligantia. Vsus itaque legitimus non est sine fide & pœnitentia: qua cum destituantur hypocritæ, vtpote infideles & impœnitentes, sacramenta illis nihil prosunt vel conferunt sed cedunt in judicium. 2. Deus tunc dicitur in memoriam reuocare peccata nostra, cum ita mensuram implemus, vt diutius connuere non possit, quin de sceleribus pœnas exigat. 3. Sicut in vna fornace, conflantur aurum, argentum, stannum & plumbum: sic Deus in publicis calamitatibus nulli hominum ordini parcit. 4. Idololatria est obscœna scortatio coram Deo. 5. Etiam sancti Prophetæ vxores suas habuerunt, & procreauerunt liberos: neque conjugia interturbarunt sanctum eorum munus, aut dona Spiritus Sancti. 6. Etsi afflictis non est addenda afflictio, commemoratione vel exprobratione miseriarum: tamen justa Dei judicia non sunc occultanda, sed approbanda, propter gloriam Dei, & aliorum emendationem. 7. Etsi lætandum est de pœnis diuinis, quatenus sunt declaratio justitiæ Dei: tamen oportet patientibus compati, ne incurramus notam ἐπιχαιρεκακίας diabolicæ. Lætitia spiritualis, non carnalis hic probatur.

Ezech. 26. 27. 28. 29. 30.

1. Cum Deus immittit bella, debemus agnoscere & adorare justum Dei judicium, siue explorationis, siue punitionis. 2. Luxus quidem omnis vitandus est, qui fit præter facultates, conditionem & officiorum rationem, cum detrimento vel scandalo aliorum: Quia vero Deus ipse

gradus dignitatum & officiorum distinxit, ideo alia conueniunt regi, alia ciui rustico, &c. Nec est luxus, sed æquitas & proportio, si summi summis, mediocres mediocribus, infimi infimis rebus vtantur. Abusus tamen donorum Dei vniuersaliter damnatur. 3. Deus tam in castigatione, quam in liberatione Ecclesiæ suæ sese sanctificat, coram toto mundo: quoniam & in illa justum judicem, & in hac beneficum patrem sese declarat. 4. Qui in dulcissima sua Patria Deum reuereri nolunt, tandem in exilio improbitatis suæ pœnas luere coguntur. 5. Imperia semel euersa, raro pristinam majestatem & potentiam recuperant. 6. Reges & principes militantes, sunt Dei serui in puniendis & euerrendis impijs rebusp ublicis: quibus etiam præmia corporalia donat Jehoua exercituum, pro opera, quam ei locarunt, quamuis imprudentes & peccantes. Per hoc tamen ipsorum injustitia, crudelitas, & rapacitas minime excusatur. 7. Deus transfert & stabilit regna pro suo arbitrio.

Ezech. 31. 32. 33 34. 35. 36. 37.

1. Cum homines donis Dei abutuntur ad superbiam, luxum, & aliorũ contemtum atque oppressionem, certissime diuinitus loco suo deturbantur. 2. Deus adeo est misericors & bonus, vt non præcipitet judicia sua, ne in malos quidem: sed iterum iterumque instat monendo & minando, vt qui sanabiles sunt, resipiscant, cæteri ἀναπολόγητοι fiant. 3. Cum Deus multitudinem populi alieni in regionem adducit, dicitur rete suum extendere, vt capiat impios subditos & magistratus. 4. Pastores Ecclesiæ excubitorum instar vigilare debent pro gregis sui salute, monendo, hortando, duplicando, triplicando, quadruplicando, ne segnius id faciendo reatum pereuntium subeant. 5. Pastores, qui non oues, sed seipsos pascunt, accumulando opes, grauem Deo rationem sunt reddituri. 6. Messias dicitur *Dauid seruus Dei*: quia ex familia Dauid oriundus peregit opus redemtionis. 7. Condolendũ est afflictis, non vero calamitatibus ipsorum carnali affectu lætandum. 7. Deus conseruat Ecclesiam suam, non propter ipsius merita, sed propter suam gloriam. 8. Mortuorum resurrectio est Deo possibilis & facilis, certoque & gloriose est futura.

Ezech. 38. 39.

Prophetia de *Gog & Magog historice* notat persecutiones Ecclesiæ Judaicæ à tyrannis varijs post captiuitatis solutionem, & miraculosam Ecclesiæ liberationem: *typice*, persecutiones Antichristi orientalis & occidentalis, & mirandam Ecclesiæ liberationem.

Ezech. 40. 41. & seqq. ad 47.

Visio noui templi, vrbis & regni *historice* promittit instaurationem cultus ty-

tus typici post captiuitatem: *typice* promittit spiritualem conditionem nouæ Ecclesiæ sub Messia, in hac quidem vita inchoandam, in altera vero consummandam.

Ezech. 47.

Noui Testamenti status hoc typo fuit adumbratus. *Fluuius* ostendit ministerium Euangelij, quod institutum est à Christo in terræ promissæ meditullio. Per hunc fluuium Spiritus Sanctus reficit animas credentes & gratiam Dei sitientes. Vt autem fluuius ille initio erat tenuis & angustus, qui progressu fiebat tam profundus, vt transiri pedibus non potuerit amplius: ita Euangelij initia fuerunt admodum tenuia, postea vero diffusum est per totum orbem instar fluuij altissimi, qui nequaquam sisti potuit, vt ut omnes vires suas opponerent principes hujus mundi. *Arbores fœcundæ*, nascentes in ripa fluuij, sunt Christiani plurimi, quorum termini sunt discreti. *Fructus varij & boni* istarum arborum, sunt bona opera, quæ varietate & vtilitate sua sunt conspicua. Nam valentes reficiunt instar cibi, & ægris sunt auxilio tanquam medicina. *Folia istarum arborum* non defluunt, hoc est, electi in æstu tentationum non arescunt, quia sine intermissione irrigantur aquis scaturientibus ex fonte gratiæ Dei in Christo.

Ezech. 47 v. 1. 13.

Habemus hic illustrem imaginem Ecclesiæ Christi, hoc modo. 1. Templum significat partim corpus Christi, in quo habitat diuina natura; partim Ecclesiam, in qua habitat SS Trinitas. 2 Ex corpore Christi manant aquæ dulcissimæ sanguinis ipsius. 3. Sicut aquæ Ezechielis fuerunt profundissimæ, ita vt ad ipsarum fundum non potuerit perueniri: sic profunditas amoris & misericordiæ Dei est impenetrabilis. 4. Sicut aquæ istæ per planitiem in mare se exonerarunt: ita Euangelium & gratia Dei per totum mundum manarunt. 5. Sicut aquæ istæ, quocunque peruenerunt, vitam rebus attulerunt, viuosque pisces habuerunt: ita Euangelium sanat omnes illos qui vera fide istud amplectuntur. 6. Sicut aquæ istæ plurimis abundarunt piscibus: ita Ecclesia innumeros habet Christianos, quos prisca Ecclesia appellauit piscículos. Quæ nomenclatura desumta est ex illo ΙΧΘΥΣ; quæ acrostichis notat ἰησοῦς, χριστὸς, θεὸς, υἱὸς, σωτὴρ. 7. Piscatores, qui stant ad ripam, sunt pastores verbi. 8. Lacus salsi & palustres, qui non sunt curati ab istis aquis, significant falsam doctrinam. 8. Arbores vtrinque dispositæ significant electos Dei filios, qui sunt arbores justitiæ, quarum fructus non computrescit. 9. Sicut arbores istæ singulis mensibus ediderunt nouos fructus: ita credentes proficiunt in cognitione Dei. 10. Aquæ istæ fluunt ex sanctuario, puta Jesu Christo, verbo Dei & sacramentis. 11. Fructus istarum arborum sunt cibo, & folia sanationi. Christus enim vera fide apprehensus est & cibus & medicina.

Concio Typica.

Ezech. 48.

Recensio geodæsiæ secundum ordinem tribuum est typus elegantissimi ordinis, & numerosissimæ multitudinis in Ecclesia. Confer hanc visionem, vt & præcedentes cum visionibus Johannis de cœlesti Hierosolyma in Apocalypsi.

XXVII.

CONCIONES IN DANIELEM.

Memoriale Danielis. Cap. 12.

6 21 31 10 1
Captivi, Statua, In fornacem, Arbor, Belsazar,
26 9 3.20. 25 14
In foueam, Antiquas, Cornua, Christus, Erit.
11 3
Rex Austri, Valde splendebunt turba piorum.

Oeconomia Prophetiæ Danielis.

Prophetia Danielis continet rerum gestarum historiam, & rerum gerendarum Prophetiam.

I. Historia est de Danielis educatione, *cap. 1.* & duorum regnorum, videlicet Babylonici & Medo-Persici statu. Regni Babylonici initium proponitur, *cap. 2. 3.* progressus, *cap. 4* finis, *c. 5.* Regni Medo-Persici status est, *cap. 6.*

II. Prophetia de calamitatibus & liberatione Ecclesiæ. Calamitates præfigurantur visionibus, quarum aliæ tempore primæ Monarchiæ, aliæ tempore secundæ fuerunt objectæ Danieli. Ibi est visio quatuor bestiarum, *cap. 7.* itemque arietis & hirci, *c. 8.* hic est partim visio, eaque prima sub Dario, *c. 9.* & secunda sub Cyro, *c. 10.* partim expositio visionum, *cap. 11.* Liberatio Ecclesiæ proponitur & exponitur *c. 12.*

Typicam siue Tabellarem dispositionem Danielis vide *lib. 2. Præcog. Theol cap. 41.* Chronologiam *ibid. cap. 116. & supra in Concione præliminari Bibliorum.* Characterem denique & summariam considerationem *lib. 2. Præcog Theol. c. 122.*

Dan. 1. 2.

1. Eruditio, & nominatim multarum linguarum peritia est eximium Dei donum: dummodo caueamus, ne scientia inflet, & linguæ gentium gentilem animum nobis ingenerent, h. e. mores vitiosos, & religionem falsam. 2. In Daniele & ipsius socijs videmus verum esse quod pie dicitur,

Om-

Θεοῦ διδόντος· οὐδεὶς ἰσχύει φθίνειν·
καὶ μὴ διδόντος, οὐδεὶς ἰσχύει σῶσαι.

2. Quatuor monarchiæ, quæ nobis in statu Nebucadnezaris proponuntur, partim exercuerunt ecclesiam, partim hospitia ipsi præbuerunt. 3. Regnum Christi solum æternum est, quod omnia mundi regna & imperia abolebit & conteret in nouissimo die. 4. Aurea statua regis Nebucadnezaris fuit præfiguratio antichristi Romani. Sicut enim Nebucadnezar in prouinciæ Babylonis territorio, erectam statuam præcipiebat coli edicto regio, addita comminatione, si quis, aliqua tergiuersatione, ad auditum Musicæ concentum, & populi applausum, edictum regium transgrederetur in furnum ardentem conijceretur: sic quicunque antichristi Romani statuam à Phoca, imperatore in territorio mysticæ Babylonis erectam adorare detrectant, instar hæreticorum mulctantur viuicomburio. Ut autem tres socij Danielis non parebant edicto regio, sed illi verbum Dei præferebant, & illæsi ignem transibant, delatores vero ipsorum igni peribant: sic tres socij Danielis h. e. pauci testes veritatis, in medijs persecutionum flammis canunt Deo hymnum, & vident cum gaudio vindictam diuinam, qua fit vt ignis erumpat in ipsum antichristum & omnes ipsius assecias. Nam Dei verbum semper triumphat, & manipulus ecclesiæ nunquam comburi potest.

Dan. 3. 4. 5.

1. Idololatria & falsa religio sicut est pomposa & fastuosa, sic & valdè Zelosa & crudelis, igne & ferro sæuiens in veros Dei cultores, qui tantum abest, vt veritatis confessionem abjciant, aut falsam religionem approbent, metu periculi aut mortis, vt è contrario vitam corporis objiciant tyrannorum furori, & à Deo expectent vel liberationem temporalem, vel coronam martyrii aut gloriæ æterno. 2. Cultus Belis idoli est imago idololatriæ antichristi Romani. 3. Qui sunt cum imperio, & vel ad regna per electionem euehuntur, vel ab ijsdem ordinaria potestate deiiciuntur, diuinitus ea potestate armantur, vel eadem deiiciuntur. Qui igitur euecti sunt gratos se Deo præstent: qui de gradu deiici metuunt, coram Deo sese humilient. 4. Peccata eleemosynis abrumpuntur, quando rapax animus in beneficum mutatur. 5. Est sacrilegium detestabile, cum ea quæ conseruando cultui Dei sunt consecrata, luxu absumuntur.

Dan. 6.

Daniel est typus Christi, hoc modo. Daniel iudicem Dei significat, & hoc suo nomine Messiam promissum adumbrat, qui à Deo constitutus est iudex viuorum pariter & mortuorum. *Deinde* sicut Daniel innocens

in ſpeluncam leonum eſt coniectus, ſpelunca lapide occluſa, & duplici annulo obſignata: ſic innocens Chriſtus capitis damnatus, in cryptam ſepulchri, ſpeluncam illam infernalis leonis eſt abiectus, ſepulchri oſtio lapide communito, & ſigillo obſignato. *Tertio* vt Daniel ſummo mane, iubente rege Dario, viuus & illæſus è ſpelunca leonum fuit eductus: ita Chriſtus poſt triduum anteluculo rediuiuus prodijt ex ſepulchro, & faucibus diaboli, mundi & mortis. *Denique* ſicut principes Perſarum Danielem odio ſunt proſecuti ob egregia dona, & ſua perſecutione ipſi viam ſtrauerunt ad ſummos honores: ita Phariſæi & ſcribæ Chriſtum ob diuinam doctrinam & miracula oderunt, calumniati ſunt, & tandem morte affecerunt, & hoc modo viam ipſi patefecerunt ad ſuam gloriæ.

Dan. 7. 8. 9. 10. 11.

1. Regna & imperia in ſcripturis fere figurantur per beſtias, partim propter robur, partim propter feritatem & ſæuitiam. 2. Parum cornu *cap* 7. ad literam ſignificat Antiochum Epiphanem, ſub typo antichriſtum Romanum. 3. Sicut Deus viros heroicos excitat, qui imperia conſtituant: ſic eoſdem aufert, quando imperia deſtituere incipit. 4. Caput nonum eſt idea legitimæ precationis, & compendium euangelij de perſona & officio Chriſti. 5. Qui Scripturas ſacras diligenter legunt, & ſcrutantur cum inuocatione Dei, veram illarum intelligentiam conſequuntur, & dulciſſimas in eis conſolationes reperiunt. 6. Nulla eſt aula, nulla reſpublica, in qua non ſit aliquis diabolus, qui ſalutaria conſilia, & iuſta decreta, quantum poteſt, impediat, iniqua vero & mala promouere ſtudeat. Sunt vero & angeli boni, qui ſe conatibus diaboli fortiter opponunt, & tandem, diabolo ſuperato, victoriam reportant. 7. Caput vndecimum literaliter de perſecutoribus eccleſiæ Judaicæ poſt captiuitatem, typice de antichriſto Romano eſt intelligendum.

Daniel. 12. v. 2.

Concio funebris.

Mors vocatur ſomnus *Eſa. 28. verſ. 19. Matth 9. verſ. 24. Johan. cap. vndecimo v. 11. 1. Theſ. 4. verſ 13.* Et in hiſtoria regum Judæ & Iſraelis legimus, illos obdormiuiſſe. Non igitur ab re fuerit inſtituere comparationem mortis cum ſomno: quæ conſiſtit in his partibus. 1. Homines dormire coguntur. Et ſic tandem moriendum omnibus. 2. Dormiri veſtes exuunt: ſic anima deponit corpus. 3. Somnus eſt ex vaporibus ſtomachi: mors ex peccato gulæ primorum parentum. 4. Somnus acta diei reddit, in agone ſcelera recurrunt. 5. Expergiſcimur à ſomno, qui non enecat hominem, ſed recreat: ſic nos à morte reſurgemus.

6. Dor-

6. Dormientes multa non sentiunt: mortui crucem non sentiunt. 7. Somnus est naturalis vel artificialis: ita mors est naturalis vel violenta. 8. Somnus obrepit sub meridiem vel vesperam: ita mors iuuenes & senes abripit. 9. Dormituri curas exuunt: morituri mundo valedicunt. 10. Somnus mediis conciliatur: morituri orent, legant &c. 11. Anima in somno habet suas actiones: & anima à morte viuit, suasque habet operationes. 12. Dormiens nomine suo vocatus facile excitatur: ita Christus mortuos facile exuscitabit. 13. Somnus recreat fessos & languidos, & proinde expetitur: ita mors est lucrum & quies animæ sanctæ, ideoque expetitur. Cæterum in hoc capite duodecimo describitur principium, medium & finis salutis nostræ. Principium est ibi: *Quisquis fuerit inuentus scriptus in libro illo.* Medium ibi: *Audientes, & iustificantes.* Finis ibi: *Hi ad vitam æternam.*

XXVIII.

CONCIONES IN HOSEAM.

Memoriale Hoseæ. Cap. 14.

2 23 4 16 3
Scortum, Jesreel, Sine rege, Juuenca, Meretrix,
6 16 7 7 15
Non holocausta, Cadent, Ensis erit, Instat, Obit.
1 5 14 3
Ægypto, Jacob, Pestis tibi, Victima labri.

Oeconomia prophetiæ Hoseæ.

Prophetia Hoseæ est partim parabolica, partim simplex & nuda.

I. Parabolica pars complectitur duos typos: è quibus primus proponitur *c.*1. accommodatur *c.*2. secundus est *c.*3.

II. Pars altera est partim inuectiua, partim consolatio. Inuectiua seu comminatio absoluitur tribus concionibus de culpa & pœna Israelis & Judæ. Prima concio est *c.*4. secunda, *c.*5.6.7. tertia, *c.*8.9.10. Consolatio est de remittendis maleficiis populi Dei, & conferendis beneficiis: eaque absoluitur duabus concionibus. Prima est *cap.*11. secunda, *cap.*12.13.14.

Typicam siue tabellarem dispositionem prophetiæ Hoseæ vide *lib.*2. *præcog. theol. cap.*42. chronologiam *ibid. cap.*116. *& supra in præliminari concione Bibliorum.* denique characterem & summariam considerationem *lib.*2. *præcog. theol. c.*122.

Hoſ. 1.

1. Idololatria eſt ſpiritualis fornicatio, & proinde turpis atque noxia. 2. Miſericordia Dei fundatur in Chriſto mediatore. 3. Adoptio electorum in Chriſto, tum quoad electionem ab æterno, tum quoad vocationem in tempore, mere eſt gratuita. 4. Arma, propugnacula & munitiones ſuum habent vſum legitimum, & iure tam diuino, quam gentium & ciuili, ad defenſionem eccleſiæ & reip. aduerſus vim hoſtilem adhiberi poſſunt & debent. Sed fruſtra eſt eis confidere aduerſus Deum, qui ſolo nutu iſta reddit irrita.

Hoſ. 2.

1. Idololatria eſt extrema tum hominum inſania, tum Dei contumelia: quoniam ſtulti idololatræ idola pluris faciunt quam verum Deum: quæ non minor eſt inſania, quam ſi quis carbones anteferat pretioſo theſauro, vel relicta vena aquæ viuæ effodiat ſibi ciſternas effractas, quæ non continent aquas. 2. Concionibus legis & afflictionibus cogitemus nobis ſepem diuinitus obſtrui, h.e. nos reuocari à peccatis, & quæri ſalutem noſtram. Ne igitur hanc ſepem perrumpere furenter conemur, fremēdo aduerſus Deum, ſed curſum ſiſtentes ad Deum reuertamur. 3. Deus ſolus largitor eſt bonorum ſpiritualium & corporalium: vbi obſerua pulcherrimam catenam inter cauſam primam & ſecundas: *Ego exaudiam cælos* &c. Nimirum mundus ſic regitur diuina prouidentia, vt omnes creaturæ, ſummæ, mediæ & infimæ, vim ſuam accipiant à Deo, ac tantum nobis commodent quantum à Deo exaudiuntur, h.e. quantum virium accipiunt ad nobis commodandum. 4. Deus in Scriptura duplici ſenſu dicitur nos ſeducere. *Primo*, quando nos per verbum & ſpiritum ſuum, vel etiam per afflictiones ex auiis errorum & peccatorum in viam veritatis & juſtitiæ reducit. Atque hæc eſt ſeductio gratiæ. *Secundo*, quando errantes in auiis affectuum & peccatorum ſuorum deſerit, vel etiam Satanæ & mundo magis ſeducendos tradit, juſto judicio. Et hæc eſt ſeductio juſtitiæ & pœnæ.

Hoſ. 3. 4.

1. Idololatria amat lagenas vuarum, h.e. gaudet laſciuijs, lux & hellationibus. Ex his igitur fructibus judicari poteſt de arbore. 2. Grauiſſimū eſt Dei flagellum ſi nos faciat ſine ſacrificio & Ephod, h.e. verum ſui cultum euerti patiatur. 3. Sicut agnitio & timor Dei eſt fons omnium virtutum: ſic contra ignorantia & contemtus Dei eſt fons omnium vitiorum. 4. Epiſcopi ignaui & inepti, repellentes ſcientiam veræ doctrinæ, & curam legis diuinæ, viciſſim repellentur à Deo: conniuentes & blandientes pecca-

peccatis populi, vt inde saginentur, maledictionem subibunt. 5. Conuersatio ciuilis cum impijs non est prohibita, si sit necessaria, & non scandalosa. Alioqui debemus è mundo exire. Communio vero cum infidelibus aut idololatris in sacris, simpliciter est fugienda: tum quia miscet Deum cum idolis, Christum cum Belial: tum quia habet speciem approbationis falsorum cultuum: tum denique quia est scandola per se tam infirmis fratribus, qui debilitantur in fide quam infidelibus, qui confirmantur in errore. 6. Sicut vana fuit gloriatio Israelitarum de *Bethel*, quod non esset *Bethauen*, id est, domus vanitatis & mendacii, eo quod olim fuisset *Bethel*, id est, domus Dei: sic hodie est vana Papistarum iactantia de sua Roma, quod non sit ecclesia apostatica, eo quod olim fuerit ecclesia apostolica. 7. Non maior est insania, quam lignum & lituos consulere, lapides interrogare, statuas venerari. Hoc enim est brutis stipitibus se subiicere, & agi spiritu fornicationis detestabilis.

Hos. 5. 6.

1. Omnes pariter homines verbo Dei sunt subiecti, sicut omnes pariter sistentur ad tribunal justi judicis. Errant itaque pseudo-ecclesiastici & reges, qui immunitatem à censuris & correctionibus verbi diuini sibi sumunt. 2. Frustra buccinatur & conclamatur ad arma aduersus hostes, quando peccata nostra contra nos militant. 3. Deus post inflictas pœnas dicitur *ire & reuerti in locum suum*, hoc est, in cœlum, donec in pœnis deficiamus, & requiramus ipsum: non quod recedat de loco in locum, aut mundi curam deponat vnquam, aut ab hominibus sibi relictis expectet resipiscentiam: sed quod nos, qui hortationibus & comminationibus in viam reuocari noluimus, sensu & grauitate malorum cogat misericordiam suam implorare, & resipiscere. 4. Fiducia misericordiæ Dei in Christo, principium est veræ conuersionis: qua non prælucente, omnis contritio, hoc est, dolor nascens ex sensu peccati & iræ Dei, est fuga à Deo, & vestibulum inferni. 5. Tanta est Dei φιλανθρωπία, vt omnibus præstet tantum gratiæ, quantum sufficit, vel ad salutem efficaciter obtinendam, vt electis, vel ad excusationem juste adimendam, vt reprobis.

Hos. 7. 8. 9. 10.

1. Rex est exhilarandus obedientia in honestate, pietate & justitia, non in malitia & rebus turpibus, ne contristetur rex regum. 2. Quidquid non fit ex Deo, hoc est, Deo iubente vel approbante, mandato generali vel speciali, peccatum est. 3. Idololatria est quidem aurea in oculis homi-

num, sed in oculis Dei est mera vanitas, molestia, abominatio, & finis eius est excisio. 4. Est *visitatio gratiæ* & institutionis, ad resipiscentiam & salutem nos inuitans. Hęc cum negligitur, iucipit *visitatio iræ* & retributionis, qua impœnitentes frro discunt sno exitio, quod prius nescire volebant suo vitio. 5. Judicijs Dei licet seueriſſimis oportet nos humiliter subscribere, nec ea vellicare, quasi sint crudelia. 6. *Fructum ponere*, h. e. annonam recondere in futurum licet quidem, sed extra casum diffidentiæ, abusus, injustitiæ & scandali. 7. Non veniente & non docente nos Jehoua, nunquam seminabimus justitiam.

Hos. 11. 12. 13. 14.

1. Deus abominatur coli in idolis. 2. Hypocritæ in cœmendis vitiis, domi talpæ, foris sunt lynces. 3. Frustra ex aliorū peccatis & exemplis sua velle tegere. 4. Perditio impiorum est ex ipsis, non ex Deo. 5. Offerre Deo juuencos labiorum, optimum est sacrificium.

XXIX.

CONCIONES IN JOELEM.

Memoriale Joelis. Cap. 3.

4 28 2

Bruchos, Effundam, Josaphati Valle sedebo.

Oeconomia prophetiæ Joelis.

Prophetia Joelis absoluitur tribus concionibus. Prima est comminatoria, *c.* 1. Secunda hortatoria, *c.* 2 Tertia consolatoria, *c.* 3.

Typicam siue tabellarem dispositionem prophetiæ Joelis vide *lib.* 1. *præcog. theol. cap.* 43. Chronologiam *ibid. cap.* 116. & *supra in præliminari concione Bibliorum.* characterem denique & summariam considerationem *lib.* 2. *præs theol. c.* 122.

Joel. 1. 2. 3.

1. Calamitates ecclesiæ non fortuito eueniunt, sed a potente & justo Deo propter peccata immittuntur, vt qui sanabiles sunt, ad pœnitentiam reuocentur, reliqui non resipiscentes, fiant ἀνεπιδιόρθωτοι καὶ ἀνεπιστρόφητοι. 2. Pœnitentia, sit modo vera, nunquam est sera: quia si non temporales, tamen æternas pœnas semper auertit, atque etiam luentibus calamitates publicas, easdem facit salutares. Hic itaque differatur de modo & fructu, siue affectu & effectu pœnitentiæ. 3. Deus non vult nimium delicate tractare ecclesiam suam in hac terra: sed vbi par-

bet

bet signa beneuolentiæ suæ, simul admiscet quædam exercitia ad patientiam & humilitatem, ne fideles nimium molleſcant, vel terrenis benedictionibus indormiant, sed altius semper adspirent. Hoc est, quod nos vitare dicimus: GOtt der HErr pflegt seinen Kindern diß leben versaltzen/auff daß sie jhr Himmelreich nicht hie suchen / oder jhr darum auff diß Leben setzen. 4. Deus est custos & antemurale ecclesiæ suæ. Sed nos sæpe facimus rapturas peccatis nostris: id quod ne fiat, sedulo est cauendum.

XXX.

CONCIONES IN AMOSUM.

Memoriale Amos. Cap. 9.

14, 14 11 2 2
Rabba, Potens, Cingent, Non est conuersio, Lapsa est,
6 1.4.7. 9 14
Josephus patitur, Visio, Sol, Bene erit.

Oeconomia prophetiæ Amos.

Prophetia Amos est partim comminatoria, partim consolatoria.

I. Comminatio dirigitur vel ad hostes populi Dei, *c.*1. vel ad populum Dei: vbi sunt conciones numero sex, è quibus tres priores constant sermone simplici, tres posteriores figurantur typo triplici. Sermo simplex reprehendit idololatriam, *c.*2. Violentiam, *c.*3. superbiam, inhumanitatem & luxum, *c.*4.5.6. Typus primus est *c.*6.7. secundus *c.*8. tertius, *c.*9. ad versum vndecimum.

II. Consolatio, eaq; Euangelica, est *c.*9. *à v.*11. *ad finem.*

Typicam siue tabellarem dispositionem prophetiæ Amos *vide lib.* 2. *præcog. theol. c.*44. Chronologiam *ibid. c.*116. *& supra in præliminari concione Bibliorum.* Characterem denique & summariam considerationem *lib.* 2 *præcog. theol. c.*122.

*Amos.*1.2.3.4.

1. Peccata hominum tunc septenarium numerum implent, quando scelera sceleribus cumulantur: & omnis pœnitentia respuitur. Tunc vero tragicæ & sonticæ pœnæ præ foribus excubant. 2. Honestæ recreationes & voluptates sunt licitæ, quæ non impediunt voluptatem moralem & spiritualem, quæ consistit in meditatione verbi Dei,

exercitijs fidei & pietatis. 3. Non majorum noſtrorum doctrina & vita, ſed ſolum Dei verbum debet eſſe norma fidei & vitæ noſtræ. 4. Abominabile Deo eſt ſacrificium ex rapinis. 5. Quanto majora ſunt Dei beneficia, tanto majorem pœnam meretur ingratitudo pro illis. 6. Non temere res rotantur in mundo, ſed Deus eſt exactiſſimus mundi judex, cujus horologium ſonat ſingulis minutis, & à quo efficiuntur bona & mala, h.e. proſpera & aſpera. 7. Non piget hypocritas ſuſcipere longinquas peregrinationes, religionis ergo, cum ad exercitia cultus Dei vix domo pedem efferant. 8. Ariditas, fames, bella, & ſimilia Dei flagella, ſunt conciones reales, quæ certo ſequuntur, nihil proficientibus verbalibus.

Amos. 5. 6. 7. 8. 9.

1. Judiciu vertitur in abſinthium, non ſolum inſquis ſententiis judicum, ſed etiam ſumtuoſis & doloſis proceſſibus aduocatorum. 2. Confidere in ſuis viribus, eſt ſpecies idololatriæ, quam ſequitur confuſio mera & mira. 3 Potentiores in hoc mundo, non argumentis, ſed ferramentis refutant veros doctores verbi Dei. 4. Cum homines verbum Dei audire faſtidiunt, Deus vna cum verbo ſuo aufert gratiam ſuam: vnde fames & ſitis oritur, non panis & aquæ, neque iuſtitiæ Chriſti, ſed audiendi verbū Dei, quæ reſipiſcentibus eſt ſalutaris ad vitam, cõtemtoribus exitialis ad mortem. Hic diſſeratur de triplici fame & ſiti, videl. naturali, ſpirituali, & morali. 5. Deus tractat filios ſuos in eccleſia, quemadmodum pater ſuos liberos in familia, amando, dando, caſtigando.

XXXI.

CONCIONES IN OBADIAM.

Memoriale Obadiæ. Cap. 1.

Si nidum ſt ellis inferres, deiicerem te.

Oeconomia prophetiæ Obadiæ.

Obadiæ vnico capite tria continentur. I. Cladis prædictio, *ad verſ.* 11. II. Dehortatio à vitiis, *à v.* 12. *ad* 17. III. Euangelica conſolatio *à verſu* 17. *ad finem*.

Typicam ſiue tabellarem diſpoſitionem prophetiæ Obadiæ vide *lib.* 1. *præcog. theol. cap.* 45. chronologiam *ſupra in præliminari concione Bibliorum*. denique characterem & ſummariam conſiderationem *lib.* 2. *præcog. theol cap.* 123.

Homilia

Homilia in Obadiam.

Tria inprimis in concione Obadiæ sunt obseruanda. I. Prouidentia Dei arcana circa peccata à Propheta appellatur *legatus Dei ad gentes*, à Nebucadnetzare abductus, contra Edomæos: quoniam eo quasi legato instigaturus esset gentes occulto & justo judicio, vt aduersus illos bellum pararent, ad coercendam illorum insolentiam. Sic Dauid *2. Sam. 16. v. 10.* occultum Dei instinctum, vt Simei ipsi malediceret, vocat *mandatum Dei*, id faciendi. II. Judicium Domini à domo Dei incipit, ita quidem, vt calicē afflictionis filij Dei primo bibant, ὡς δοκιμασίαν, παιδείαν καὶ σωτηρίαν, seu, vno verbo, ad salutarem castigationem: hostibus vero fæces calicis judiciorum Dei exhauriendæ propinentur, in æternam perniciem. III. In monte Sion erit euasio & sanctitas, hoc est, in Ecclesia salutem consequuntur omnes sanguine & Spiritu Christi per fidem sanctificati. Hic differatur de quadruplici Sione. Nam *Sion* literaliter significat montem in vrbe sancta: allegoricè Ecclesiam: Tropologice deuotam animam: Anagogice cœlum beatorum.

XXXII.

CONCIONES IN JONAM.

Memoriale Jonæ. Cap. 4.

12 2 1 1

In mare, Vota dedit, Credunt, Succenset Jonas.

Oeconomia Prophetiæ Jonæ.

Prophetia Jonæ describit Prophetæ vocationem primam & secundam.

I. Vocationis primæ actus describitur ratione modi, *c. 1.* & effectus videlicet precationis Jonæ, *c. 2.*

II. Vocationis secundæ actus complectitur concionem Jonæ ad Nineuitas, *c. 3.* & Prophetæ indignationem, *c. 4.*

Typicam siue tabellarem dispositionem Prophetiæ Jonæ vide *lib. 2. Pracog. Theol. cap 46.* Chronologiam *ibid. cap. 116. & supra in præliminari Concione Bibliorum.* Characterem deniq; & summariam considerationem *lib. 2. Pracog. Theol. c. 122.*

Jon. 1.

1. Vocatione & missione Jonæ ad Nineuitas præsignificabatur vocatio gentium. 2. Omnes quidem actiones & cogitationes nostras intuetur Deus: tunc vero ascendit ad Deum malitia hominum, quando ipsorum scelera nimium cumulantur, & matura sunt vindictæ diuinæ. 3. Etiam viri

magni, insignibus donis Spiritus Sancti ornati, non sunt ἀνυπόστατοι. 4. Prouidentia Dei regit mare procellosum, quod proprie & secundum literam est Oceanus, improprie & secundum figuram vniuersus hic mundus. 5. Vtile est rebus aduersis exerceri, vt excutiatur torpor, & excitatur ardor precum. 6. Deo aduersante, nihil est tutum. 7. Sæpe ob vnius culpam tota vniuersitas periclitatur. 8. *Sortes diuisoriæ* rerum, laborum, periculorum, vel ordinis, non sunt illicitæ: *diuinatoriæ* vero, absque Dei instinctu, vel jussu, *magicæ* item & superstitiosæ, omnes damnantur verbo Dei, quoniam illis vel tentatur Deus, vel dæmon colitur. 9. Jonas non fuit αὐτόχειρ: Sed Prophetico Spiritu, ex tempestate iram & voluntatem Dei cognoscens, nautas ejusdem executores esse voluit.

Jon. 1. & 2.

Concio typica.

Christus docet *Matth. 12. v. 16.* Jonam fuisse typum mortis & resurrectionis suæ. Quæres vt plenius possit intelligi, hæc tria sunt obseruanda. *Principio* mare iratum est hic mundus, in quem Christus venit, vt compesceret fluctus ipsius. Hic occurrit. 1 Maris conturbatio. 2. Sortis designatio. 3. Frustranea oneris leuatio. 4. Nautarum cõsultatio. 5. Jonæ spontanea oblatio. 6. Maris placatio. 7. Nautarum saluatio. Ex his discere debemus, quod Christus, cum primum venit in hunc mundum, variis fluctibus tribulationum fuerit exercitus, & hanc ad rem à Patre cœlesti veluti portem designatus: deinde, quod frustra sit omnis labor, quo conamur mare iratum placare, nisi Christus in illud proijciatur. Consultemus itaque in calamitatibus nostris cum Christo, qui seipsum sponte offeret, atque tempestates compescet. *Deinde* Jonas fuit typus Christi quantum ad vocationem, obedientiam, & projectionem in mare. *Tertio* balæna est typus sepulchri Christi, vbi obserua sensum iræ Dei in Jona, commorationem ipsius in ventre ceti, & gloriosam liberationem. Potest etiam hic typus tractari. Jonas est typus Christi quantum ad nomen, & rem ipsam. Nomen *Jonas* significat columbam, cui similis est Christus ratione simplicitatis & puritatis. Est enim sine felle & bile præditus amicissimo corde, instar amabilis columbæ. Quo accedit, quod sit vnctus Spiritu Sancto, sub speciosa columbæ imagine. *Deinde* quemadmodum Jonas non ipse fert naui præcipitem dedit, sed voluntatem Dei prophetico spiritu cognouit, nautas ejusdem executores esse voluit: sic Christus non se ipse cruci affixit, sed cognoscens hanc Dei voluntatem, se vltro crucifigendum obtulit. *Tertio* sicut Jona projecto in mare, ira maris constitit: sic Christo, Jonæ antitypo, absorpto pro nobis è terra viuentium, ira Dei in nos conquieuit. *Quarto* in angustijs suis Jonas confugit ad preces: ita tota Christi vita fuit ardens ad Deum precatio. *Quinto* quod balæna Jonam absorpsit, triduum retinuit,

retinui, tandemque saluum euomuit, ipso Christo interprete, mirandum triduanæ sepulturæ, & secutæ resurrectionis Christi typum repræsentauit.

Jon. 3.

1. Niniuitæ sunt speculum peccatoris resipiscentis, hoc modo. Ex prædicatione verbi nascitur fides, qua statuitur Deus esse justus scelerum vltor, verax in comminationibus, & misericors erga resipiscentes. Fides ista operatur contritionem & humiliationem cordis ex agnitione peccatorum & iræ Dei aduersus ea. Contritionem sequuntur signa non hypocritica, vt pœnitentia in cinere & sacco. Ad hanc accedit fiducia misericordiæ Dei, & desiderium gratiæ. Ex hac denique oritur noua obedientia, & propositum sanctæ vitæ. 2. In calamitatibus publicis magistratus pietate & resipiscentia præibit subditis, & promulgabit edicta de jejunio, sobrietate, publicis precibus, & similibus medijs, pœnitentiam adjuuantibus.

Jon. 4 v. 6. 7.

Sicut cucurbita, quæ creuerat vna nocte, & Jonam reficiebat vmbra sua opaca, altero die, arrosa à verme, succo deficiente exaruit, & Jonam vmbra, qua adeo gaudebat, destituit: sic mundi lætitia nihil est aliud, nisi amœna vmbra, qua mors homines destituit, quãdo vitam arrodit. Quæ cũ ita sint, gaudeamus vmbra alarũ Dei. Illa n. est protectio fortissima & refectio jucũdissima. Cæterũ in hoc capite tria documẽta sunt insignia. 1. Multæ & magnæ infirmitates ẽt sanctis viris adhærent. Sic in Jona occurrunt quatuor peccata: videl. *crudelis superbia*, qua mauult Niniuitas perire, quã authoritatem suam labefactari: *inconsiderata blasphemia*, qua Deum insimulat leuitatis & inconstantiæ, nimiæque facilitatis in condonandis peccatis: *temeritas*, qua fugam suam excusare conatur: denique *impatientia*, qua sibi mortem optat. Hæc tamen peccata Deus tolerauit, & prophetæ condonauit propter Christum. 2. Resipiscentia semper impetrat veniam peccatorum, & pœnarum æternarum apud Deum: quandoque & temporalium, in quantum videlicet gloriæ Dei & saluti nostræ conducit: nullo tamen nostro merito, sed mera gratia juxta promissiones Euangelij. 3. Comminationes Dei temporales habent conditionem & exceptionem obedientiæ & resipiscentiæ, expressam vel tacitam. Terminantur itaque nostra obedientia, sicut promissiones Dei terminantur nostra inobedientia.

CON-

XXXIII.

CONCIONES IN MICHAM.

Memoriale Michæ. Cap. 7.

15 1 7 1 2
Hæres, Væ, Confundentur, Supereminat, Ephrat,
3 2
Dic mihi num læsi, Vix bonus vnus adest.

Oeconomia Prophetiæ Michæ.

Prophetia Michæ complectitur quinque conciones, quarum duæ sunt Syzygiæ siue classes.

I. Prima classis habet comminationem & consolationem. Comminatio est generalis contra regnum Judæ & Israelis, concione prima, *c.1.2.* & specialis contra magistratum, concione secunda, *c.3.* Consolatio est de misericordia & aduentu Messiæ, concione tertia, *c.4.*

II. Secunda classis habet comminationem, concione quarta, *c.5.* & consolationem, concione quinta, *c.7.*

Typicam siue tabellarem dispositionem Prophetiæ Michæ vide *lib.2. Prælog. Theol. cap.47.* Chronologiam *ibid. cap.116. & supra in præliminari Concione Bibliorum.* Characterem & summariam considerationem *lib.2. Prælog. Theol. ibid. cap.122.*

Mich.1 2.3.

1. Quando matrices ciuitatum in prouincijs & regnis idololatria & sceleribus corruptæ sunt, mala inde in totas prouincias & regna, quasi capite in totum corpus deriuantur, & certissimam pœnam attrahunt. 2. Idololatria potentissimas & munitissimas vrbes & monarchias euertit: & regnum Christi tandem euerret. 3. Magistratus debet bona Ecclesiastica in legitimum vsum vindicare. Sic bona Ecclesiastica in Papatu fraudibus sacerdotum, qui populo cœlum pecunia vendiderunt, collecta, retuera fuerunt *merces meretricia.* Quia tamen bona Ecclesiastica sanctam habent originem, & bonum vsum, possunt & debent à pio magistratu vindicari ab abusu. 4. Qui meditantur dies & noctes, quomodo alios expilent vel opprimant, contra illos meditatur Dominus, quomodo eos puniat. 5. Mundus fanaticos seductores libentius audit, quam sinceros & fideles doctores. 6. Cum tyranni vel auari expilatores, non audiunt supplicationes & gemitus miserorum, æquum est, vt Deus ipsorum quoque preces, cum ad ipsum vociferantur, non exaudiat. 7. Quod est lupus in ouili,

hoc

hoc est falsus & auarus doctor in Ecclesia. 8. Non qui in rep. gubernanda, vel in judicijs administrandis, vel in Ecclesia docenda, honestis viuunt stipendijs, reprehensionem merentur, (est enim hoc jure diuino & gentium æquissimum,) sed qui quæstus causa, ad explendam auaritiam suam in hisce muneribus à rectitudinis regula deflectunt, eandemque corrumpunt, damnantur à Deo tanquam mercenarij.

Mich. 4.

1. Nouissimum tempus plerumque in scripturis Propheticis & Apostolicis significat tempus prædicationis Euangelij à primo vsque ad secundum Christi aduentum. 2. Ecclesia Noui Testamenti quinq; notis prædicatur insignis à Propheta. *Primo* euecta est supra omnes montes & colles, seu regna & principatus mundi, non situ locali, nec potentia vel gloria mundana, sed dignitate & felicitate spirituali non in oculis mūdi, sed Dei. *Deinde* ad Ecclesiam Christi confluent populi & properabunt multæ gētes; quia non includetur pomœrijs Judææ, sed toto terrarum orbe diffundetur prædicatione Euangelij. Confluent autem non suis viribus, sed tractu gratiæ Dei. *Tertio* ascendent in montem Sion, hoc est, cum fidelibus Judæis eadem fide Christi conjungentur. Non enim Judæi à gentibus, sed gentes à Judæis acceperunt Euangelium. Ideo Prophetæ de noua Ecclesia & ejus cultu, phrasibus typicis ex veteri Ecclesia desumtis fere loqui solent. *Quarto* verbum Dei habent pro supremo fidei, & omnium controuersiarum de ea judice. Hoc enim judicat inter populos, & corripit gentes Christianos. *Quinto* Ecclesia Christi concidit gladios suos in lgones, non eripiendo magistratui gladium, quem à Deo accepit, & non frustra gerit, sed docendo seruare pacem cum omnibus hominibus, quantum in nobis est. 3. Non raro etiam fideles in tantas incidunt tētationes & perturbationes, vt promissionum diuinarum vel obliuiscantur, vel de earum veritate subdubitent. In tali vero lucta non carnem suam audire, sed ardentibus precibus, & diligenti meditatione atque fiducia promissionum, spiritum ad Deum erigere debent. 4. In afflictionibus Ecclesiæ aliud hostes cogitant, aliud Deus.

Mich. 5. 6. 7.

1. Prophetia *c. 5. v. 2.* est cōpendium Euangelij: quoniam agit de natura Christi humana, quod nasciturus esset *Bethlehemi*, verus homo, ex stirpe Dauid s: item de natura ejusdem diuina, quod exortus ejus sit *ab initio, à diebus seculi*: deniq; de ipsius officio, quod futurus esset *dominator Israelis*, h. e. liberator atque seruator Ecclesiæ. 2. Quando eximia Dei beneficia, ingratitudine, (qua nullum est deterius vitium), contemnimus, vel absumimus, Deus solet illam seueriter vlcisci, vt *justitias ejus discamus*, h. e. quam justas habeat puniendi causas agnoscamus justitiæq; studeamus. 3. Opes

injuste partæ, non sunt thesauri, sed carbones, quibus etiam ea, quæ recte fuerunt acquisita, conflagrare solent. 4. Misericordia Dei, qua pœnitentibus peccata remittit, est fundata in fœdere cum Abrahamo inito, adeoq; in Christo.

XXXIV.

CONCIONES IN NAHVMVM.

Memoriale Nahumi. Cap. 3.

3 8 7

Longanimus Dominus, Cadet Assur. Ninive lapsa.

Oeconomia Prophetiæ Nahum.

Prophetia Nahum concionatur de interitu Assyriorum. Concionis istius propositio est, *c. 1.* expositio, *c. 2. 3.* Capite secundo recitantur causæ interitus instrumentales, capite tertio impellentes, videlicet peccata.

Typicam siue tabellarem dispositionem Prophetiæ Nahum vide *lib. 2. Præcog. Theol. cap. 47.* Chronologiam *ibid. cap. 116. & supra in præliminari Concione Bibliorum.* Characterem deniq; & summariam considerationem *lib. 2. Præcog. Theol. c. 122.*

Nah. 1. 2. 3.

1. Ira, quæ Deo in scripturis tribuitur, tria significat: puta certam & justissimam Dei voluntatem vlciscendi injurias sibi & suæ Ecclesiæ illatas *Joh. 3. v. 36 Rom. 1. v. 18.* comminationes pœnarum. *Hos. 11. v. 9.* denique effecta ipsa seu pœnas. *Rom. 3. v. 5. Ephes. 5. v. 6.* 2. Deo redeunte in gratiam cum populo suo resipiscente, hostes in eum nihil audere possunt: imo tunc Deus iram suam in ipsos effundit. 3. Deus jubens Chaldæos diripere aurum & argentum Assyriorum, respicit finem suum, videlicet pœnam Assyriorum, non finem Chaldæorum, rapacitatem & tyrannidem, quæ proinde hoc præcepto, *Diripite argentum*, &c. non excusatur, nec Deo probatur. 4. Cædes innocentum, vbi impune committuntur, euertunt politias: quia Deus est vltor sanguinis innoxij. 5. Impijs florentibus multi applaudunt, sed diuinitus tandem præcipitatis adeo non condolent, vt etiam illudant. 6. Deus in puniendis sceleribus non habet respectum pœnarum, sicut iniqui judices: sed optimates gregarijs pari loco habet, imo etiam grauius punit. 7. Stulte faciunt, qui in munitionibus & robore confidunt: quia Deo aduersante munitiones & præsidia humana quasi maturæ ficus in os decutientis defluunt.

CON-

XXXV.

CONCIONES IN HABACVCVM.

Memoriale Habacuci, Cap. 3.

Orat, Viuit iò qui credit, Rursus adorat.

Oeconomia Prophetiæ Habacuc.

Prophetia Habacuc absoluitur Dialogismo & precatione.

I. Dialogismus est inter Deum & Prophetam de peccatis & pœnis Judæorum atque Chaldæorum, *c.1.2.*

II. Precatio Prophetæ ardens est, *c.3.*

Typicam siue tabellarem dispositionem Prophetiæ Habacuc vide *lib.2. Præcog. Theol cap.48.* Chronologiam *ibid cap.116. & supra in præliminari Concione Bibliorum.* Characterem & summariam considerationem *lib.2. Præcog Theol. ibid. cap.122.*

Hab.1.2.3.

1. Qui sacrificant sagenæ suæ, & suffitum faciunt reti suo, h.e. exemplo Chaldæorum, victorias & prosperitatem suam non Dei prouidentiæ, sed suæ prudentiæ & potentiæ adscribunt, suffurantur, Deo honorem suum, & ideo vt perduelles justam ejus indignationem & vindictam incurrunt. 2. In tentationibus desertionis, vel dilationis auxilij, vel rectitudinis prouidentiæ Dei, exemplo Prophetæ manendum est in specula patientiæ atque fiduciæ promissionum, donec loquatur nobis Dominus, hoc est, consulendum est verbum Dei, ex quo solo potest haberi responsio & consolatio ad omnes istas siue dubitationes piorum, siue blasphemias impiorum, siue insultus diaboli. Hinc Propheta jubetur in tabula explicate scribere responsum à Deo sibi datum in specula. Vnde colligimus, responso Dei scripto, & scripto clare, vniuersalem totius Ecclesiæ doctrinam & consolationem contineri. Summa vero istius responsi continetur in illo diuinissimo compendio Euangelij: *Justus ex fide sua viuet:* cujus sententiæ interpretẽ habemus Apostolum *Rom.1. Gal.3. Hebr.10.* Sensus hic est: *Justus*, scilicet justitia perfecta, quæ est in Jesu Christo, & per ipsum ac propter ipsum nostra. *Viuet*, hic inchoando gaudium & gloriam filiorum Dei, ibi consummando. *Fide*, non historica & generali, sed saluifica & speciali seu justificante. *Sua*, non aliena. 3. Deus pro illustranda sua gloria & Ecclesia liberanda quandoque etiam cursum & ordinem naturæ immutat, tempestates tanquam hastas vibrando, & tonitrua tanquam sagittas & tormenta ænea displodendo in hostes.

XXXVI.

CONCIONES IN ZEPHANIAM.

Memoriale Zephaniæ. Cap. 3.

2 3 3

Omnia consumam, Dominum jam quærite, Gnavi.

Oeconomia Prophetiæ Sophoniæ.

Prophetia Sophoniæ complectitur tres conciones.

Prima est comminatoria, *cap. 1.* Secunda exhortatoria, *cap. 2.* Tertia mixta comminatione & consolatione, *cap. 3.*

Typicam siue Tabellarem dispositionem Prophetiæ Sophoniæ vide *lib. 2. Præcog. Theol. cap. 49.* Chronologiam *supra in præliminari Concione Bibliorum.* Characterem denique & summariam considerationem *lib. 2. Præcog. Theol. c. 122.*

Sophon. 1. 2. 3.

1. Non est injustus Deus, quando vna cum impijs hominibus etiam bruta animantia tollit: tum quia est absolutus creaturarum dominus: tum quia creaturæ istæ sæpe sunt peccatorum organa, vel materia & occasio. 2. Deus vult etiam reliquias & instrumenta idololatriæ expurgari ab Ecclesia. 3. Indigni sunt patria terrena, qui Epicureo contemtu cœlestem patriam non curant: quique cœlestes diuitias contemnunt, etiam corporalibus bonis priuari merentur. 3. In concionibus prophetarum & Apostolorum oportet hæc duo quam diligentissime discernere, *εὐδοκίαν* Dei, & *οἰκονομίαν* ministerij. *Εὐδοκία* Dei est, vt Euangelium electis sit odor vitæ ad vitam, hypocritis & reprobis odor mortis ad mortem: quomodo videmus vnguentum amaracinum homini esse salutare medicamentum, sui exitiale venenum. Oeconomia ministerij est posita in inuitatione, præceptione, promissione, & similibus modis docendi. Quo pertinet interalia illud, quod Prophetæ hortantes ad pœnitentiam, sub conditione dubitante, *Si forte*, promittũt Dei misericordiam: non quod dubium vel incertum esse vere resipiscentibus veniam: sed quia ignorant, quid Deus de illorum, quos hortantur, pœnitentia & pœnis temporalibus decreuerit, quidque illi vere facturi sint. 4. Frustra superbiunt Ecclesiæ titulo, qui sanctitatem notorie polluunt, & transgrediuntur legẽ Domini. 5. Euersis regnis & rebuspublicis Ecclesiæ militantis, propter peccata principum & populi, pereunt quidem simul Ecclesia particularis & defectrix, sed non perit Ecclesia Catholica & electa. 6. Ecclesiæ propagatio solius Dei est opus.

CON-

XXXVII.

CONCIONES IN HAGGÆUM.

Memoriale Haggæi. Cap. 2.

6 10

Non saturi, Templi postremi gloria major.

Oeconomia prophetiæ Haggæi.

Prophetia Haggæi continet seriam adhortationem ad structuram tẽpli, *c.*1. & egregiam consolationem de templi vsq; ad Messiæ aduentum conseruatione, *c.*2.

Typicam siue tabellarem dispositionem prophetiæ Haggæi vide *lib.*2. *præcog. theol. cap.* 50. chronologiam *ibid. cap.* 116. *supra in præliminari concione Bibliorum.* denique characterem & summariam considerationem *lib.*2. *præcog. theol. c.*122.

Hag. 1.

1. Iustam merentur reprehensionem principes & antistites, qui neglectis templorum, scholarum, parochiarum, Xenodochiorum &c. structuris, prætextu temporis incommodi, vel exhausti ærarij vel alio quouis fuco, sua interim palatia, vel ædificia non necessaria magnifice exornant. 2. Duo illa malorum œconomicorum genera, priuationem benedictionis circa terræ nascentia vitæque necessaria alimenta, & maledictionem in omnium rerum abundantia si quando Deus nobis infligat; huc pertinere discamus, vt ponamus cor nostrum super vias nostras, & ascendamus in montem, h. e. vt peccata nostra agnoscamus & corrigamus. Hæc enim causantur frumenti paucitatem, messisque sterilitatem, & benedictionem Dei arcent à frugibus, ne vescentes alant & saturent. Nimirum benedictio Dei est scipio panis, quo fracto cibus nequicquam nobis prodest. 3. Quamuis Deus non habitet in templis manufactis, neque indigeat cultu nostro: tamen placet Deo, & glorificatur Deus, quando ea, quæ ad verum & necessarium ejus cultum pertinent, liberaliter à pijs præstantur.

Hag. 2.

Verus templorum ornatus, veraque gloria, non est aurum & argentum, & multo minus imagines & statuæ, sed partim viua & pura euangelij prædicatio, partim viuæ imagines Dei seu templa Spiritus Sancti. Ac primo quidem viua prædicatio verbi Dei facit, vt corda auditorum commoueantur & conuertantur ad recte agnoscendum, fide amplectendũ,

nouaq; obedientia honorandum Jesum Christum, *desiderium gentium*, qui est vnicus ornatus templorum. Hinc quia Christus euangelium erat promulgaturus, legem repurgaturus, & cultum typicum abolituras, in secundo templo Zerubabelis, major dicitur futura gloria secundi templi, quam prioris Salomonici, quamuis amplitudine & magnificentia illi minime respondere. Deinde templum sic Deo sacratum contaminamus, nisi & ipsi nos Deo consecremus, tanquam templa Spiritus sancti.

XXXVIII.

CONCIONES IN ZACHARIAM.

Memoriale Zachariæ. Cap. 14.

8 5 8 2 7
Rufus equus, Murus, Germen, Lychnuchus, In Epha,
1 9 17 9 1
Currus, Jus rectum, Ne mala, Rex, Pluuiam.
7 10 7 4
Paui, Respicient, Pastorem, Montis Oliuæ.

Oeconomia prophetiæ Zachariæ.

Prophetia Zachariæ absoluitur visionibus & concionibus.

I. Visiones sunt numero octo. Quinque sunt hortatoriæ, & illarum aliæ sunt generales, ratione vniuersi populi, vt prima, *cap.*1. secunda & tertia, *cap.*2. aliæ speciales, ratione sacerdotum, vt quarta, *cap.*3. quinta, *cap.*4. Duæ sunt monitoriæ: vt sexta & septima, *cap.*5. Una consolatoria, *cap.*6.

II. Conciones sunt partim didascalicæ de cultu Dei, *c.*7.8. partim propheticæ de Christi incarnatione, *c.*9.10. & passione, *c.*11.12.13.

Typicam siue tabellarem dispositionem prophetiæ Zachariæ vide *lib.*2. *præcog. theol. cap.*51. Chronologiam *ibid. c.*116. *& supra in præliminari concione Bibliorum.* denique characterem & summariam considerationem *lib.*2. *præc. theol. cap.*122.

Zach. 1. 2.

1. Deus jubet nos ad se conuerti, vt ipse conuertatur ad nos, non quod conuersio sit in nostra voluntate aut facultate (manet enim illud *Jer.*31.9. 18. *Conuerte me, & conuertar*) sed quia per talia præcepta conuersionem in cordibus electorum vult efficere & confirmare. 2. Christus etiam in V. T. fuit mediator ecclesiæ apud Deum, vigilans & intercedens pro salute

ejus.

ejus. Hinc appellatur angelus : quia tunc etiam fuit missus tanquam legatus Dei ad sanctos homines. 3. Deus opera angelorum varie vtitur : vel vt opera vocationis nostræ juuent & promoueant : vel vt impedimenta, quæ Satan & hostes objiciunt, remoueant : vel vt sint vindices injuriarum ecclesiæ aduersus hostes &c. 4. Christus est ecclesiæ architectus, murus & legatus. Hic enim est vir ille, qui Hierosolymam nouam funiculo dimetitur & instaurat. Hic est ecclesiæ suæ aduersus hostium impetus fidelissimus protector. Hic est legatus Patris, non modo ad ecclesiam pathetice docendam & glorioſe liberandam, sed etiam ad hostes, vel juste puniendos, vel gratioſe conuertendos.

Zachar. 3. v. 7.

Magna est prærogatiua hominum præ angelis, si spectetur incarnatio Christi, redemtio hominum non vero lapsorum angelorum, & deniq; exaltatio carnis Christi supra angelos. Quo etiam pertinet defensio illa, quã nobis præstant angeli boni, hoc modo. I. Pastores habent suum angelum, vt Esaias *c. 6.* Daniel. *c. 7. 8. 9.* Zacharias hoc *cap. v. 7.* Johannes in apocalypsi. II. Similiter magistratus : vt Gedeon, Samson, Josua, Hiskias. III. Famelici : vt Elias & Daniel. IV. Viatores : vt Jacob & Thobias. V. Pueri : vt filius Hagar, Jesus infans. VI. Virgines : vt filiæ Loth, Sara, Susanna, Maria virgo. VII. Conjuges : vt Isaac. VIII. Illi, qui orant : vt Cornelius *Act.* 10. Confer *Dan. 9.* IX. Afflicti : vt Hagar. X. Ægroti : vt *Johan. 5.* XI. In extremis calamitatibus constituti : vt Loth inter Sodomitas, socii Danielis in fornace, Daniel inter leones, Paulus in naufragio. XII. Captiui : vt Petrus & Paulus. XIII. Qui persecutionem patiuntur : vt Jacob. Nos itaq; pastoribus optemus angelos prophetarum, magistratibus angelum Gedeonis & Josuæ, famelicis angelum Eliæ &c. E contrario rogemus Deum, vt impios puniat per angelos vindictæ suæ, quomodo puniuit Sodomitas, Sẽnacheribum, Herodem, & alios : item vt armet angelos illos, qui phialas iræ ipsius effundunt. *Apoc.* 15. Cæterum nobis inuicem optare debemus cohabitationem SS. angelorum 1. quia semper vident faciem Patris nostri, qui est in cœlis. 2. q. preces nostras Deo offerunt. 3. q. sunt nostri συν μαθηταὶ, qui verbo Dei delectantur, Deum assidue laudant & colunt &c. 4. quia gaudent super resipiscentia nostra. 5. quia nos defendunt aduersus diabolum, illumque vincire & vincere possunt. 6. quia erimus aliquãdo ἰσάγγελοι. Cæterum ex hoc cap. notentur ista. Primo, Satan non cessat fidis Dei ministris varia objicere obstacula, vt in faciendo officio impediat, vel remissos faciat. Sed pro illis stat angelus Domini Christus, & Satanam compescit, ne ministerij fructum intercipere, vel saluti electorum obsistere possit. Secundo, peccata

sunt

sunt instar vestis sordidæ & leprosæ, quæ tum ecclesiæ ministros, quam fideles alios in conspectu Dei deformat: donec nos Christus mundo justitiæ imputatæ & infusæ habitu donatos, Deo acceptabiles reddat. 3. Cælaturam germinis promissam tunc Deus cælauit, quando in cruce Christi morientis pro iniquitatibus Hebræorum, Græcorum & Latinorum, h.e. hominum totius mundi, imponi voluit hanc scripturam: *Jesus Nazarenus, Rex Judæorum.*

Zach. 4. 5. 6. 7.

1. Initia reformationis & instaurationis ecclesiæ collapsæ, sunt difficilia, & plerumque tenuia, propter varia Satanæ & organorum ejus obstacula. Quos vero Deus ad hoc suum opus excitat, illi difficultatibus absterreri, vel credere non debent: quoniam non potentia humana, sed *virtute Spiritus Jehovæ exercituum* res tanta perficitur. 2. Dei oculus seu providentia etiam ad mala se extendit, non quod ea probet, juuet, vel faciat, vel aliquam inde labem contrahat, sed quoniam illa nouit, permittit, dirigit, determinat, exterminat, punit, vel remittit. 3. Pontifex Jesua typum Jesu Christi, veri Pontificis, sustinuit. 4. Sicut olim Judæi quidem opulentiores, ne rei familiaris jacturam paterentur, Babyloniæ manere, quam cum aliis in pariam redire malebant: sic hodie non pauci in tenebris antichristi manere, quam juxta Dei mandatum, deserta Babylone, exire in loca evangelica malunt. 5. Quicunque sacerdotes & episcopi instituunt, obseruant aut obseruari præcipiunt jejunia, vel cultus quoscunque, sub conscientia, quos Deus non instituit, grauissime peccant: quia hæc tala non præstantur Deo, sed hominibus, imo dæmoniis 1. *Cor.* 10. *v.* 20. Quo fulmine omnes ἐθελοθρησκείας prosternuntur.

Zach. 9.

1. Deus est vbique præsens immensitate essentiæ & providentiæ, adeoque præsentia generali. Sed specialiter habitat in sanctis siue in ecclesia, benignitate & largitate gratiæ, in cœlis vero, maiestate & beatitate gloriæ. 2. Summa majestas, summusque templorum ornatus est, si sincerus Dei cultus in eis vigeat: non vero (quod vulgus putat) si auro radient, si splendidis altaribus, & deliciis simulachris radient. 3. Diffidentiæ remedium est, omnipotentiæ Dei diligens consideratio, qua potens est, omnia facere superabundanter, quam petimus aut intelligimus. 4. Judiciorum ciuilium finis & forma debet esse veritas & judicium pacis: quoniam veritas, itemque justitiæ & tranquillitatis, tum publicæ, tum privatæ, scopus debet esse propositus judicibus; & illi in officio suo debent studere veritati, concordiæ & justitiæ. 5. Ecclesia Messiæ ex Judæis & gentibus

tibus erat colligenda: verum ita, vt pauciores ex Judæis quam ex gentibus sub initium conuerterentur. Dico *sub initium*: quia constat ex *Roman.* 11. postquam plenitudo gentium introiuerit, etiam Israelem salvum fore.

Zach. 9. 10. 11.

1. Christus cum esset dives, & in forma Dei, propter nos factus est pauper, & formam serui accepit, vt per sanguinem suum ecclesiam liberaret ex captiuitate Babylonica: cujus typus fuit liberatio ecclesiæ veteris ex lacu & cisterna Babylonis, aquis consolationis carente. Atque hoc est fœdus gratuitum, quod dicitur fœdus & Dei & ecclesiæ, quia à Deo cum ecclesia mutua pactione est sancitum. 2. Ecclesia vt fruatur promissionibus & beneficijs Dei, debet ipsa quoque suum officium, & cultum Deo debitum præstare, idque hoc modo. *Primo* necesse est, vt à solo Deo pendeat, non vero ab idolis: quoniam Deus est summum bonum & omne bonum, idola vero sunt ipsa vanitas, & loquuntur vanitatem, ac docent mendacium. Sunt igitur libri laicorum mendaces. *Deinde* in solo Christo quærendus est fons remissionis peccatorum. Fons iste est misericordia Dei, qui peccata illorum, qui resipiscunt, ita obliterat, ac si nunquam commissa fuissent. *Denique* oportet ferre fructus fidei, in quibus excellit precatio, qua fit, vt à solo Deo in Christo, per Christum, & propter Christum petamus pluuiam serotinam, hoc est, omne genus bona, ad salutem animæ & corporis necessaria. 3. Duo baculi, amabilis & doloroſus, quos Christus ad pascendum gregem in ministerio suo assumsit, adumbrant euangelium & legem. 4. Licet pactum verbo Dei & sacramentis sancitum, per fidæ & ingratæ multitudini reddatur irritum: tamen fidelibus, verbum Dei obseruantibus, perpetuo manet ratum. 5. Impletio oraculi *Zach.* 11. 12. 13. de qua *Matth.* 27. consistit in his tribus: quod Christus sit Jehoua ille æstimatus 30. argenteis: quod isti argenti abjecti fuerunt in templum: denique, quod dati fuerunt figulo. 6. Quando mundus fideles doctores, pastores & præceptores audire recusat, Deus justo judicio mittit seductores, impostores, & deceptores.

Zach 12. 13. 14.

1. Hostes ecclesiæ inebriant se sanguine justorum: sed potus est ipsismet lethalis: idque duabus de causis. *Primo* ecclesia Christi virtute, est lapis oneroſus, quem qui tollere conatur, conquassabitur, & super quem ceciderit, dissipabitur. *Deinde* spiritus gratiæ & precum habitat in nobis, & nos confortat interne per viuam consolationem &

alloquium cordis, externe per ministerium & alloquium verbi & sacramentorum. 2. Christus est Jehoua ille, quem Judæi in cruce transfixerunt: super quo multi quidem planxerunt, & plangent ad salutarem resipiscentiam, omnes videl. electi: hostes vero non prius plangent, quam nouissimo die ad æternum suum exitium in nubibus redeuntem videbunt. 3. Fons ille domui Dauidis, seu ecclesia apertus in expiationem peccati & aspersionem, proprie est sanguis Christi, mundans nos ab omni peccato, sacramentaliter est baptismus, qui est ablutio peccatorum & lauacrum regenerationis, h.e. tantorum Christi beneficiorum sacramentū. 4. Gratum est Deo officium, gratusq; gloriæ suæ zelus si falsi doctores spirit ali gladio verbi jugulentur: si vero incautos seducere, pacem ecclesiæ & politiæ turbare, Deumque blasphemare obstinate pergant, etiam gratum est sacrificium Deo nostro, si magistratus juxta leges eos coerceat gladio seculari. 5. Deus præcipit gladio h.e. Judaïs & militibus, vt pastorem Christum percutiat *Zach* 13. & ipse quoque percussit eundem pastorem *Matth.* 26. *v.* 31. Nempe Deus manu organorum percussit pastorem *Esa.* 53. *v.* 4. Percussio tamen Dei est iustitia, percussio Judæorum injuria: vtræque distinctæ causis finalibus, impulsiuis, efficientibus & formalibus. 6. Etsi non raro percussis ecclesiarum pastoribus, dissipantur œtus: Deus tamen conuertit manum suam super paruulos, mirabiliter eosdem ex dissipatione recolligens. 7. Fere, cum ecclesia ab exteris hostibus quiescit, Satan ex sinu ejus turbatores, schismaticos vel hæreticos, excitat, facitque vt Juda pugnet contra Jerusalem. Quod cum fit, opus est patientia & vigilantia. 8 Est hoc magnæ felicitatis & sanctitatis argumentum, quando in cultum Dei conuertuntur ea, quæ prius luxui, vel inanibus pompis, vel illicitis rebus impendebantur inutiliter. Ita enim fit, vt omnibus actionibus nostris totaq; vitæ conuersatione quæratur Christus, qui ita sanctificatus, à nobis sanctificat tum nos, tum illa quæ erant profana non natura sed abusu.

XXXIX.

CONCIONES IN MALACHIAM

Memoriale Malachiæ. Cap. 4.

6 2 1 5

Si dominus, Vobis maledicam, Mittam ego Elias.

Oeconomia prophetiæ Malachiæ.

Prophetia Malachiæ habet objurgationem & consolationem

I. Objurgatio est propter perfidiam in cultu Dei, *c.1.* & pollutionem conjugij, & blasphemias, *c.2.*

II. Consolatio nititur promissione Christi, *c.3.* & prodromi illius Johannis Baptistæ *c.4.*

Typicam siue tabellarem dispositionem prophetiæ Malachiæ vide *lib. 2, præcog. theol. cap. 52.* Chronologiam *supra in præliminari concione Bibliorum.* denique characterem & summariam considerationem *lib. 2. præcog. theol. cap. 122.*

Malach. 1.

1. Causa electionis & reprobationis est merum Dei beneplacitum nõ vero præuisa hominum merita bona vel mala. 2. Reprobatio Esaui à gratia fœderis, & maledictio temporalis, à Spiritu sancto allegatur pro argumento & symbolo reprobationis à gratia salutis. 3. Vt opera & sacrificia nostra Deo placeant, oportet vt nos prius ipsi placati placeamus per fidem in Christum, & ex integritate cordis faciamus, quidquid facimus. 4. Munda oblatio, quam Malachias hoc in loco prædicit, Deo inter gentes in omni loco offerendam esse in nouo testamento, nequaquam est sacrificium Missæ, quippe quæ nihil est aliud, quam vnici sacrificii Christi abnegatio, & mera abominatio: sed est 1. prædicatio euangelij in toto orbe *Rom. 15. v. 16.* 2. fides euangelij *Phil. 2. vers. 17.* 3. mortificatio carnis & obedientia fidei. *Rom. 12. v. 1.* 4. constantia & perseuerantia in fide ad mortem & martyrium vsque. *2. Tim. 4. v. 6.* 5. beneficentia erga ministerium & ministros euangelij. *Phil. 4. v. 18.* 6. beneficentia in pauperes *Heb. 13. v. 6.* 7. sacrificia laudis pro beneficiis Dei spiritualibus & corporalibus *Heb. 13 v. 15.*

Malach. 2.

1. Pastorum piorum officium est, restituere cultum Dei integrum, ad normam eius: omnia dirigere ad gloriam Dei, non vero ad honorem & quæstum suum: oues fidei suæ commissas ab iniquitatibu conuertere ad pietatem: denique vt hæc omnia possint præstare, in ore suo habere verbum Dei, & labijs suis custodire scientiam, h. e. nihil de religione pronuntiare, quod non habeat solidum fundamentum in lege vel euãgelio. Atq; hæc omnia sunt juris, non facti, docentia, quid facere debuerint & debeant, non quid semper fecerint & faciant sacerdotes, id quod sequens reprehensio sacerdotum præuaricatorum aperte ostendit. *Vos autem recessistis de via.* 2. Consideratio communis originis ab vno creatore, debet nos absterrere à contemtu fratrũ. 3. Nuptiæ inter disparis religionis conjuges, sunt partim periculosæ tum liberis, tum ipsis conjugibus, ne fideles

alloquium cord. ,externe per ministerium & alloquium verbi & sacramentorum. 2. Christus est Jehoua ille, quem Judæi in cruce transfixerunt: super quo multi quidem planxerunt, & plangent ad salutarem resipiscentiam, omnes videl. electi: hostes vero non prius plangent, quam nouissimo die ad æternum suum exitium in nubibus redeuntem videbunt. 3. Fons ille domui Dauidis, seu ecclesia apertus in expiationem peccati & aspersionem, proprie est sanguis Christi, mundans nos ab omni peccato, sacramentaliter est baptismus, qui est ablutio peccatorum & lauacrum regenerationis, h.e. tantorum Christi beneficiorum sacramentū. 4. Gratum est Deo officium, gratusq; gloriæ suæ zelus si falsi doctores spirituali gladio verbi jugulentur: si vero incautos seducere, pacem ecclesiæ & politiæ turbare, Deumque blasphemare obstinate pergant, etiam gratum est sacrificium Deo nostro, si magistratus juxta leges eos coerceat gladio seculari. 5. Deus præcipit gladio h.e. Judaïs & militibus, vt pastorem Christum percutiat *Zach* 13. & ipse quoque percussit eundem pastorem *Matth.* 26. *v.* 31. Nempe Deus manu organorum percussit pastorem *Esa.* 53. *v.* 4. Percussio tamen Dei est iustitia, percussio Judæorum injuria: vtræque distinctæ causis finalibus, impulsiuis, efficientibus & formalibus. 6. Etsi non raro percussis ecclesiarum pastoribus, dissipantur oues: Deus tamen conuertit manum suam super paruulos, mirabiliter eosdem ex dissipatione recolligens. 7. Fere, cum ecclesia ab exteris hostibus quiescit, Satan ex sinu ejus turbatores, schismaticos vel hæreticos, excitat, facitque vt Juda pugnet contra Jerusalem. Quod cum fit, opus est patientia & vigilantia. 8 Est hoc magnæ felicitatis & sanctitatis argumentum, quando in cultum Dei conuertuntur ea, quæ prius luxui, vel inanibus pompis, vel illicitis rebus impendebantur inutiliter. Ita enim fit, vt omnibus actionibus nostris totaq; vitæ conuersatione quæratur Christus, qui ita sanctificatus, à nobis sanctificatum nos, tum illa quæ erant profana non natura sed abusu.

XXXIX.

CONCIONES IN MALACHIAM

Memoriale Malachiæ. Cap. 4.

6 2 1 5

Si dominus, Vobis maledicam, Mittam ego, Elias.

Oeconomia prophetiæ Malachiæ.

Prophetia Malachiæ habet objurgationem & consolationem

I. Obiurgatio est propter perfidiam in cultu Dei, *c.1.* & pollutionem coniugij, & blasphemias, *c.2.*

II. Consolatio nititur promissione Christi, *c.3.* & prodromi illius Iohannis Baptistæ *c.4.*

Typicam siue tabellarem dispositionem propheriæ Malachiæ vide *lib. 2 præcog. theol. cap. 52.* Chronologiam *supra in præliminari concione Bibliorum.* denique characterem & summariam considerationem *lib. 2 præcog. theol. cap. 122.*

Malach. 1.

1. Causa electionis & reprobationis est merum Dei beneplacitum nõ vero præuisa hominum merita bona vel mala. 2. Reprobatio Esaui à gratia fœderis, & maledictio temporalis, à Spiritu sancto allegatur pro argumento & symbolo reprobationis à gratia salutis. 3. Vt opera & sacrificia nostra Deo placeant, oportet vt nos prius ipsi placati placeamus per fidem in Christum, & ex integritate cordis faciamus, quidquid facimus. 4. Munda oblatio, quam Malachias hoc in loco prædicit, Deo inter gentes in omni loco offerendam esse in nouo testamento, nequaquam est sacrificium Missæ, quippe quæ nihil est aliud, quam vnici sacrificii Christi abnegatio, & mera abominatio: sed est 1. prædicatio euangelij in toto orbe *Rom. 15. v. 16.* 2. fides euangelij *Phil. 2. vers. 17.* 3. mortificatio carnis & obedientia fidei. *Rom. 12. v. 1.* 4. constantia & perseuerantia in fide ad mortem & martyrium vsque. *2. Tim. 4. v. 6.* 5. beneficentia erga ministerium & ministros euangelij. *Phil. 4. v. 18.* 6. beneficentia in pauperes *Heb. 13. v. 6.* 7. sacrificia laudis pro beneficiis Dei spiritualibus & corporalibus *Heb. 13 v. 15.*

Malach. 2.

1. Pastorum piorum officium est, restituere cultum Dei integrum, ad normam eius: omnia dirigere ad gloriam Dei, non vero ad honorem & quæstum suum: oues fidei suæ commissas ab iniquitatibus conuertere ad pietatem: denique vt hæc omnia possint præstare, in ore suo habere verbum Dei, & labijs suis custodire scientiam, h. e. nihil de religione pronuntiare, quod non habeat solidum fundamentum in lege vel euãgelio. Atq; hæc omnia sunt juris, non facti, docentia, quid facere debuerint & debeant, non quid semper fecerint & faciant sacerdotes, id quod sequens reprehensio sacerdotum præuaricatorum aperte ostendit. *Vos autem recessistis de via.* 2. Consideratio communis originis ab vno creatore, debet nos absterrere à contemtu fratrũ. 3. Nuptiæ inter disparis religionis conjuges, sunt partim periculosæ tum liberis, tum ipsis conjugibus, ne fideles

ab infidelibus seducantur; partim plenæ turbarum, adeoque raro felices & tranquillæ. Merito itaque sunt cauendæ. 4. Cultus eorum, qui polluras habent conscientias, non placet Deo. Oportet itaque vt conscientia mũ. detur sanguine Christi, & obedientia euangelica.

Mal. 3. & 4.

1. *Legatus Domini*, præparaturus viam ejus, erat Johannes Baptista, Christi præcursor: *legatus fœderis* est ipse Christus, quia fœdus nouum nomine Patris, cum ecclesia Judæorum & gentium, doctrina sua erat inituras, & sanguine suo firmaturus. 2. Christus non tantum venit in mundum vt seruator, sed etiam vt judex, vt inter electos & reprobos discernat, & illos quidem, tanquam aurum & argentum igne & saponaria verbi ac spiritus sui mundatos à peccatis viuificet atque glorificet, istos vero vt scoriã sordidam igne infernali exurat. 3. Dies ille retributionis, in hac vita à superbis illusoribus videtur atque contemnitur, à pijs creditur & timetur, multis quoq; tragicis pœnis præfiguratur, in nouissimo autem judicio plane manifestabitur. 4. Sol justitiæ est Christus, fulgore euangelii orbem illustrans, per spiritum nos lætificans, calefaciens & viuificans, & quidem solus. Sicut enim mundus duos soles non capit: ita nec duos seruatores. 5. In solo legis & euangelij portu datur firma animarum statio. 6. Elias propheta per Malachiam promissus, est Johannes Baptista, interpres Christo *Matth.* 11. & 17. & angelo *Luc.* 1. 6. Aduentus Christi incarnem fuit dies magnus piis, terribilis hostibus. Eo enim lætabantur pastores & magi, è quibus illi typum Judæorum, hi gentium sustinebant: terrebatur Herodes & Hierosolyma, tanquam typi hypocritarum & impiorum.

LIBRI APOCRYPHI NUMERO XIV. PROUT IN GERMANICA VERSIONE Lutheri extant.

Quoniam libri apocryphi non sunt in canone, non oportet illos explicare pro concione. Non itaq; fuerit operæ pretium proponere concionũ archetypos in hos libros. Suffecerit memoriale vnacum œconomia seu dispositione methodica.

Typicam siue tabellarem dispositionem exhibent *prænotanda theologica lib. 2. c. 82.* Chronologiam *vide ibid. cap. 116. 126. item supra in concione præliminari Bibliorum.* Characterem & summariam considerationem tradidimus *lib. 2. præcog. theol. cap. 125. & seq.*

Memo-

I.

Memoriale libri Judithæ. Cap. 16.

1 4 2 5 5
Arphaſat, Holfernes, Se dedunt, Joiakin, Actor,
2 2 1 1 17
Blaſphemat, Cingit, Judith, Adorat, Adit.
1 12 10 7 2 1
Macta, Inuitatur, Mactat, Monſtrant, Fuga, & Hymnus.

Oeconomia libri Judith.

Liber Judith deſcribit Holofernis initium lætiſſimum & exitium triſtiſſimum.

I. Initium fuit lætum propter res bene geſtas à Nebucadnezare, *cap. 1.* & ipſius Duce Holoferne, *c. 2. 3. 4. 5. 6.*

II. Exitium triſte deſcribitur ab antecedentibus, modo ipſo & conſequentibus. Antecedentia ſunt cauſa impellens, *cap. 7.* & cauſa efficiens, videlicet Judith a; cujus magnanimitas eſt, *c. 8* pietas *c. 9.* prudentia, in decipiendis excubitoribus, ducibus & eunucho, *c. 10. 11. 12.* Modus & cædes Holofernis, *c. 13.* Conſequentia ſunt ratione hoſtium, *c. 14. 15.* & victricis matronæ, *c. 16.*

II.

Memoriale libri Sapientiæ. Cap. 19.

1 1 1 10 1
Jus, Epicurei, Mors, juſti, Perplacet, Impar,
13 6 1 1 1
Pulchra, Pars, Sophie, Vota preceſque, Bona eſt,
4 2 1 12 1
Facta Dei, Pœna, Vanique, Idola, Jehoua,
1 1 1 1
Pœna manet, Dominus, Lux quoque magna, Mali.

Oeconomia libri Sapientiæ.

Liber Sapientiæ eſt tripartitus.

Primo continet documenta, eaque tum generalia de ſapientia, *cap. 1.* de morte *c. 2. 3.* & de diſpari conditione piorum & impiorum, *c. 4. c. 5.* tum ſpecialia, directa ad reges. *cap 6.*

Secundo commendat ſapientiam, *c. 7. 8. 9. 10. 11.*

Tertio rurſus proponit documenta; quorum alia ſunt de hominis vanitate, *cap. 12. 13. 14. 15. 16.* alia de operibus Dei, judicijs videlicet & beneficijs, *c. 17. 18. 19.*

III.

Memoriale libri Tobiæ. Cap. 14.

1 11 1 4 7
Tobias, Cæcus, Post orat, Concio, Natus,
2 1 3 12 13
Piscis, Et ad Raguel, Vinxit, Amen: Redeunt,
15 15 1 4
En videt, Agnoscunt, Grates agit, Et pie obiit.

Oeconomia libri Tobiæ.

Liber Tobiæ persequitur vitam & mortem senioris Tobiæ.

I. Vita Tobiæ describitur ab illius pietate, *cap. 1.* & conditione, eaque tum aspera, *c. 2.* tum prospera: vbi Tobiæ junioris ablegatio, & reducis instructio. Ablegatio in Mediam describitur ab itineris causis & accidentibus. Causæ itineris sunt duæ: vna efficiens, videlicet precatio, *c. 3.* & instructio, *ca. 4.* altera finalis, *c. 5.* Accidentia itineris sunt tria: videlicet nuptiæ, *cap. 6. 7.* Νεοζάμων dimissio, *c. 8. 9. 10.* & eorundem ad Tobiam senioren reditus, *c. 11. 12. 13.* Instructio paterna est, *cap. 14. ad vers. 16.*

II. Mors Tobiæ est *à vers. 14. cap. 16.*

IV.

Memoriale Ecclesiastici siue Sirachi. Cap. 51.

1 2 7 1 7
A Domino, Patiens, Nati, Pauper, Cane fidas,
2 22 16 14 12
Ne placeas, Seruus, Sponsor, Amicus, Obit.
30 1 30 22 12
Ante obitum, Benefac, Bona opes qua? Conde, Iehoua
25 1 8 7 8
Recte, De terra, Gutta, Tacere, Loquax.
2 4 23 2 1
Ah fuge, Non fugi, Scortator, Concio, Pulchra,
1 2 7.8. 28 1
Fœmina, Mercator, Sic memor, Vnda, Pater.
35 7 2 1 1
Vinum, Hymnus, Sapiens, Quid somnia? Victima vera,
1 1 2 21 26
Ah miserere, Mali, Vis medica, Omne, Timor.

O mors

1 1 1 17 1
O mors, Ne pudeat, Majestas, Noeque, Moses,
1 14 4 19 1
Josua, Tum Salomon, Elia, Semque, Simon.
Te celebro Rex magne Deus, tibi carmina canto.

Oeconomia libri Sirachi.

Liber Sirachi continet præfationem, concionem & conclusionem.

I. Præfatio præmittitur capiti primo.

II. Concio & commendatio sapientiæ, *c.1.* & adhortatio ad virtutes tabulæ primæ & secundæ, *à cap. 2. & 50.* ita vt sint conciones numero nouem & quadraginta. Seriem illarum pete ex Memoriali Biblico.

III. Conclusio complectitur ardentem precationem Jesu filij Sirachi. *cap. 51.*

V.

Memoriale Baruchi. Cap. 6.

2 13 12 1 2
Vrbs capta, Alme Deus, Fomem, Sapientia, Gaude,
1
—Captiuis mittit Jeremias verba sacrata.

Oeconomia Baruchi.

Liber Baruchi complectitur conciones Baruchi & epistolam Jeremiæ.

I. Conciones Baruchi sunt pœnitentiales, *cap. 1. 2.* & hortatoriæ, *cap. 3. 4. 5.*

II. Epistola Jeremiæ est *c. 6.*

VI.

Memoriale libri I. Maccabæorum. Cap. 16.

11 2 1 1 1
Antiochus, Nati, Gentes, tum Gorgia, Gentes,
16 26 17 18 3.16
Mors, Et Nicanor, Fœdera, Obit, Deamant.
26 1 1 17 17
In pretio est, Renouat, Simon, Romana, Tryphonis,
16
—A genere Simon occiditur & duo nati.

Oeco-

Oeconomia primi libri Maccabæorum.

Liber primus Maccabæorum post præfationem *cap.1.* describit historiam Mattathiæ,& trium ipsius filiorum.

I. Historia Mattathiæ est *c.2.*

II. Historia filiorum Mattathiæ est tripartita: videlicet Judæ, Jonathæ, & Simonis. Judæ historia describit facinora ipsius heroica & mortem. Heroica facinora sunt partim polemica contra Reges Syriæ, videlicet contra Antiochum Epiphanem *c.3.4.5.* Antiochum Eupatora *cap.6.* & Demetrium Soterem, *c.7.* partim politica, *c.8.* Mors Judæ Maccabæi est, *c.9.* Historia Jonathæ describit ipsius statum vna cum factis & obitum. Status est prosper, *cap.10.11.* videlicet amicitia cum Alexandro, Demetrio, &c. Et asper, *c.12.* Obitus est, *cap 13.* Historia Simonis describit ipsius conditionem, *cap.14.* facta *c.15.* & obitum, *cap.16.*

VII.

Memoriale libri II. Maccabæorum. Cap.15.

19 5 1 7 2
Ignis, Et abscondit, Tunc Onias, Jason, Hasta,
18 1 1 28 1
Eleasar, Fratres, Juda, Cadit, Capiunt.
11 2 3 27 36
Vincit, Vexantur, Menelaus, Non probo, Festum.

Oeconomia libri secundi Maccabæorum.

Liber secundus Maccabæorum describit statum Ecclesiæ post captivitatem Babylonicam tempore Antiochi Epiphanis & aliorum quorundam Syriæ regum. Status ille fuit alius ante Antiochum Epiphanem, alius sub eo, alius denique post eum.

I. Status Ecclesiæ, ante Antiochum Epiphanem describitur à templi euersione, *cap.1.2.* illius instauratione, *c.3.* Jasonis ambitu, *c.4.*

II. Status sub Antiocho tres habet actus. Primus est prothasis *cap.5.* Secundus est epitasis, vbi est martyrium Eleazaris, *c.6.* & septem fratrum, *cap.7.* Tertius est læta catastrophe; vbi Judas defendit Ecclesiam contra Antiochum, *c.8.9.*

III. Status post Antiochum Epiphanem est felix. Nam Judas feliciter bellum gerit contra Antiochum Eupatorem, *c.10.11.12.13.* & Demetrium Soterem, ejusque ducem Nicanorem, *c.14.15.*

Memo-

VIII.

Memoriale fragmentorum in Eſtheræ librum. Cap. 4.

I I II 2
Rex Artaxerxes, Eſther, Mutatur, Amicus.

Oeconomia adjectionum Eſtheræ.

Adjectiones Eſtheræ quatuor capitibus conſtant. Primo continetur edictum regium contra Judæos & oratio Mardochæi *c.13*. Secundo precatio Eſtheræ, *c.14*. Tertio acceſſus Eſtheræ ad regem, *c.15*. Quarto continetur edictum regium pro Judæis, *c.16*.

Memoriale Adjectionum in Danielem.

IX. Suſanna à ſenibus falſo accuſata malignis, inſons inuenta eſt frauſque retecta ſenum.

CAP. I.

X. Bel colitur primo, Daniel mox deſtruit illum.

CAP. I.

XI. Ecce Draco numen falſum colitur que caditque.

CAP. I.

XII. In medijs flammis hæc fundit Aſaria vota.

CAP. I.

XIII. In media fornace canunt ſocij Danielis.]

CAP. I.

XIV. Ad Dominum fundit rite Manaſſe preces.

CAP. I.

Oeconomia adjectionum ad Danielem & orationis Manaſſe cuiuis eſt obuia.

CONCIO PRÆLIMINARIS IN NOVVM TESTAMENTVM.

VETVS *Testamentum solet conferri cum Luna, nouum cum sole. Vnde conuenientia & differentia vtriusque fit manifesta. Sicut enim Luna & Sol conueniunt in eo, quod sunt luminaria magna: ita vetus & nouum Testamentum hoc habent commune, quod sunt duo luminaria in cœlo Ecclesiæ à Deo collocata, vt ministrent hominibus lumen.*

Deinde sicut Luna est inferior sole tum amplitudine tum efficacia: sic vetus Testamentum est inferius nouo quantum ad ista duo. Caterum ad faciliorem intelligentiam Noui Testamenti faciunt sequentia.

1. Chronologia ipsius habenda est ante oculos; quam vide lib. 2. Præcogn. Theol. c. 116. pag. 470. & seqq. item 519. & seqq.

2. Diligens collatio cum veteri Testamento est instituenda.

3. Historia Iosephi scriptoris Iudaici est cognoscenda.

4. Memoriale, œconomia typica dispositio, & character in singulis libris sunt obseruanda: de quibus in seqq.

CON-

I.

CONCIONES IN MATTHÆVM.

Memoriale Euangelij ſecundum Matthæum. Cap. 28.

1 1.5.6. 14 4 3
Linea, Bethlehem, Lotus, Non pane, Beati,
9 13 2 2 38
Orandum, Porta, Lepra, Remiſſa, Crucem.
12 33 3 10 27
Johannes, Arbor, Semen, Baptiſta, Catelli,
18 1 3 14 10
Petra, Thabor, Pueri, Ne prohibete, Pares.
5 3 13 3 11
Rex venit, Inuitat, Væ vobis, Signa, Redibit,
4 50 6
Captiuus Chriſtus, Mortuus, Euigilat.

Oeconomia Euangelij ſecundum Matthæum.

Matthæus deſcribit pueritiam & virilem ætatem Chriſti.

I. Pueritia Chriſti conſideratur quantum ad natiuitatem, *cap. 1.* & reuelationem, *c. 2.*

II. Ætas virilis Chriſti ſpectatur in ipſius officio: cujus occurrit inauguratio & functio. Inauguratio duos habet actus: vnus eſt in baptiſmo, *c. 3.* alter in tentatione, *cap. 4.* Functio ſpectatur in Prophetia, ſacerdotio & regno: è quibus illa maxime incidit in vitam, iſtud in mortem, hoc in reſurrectionem Chriſti. Prophetiæ ſunt tres periodi. Prima eſt à primo paſchate vſque ad ſecundum, *cap. 5. 6. 7. 8. 9. 10.* Secunda eſt à tertio Paſchate vſque ad quartum, *c. 11. 12. 13. 14.* Nam ſolus Johannes deſcribit interuallum à ſecundo Paſchate ad tertium. Tertia periodus eſt à quarto Paſchate ad quintum: vbi alia ſunt dicta & facta ante ingreſſum in vrbem, *c. 15. c. 16. 17. 18 19. 20.* alia in vrbe, *c. 21. 22. 23. 24. 25.* Sacerdotium Chriſti deſcribitur, *cap. 26. 27.* Regnum Chriſti deſcribitur, *c. 28.*

Typicam ſiue tabellarem diſpoſitionem Euangelij ſecundum Matthæum vide *lib. 2. Præcog. Theol. cap 52.* Chronologiam *ibid. cap. 116. p. 475. & 529. & ſeqq. item ſupra in præluminari Concione Bibliorum.* Characterem & ſummariam conſiderationem *lib. 2. Præcognit. Theolog. cap. 122. pag. 631.*

Matth.1.v.1.

Matthæus describit generationem Christi naturalem, quia omnes majores, quos recitat, fuerunt patres Christi secundum carnem, excepto Josepho, qui non fuit naturalis Pater Christi, sed putatiuus. Hic fundamenti loco tene, Christum esse ortum ex Salomone, juxta promissionē Dei. *Lucas* describit generationem Christi legalem: quia Eli non fuit naturalis Pater Josephi, sed legalis. Differatur hic de certitudine & amplitudine Genealogiæ Christi.

Matth.1.v.18.ad finem.

Dauid cum deduceret arcam Domini, *Psal.114.* ajebat. Quid vobis montes, quod subsiliatis, &c. Maria cum audiret lætum nuntium Gabrielis *Luc.1.* Præ gaudio canit hymnum. Johannes Baptista cum in vtero sentiret præsentiam Messiæ, exiliebat præ gaudio. Eundem in modum oportet vt lætemur, quando meditamur historiam natiuitatis Christi, de qua in præsenti textu videbimus hæc duo. 1. Statum virginis Mariæ. 2. Colloquium angeli cum Josepho.

De I. Quatuor hic indicantur. 1. Virginis desponsatio: quæ facta est in honorem conjugij, propter defensionem Mariæ & Christi nascituri; & ad significandum mysterium desponsationis cœlestis, qua fit, vt Deus sibi despondeat virginem Ecclesiam. 2. Imprægnatio à Spiritu Sancto. Quemadmodum splendor solis in nubibus gignit rorem: ita splendor Spiritus Sancti in virgine Maria produxit humanam Christi naturam ex purissimo virginis sanguine. 3. Desertionis meditatio, quæ est speculum humanæ infirmitatis. 4. Mysterij incarnationis reuelatio: ex qua discimus, Sanctos Angelos ibi esse, vbi est Jesus Seruator noster.

De II. In colloquio angelico notentur ista. 1. Consolatio: *Ne timue.* 2. Nominis Jesu interpretatio 3. Interpretatio nominis Immanuel, quod meram charitatem spirat. Nam Deus est Nobiscum, assumendo naturam nostram, & in ea nobis summa quæque beneficia exhibendo. 4. Obedientia Josephi. 5. Illæsæ virginitatis conseruatio. Sara cum vnico suo Isaaco fuit typus hujus rei. Quo pertinet, quod Deus prohibuerit Abimelechum, quo minus attingeret Saram. Hic disputetur contra Heluidium, qui abutitur particula *Donec*, seu *Quousque*: cum illa ex idiotismo Scripturæ idem sit, quod *Nunquam*. Cæterum de nomine *Jesus* plenissimam commentationem vide in *Theolog. Catech. in explicatione Symboli*, *& infra ad Luc.2.* Hic summatim ista accipe. 1. Duo ὑποστάσεις sunt omni exceptione majores, Deus, & Adam in statu integritatis. Quæcunque igitur nomina ab his duobus sunt imposita, censeri debent maxime quidditata, vt vocant, hoc est, essentiam, naturam & proprietatem rei exprimentia. 2. Nomen *Jesu*

idem

idem est cum nomine *Iosua*. Utrumque conferendum est cum nomine *Iehoua*: quod vsitate dicitur ἀῤῥητον, *ineffabile*, nempe intelligentia potius, quam voce. 3. Nomen *Iesus* aliter tribuitur Christo quam legimus tributum esse quibusdam hominibus, puta Siracho, & similibus. Christo actiue, aliis passiue tributum est, vel certe analogice. 4. Saluator noster accepit nomen Hebræum, *Iesus*, & Græcum, *Christus*, vt intelligeretur esse Messias Judæorum & Gentium.

Matth. 2. v. 1 13.

Exordium. Quemadmodum nouo regi homagium præstari solet à subditis: ita Christo, regi gentium, à magis his, qui repræsentant omnes gentes præstitum est homagium: quemadmodum prædictum erat in psalmo, & præfiguratum in historia Salomonis. 1. *Reg.* 10. vbi omnis generis populi sua munera certatim obtulerunt Salomoni. Merito autem Christo regi æterno, potentissimo & clementissimo dona offerimus; quia inde plurimum emolumenti ad nos redit. *Dominica Epiphania*

Propositio. Tria sunt membra. 1. Iter magorum. 2. Aduentus ipsorum, & hujus effectus apud Hierosolymitanos. 3. Adoratio noui regis.

De I. Magi isti fuerunt periti astronomi, & homines deuoti, sed tamen extorres à rep. Israelis. Fuerunt itaq; primitiæ gentium. Tractatur hic de vocatione gentium, quomodo illa fuerit promissa Abrahamo. *Gen.* 17. & 22. prædicta à prophetis, & præstita in plenitudine temporis. Cæterum hi magi desiderium & fidem suam testantur, quando ajunt: *vbi est rex recens natus? vidimus eius stellam, & venimus ipsum adoratum.* Habemus hic speculum sancti & ardentis desiderii erga Messiam.

De II. Conferunt se Hierosolymam, sedem illam majestatis Dei. Sed Herodes & primores populi tantum abest vt gaudio afficiantur, vt è contratio fuerint perturbati. O vulpes Herodes! Itane fieri oportuit, vt nuntium de natiuitate regis Opt. Max. te turbaret?

De III. Magno affecti fuerunt gaudio, visa stella, & regem nouum prosecuti sunt partim adoratione, partim muneribus. Merito gauisi sunt: quia inuenerunt pretium pretiorum, regem regum, dominum dominantium. Quod si consuluissent rationem corruptam, hoc vtique non fecissent, sed ita ratiocinati fuissent: Lucem jacere in tenebroso stabulo, panem vitæ pati esuriem, dominum dominantium non habere palatium? Sed fides perrumpit, facitque vt adorent hunc regem, & ipsi offerant aurum, thus & myrrham. Exemplo horum sapientissimorum hominum non offendamur humilitate Christi, sed ipsius maiestatem veneremur in statu humilitatis, & offeramus ipsi aurum fidei, thus deuotæ precationis & piæ vitæ, denique myrrham Christianæ patientiæ. Hic obserua fidem conferri cum

auro propter durabilitatem, soliditatem, claritatem, virtuositatem, & pretiositatem. Nam fides perdurat in flammis & ijs probatur, est fundamentum solidum, est lumen clarissimum, confortat debiles, justificat peccatores, coronat miseros, & est nobilissima virtus. Deinde thus fertur sursum, gratum spirat odorem & purgat vulnera. Sic deuotio, precatio & sancta vita sursum feruntur ad Deum, & ipsi sunt victima bonæ fragrantiæ, purgant denique animam nostram. Deniq; myrrha resistit veneno, sanat vulnera, præseruat corpora à putredine. Quæ tria competunt in patientiam Christianam. Hæc enim facit, vt venenum, quod nobis propinant hostes nostri, non noceat: eadem sanat vulnera, quæ inflinguntur à Deo & hostibus: facit insuper, vt non computrescamus in sepulchro tribulationum.

Conclusio. Petatur ex *Psal. 22. vel 67. 72 96.*

Alia dispositio.

Exordium. Christus est sol justitiæ. Nam sicuti sol est decus cœli & speculum gloriæ Dei, illuminat totam terram & omnia exhilarat: ita Christus est decus ecclesiæ & speculum majestatis Dei lucidissimum, & illuminat oculos cordis, cordaq; exhilarat. Et sicuti sol, cum oritur, in momento radios suos spargit in totum orbem: ita Christus recens natus radios suæ majestatis ad extremos vsq; fines terræ sparsit, vt ex hoc textu discere est.

Propos. Dicemus 1. de manifestatione Christi. 2. de duplici ejus effecta.

De I. Magi fuerunt peculiare sapientissimorum hominum genus, vt testatur *Cicero 3. de diuinat.* Ipsorum scientia fuit regia, nobilis & generosa. Nam Ægyptij sacerdotes & sapientes homines apud Chaldæos & Persas erant ex præclara stirpe oriundi. Inter alias scientias, quibus fuerunt dediti, excelluit astronomia. Hinc Deus manifestat ipsis Christum per stellam, & illi porro eundem manifestant Herodi. Ecce mirabilē Christi manifestationem per angelos, per Spiritum S. operantem in Simeone & Hanna per stellā, per hos magos! Cedo, vbi est rex, qui hujusmodi habeat testes suæ natiuitatis? Hic doceatur, quomodo Christus sit vere stella gentium: quod Deus non respiciat personam: quod propagatio euangelij sit opus Dei, non hominum: quod vocatio ad salutem sit gratuita: quod Deus non sit alligatus ad populum certum.

De II. Nuntium magorum turbat Herodē & sacerdotes. Dicamus hic cum Augustino: Quid faciet tribunal judicis, quādo superbos reges terret natiuitas infantis? Discamus etiam cognoscere ingenia tyrannorū hypocritica ex Herode, qui inquirit in locū regis recens nati, vt illum è medio tollat. Sed videamus, quomodo magi fuerint affecti aduersus hunc regē. Ipsorum fides est inuincibilis: quia longum iter conficiunt; nec dubitant an sit natus ille rex, sed ajunt, se vidisse stellā ipsius; non morantur ignorātiam totius Hierosolymæ; non desistunt à suo proposito, etiam cum stellā amis-

mittunt; non offenduntur humili loco regis nati & tenui ejus cõditione: sed procidunt coram hoc puero, suosq; thesauros promunt, & offerunt vt Prudentius canit,

Aurum thus, myrrham, regiq;, hominiq;, Deoq;.

Conclusio. Sumatur ex *Psal.* 57. *vel* 117.

Alia dispositio.

Deus duplici vocatione dignatus est genus humanum. Vocauit enim primo Judæos. *Gen.* 22. *Exod.* 19 postea gentes, quarum festum jam celebramus. Dicamus itaq; ex *Ps.* 17. *Laudate Deum omnes gentes*, & ex hoc textu duo illa mirabilia consideremus: stellam mirabilem, & mirabilem fidem magorum.

De I. Quemadmodum Deus *Exod.* 3. & 13. *Dan.* 7. *Ezech.* 7. præsentiam suam testatam fecit per ignem, lucem & splendorem: ita hic natiuitatem Christi annuntiat per stellam, quæ fuit extraordinaria & supra cursum naturę: vtpote ex qua magi collegerunt natum esse regem, & quidem regem Judæorum, qui etiam gentibus sit adorandus. Stella ista significat Christũ, qui tanquã vera lux facit, vt videamus miseriã nostrã & Dei misericordiã, & conuertamus à tenebris hujus mũdi, videl. à superbia, voluptate, auaritia &c. Vbi hæc lux nõ lucet, ibi neq; miseriã nostrã, neq; Deum videmus.

De II. Interna lux fidei in magis etiam est prorsus mirabilis. Nam fides est indefessa, certa constans, læta & inuincibilis.

Matth 2. *v.* 13. 23.

Exordium. Quod in prima promissione *Gen.* 3. prædictum est de inimicitia inter Christum & serpentem id statim in prima Christi infantia cœpit, vt docet hæc historia de fuga Christi, quam præfigurauit fuga Jacobi, qui fugit à facie Esaui & Labanis, & mirabiliter ab angelis & ipso Deo fuit sustentatus: item venditio Josephi. *Dom post c cisione*

Propositio. Dicemus. 1. de fuga Christi. 2. de ipsius reditu.

De I. Fuga & peregrinatio Christi in Ægyptũ facta est miraculose propter angeli apparitionem, colloquium angelicũ, reuelationẽ cruenti cõsilii Herodis, & obedientiã Josephi. Hic tractetur. 1. de apparitione angelorũ. 2. de exilio Christianorũ. 3. de paterna Dei cura erga filios suos exules.

De II. Mors Herodis est speculum tyrannorum: reditus Christi & parẽtũ ejus est argumentũ prouidẽtię Dei: nomẽ Christi *Nazarenus* trib. modis explicari potest, quod scil. habitauerit in Nazareth, fuerit Nazarenus vt Simeon & Samuel, & denique sit *Nezer* h.e. surculus Dauidis. Hic titulus passim Christo fuit attributus, adeo vt etiam cruci ejus fuerit affixus.

Conclusio. Conclude ex *Psalmo* 2.

Alia dispositio.

Exord. Sicut Pharao *Exod.* 2. immane quantũ sæuiit in Hebræorũ infantulos,

tulos recens editos in lucem: ita Herodes hic fecit. Rursus quemadmodū Moses miraculosè conseruatus fuit in Ægypto: ita Christus ibidem habuit sua halcyonia.

Propositio. Dicemus. 1. de fuga Christi. 2. de infanticidio Herodis.

De I. Prima pars continet ista quinque: angelorum consortium, Christi hospitium, scripturæ testimonium, prouidentiæ diuinæ exemplū, & in fuga Christi mysterium exinanitionis ejus.

De II. Secunda pars continet. 1. Prosopopœiam, in qua infantes, carnifices & matres plangentes introducantur. 2. Causam infanticidij: quæ est respectu Herodis superba inuidia, respectu Dei gloria infantis Christi, vt nempe per hoc immane infanticidium toti orbi innotesceret nativitas regis Christi. Ideo hoc infanticidium prædictum fuit à Jeremia. 3. Pœnam Herodis, qui factus fuit esca vermibus. Hic introducantur infantuli, qui recepti sunt in cœlum, & sunt inter eos, quorum mentio fit *Apoc.* 14. ipsiq; tribuatur oratio ad Herodem.

Conclusio. Hæc sumatur ex *Psal.* 56.

Matth. 2. *v. vlt.*

Quatuor sunt loca inprimis nobilitata conuersatione Christi: videl. Bethlehem, nativitate: Nazareth, educatione: Capernaum, habitatione: Hierosolyma, passione & crucifixione ipsius. Quod attinet ad Nazaretham, diuina prouidentia factum est, vt extincto Herode educaretur Nazarethæ: vt ex ipso etiam gentili nomine, quod ipsi propterea tributum est, constaret eum esse verum illum Domini Nazaræum, cuius typum gesserunt Nazaræi V. T.

Matth. 3. *v.* 13. *& seqq.*

Exordium. Deus multa mirabilia ex aquis, circa aquas & per aquas effecit. Nam in prima creatione spiritus Dei instar gallinæ incubabat aquis. In diluuio aqua fuit instrumentum iræ Dei erga impios, & gratiæ ipsius erga Noachum. Tempore exitus ex Ægypto aqua similiter fuit instrumentum gratiæ Dei erga suum populum, & iræ ipsius erga Pharaonē. Consideratio istarum historiarum facit ad plenam intelligentiam baptismi, præsertim si Paulum & Petrum sequamur, qui diluuium & transitum per mare rubrum docent fuisse typos baptismi. Nominatim autem baptismi Christi historia hinc lucem accipit. Ita enim intelligimus, ipsum esse, qui circa aquam mirabilia ista patrauerit, & per aquam incipiat regnum gratiæ.

Propositio. Considerabimus mysterium baptismi Christi, & apparitionem SS. Trinitatis.

Dd

De I. Christus est baptizatus. 1. Vt testatam faceret promtam suam voluntatem & obedientiam moriendi pro peccatis mundi. Nã quia ipse sanctus & innocens non indiguit baptismo, personam nostram hic repræsentauit, & se stitit in Jordane, tanquam sponsor noster, & speculum summæ obedientiæ. Adesdum anima mea, & contemplare Jesum immersum pelago Jordani & fluctibus peccatorum tuorum. 2. Vt seruiret consolationi nostræ. Nam per baptismum factus est confœderatus noster. 3. vt nostrum baptismum sanctificaret. 4. Vt suo exemplo nobis commendaret baptismum. 5. Vt nobis in memoriam reuocaret baptismũ crucis. Nam quemadmodum ille per baptismum est inauguratus & consecratus ad faciendum officium mediatoris, gustando mortem & varias passiones: ita nos omnes in baptismo fluminis baptizamur insuper baptismo sanguinis & crucis.

De II. Tria hic habemus opera mirabilia. *Primo* Christus hic manifestatur tanquam is, qui cœlum nobis aperit. Postquam enim Christus baptizatus fuit, cœlum se aperuit. *Deinde* Spiritus S. descendit in specie columbæ, & requiescit super Christo, tanquam illo, in quo nos simus & sumus columbæ simplices & Deo placentes. Instituatur hic collatio cum columba Noe, quæ attulit folium oliuæ, symbolum pacis. *Tertio* auditur vox Patris in qua perpende Dei beneficium & tuum officium. Beneficium consistit in solenni & magnifica illa inauguratione, *Hic est Filius* &c. quibus verbis continetur compendium euangelij. Officium est ibi, *Hunc audite.*

Conclusio. Recitetur *Psalmus 29.*

Alia dispositio.

Exordium. Quemadmodum Isaac, Jacob & Moses conjugium suum apud fontem sunt auspicati, & ibi quasi inuenerunt sponsas suas. *Gen. 24. 29. Exod. 2.* ita Christus sibi solenniter despondit sponsam suam immaculatam, Ecclesiam, ad Jordanem.

Propositio. Habemus hic speculum Trinitatis, & beneficiorum ipsius.

De I. Deus in V. T. sæpe apparuit admodum magnifice. Sed apparitio, quæ hic describitur, est omnium illustrissima. Nimirum voluit Deus claram mysterij hujus reuelationem reseruare huic tẽpori baptismi Christi, vt doceret sine hoc sole justitiæ & illius radijs, non posse intelligi hanc doctrinam, in qua notanda sunt duo, personę, videl. distinctæ, & illarum operationes.

De II. Primum beneficium est Christi, qui per baptismum suum factus est sponsus tuus. Nam ideo baptizatus est, vt doceret se esse fundamentũ baptismi; se esse cõfœderatum nostrum, qui totus sit noster; se omnes suos

thesauros nobis cũ habere communes, deniq; se hoc modo communionẽ habere in baptismo crucis nostræ. Ideo cœlũ apertum est post baptismum Christi, vt sciremus baptismum ejus esse januam per quam ille inceperit officium suum, per quod vita æterna nobis est parta. *Secundum beneficium* est Spiritus sancti, qui tanquam arrha beneficij Christi nobis datur, pacem nobis annuntiando & confirmando, vitamq; nostram renouando, vt fiamus veluti columbæ. *Tertium beneficium* est Patris, qui solenniter voce sua nos desponsat Christo, quemadmodum idem primas nuptias inter Adamum & Euam instituit. Continet autem vox illa Dei Patris mutuam obligationem sponsi & sponsæ: *Hic est Filius meus* &c. *Hunc audite.*

Conclusio. Concludo illo dicto *Es. 61. Spiritus Domini super me* &c.

Alia dispositio.

Exordium. Petrus docet *1. epist. c. 3* diluuium fuisse typum baptismi, adeoq; etiam baptismi Christi.

Propositio Describitur colloquium Christi cum Johanne, & ipsius inauguratio per baptismum.

De I. Hic notentur ista. 1. Johannes non recusauit ministeriũ, sed ignorauit mysterium. 2. Christus se obtulit Johanni baptizandum, quia noluit se ingerere sed à seruo Dei habere testimonium triplicis sui officij. 3. Christus impleuit omnem justitiam. 4. Christus suo exemplo nobis commendat sacramenta. 5. Distinctæ sunt actiones Johannis & SS. Trinitatis. Idfit in omnibus sacramentis.

De II. Inauguratio Christi est miraculosa. Nam. 1. Cœlum aperitur, vt doceatur Christum esse è cœlo, illudque nobis jam patere. 2. Spiritus S. descendit, non in specie aquilæ, aut alius alicujus rapacis, sed in specie columbæ mitissimæ, vt doceat Christum esse principem pacis & mansuetũ. 3. Vox Patris auditur.

Conclusio. Hæc pactio est longe illustrissima, si conferatur cum illa in monte Sinai, vel illa *Esa. 6. Ezech. 1. & Dan. 7.*

Matth. 3. v. 3.

Hic docemur, qua in re positum sit officium tum pastorum verbi, tum auditorum. *Pastores* debent esse *vox* Dei, hoc est, quod lingua est in ore, id illi debent esse Deo, vt se habeant passiue ad Deum, illiusq; regimen. Deinde debent *clamare*, ita vt se habeant actiue ad populum. Non debet esse muti canes. Debent clamare *in deserto*, h.e. in solitudine huius mundi. Denique clamor ille non debet esse inanis vel inconditus sonus, sed tuba legis & euangelij, *Parate viam Domino, complanate semitas eius*: quæ sunt duo officia auditorum, circumscripta fide & obedientia fidei.

Matth. 4.

Matth. 4. *v.* 1.12.

Confer cum *Luc.* 4. *& Marc.* 1.

Exordium. Hic depingitur monomachia duarum prorsus dissimilium personarum: quæ ad nos pertinet, cum sit speculum corporalium & spiritualium tentationum, quibus Satan nos cruciat. Typus hujus luctæ fuit monomachia Dauidis & Goliathi, de qua 1. *Sam.* 17. *Dominica Invocavit.*

Propositio. Dicemus. 1. De jejunio Domini. 2. De conflictu ipsius cum Satana.

De I. Quadruplex est jejunium. 1. Miraculosum, quale fuit jejunium Christi. Illud vero fuit medicina nostræ intemperantiæ circa esum pomi vetiti; signum officij augustissimi, quod Christus incepit jejunando; & denique medium compassionis, vt Christus nobis infamis periculo constitutis disceret compati. 2. Superstitiosum. 3. Sobrietatis. 4. Pœnitentiæ.

De II. Tres sunt tentationes, quarum prima statum œconomicum inprimis respicit, secunda ecclesiasticum, tertia politicum. Prima est tētatio paupertatis, secunda securitatis, tertia amoris hujus mundi. Prima & secūda sunt corporales, tertia spiritualis, quippe concernens salutem animæ.

Conclusio. Recitetur *Psal.* 91.

Alia dispositio.

Exordium. Saul. 1. *Sam.* 15. *& 16.* persecutus est Dauidem clam & palam, duabus de causis; quia sciebat se rejectum esse à Deo, Dauidem vero designatum regem. Ita diabolus Christum persecutus est iisdē de causis. Deinde Dauid aliquoties potuisset interimere Saulem, sed Deus voluit vt suo se jugularet gladio. Ita Christus vel verbulo potuisset diabolum prosternere, sed voluit ipsum cadere propriis armis.

Propos. Videbimus protasin, epitasin & catastrophen huius cōflictus.

Tractatio. 1. Protasis est solitudo & ieiunium Christi. 2. Epitasis est triplex conflictus: vnde discimus diabolum habere hoc in more positum, vt nos tentet per paupertatem, temeritatem, & cupiditatem honoris atque opum. Contra primam tentationem tria sunt remedia: Promissio Dei, Virtus verbi Dei quo viuimus, Exempla sanctorum. Contra secundam tentationem sunt duo remedia: Consideratio voluntatis Dei, & Labor in vocatione nostra. Contra tertiam tentationem duo sunt remedia: Consideratio vanitatis rerum mundanarum, & Desiderium veri honoris & opum.

Conclusio. Quotidie oremus Deum hæc tria: vt nobis faciat hanc gratiā, ne desperemus in paupertate & similibus calamitatibus; ne arrogantia elati feramur extra fines vocationis nostræ, aut aliquid tentemus supra vires nostras; denique ne amore huius mundi abripiamur.

Alia dispositio.

Quemadmodum Zach.3.Satan restitit Pontifici Jojadæ:ita hoc in loco Christo,cujus tentationem & victoriam illud vaticinium præfiguravit. De hac tentatione & victoria tractat hic textus,in quo habemus. 1. Speculum naturæ diaboli.2.Speculum sapientiæ & potentiæ Christi.

De I. Diabolus 1.est impudens, quia Christum audet aggredi.2.transformat se in angelum lucis,quia Scripturam allegat. 3. sophisticum habet ingenium.4.est pertinax hostis,quia solet instare. 5. fugatur constanti fide & patientia.

De II. Christus.1.est sapientia Patris, quæ scripturæ sensum & vsum tenet ad vnguem. Hic explicentur tria responsa Christi, & explicetur, quomodo verbum Dei sit scipio panis; quid sit tentare Deum, videlicet media præcepta à Deo non adhibere, vagari extraordinariam suam vocationem,velle scire modum & tempus auxilij diuini, temere aliquid aggredi suaque sapientia niti; denique quomodo soli Deo sit seruiendum.2.est potentissimus diaboli victor. Discamus hoc à Christo, & adhibeamus triplicia ipsius arma, videlicet precationem, verbum Dei, & constantiam, qua voluntatem nostram è diametro opponamus ipsius voluntati.

Alia dispositio.

Disseratur de tentationibus Christi in genere & in specie.

De I. Obserua,quando,quomodo,& cur Christus sit tentatus.1.Cum primum Christus per baptismi solennitatem patefactus est Dei Filius,cepit tentatio.Ita cum primum nos manifestamur filij Dei, & conamur facere officium nostrum,tentatio est præ foribus.2.Christi tentationes fuerunt validissimæ,& pertinacissimæ. 3. Christi tentatio seruit.1.Doctrina, quod ille venerit,vt omnem nostram miseriam in seipso experiretur, atque ita tolleret.2.Exemplo,vt nos qui sumus ipsius membra non aliam sortem expectemus. 3. Consolationi, vt nos à diabolo victos liberaret, & diabolum vinceret. Deinde quia hic frater noster amarorem tentationis & furorem tentatoris expertus est, sciamus illum nobis compati.

De II. Tres tentationes Christi sunt speculum omnium tentationum, & velut tria capita, ad quæ reliquæ tentationes omnes possunt referri.

Alia dispositio.

Christus appellatur leo, similiter diabolus. Magnum itaque hic proponitur spectaculũ,in quo duo,fortes sane,leones congrediuntur. Christus autem

autem nobis proponitur non tantum exemplum, sed etiam adjutorium. Cæterum Diabolus adhibet triplicia arma offensionis, videlicet crucem, res secundas, & honorem: Christus totidem adhibet arma defensionis, videlicet scutum fidei, galeam officij, & imperium fidei: quæ tria circumdare debet suffitus precationis

Matth.4.v.18.23.

Exordium. Quod dicitur *Psal.19.* de cœlis id mystice pertinet ad Ecclesiam & Euangelium. Nam sicuti cœlum complectitur terram, & illam sustinet, denique est testis gloriæ Dei: sic Euangelium per totam terram diffunditur, & est illius firmamentum, denique testatur de Christo. Et quemadmodum Sol ab ortu progreditur versus occasum, ita vt nihil effugiat ipsius radios: ita se etiam habet Euangelium Christi, quod per Apostolos longe lateque est propagatum.

Propositiones. Considerabimus vocationem Apostolorum, & illorum obedientiam.

De I. Obserua vocantis majestatem, vocatorum humilitatem, & vocationis sublimitatem.

De II. Obserua hic locum communem de imitatione Christi in genere, & in specie. In genere debemus sequi Christum, quantum ad fidem & charitatem, seu doctrinam & vitam, sub qua continetur crux. In specie ministri Ecclesiæ debent sequi Christum vocantem.

Conclusio. Imitemur Christum quantum ad charitatem, concordiam, obedientiam, veritatem, humilitatem & mansuetudinem.

Matth.4.v.16.17.

Solida nostra sapientia in duobus veluti cardinibus vertitur: puta in cognitione sui & Dei.

De I. Cognitio nostri ipsorum est duplex: quales simus extra Christum, videlicet *populus positus in tenebris*, plus quam Ægyptiacis, *& positi in regione & umbra mortis*, non tantum temporalis, sed etiam æternæ, & peccatores, qui opus habent *resipiscentia*, denique extorres ex *regno cælorum*.

De II. Cognitio Dei, quæ quidem est salutaris, consistit in eo, vt sciamus, qualis sit Christus Jesus: videlicet *lux magna*, illuminans & exhilarans eos, à quibus videtur: Propheta prædicans *resipiscentiam*, scilicet Euangelicam, *& appropinquationem regni cælorum*: denique sacerdos & rex intus efficiens ea, quæ docet foris.

Matth.4.v.19.

Pastores Ecclesiæ sunt piscatores hominum duobus modis. 1. Quatenus per rete legis & Euangelij capiunt homines natantes in cœnoso mari hujus mundi. 2. Quatenus pisces captos in viuario Ecclesiæ viuos conseruant.

Matth.5.v.1.13.

Quemadmodum Dauid lusit octochordo *Psal.6. & 12.* hoc est, tali organo musico, in quo potuit repræsentare Psalmos lætos & tristes: ita Christus hoc in loco pulsat citharam octochordam, quæ constat octo gradibus, perducentibus ad vitam æternam, per quos ipse ascendit, & vult vt nos quoque ascendamus per eosdem. Hanc citharam quotidie pulsemus, hoc modo. *1. Beati sunt pauperes spiritu*, h.e. qui nihil præsidij ad salutem æternam habent in vlla creatura, sed in sola Dei misericordia Christique merito acquiescunt. Vera itaque paupertas est, qua homo se habet pro maximo peccatore & diuitias gratiæ Dei appetit. *2. Beati qui lugent*, h.e. qui dolent ob peccata tum sua, tum aliorum hominum in statu œconomico, Ecclesiastico & politico. *3. Beati qui sunt mites*, hoc est, qui sunt mansueti, lenes, faciles, non proni ad iram vel vindictam. *4. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam*, hoc est, qui desiderant justitiam Christi, & justitiam sanctæ vitæ, ita vt agnoscant imbecillitatem fidei, & imperfectionem vitæ, ideoque singulis momentis esuriunt, & sitiunt justitiam Christi tanquam cibum animæ, & justitiam siue sanctitatem vitæ tanquam fructum justitiæ fidei. *5. Beati qui sunt misericordes*, hoc est, qui condolent calamitatibus proximi sui, & illas pro virili sua subleuant, exercendo opera misericordiæ, de quibus est versus:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.
Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Priori continentur opera spiritualia, posteriori corporalia. *6. Beati qui sunt mundo corde.* Mundities illa cordis consistit in sinceritate fidei atque doctrinæ, & in quotidiana instauratione pœnitentiæ, qua magis magisque reformamur ad meliorem vitam. *7. Beati pacifici*, hoc est, qui pacem colunt cum omnibus hominibus, inprimis vero cum domesticis fidei. *8. Beati quos persequuntur, & conuitijs afficiunt*, scilicet justitiæ causa & propter Christum. Atque hæ sunt octo beatitudines, quæ sunt tesseræ Christianorum, & signa cœlestis beatitudinis. Hæc est toga illa versicolor, qua nos induit Christus, quemadmodum Jacobus filio suo vnice charo tunicam versicolorem induit. Notetur hic illa similitudo. Christiani sunt granum tritici, quod proicitur in agrum spiritualis paupertatis, radicatur in mansuetudine, humectatur lachrymis pœnitentiæ, crescit per opera misericordiæ, trituratur per esuriem justitiæ, purgatur per munditiem cordis, colligitur in horreum Dei per pacem, pinsitur per crucem, & denique fert fructum gloriæ.

Matth.5.v.20.27.

Dominica V I. post Trinitatis.

Exordium. Historia illa *Gen.4.* de Caino & Abele ponit nobis oculos statum hujus vitæ & conditionem Ecclesiæ, in qua sunt duum genera hominum, puta hypocritæ & filij Dei. *Propos.*

Propos. Disseremus. 1. De vera justitia, quæ sit præstantior quam justitia Phariſæorum. 2. De fructibus veræ justitiæ.

De I. Phariſæorum justitia consistebat in externo splendore & larua sanctitatis. Vera autem justitia est, quam habemus à Christo. Hæc est summa filiorum Dei gloria, tum in hac vita, tum post hanc vitam. Hinc enim pendent omnia bona gratiæ & gloriæ.

De II. Quemadmodum justitia, quæ coram Deo consistere debet, melior est quam justitia Phariſæorum, consequens est, fructus quoque justitiæ esse meliores. Duo autem sunt fructus 1. Mansuetudo. 2. Placabilitas. Nam in his duabus virtutibus consistit Christianismus: quia vbi sunt hæc duo, bi est dilectio Dei. Jam vero lex absoluitur dilectione Dei & proximi. Cæterum mansuetudo est, per quam euitantur tres illi gradus homicidij, quos Saluator hoc in loco taxat. Primus gradus est ira violenta, injusta & temeraria: secundus complectitur gestus inhumanos: tertius complectitur conuitia. Placabilitas est, qua proni sumus ad condonandum proximo offensas ipsius.

Conclusio. Sicut justitia Christi est suprema gloria & consolatio electorum: ita supremus justitiæ istius fructus est placabilitas seu condonatio offensæ proximi. Nam Deus est primus, qui homini condonauit peccatum ipsius. Recitetur *Psalm. 15.*

Aliæ dispositiones.

I. Considerabimus internam justitiam fidei, tum externam justitiam sanctæ vitæ. Ibi requiritur agnitio peccati, ne cum Phariſæis superbiamus; item fides in Christum Jesum: hic mansuetudo, cujus modus cernitur in verbis, gestibus, & factis; necessitas pendet. 1. A fructu; quia nullus cultus potest Deo placere, q proficiscitur ab irato & implacabili corde. 2. A pœna; quia homines implacabiles seuerum Dei judicium incurrunt. *vers. 25.*

II. Duo tractabimus. 1. Quod justitia illa, quæ coram Deo debet consistere, non sit posita in operibus externis, sed in vera fide, & puritate cordis. 2. Quod nullum opus, siue sit precatio, siue frequentatio templi, siue vsurpatio sacramenti, placeat Deo, si odium, ira & implacabilitas regnent in corde. Nam Deus omnia omnino opera judicat secundum puritatem vel impuritatem cordis. Conclude ex *Psalmo 32.*

III. Tria videbimus. 1. Cur Christus reijciat justitiam Phariſæorum. 2. Quanam in re consistat vera justitia. 3. Vnde possimus colligere, nos esse prædilos illa justitia: videlicet ex ipsius fructibus.

Matth. 5.

Matth.5.

Vers.2.& seqq. Pestilens est doctrina scholasticorum, octo beatitudines esse totidem merita, vltra fidem in Christum necessaria ad salutem. *Vers.12.* Verum gaudium est in prægustu vitæ æternæ, quæ est nostra merces, non debita nostris meritis, quæ nulla sunt, sed merito Christi, quod est pretium pretiorum. *Vers.13.* Ministri verbi sunt Sal terræ, integritate & sinceritate doctrinæ, legis scilicet & Euangelij. Illa est Sal mordicans, hæc est Sal conseruans à putredine.

Vers.16. Peccata sunt opera tenebrarum: bona opera, ex fide profecta, sunt opera lucis. Hæc lux decet splendere coram hominibus, non splendore hypocritico & Pharisaico, quo pacto vitrum splendet, sed splendore solido & constante, qualis est solis vel gemmæ. Splendorem istum habent bona opera à sole justitiæ, Jesu Christo per fidem apprehenso. Atque hic splendor illuminat & lætificat tum nos ipsos, tum proximos nostros.

Vers.21. Christus legem Mosis non correxit vel exacuit, sed legis Mosaicæ perfectionem à glossis & corruptelis Pharisæorum vindicauit. Sic v.g. juramenta per nomen Dei facta non prohibuit, sed temeraria, & per creaturas jurata *v.39.* Neque sustulit vsum gladij ex repub. Christiana, sed prohibuit vindictam priuatam Christianis, quam & Moses suo populo prohibuit *Leuit. 19.v.18.* tolerantiam vero injuriarum & ignoscentiam commendauit *vers.39. hujus capitis.*

Matth.6.v.24. ad finem.

Confer cum Luc.12. & 16.

Dominica XV. post Trinitatis.

Exordium. Fides est summum illud Dei donum, quod ab illo quotidie petere debemus. Nam quod Sol est in cœlo, id est fides in corde. Fidei autem natura est niti omnipotentia, misericordia & veritate Dei. Econtrario incredulitas est maximum peccatum, vtpote quod nos à Deo abducit ad res terrenas, & cum vxore Lothi conuertit in statuam salis. Contra hoc vitium quotidie nobis est pugnandum. Quam ad rem non leue momentum adfert hic textus.

Propositio. Considerabimus. 1. Argumenta, quibus vtitur Christus ad restinguendam flammam auaritiæ & impiæ solicitudinis. 2. Consilium ejus de quærendo regno Dei.

De I. Octo in vniuersum sunt argumenta. 1. Quia nemo potest duobus contrarijs seruire dominis, quales sunt Deus & Mammona. 2. Quia is, qui dedit vitam, dabit etiam victum. 3. Quia Deus sustentat auiculas, quibus nos sumus longe præstantiores. 4. Quia Deus vestit lilia campi. 5. Quia solicitudo impia est inutilis. 6. Quia solicitudo ista est ethnicorum & in-

& incredulorum. 7. Quia magna est storge & cura Dei erga nos. 8. Quia inutilis est ista solicitudo, cum crastinus dies sit solicitus de rebus suis.

De II. Christus hic pròponit regulam vitæ, cujus duæ sunt partes: propositio, *Quæ rite primum regnum Dei & ejus justitiam*: & ratio propositionis, *Et ista omnia adijcientur vobis.*

Conclusio. Recitetur *Psalmus 37.*

Alia dispositio.

Exordium. Miraculum illud Elisæi *2. Reg. 4.* est speculum miseriæ nostræ & misericordiæ Dei.

Propositio. Considerabimus decem argumenta, quibus Christus vtitur dehortaturus nos ab auaritia & inani solicitudine.

Tractatio. Duæ sunt classes horum argumentorum. *In prima classe* sunt sex argumenta sumta ex natura. 1. A diuersis seruitijs. 2. A majori, quoniam vita est potior victu. 3. Rursus à majori: quoniam corpus est potius amictu. 4. A minori: quia Deus alit volucres. 5. A minori: quia Deus vestit lilia agri. 6. Ab impossibili & absurdo: quia nemo, vtut sit solicitus, potest apponere ad staturam suam cubitum vnum. *In secunda classe* sunt quatuor argumenta sumta à rebus spiritualibus. 1. A proprietate gentium. 2. A proprietate seu prouidentia & storge Dei. 3. A benedictione & effectu regni Dei: quia temporale bonum fluit ex æterno tanquam ex scaturigine. 4. Quia animia solicitudo est infernus animæ.

Conclusio. Atque hæc est institutio Christi, sumta partim ex libro naturæ, partim ex libro Scripturæ.

Alia dispositio.

Exordium. Quo propius aberat liberatio Israelitarum ex Ægypto, eo magis vexabantur à Pharaone *Exo. 5. & 6.* Ita quo propius ab est vel finis vitæ cujusque hominis, vel finis seculi, eo magis nos molestat infernalis Pharao per solicitudinem ethnicam.

Propositio. Disseremus de duplici via & modo acquirendi bona temporalia: videlicet de cultu Mammonæ, & de amore regni Christi.

De I. Cultus Mammonæ est, quo quis cor suum auertit à Deo, summo illo bono, & conuertit ad bona fluxa, inque illis regnum cœlorum constituit. Ab hoc vitio nos deterrebunt tria. 1. Quia Mammon est aduersarius Deo. 2. Quia solus Deus est omnipotens & benignus Pater, qui potest & vult nobis prouidere de rebus necessarijs. 3. Quia inutilis est cultus, qui impenditur Mammonæ.

De II. Regnum potentiæ est in toto mundo, adeoque in omnibus hominibus. Regnum gratiæ & gloriæ est partim in Ecclesia militante & triumphante, partim intra nos seu in cordibus nostris *Luc. 17.* scilicet per fidem, spem & charitatem. Tres enim istæ virtutes faciunt, vt tota Trinitas

in nobis regnet, non vero Satan atque Mammon. Hoc regnum Dei est scaturigo, ex qua fluit omnimoda benedictio temporalis.

Conclusio. Sicut *1. Sam. 5.* Dagon & arca fœderis non poterant simul stare: ita Mammon & Christus non possunt in vno corde habitare.

Matth. 6.

Vers. 1. & seqq. item 17. Eleemosynæ, preces, & jejunia, sine ambitione, & opinione meriti facta, Deo placent. Si vero sint ambitiosa & meritoria, sunt abominatio coram Deo. Talia erant preces eleemosynæ & jejunia Pharisæorum, & hodie Papistarum, nouorum istorum Pharisæorum.

Vers. 6. Deuota precatio requirit secessum, non tam corporis, vt secedamus in solitudinem, quam animi, vt animum auocemus & abstrahamus ab omnibus rebus hujus mundi, adeoque Deum siue diuina patiamur, hoc est, vt nos abijciamus ad thronum gratiæ, & illi offeramus cor & linguam nostram, atque ita nos ipsos abnegemus. Atque hæc est vera ars precandi.

Vers. 19. 20. 21. Explicetur antithesis Christi, & ipsius Ætiologia. Non debemus nobis congregare thesauros caducos, ita vt cor illi apponamus, quoniam hæc est idololatria. E contrario debemus nobis comparare illos thesauros, cognitionis scilicet & sanctimoniæ, qui perdurant in cœlis.

Matth. 7. v. 15. 24.

Dominica VIII. post Trinitatis.

Exordium. Magi Ægyptiorum conati sunt imitari miracula Mosis, & suis incantationibus hoc effecerunt, vt Pharao magis magisque obstinauerit cor suum *Exod. 8.* Hæc historia est speculum falsorum Prophetarum, teste Apostolo *2. Tim. 3.*

Propositio. Duplex hic proponitur concio Christi; vna concernit doctrinam, altera vitam Christianam.

De I. Christus ait *Cauete*, seu Attendite, quasi dicat est res magni momenti, quam vobis propono. Docet enim rationem fugiendi illos, qui à via salutis nos conantur abducere. Vnde autem cognoscuntur isti homines? Resp. 1. Ex hypocrisi. Veniunt cum vestimentis ouium. 2. Ex fructibus. Vide quales fructus ferat arbor Papistarum Arianorum, & similium. Vbi proderit obseruare ordinem Catechismi, & per partes ostendere, quomodo hi vel illi errent circa primum, secundum, &c. fidei articulum, circa Decalogum, &c.

De II. Non satis est tenere sanam doctrinam. Requiritur etiam sancta vita, cujus regulæ & probæ hoc loco proponuntur tres. 1. Bonus Christianus est arbor bona, non vero mala. Arbor autem cognoscitur ex fœtu & cultura. Fructus spirituales arboris bonæ sunt pietas, mansuetudo, concordia, &c. fructus malæ arboris sunt odium, ira, contentio, &c. Cultura bonæ

bonæ arboris est posita in diligentia hortulani & patrisfamilias: quæ non impenditur malæ arbori. Hæc enim radicitus extirpatur. 2. Bonus Christianus non est hypocrita, qui solo ore dicit, *Domine*. 3. Bonus Christianus non est Pharisaico fastu præditus, ita vt miracula & externam pompam curet.

Conclusio. Recitetur *Psalmus 1.*

Aliæ dispositiones.

1. Considerabimus adhortationem Domini de fugiendis falsis prophetis, & characteres falsorum prophetarum.

De I. Dominus ait, *Cauete.* Quam ad rem requiritur, vt spiritus probemus, ne cuilibet credamus: vt verbum Dei opponamus seductoribus: vt vitemus pertinaces sophistas, & omnes seductores: ne simus securi: denique vt diligenter precemur.

De II. Notæ falsorum Prophetarum sunt numero quatuor. 1. Hypocrisis & larua externa: vt in Papatu sunt miracula, successio, sanctitas monachorum. 2. Seductio, qua fit vt tanquam lupi nos abducant à verbo Dei, lætis illis pascuis. Hic ostende, quomodo abducant à Symbolo, Decalogo, &c. 3. Vacuitas consolationis in doctrina. Sunt enim spinæ, quæ fodicant conscientiam. 4. Impietas vitæ. Fieri enim non potest, vt falsa doctrina gignat vitam piam. Conclude ex *Psalmo 12.*

II. Primæ artes Diaboli fuerunt serpentina calliditas, mendacium & homicidium *Gen. 3.* Hoc ingenium omnibus ejus amicis est proprium, vt in hoc textu videmus quot requirantur ad illud *Cauete*, quod Dominus hic proponit, & quomodo noscantur falsi Prophetæ.

De I. Requiritur scientia, vt sciamus quid sit propheta falsus: vigilantia, & precatio.

De II. Tria sunt indicia. 1. Externa sanctitas, seu vestis ouilla. 2. Interna rapacitas, seu indoles lupina. 3. Mali fructus doctrinæ.

III. In historia Achabi *1. Reg. 22.* videmus discrimen verorum & falsorum prophetarum, quod positum est in disparibus vestibus, ingenijs & fructibus. 1. Vestis verorum prophetarum est linea, id est simplicitas doctrinæ: falsorum est lanea seu ouilla, puta eruditio, successio, opus operatum, & similia. 2. Ingenium verorum prophetarum est columbinum, falsorum lupinum. 3. Fructus bonorum prophetarum est dilectio Dei & proximi, profecta ex intimo cordis affectu: falsorum, vita vel impia vel hypocritica. Illa figuratur per arborem malam, quæ excidituir: hæc proponitur in larua illorũ, qui in ore habent sanctitatem, & jactant miracula.

IV. Ostendatur quinam inde ab initio mundi fuerint præcipui falsi Prophetæ, & ipsis accommodetur hic textus, vna cum antithesi verorum prophetarum.

Matth 7.

Vers.3. Judicium festucarium est φιλαυτία omnibus innata.

Vers.4. Mysteria verbi Dei sunt margaritæ, quæ non sunt proijciendæ porcis, hoc est, impudicis irrisoribus: sanguis Christi est sanctum illud, quod non est dandum canibus, id est, libidinosis & inuidis, qui sunt alieni à charitate.

Vers.7. Tria sunt hominis Christiani officia, Petere, quia egent: Quærere, quia amiserunt: Pulsare, quia excluſi sunt. Hic respondent totidem beneficia Dei, Dare, Inuenire, Aperire.

Vers.12. Hic proponitur primum principium practicum, norma conuersationis.

Math.8.v.1.14.

Confer cum Marc.1.v.39 Luc.5.v.12.

Dominica III. post Epiphan.

Exordium. Hic textus est speculum gratiæ seu misericordiæ Christi erga omnis generis homines, Judæos & gentes. Nam leprosus, cujus hic fit mentio, erat Judæus, centurio gentilis. Hæc misericordia præfigurata fuit per arcam Noe, in qua omnis generis animalia conseruata fuerunt per Dei benignitatem.

Propos. Duæ sunt partes. 1. De leproso. 2. De centurione.

De I. Quinque hic sunt consideranda. 1. Officium Christi; quod sit doctor & medicus. 2. Miseria hominum. Varijs illi exercentur morbis, quorum causa & vtilitas indicanda; quod nempe immittantur à Deo propter peccatum, & nos deducant ad Christum, atque ob oculos ponant fœditatem morborum spiritualium. 3. Ars precandi, quam exercuit leprosus, qui testatur fidem, *Domine potes* &c. humilitatem & patientiam, *Si vis*, &c. Hinc discès bona temporalia à Deo petere cum conditione, idq; propter Dei justitiam, sapientiam & gloriam, & propter tuam ipsius obedientiam, quam Deo debes. 4. Facilitas auxilij Christi. 5. Gratitudo debita.

De II. Quatuor proprietates fidei hic occurrunt. 1. Humilitas fidei: *Non sum dignus.* 2. Firmitas fidei: *Dic vel verbum.* 3. Caritas: *Tunc sanabitur famulus meus.* 4. Fidei vtilitas: Impetrat testimonium egregium à Deo, & consequitur illud quod petit.

Conclusio. Petatur ex *Psal.34.*

Alia dispositio.

Exordium. Tria sunt, quæ Christianus homo quotidie meditari debet: miseria propria, Dei misericordia, & modus cõsequẽdi misericordiam Dei aduersus miseriam. Quæ tria ὀφθαλμοφανῶς videmus in hoc textu: & miseriam quidem nostram in leproso & paralytico, Dei misericordiam in Christo media consequendi misericordiam in precatione leprosi & fide centurionis, quæ duo etiam in Josua videmus. *Jos.10.*

Propos. Agemus de precatione & fide. *De I.*

De I. Qui vult recte precari, debet 1. Suam miseram & indignitatem agnoscere. 2. Voluntati Dei seipsum subjicere, & patiēti esse animo. 3. Gratitudinem Deo probare.

De II. Proprietates fidei sunt. 1. Efficacem esse per charitatem. 2. Parere precationem. 3. Impetrare plus quam petimus. Nam centurio petit, vt Christus sanet famulum: Christus promittit, se venturum ad ipsum, & sanaturum famulum. 4. Indignitatem suam agnoscere. 5. Niti verbo Dei omnipotente: *Dic solum verbum.* 6. Placere Deo. 7. Reportare præmium vitæ æternæ. *v.* 11. 12.

Conclusio. Conclude ex *Psal.* 66.

Matth. 8. *v.* 16. 17.

Cum peccata & morbi se habeant, vt causa & effectus, non inconcinne, quod *Esa. c.* 53. *v.* 4. prædixit de curatione peccatorum per Christum futura, Matthæus ad morborum sanationem à Christo factā accommodauit, vt tam effectus, quam causæ medicum Christum agnoscamus. Et vero morbi, quos Christus curauit, sunt symbola morborum animi, quos Christus sine intermissione in suis sanat, puta cœcitatem & surditatem animi &c.

Matth. 8. *v.* 23. 28.

Confer cum *Marc.* 4. *v.* 35. *& Luc.* 8. *v.* 22.

Exordium. Hic textus est imago ecclesiæ, quæ sequitur doctrinam & vitam Christi, nauigat in mari impetuoso calamitatum, & tandem à Christo exaudita liberatur. *Dominica IV. post Epiphan.*

Propositio. Dicemus. 1. De spirituali nauigatione Christianorum. 2. De illorum liberatione seu felici enauigatione & portu.

De I. Quatuor hic occurrunt. 1. Quis nos deducat in morte: videl. Christus. Hinc discimus, Deum immittere calamitates. 2. Quale sit nauigium, & quomodo illud excipiatur. Nauigium est ecclesia: cuius nauclerus est Christus, remi sunt Biblia; malus crux; vela fides, precatio, patientia, charitas, perseuerantia, anchora, spes, fundamentum, cui inhæret anchora, promissiones Dei. tempestates, sunt tentationes, persecutiones, calamitates; ventus secundus, consolatio spiritus sancti; cynosura siue compassus, exemplum Christi. 3. Quomodo Christus se gerat in hac nauigatione? Est ille quidem in naui, sed dormit. Hoc autem facit, vt doceat nos infirmitatem nostram, preces nostras excitet, fidem probet, gloriam suam manifestet, & in schola crucis doceat omnis generis virtutes. 4. Quid sit nostri officij? Oportet vt abyssus miseriæ inuocet abyssum misericordiæ. Accedamus igitur ad Christum, & ipsum excitemus.

De II. Christus nos liberat pro sua misericordia & omnipotentia: quarum illa in eo elucet, quod ὀλιγοπιστίαν discipulorum tegit sua miseratione; hæc in eo, quod imperat mari & vento. Hanc Dei manum in cruce sentimus, atq; ita ipsum magis magisq; d scimus cognoscere & celebrare, quomodo videmus populũ hoc loco admirari & prędicare Christi maiestatẽ.

Conclude ex *Psal.* 124. vel ex 46.

Matth. 8.

Vers. 20. Christus pauper factus est, vt nos ditaret. Ille non habuit domum, vt nobis pararet domum. Amplificetur hic magnitudo & fructus paupertatis Christi.

Vers. 22. Nos omnes sumus mortui in peccatis.

Vers. 29. Etiam dæmones norunt Christum. Verum ista cognitio illis non prodest: quia non cognoscunt illum vt suum Seruatorem, sed vt tortorem, qui ipsos vexat juste, destruendo ipsorum regnum.

Vers. 31. Vt canis ab opilione regitur loro: ita dæmones constringuntur loro prouidentiæ Dei.

Vers. 34. Gergeseni sunt speculũ ingrati huius mundi, qui porcũ præfert Christo, h.e. propriã vtilitatẽ anteponit gloriæ Dei, & vitrũ margarito, vt est in prouerbio. *Matth. 9. v. 1. 9.*

Confer cum Marc. 2. & Luc. 5.

Dominica XIX. post Trinitatis.

Exordium. Memorabilis est historia illa 2. *Reg.* 20. & *Esa.* 38. vbi describitur miraculosa sanatio regis Hiskiæ, tum quoad corpus, tũ quoad animam ipsius. Huic historiæ gemina est illa, quæ hic describitur.

Propositio. Dicemus de cura huius paralytici, tum spirituali, tũ corporali.

De I. Cura spiritualis est, qua sonantur morbi animi, hoc est peccata remittuntur. Hic autem ista requiruntur. 1. Oportet vt Christus veniat in suam ciuitatem, h.e. in cor hominis ab æterno electi, & Christo consecrati. 2. Necesse est vt habeamus portitores, quales sunt verbum Dei, sacramenta, ministri verbi, & alij Christiani. 3. Requiritur fides: quæ nititur misericordia Dei promittentis & dantis.

De II. Cura corporalis est, qua sonantur morbi corporis. Hic eadẽ requiruntur, quæ diximus de cura spirituali. Ex hac enim fluit corporalis illa.

Conclusio. Recitetur *Psalmus 38.*

Alia dispositio.

Exordium. Quemadmodum Deus *Genes.* 16. Hagaræ monstrauit fontẽ in deserto, absq; quo si fuisset, illa & filius illius siti periissent: ita Deus nobis in deserto hujus mundi ostendit fontem Jesum Christum, ex quo nisi bibamus, æternum nobis est pereundum. Ex hoc fonte bibit Dauid *Psal.* 42. Hiskias. *Esa* 38. Manasse & hic paralyticus.

Propos. Disserem⁹ de medicina duplici, quã à Christo habere possumus.

De I.

De I. Medicina spiritualis est, qua Christus sanat morbos animæ, hoc est peccata. Quemadmodum fieri non potest, vt is, qui in procelloso mari extra nauem cupit saluari: sic impossibile est, vt peccator in mari illo profundissimo suorum peccatorum salutem inueniat extra Christum; qui est medicus animæ. Est, inquam, medicus animæ, si primo agnoscas tuum morbum; deinde medicum hunc quæras vera fide, denique gratitudinem tuam illi probes. Hæc tria sunt necessaria ad remissionem peccatorum: vt ex hoc euangelio videre est, vbi paralyticus & portitores ad Christum veniunt, & Deum glorificant.

De II. Medicina corporalis est, qua sanantur morbi corporis. Hic requiritur. 1. Auxiliũ humanũ, *Et ecce adduxerunt ei* &c. 2. Auxiliũ diuinum: vbi obserua Christi omniscientiã, *Cũ vidisset Iesus cogitationes eorum*: misericordiam & omnipotentiam, *surge tolle* &c. 3. Gratitudo erga Deum. *v. 8.*

Conclusio. Recitetur *Psalmus 6.*

Alia dispositio.

Tria hic habemus specula. 1. Misericordiæ Christi, qui sanet animam & corpus. 2. Peccatorum resipiscentium & in Christum credentium: in portitoribus, paralytico, & turba. 3. Peccatorũ impœnitentiũ inscribis. *Matth. 9. v. 11. 12. 13.*

Habemus hic duum generum iudicia, vnum mundi, alterum Christi.

De I. Mundus iudicat hominem externum, nihil solicitus de interiore homine. Sic Pharisæi iudicabant, se esse egregie sanctos, quia præstabant opera moralia & ceremonialia: è contrario publicanos & peccatores habebant pro κοινοῖς: Christum denique habebant pro nudo homine. Aspiciebant enim tum se, tum publicanos & Christum oculis carnalibus.

De II. Iudicium Christi longe est diuersum. Nã Christus oculis interioris hominis & se intuetur, tanquam medicum: & Pharisæos, tanquam ægros, qui suum morbum nolebant agnoscere: & deniq; publicanos & peccatores tanquã ægros, qui suum morbũ agnoscebant & proinde sanabiles erant, quia & poterant & volebant sanari, cũ Pharisęi contra essent insanabiles, qui tametsi poterant sanari, si spectetur natura morbi, & peritia atque potentia medici; non poterant, quia nolebant sanari.

Matth. 9. v. 37. 38.

Tria hic sunt explicanda: quid sit messis, puta tẽpus gratiæ siue noui testamẽti: qui sint operarij, apostoli & ipsorũ successores: deniq; quis sit dominus messis, videl. Deus. Hic differatur de præstantia huius messis, & de officio operariorum. *Mat. 9. v. 18. 27.*

Confer cum Marc. 5. Luc. 8.

Exord. Quemadmodum ossa Elisæi 2. *Reg.* 13. attactu suo excitarũt hominem mortuum: ita hoc loco vestis & vox Christi sunt instrumẽta duorum insignium miraculorum. *Pro-*

Dominica XXIV. post Trinitatis.

Propositio. Considerabimus principem synagogæ, & mulierculam.

De I. Hic discimus naturam, effectum & tentationem fidei. Natura fidei est posita in humili accessu ad Deum, sincera precatione, & forti fiducia: *Princeps synagogæ venit: Adorauit eum: Veni & impone manum.* Effectus fidei est impetrare auxilium Dei: *Tunc surgens Jesus secutus est eum.* Tentatio fidei cernitur in eo, quod filia principis synagogæ jam erat defuncta. Vbi obserua omnipotentiam Dei, qua nititur fides vera.

De II. Hic discimus, quomodo in diuturna cruce nostra nos gerere debeamus. Videmus autem ingenium hominis ita esse comparatum, vt primo imploret auxilium humanum, quomodo videmus hanc mulierem omnia sua impendisse in medicos. Tandem tamen post multiplicem & pertinacem crucis impetum ad Christum venimus, & vera fide ipsum inuocamus.

Conclusio. Recitetur *Psalmus 34.*

Alia dispositio.

Exordium. In omnibus textibus euangelicis confirmatur fides nostra in Christum: idque non sine graui causa. Nam in fide sunt omnia; videl. charitas, spes, patientia, deuotio, precatio, sanctimonia, victoria. Fide ista non solum sancti viri, sed etiam sanctæ mulieres fuerunt præditæ, puta Debora, Judith, Hanna mater Samuelis, Maria virgo. In hoc textu proponitur exemplum fidei in viro & fœmina simul.

Propositio. Considerabimus historiam principis synagogæ, & mulieris.

De I. Hic discimus 1. naturam fidei. Nam princeps synagogæ venit ad Christum, ipsum adorat, effundit coram ipso crucem suam, & confidit in eius omnipotentia. 2. naturam Christi, qui est misericors *v.* 20. & omnipotens *v.* 25. 3. naturam mortis, quod sit somnus: vbi differatur de resurrectione carnis ex *v.* 25.

De II. Hic agatur de cruce, & remedio crucis. Crux diuturna non fortuito accidit, sed à Deo nobis imponitur, & quidem nostro bono. Remedium crucis est vera fides, quæ nos saluos facit.

Conclusio. Recitetur *Psalmus 36.*

Matth. 9. v. 9. 14.

Confer cum *Marc. 2. & Luc. 5.*

Quod Dauid ait *Psal. 68. Deus est mirabilis in sanctis suis*: id inprimis cernitur in mirabili illa permutatione, qua Deus ex peccatore facit sanctum hominem, vt in conuersione nostra fieri videmus: item in illa permutatione, qua Deus ex infimis & abjectissimis hominibus fecit reges, prophetas & apostolos, puta ex Dauide opilione regem, ex Josepho vendito

dito in Ægyptum proregem Ægypti, ex Mose opilione & exule ducem, ex Amoso bubulco prophetam, ex Daniele captiuo principem senatus Persici & Babylonici, ex piscatoribus apostolos. Cujus rei exemplum illustre hic habemus, vbi agitur de vocatione Matthæi ad apostolatum, & de consolatione peccatorum perturbatorum.

De I. Consideretur terminus à quo, videl. officium publicani, quod erat officina injustitiæ: & terminus ad quem, videl. officium Christiani atque apostoli: & denique modus vocationis, seu medium, quo ab vno termino peruentum est ad alterum. Est autem hic aspectus gratiæ. 2. affatus misericordiæ. 3. effectus potentiæ. *Jesus enim videbat* Matthæum: & dicebat ei *sequere me*: denique potenter trahebat ipsum, *ille vero surgebat*, & sequebatur ipsum. Atque hic est processus, quem Deus hodieque seruat in vocatione nostri, siue ad Christianismum, siue ad officium.

De II. Mysterium conuersationis Christi cum publicanis & peccatoribus non intellexerunt Pharisæi, & ideo fuerunt illo Christi facto. Sed nostrum est hanc conuersationem habere pro speculo misericordiæ Christi, & ex hoc conuiuio haurire tres potiones cardiacas, drey Labetrüncklein. Prima est ibi: *Sani non egent medico sed ægroti.* Secunda ibi: *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Tertia ibi: *Veni vocare peccatores ad pœnitentiam, non vero iustos.*

Matth. 10.

Vers. 1. *& seqq.* Apostoli sunt illi duodecimuiri reip. Christianæ: qui conferri debent cum duodecim patriarchis siue capitibus tribuum; & cum duodecim gemmis istarum tribuum: de quibus vide infra *Apoc.* 21. Conferantur item cum duodecim articulis symboli apostolici, & expendatur ipsorum vocatio ad officium, & functio officij, quæ in eo fuit posita, vt fundamentum illud salutis vnicum, Jesum Christum, duodecies in mundo ponerent.

Vers. 2. Petrus in ordine apostolorum primus nominatur, non propter primatum & monarchatum aliquem, sed propter ætatem, zelum, & alias quasdam prærogatiuas, quas habuit præ reliquis coapostolis.

Vers. 10. Apostoli acceperunt à Christo geminam instructionem, legationem, siue commissionem. Prima fuit specialis, hoc loco: cuius mandata fuerunt certi temporis, ac proinde non pertinent ad præcones verbi Dei ordinarios. Secunda fuit vniuersalis *Matth.* 28. *v.* 19. cujus mandata omnes in vniuersum pastores obligant.

Vers. 16. Christus exponit pericula, quæ officium apostolorum sint comitatura, & simul monstrat modum euadendi, qui est positus in eo, vt habeamus oculos columbinos in corde serpentino.

*Vers.*29.30.31. Illustre hic habemus speculum prouidentiæ Dei, quæ etiam ad minima quæque se extendit. Hinc oportet vt argumentemur à minori ad majus, siue versemur in theoria, siue in praxi. *In theoria*: vt, si ne quidem passereculus vnus citra voluntatem Patris cœlestis cadere potest in terram, quanto minus credibile est, primum hominem, citra consilium & voluntatem Dei, labi potuisse, & lapsum esse de statu innocentiæ in statum miseriæ. *In praxi*: vt, si etiam capilli capitis nostri omnes sunt numerati à Deo, quanto magis dies vitæ nostræ numerati sunt atq; determinati diuina prouidentia.

*Vers.*34. Christus non venit mittere pacem, scil. externam cum mundo, sed gladium, id est, bellum. Quid enim Christus est aliud in mundo, quam scopus, ad quem omnes persecutiones fuerunt directæ. Alias Christus attulit nobis pacem spiritualem cum Deo.

*Matth.*11. *v.*2.11.

Confer cum Luc.7. v.18.27.

Dominica III. Aduentus.

Exordium. Quod prædixit *Esaias c.*35. id impletum est per Messiam: & quod prædixit *Malachias c.*4. id impletum est in Johanne.

*Propositio.*1. De notis characteristicis Messiæ, 2. De notis characteristicis pij præconis verbi Dei.

De I. Quemadmodũ omnes prodromi & typi Messiæ habuerunt suos characteres, puta Abraham circumcisionem, Isaac benedictionem, Jacobus luctam, Josephus exaltationem, Moses faciem radiantem, Aharon sacerdotium, Josua victorias, Samson fortitudinẽ, Dauid persecutiones varias, Salomon sapientiam & magnificẽtiam, Elias currum triumphalẽ, &c. ita etiam Christus insignitus fuit charactere infallibili, eoq; triplici. Nam 1. Sunt varia miracula: *Cæci vident* &c.2. Est doctrina plena consolationis: *Pauperibus euangelizatur.* 3. Est humilitas & crux: *Beatus est, qui non fuerit offensus in me.* De triplici hoc charactere sunt varia vaticinia prophetarum, & plurima documenta in historia euangelica. *Vsus.* 1. Confirmatio fidei in Christum. 2. Institutione scandalizemur humilitate & cruce Christi.

De II. Quatuor characteres pii præconis verbi Dei hoc loco proponuntur. 1. Non est arundo, quæ agitetur à vento, h.e. constans est in confessione & professione doctrinæ cœlestis. 2 Non est homo mollibus vestibus amictus, h.e. non est voluptarius, non curat dignitates hujus mundi. 3. Est propheta, imo præstantior quã propheta: quia est præco noui testamenti. Nam pastorale officium N.T. est præstantius veteri. 4. Est nuntius missus à Deo, h.e. habet legitimam vocationem.

Conclusio. Sumatur ex *Psal.*45. vbi describuntur tres characteres Messiæ vel ex *Esa.*12. *v.*4.5.

Alia

Alia dispositio.

Habemus hic speculum Messiæ veri, & veri Christiani, & denique veri concionatoris.

Speculum veri Messiæ seu Christi consistit in miraculorum splendore, doctrinæ dulcedine, & crucis varietate. Miracula conferantur cum miraculis Mosis, Eliæ, Elisæi, & apostolorum. Doctrina conferatur cum Philosophica institutione. Crucis varietas conferatur cum cruce omnium patriarcharum, prophetarum & apostolorum

Speculum veri Christiani est in imitatione Christi: vt nempe sit actuosus, adeoq; spiritualem suam cœcitatem, clauditatem, &c. sinat tolli, & aperiat oculos fidei, habeat pedes charitatis, manus spei, &c. vt audiat euangelium: deniq; vt portet crucem Christi.

Speculum veri concionatoris est, annuntiare euangelium, non offendi cruce Christi, non esse inconstantem, neq; mollem, habere vocationem legitimam.

Alia dispositio.

Considerabimus quæstionem Johannis, & responsionem Christi. Ibi sors misera, & officium piorum pastorum in media cruce depingitur: hic officium Messiæ, & rursus officium pastorum ob oculos ponitur.

Matth. 11. v. 6.

Regnum Christi plenum est scandalis, non sua natura, sed ex accidenti. Nam quia mundus quærit splendorem & delicias, nec illa inuenit, offenditur simplicitate euangelij, & ecclesiæ calamitate. Ideo contemnit vel odit Christum, sed suo exitio. Merito igitur beatus, qui his non offenditur.

Matth. 11. v. 25. ad finem.

In his verbis describitur 1. lætitia Christi in sanctis suis. 2. Inuitatio peccatorum ad Christum.

De I. Lætitia Christi consistit in copia credentium, glorificatione nominis Dei, illuminatione & informatione humilium, & Patris *εὐδοκία*.

De II. Inuitatio constat 1. vocantis propensione, *Venite*. 2. nullius exclusione, *Omnes qui laboratis*. 3. promptissima suiipsius oblatione & præsentatione, *Ad me*. 4. commiseratione erga egenos, *Qui laboratis*. 5. animæ refectione, *Ego reficiam vos*. 6. jugi impositione. 7. oneris leuatione, quæ fit per viuam consolationem, gratiæ inhabitationem, gaudij spiritualis degustationem, & deniq; futuræ gloriæ expectationem.

Matth. 11.

*Vers.*5. Hæc beneficia Christi & corporaliter & spiritualiter sunt intelligenda : ita vt hic versiculus sit fasciculus omnium beneficiorum Christi.

*Vers.*11. Non comparantur personæ, sed genera doctrinæ. Nam Johannes fuit major omnibus prophetis, officio & claritate doctrinæ: quia monstrauit digito Christum exhibitum, quem prophetæ à longe prædixerant exhibendum. Differatur hoc loco de conuenientia & discrimine V. & N.T.

*Vers.*12. Violenti rapiunt regnum cœlorum, h.e. qui induti sunt panopliam illam *Eph.*6. & fortiter pugnant aduersus diabolum, carnem & mundum. Hi siquidem sunt hostes nostri ἀοπλοι, qui tantum thesaurum nobis interuertere conantur.

*Vers.*13. Epocha siue æra noui testamenti est triplex: initij, & figitur in Johanne: confirmationis, & figitur in morte Christi: denique vigoris, & statuitur in excidio vrbis juxta vaticinium *Dan.*9.

Vers. 21. 26. Abyssus beneplaciti Dei nobis est adoranda, qua fit, vt alij vocentur & credant, alij non: & ex vocatis alii perseuerent, alij non.

*Vers.*28.29.30. Quatuor hic tractantur. 1. quis vocet, videl. Christus, cui omnia data sunt à Patre cœlesti. 2. quos vocet, videl. oneratos & fatigatos, h.e. illos, qui sentiunt onus peccati & fatigationem animæ æstuantis; quid præcipiat. 4. quid promittat.

Matth. 12.

*Vers.*1. *& seqq.* Opera charitatis & misericordiæ, tantum abest vt sabbatum violent, vt è contrario ad veram sabbati sanctificationem requirantur, sintque omnibus sacrificiis anteponenda. Hic differatur de sanctificatione & profanatione sabbati. *Sanctificatio* consistit in bonis operibus, internis & externis, moralibus & ceremonialibus (intelige ceremonias ecclesiasticas) quantum ad Deum, nos ipsos, & proximum. *Profanatio* consistit in operibus partim hypocriticis, superstitiosi & meritorijs, partim seruilibus, partim denique carnalibus, vt sunt comessationes, saltationes &c.

*Vers.*14. Falsa religio est crudelis & sanguinaria. Hinc falsa religio dicitur se habere actiue circa martyres, vera passiue. Nam illa facit, ista habet martyres.

*Vers.*18. Christus est *seruus Dei*, quantum ad opus redemtionis, quod fideliter & plene est executus. Idem est *dilectus Dei, in quo acquiescit anima eius*, propter pleniſſimam obedientiam charitate mera imbu-

imbutam. Super hunc *posuit Deus Spiritum suum*, vltra & supra mensuram. *Ille porro gentibus annuntiat judicium*, conuincendo ex lege omnes peccatri, & ex Euangelio ostendendo veram justitiam, quæ in judicio Dei consistere potest. *Non litigat*, quia est angelus pacis. *Arundinem quassatam non confringit*, quia dona sua magis magisque in nobis coronat, ex scintilla flammam eliciendo. Atque hæc sunt beneficia Christi, quæ continuabit, *vsque dum proferat victoriam*, in illustri suo aduentu.

Vers. 32. Peccatum in Spiritum Sanctum est supremus malitiæ gradus, quando homo lumen Spiritus Sancti malitiose extinguit, & sanguinem Christi conculcat pedibus, similis viatori, qui facem sibi ab alio beneuole prælatam extinguit petulanter in densissimis tenebris: item filio nequam, qui panem sibi à patre datum pedibus proterit.

Matth. 13. v. 24. 30.

Exordium. Quemadmodum Isaac *Genes. 26.* seminauit feliciter: ita Christus est felix iator. Rursus quemadmodum Philistæi hanc felicitatem Isaaco inuiderunt, & ipsius fontes obstruxerunt: ita infernales Philistæi corrumpunt spirituale semen Christi, & fontes illis obstruunt. Denique sicut Isaac alio migrauit, & ibi gratiam regis sibi conciliauit: ita Christus deserit ingratos, & se recipit ad electos suos, quos Pater ipsi dedit ex gratia, & illius gratiam tum sibi, tum suis magis magisque conciliat. *Dominica V. post Epiphan.*

Propositio. Duo tractabimus. 1 Quomodo omnes in vniuersum homines sint Zizania in Adamo. 2. Quomodo in Christo fiamus & simus nouum triticum.

De I. Deus in prima creatione bonum semen seminauerat in cor hominis, tanquam in agrum à se præparatum. Quid accidit? Diabolus hoc semen bonum partim eradicauit, partim zizanijs & lolio intermistis corrupit. Hæc est imago Diaboli: hic est vetus Adam: hæ sunt cogitationes malæ, dicta & facta praua. Est autem adeo corruptus hic ager, vt Deus in illo nihil boni videat. *Psal. 14.*

De II. Postquam Diabolus triticum illud, quod Deus ab initio seuit, corrupit, placuit infinitæ Dei misericordiæ nobis mittere alium satorem, videlicet Jesum Christum, qui per Spiritum S. nos ex veteri stirpe, ex qua nil nisi venenum sugimus, transfert in nouam stirpem, ex qua succum bonum haurimus, qui nos nutrit ad vitam æternam.

Conclusio. Petatur ex *Psal. 92.* Justus vt palma germinabit.

Alia dispositio.

Exord. Deus mysteria salutis non solum adumbrauit variis typis V. T. vt erant altare, arca fœderis, templum Salomonis, & similia: sed etiam in tota rerum vniuersitate, in cœlo & in terra, innumeras imagines expressit,

quarum intuitus nobis in memoriam reuocat res spirituales & cœlestes. Sic in hoc capite quamplurimæ parabolæ nobis proponuntur: inter quas non postrema est hæc prælecta.

Propositio. Tria videbimus. 1. Quantam diligentiam Deus adhibeat in serendo bono semine. 2. Qua occasione hostis serat zizania sua. 3. Quomodo zizania eradicentur.

De I. Deus est sator: verbum ejus est semen: corde hominum sunt ager: Spiritus Sanctus est is, qui semen fouet & viuificat. Ager sua natura lapides, spinas & tribulos fert. Deus mittit colonos varios, qui proscindunt agrum vomere legis, arant illum, occant & stercorantur.

De II. Cum homines dormiunt, hoc est, cor suum defigunt in res mundanas, nihil soliciti de verbo Dei, Diabolus superuenit, & pro vero auro monstrat adulterinum, facitque vt zizania plenis modijs & trimodijs suboleſcant.

De III. Zizania ista permista sunt tritico vsque ad tempus messis illius magnæ, quo sancti illi messores, boni angeli, radicitus euellẽt lolium, & abijcient in clibanũ. In hac igitur vita est tempus tolerationis, post hanc vitam erit tempus separationis. Cur vero Deus non vult, vt in hac vita eradicetur lolium? Resp. ne vna cum lolio triticum euellatur, hoc est, ne illi, qui pœnitentiam sunt acturi, anticipentur: vt docet exemplum Manassis. Vnde patet justam pœnam, quæ à magistratu & alijs in eminentia constitutis infligitur, non prohiberi his verbis, sed intempestiuam eiusmodi.

Conclusio. Recitetur totus *Psal. 92.*

Matth. 13.

Vers. 3. Christus fideliter impleuit mensuram muneris sui Prophetici: quia & plene siue sufficienter docuit voluntatem Dei à nobis & de nobis, & familiariter siue populariter, ita vt vsus sit eo docendi genere, quod fit per condescensum. Græci vocant συγκαταβαίνειν, quod est, se accommodare ad captum alterius.

Vers. 6. Triplicis ignis fit mentio in Scriptura. Est ignis combustionis, siue flammæ: est ignis affectionis, qui detegit temperarios, & probat electos: est denique ignis damnationis in inferno.

Vers. 13. 14. 15. Hypocritæ vident, & non vident: audiunt, & non audiunt. Prius est verum de externo splendore & sono Euangelij: posterius de interno. Vnde vero hoc est? Resp. partim ab occulto & justo Dei judicio, qui negando gratiam indebitam, facit vt cæci sua natura, ad quam accedit affectata cæcitas, non videant: partim à peccato originali, & ignorantia accersita.

Vers. 12. 21. Fides vera nunquam deficit: quia habenti dabitur. Et fides

illa est

illa est viui radix atque semen in corde. Fides temporaria deficit: quia radices non habet.

Vers. 30. Christus vetans eradicare zizania, non tollit censuras œconomicas, politicas, vel Ecclesiasticas, sed prohibet πλημμελεγγυμοσύνην, & Zelum atque rigorem inconsideratum quorundam ministrorum, atq; è contrario commendat moderationem prouidam in censuris, cujus lex & norma est charitas Christiana condita sole prudentiæ.

Matth. 13. v. 44.

Thesaurus significat copiam ingentem auri, argenti & lapidum pretiosorum: &, vt monet Paulus JCtus, debet esse tam antiquus, vt ejus non extet memoria: & ideo non habet dominum, sed pertinet ad inuenientẽ. Hic thesaurus est deitas, abscondita in agro humanitatis Christi. Hic thesaurus est antiquissimus, vtpote æternus: & proinde non habet dominũ, sed est dominus omnium. Pertinet etiã ad inuenientem, h.e. eum qui præditus est vera fide. Lucerna, quæ requiritur ad inuestigationem & inuentionem hujus thesauri, est verbum Dei. Thesaurus iste inuentus oportet vt abscondatur: quod nihil est aliud, quam sub humilitatis velo tegere acceptam gratiam, non vero se efferre ob lumẽ diuinitus acceptum, ne veram gloriam corrumpat inanis gloria. Porro necesse est vt cum gaudio vendamus omnia, & emamus agrum illum, in quo thesaurus est absc̃ditus, h.e. vt, si velimus Deo & Christo frui, omnino à nobis abdicemus affectũ rerum omnium temporalium, & omnia nostra & nos ipsos Dei obsequio mancipemus, idque non ex tristitia, aut necessitate, sed cum summo gaudio. Quam ad rem nos impellet præstantia & vtilitas hujus thesauri longe maxima.

Matth. 13. v 45. 46.

Margarita, teste Plinio, culmen omnium rerum pretiosarum tenet. Ita Christus est primogenitus rerum creatarum. Deinde sicut margarita gignitur ex lumine solis, & rore cœli, vt Plinius ait: sic Christus quantum ad deitatem est splendor Patris, quantum ad humanitatem conceptus est ex rore cœli, puta Spiritu Sancto. Porro margarita est candida, lucida, solida, pura, læuis, rotunda: sic humana Christi natura est candida ob innocentiam, lucida ob sapientiam, solida, ob constantiam, pura quia sine macula, leuis quia suauis & mitis, rotunda quia perfecta. Deniq; margarita & ejus aqua confortat cor: sic Christus confortat animam. Porro hæc margarita inuenitur à negotiatore, magno labore & studio. Negotiator iste est peccator resipiscens, qui vendit omnia quæ habet h.e. deponit veterem Adamum, & vera fide quærit Christum in verbo & sacramentis, eumq; emit ceu margaritam pulcherrimam. Christus enim, vt diximus, est illa margarita ratione mirandæ generationis, jucundi splendoris, summæ excellentiæ, & occultæ virtutis.

Matth.

Matth.14.v.24.34.

Ex hac historia discę sequentia. 1. Christus pro nobis orat tanquam sacerdos Opt.Max.2. Christus è longinquo etiam videt necessitates nostras. 3. Christus ambulat in medijs fluctibus calamitatum nostrarum. 4. Mandatum & voluntas Christi efficit, vt in medijs aquis ambulemus, non vero mergamur. 5. Nos facilè nutamus, nisi à Domino sustentemur. 6. Subito peruenimus ad littus è medijs fluctibus, si Dominus ita velit. 7. Fides nostra post multiplicem luctum vincit, & Deo dat gloriam.

Matth.14.v.1. & seqq.

Diabolus duabus notis insignire solet sua mancipia, videlicet crudelitate & leuitate. Vtriusque exemplum habemus in Herode & Herodiade. Est enim sanguinarius animus matris Herodiadis, sanguinaria lingua filiæ, sanguinaria manus Herodis. Illius sitientis sanguinem Johannis, istius petentis istum sanguinem, hujus annuentis, dantis & interficientis. Deinde leuitas Herodiadis cernitur in meretricia saltatione: leuitas Herodis in eo, quod incestum habet pro lusu & joco, & temere jurat, juratumque seruat.

Matth. 14.

Vers.13. Fuga necessaria, extra scandali & neglecti officij casum est licita: item si absit diffidentia.

Vers.23. Tota Christi vita fuit oratio & jejunium. Quare si volumus esse discipuli tanto magistro digni, hanc ipsius artem sedulo imitemur.

Vers.25.29. Christus est verus Deus, de quo recte dicitur:

Ipse potest solis currus inhibere volantes,
Ipse velut scopulos flumina stare jubet.

Vers.27. Orandus est Christus, vt verba illa quotidie cordibus nostris insusurret, susurro suaui: *Confidite: ego sum, ne timete.*

Matth.15.v 21.29.

Confer cum Marc.7.v.24.31.

Dominica III. post Reminiscere.

Exordium. Mirabilis fuit lucta Jacobi cum angelo, id est, Filio Dei *Gen.32.* Similis lucta hic describitur.

Propositio. Dicemus. 1. De cruce domestica hujus mulieris. 2. De triplici ejus tentatione ac victoria.

De I. Homo est nobilissima Dei creatura in hoc mundo aspectabili, & Deo charissima. Hanc ob causam diabolus sibi tentandum & deuorandum sumit hominem, nullasque sibi indicit ferias. Exemplum hujus rei habemus in filia hujus mulieris. Differatur hic de potentia diaboli, vnde illam habeat, & cur habeat.

De II.

De II. Tentationes proponuntur tres. 1. Negatio exauditionis. Mulier clamat, Christus ne verbum quidem respondet. 2. Reprobatio. *Non sum missus nisi ad oues perditas domus Israel.* 3. Indignitas, abjectio, & desertio. *Non est bonum accipere panem filiorum, & obijcere catellis.* En graues has tentationes! Sed victoriam quoque vide. Vide, inquam, virtutem precum & victoriam fidei *v. 27. 28.* Fides est instar flosculorum istorum, qui sub niue florent.

Conclusio. Recitetur *Psalmus 13.* vel *103.* in quo nominatim explicetur, quod misericordia Dei sit multo major quam peccatum nostrum, quomodo cœlum multis modis superat terram.

Alia dispositio.

Habemus hic speculum veræ fidei, in quo naturam & proprietates ipsius videmus, quod videlicet Christum insequatur, ipsum inclamet, apud ipsum instet, tandemque vincat. Dicemus de tentatione duplici hujus mulieris & ipsius victoria.

De I. Vna hujus mulieris tentatio est externa & corporalis, videlicet crux domestica; altera est interna & spiritualis, videlicet dilatio responsionis diuinæ, reprobatio & indignitatis exprobratio.

De II. Omnes istæ tentationes fuerunt proba, (vt ita dicam,) fidei. Primam tentationem vicit fides clamando, & dicendo, *Miserere mei.* Secundam vicit patienter ferendo dilationem. Nam cum Christus nihil respondet, mulier hoc fert æquo animo. Tertiam vincit perseuerando in precibus ex vera fide profectis: *Illa autem venit, & adorauit eum.* Fides est veluti magnes, qui Christum attrahit. Quartam vincit humilitas. *v. 27.* Ecce infima humilitas vincit Deum altissimum, & facit vt ille tibi respondeat, hoc est, tibi adsit, te juuet, gratiæ suæ & præsentiæ sensum instillet. Conclude ex *Psal. 66.*

Alia dispositio.

Exordium. Hæc Dominica sequitur Dominicam Inuocauit, quæ tractat de tentationibus Christi capitis nostri, sicut illa de tentationibus electorum.

Propositio. Considerabimus naturam Dei & fidei in tentationibus nostris.

De I. Deus in tentationibus nostris semper retinet cor patrium, sed solet illud dissimulare. *Esa. 64.* Quemadmodum Joseph fratres suos annonæ caritate pressos duriter excepit: ita Deus se gerit erga filios suos. Ejus rei exemplum habes in hoc textu, vbi triplex occurrit tentatio spiritualis, *Nihil respondet: Non sum missus: Non est bonum accipere panem liberorum.* Tandem tamen erumpit affectus paternus *Hab. 2.* quomodo Josephum videmus fratres suos complexum esse osculo & lachrymis amoris?

De II. Natura fidei est. 1. Pulsare per precationem. 2. Patienter expectare auxilium diuinum, si ferat repulsam. 3. Replicare & reciprocare precationem. 4. Per humilitatem vincere omnem difficultatem.

Conclusio. Explicetur illud apud Esaiam: Si per ignem & aquam ea, tibi adero.

Alia dispositio.

Psal. 12. Verbum Dei confertur cum argento, quod septima flamma recoxit, vt ait poeta. Quo ipso docetur, verbum Dei esse purissimum, non aliter atque metalla censentur defæcatissima, quæ septimam probam, vt vocant, sustinuerunt. Ad eundem modum fides nostra septem probationes siue examina subire & sustinere habet necesse. Tres probationes fidei describuntur *Matth. 4.* quatuor hoc in loco proponuntur. Sacer ille septenarius explicetur, partim ex *Matth. 4.* partim ex præcedente dispositione secunda hujus Euangelij. Conclude per anacephalæosin, & inculca potissimum tres illas tentationes: Deus non vult exaudire: Deus non est Deus tuus: Non es dignus gratia Dei.

Math. 15.

Vers. 2. Traditiones humanæ per se adiaphoræ, non sunt cultus Dei, nec obligant conscientias, nisi in casu scandali: superstitiosæ vero & impiæ nunquam.

Vers. 13. Triplex cernitur plantatio in mundo: corporalis, qua herbæ vel arbores plantantur: spiritualis, qua Deus per verbum & ministros plantat arbores justitiæ: Diabolica, qua Diabolus plantat hypocrisin, superbiam, & similia vitia.

Mat. 16. v. 13. 20.

Confer cum Marc. 8. & Luc. 9.

Quemadmodum Deus *Exod. 31.* vocauit Bazalaelem & Aholiabum, illosq; instruxit sapientia multimoda, vt recte ædificarent tabernaculum: ita Christus Apostolos suos vocauit tanquam cœlestes architectos, & illis dedit dona necessaria ad recte ponendum fundamentum spiritualis ædificij, quod est Ecclesia. Id ex hoc textu est euidens, vbi agitur. 1. De salutari cognitione Christi. 2. De fundamento Ecclesiæ.

De I. Hic obserua 1 cognitionem falsam, qua Christus non cognoscitur vere: *Quidam dicunt, te esse Johannem.* 2. Cognitionem veram, qua electi cognoscunt Christum *Tu es Christus, Filius Dei.* In his verbis continetur persona & officium Christi. Persona: quia Petrus Christum habet pro Deo, cum quo tanquam cum homine vero conuersabatur. Officium: quia

quia Christus est vnctus Propheta, docens nos viam salutis: sacerdos, sacrificans, intercedens & benedicens: Rex, qui est caput Ecclesiæ, omnia habet subpedibus suis, regit nos, defendit & liberat à morte omnibusque hostibus nostris. 3. Originem cognitionis veræ: *Caro & sanguis non reuelauit tibi.*

De II. Fundamentum Ecclesiæ est Christus, quem confessus est Petrus. Hoc Fundamentum ab initio mundi est positum. *Genes 3. Psal. 118. Esa. 28. Ephes 2. 1. Petr. 2.* Quo pertinet illud Theophylacti: ἡ ὁμολογία, ἣν ὡμολόγησας, ῥηθεῖσα μείζων εἶναι τῶν πιστευθέντων. Huic fundamento competunt notæ & requisita fundamenti; puta firmitas, *Super hanc Petram:* perpetuitas, *Portæ inferorum non valebunt aduersus illam:* ædificij impositio, *Ædificabo super hanc Petram: Et tibi dabo claues*, videlicet clauem soluentem & ligantem.

Matt. 16.

Vers 1. Tentatio est triplex in Scripturis. Tentat enim Deus hominem, & est tentatio ad bonum: tentat Diabolus hominem, & est tentatio ad malum; quo pertinet tentatio carnalis & mundana: denique homo tentat Deum, quæ tentatio est graue peccatum.

Vers. 19. Potestas clauium non est personale priuilegium Petri, sed commune omnium Apostolorum.

Matth. 17. v. 1. 9.

Exordium. Historia illa de mansione & claritate Mosis in monte Sinai *Exod cap. 34.* conferatur cum hac historia de transfiguratione Christi. *Dominica XXVII. post Trinitatis.*

Propositio. Videbimus, quomodo in hac Synodo Thaborina siue Concilio Augustissimo Thaboritico contineantur omnia decreta religionis Christianæ.

Tractatio. Principio in hoc Concilio sunt octo personæ: Deus Pater, Filius & Spiritus Sanctus: Moses & Elias: Petrus, Jacobus, Johannes. *Deinde* hic occurrit mysterium sacrosanctæ Trinitatis. *Tertio* hic confirmatur doctrina de persona & officio Christi. *Quarto* proponitur speculum vitæ æternæ, vbi erit. 1. Glorificatio corporis: quia corpora nostra similia erunt corpori Christi, quod hoc in loco fuit splendidum instar solis, & cujus vestes fuerunt lucidæ. 2. Visio Dei. Nam Apostoli hic intuentur faciem Christi. 3. Perfecta cognitio. Nam Petrus agnoscit Mosen & Eliam, quos nunquam viderat. 4. Gaudij consummatio. Nam Apostoli delectantur isto concilio seu conuentu.

Conclusio. Recitentur duo capita *Apoc. 21. & 22.*

NB. *Solet etiam hac Dominica praelegi textus* Matth. cap. 24. *quem ibi vide.*

De II. Natura fidei est. 1. Pulsare per precationem. 2. Patienter expectare auxilium diuinum, si ferat repulsam. 3. Replicare & reciprocare precationem. 4. Per humilitatem vincere omnem difficultatem.

Conclusio. Explicetur illud apud Esaiam: Si per ignem & aquam eas, tibi adero.

Alia dispositio.

Psal. 12. Verbum Dei confertur cum argento, quod septima flamma recoxit, vt ait poeta. Quo ipso docetur, verbum Dei esse purissimum, non aliter atque metalla censentur defæcatissima, quæ septimam probam, vt vocant, sustinuerunt. Ad eundem modum fides nostra septem probationes siue examina subire & sustinere habet necesse. Tres probationes fidei describuntur *Matth. 4.* quatuor hoc in loco proponuntur. Sacer ille septenarius explicetur, partim ex *Matth. 4.* partim ex præcedente dispositione secunda hujus Euangelij. Conclude per anacephalæosin, & inculca potissimum tres illas tentationes: Deus non vult exaudire: Deus non est Deus tuus: Non es dignus gratia Dei.

Math. 15.

Vers. 2. Traditiones humanæ per se adiaphoræ, non sunt cultus Dei, nec obligant conscientias, nisi in casu scandali: superstitiosæ vero & impiæ nunquam.

Vers. 13. Triplex cernitur plantatio in mundo: corporalis, qua herbæ vel arbores plantantur: spiritualis, qua Deus per verbum & ministros plantat arbores justitiæ: Diabolica, qua Diabolus plantat hypocrisin, superbiam, & similia vitia.

Mat. 16. v. 13. 20.

Confer cum Marc. 8. & Luc. 9.

Quemadmodum Deus *Exod. 31.* vocauit Bazalaelem & Aholiabum, illosq; instruxit sapientia multimoda, vt recte ædificarent tabernaculum: ita Christus Apostolos suos vocauit tanquam cœlestes architectos, & illis dedit dona necessaria ad recte ponendum fundamentum spiritualis ædificij, quod est Ecclesia. Id ex hoc textu est euidens, vbi agitur. 1. De salutari cognitione Christi. 2. De fundamento Ecclesiæ.

De I. Hic obserua 1 cognitionem falsam, qua Christus non cognoscitur vere: *Quidam dicunt, te esse Iohannem.* 2. Cognitionem veram, qua electi cognoscunt Christum. *Tu es Christus, Filius Dei.* In his verbis continetur persona & officium Christi. Persona: quia Petrus Christum habet pro Deo, cum quo tanquam cum homine vero conuersabatur. Officium;

quia

quia Christus est vnctus Propheta, docens nos viam salutis: sacerdos, sacrificans, intercedens & benedicens: Rex, qui est caput Ecclesiæ, omnia habet sub pedibus suis, regit nos, defendit & liberat à morte omnibusque hostibus nostris. 3. Originem cognitionis veræ: *Caro & sanguis non reuelauit tibi.*

De II. Fundamentum Ecclesiæ est Christus, quem confessus est Petrus. Hoc Fundamentum ab initio mundi est positum. *Genes. 3. Psal. 118. Esa. 28. Ephes. 2. 1. Petr. 2.* Quo pertinet illud Theophylacti: ἡ ὁμολογία, ἣν ὡμολόγησας, θεμέλιον μείζων εἶναι τῶν πιστευόντων. Huic fundamento competunt notæ & requisita fundamenti; puta firmitas, *Super hanc Petram:* perpetuitas, *Portæ inferorum non valebunt aduersus illam:* ædificij impositio, *Ædificabo super hanc Petram:* *Et tibi dabo claues*, videlicet clauem soluentem & ligantem.

Matt. 16.

Vers. 1. Tentatio est triplex in Scripturis. Tentat enim Deus hominem, & est tentatio ad bonum: tentat Diabolus hominem, & est tentatio ad malum; quo pertinet tentatio carnalis & mundana: denique homo tentat Deum, quæ tentatio est graue peccatum.

Vers. 19. Potestas clauium non est personale priuilegium Petri, sed commune omnium Apostolorum.

Matth. 17. v. 1. 9.

Dominica XXVII. post Trinitatis.

Exordium. Historia illa de mansione & claritate Mosis in monte Sinai *Exod cap. 34.* conferatur cum hac historia de transfiguratione Christi.

Propositio. Videbimus, quomodo in hac Synodo Thaborina siue Concilio Augustissimo Thaboritico contineantur omnia decreta religionis Christianæ.

Tractatio. Principio in hoc Concilio sunt octo personæ: Deus Pater, Filius & Spiritus Sanctus: Moses & Elias: Petrus, Jacobus, Johannes. *Deinde* hic occurrit mysterium sacrosanctæ Trinitatis. *Tertio* hic confirmatur doctrina de persona & officio Christi. *Quarto* proponitur speculum vitæ æternæ, vbi erit. 1. Glorificatio corporis: quia corpora nostra similia erunt corpori Christi, quod hoc in loco fuit splendidum instar solis, & cujus vestes fuerunt lucidæ. 2. Visio Dei. Nam Apostoli hic intuentur faciem Christi. 3. Perfecta cognitio. Nam Petrus agnoscit Mosen & Eliam, quos nunquam viderat. 4. Gaudij consummatio. Nam Apostoli delectantur isto concilio seu conuentu.

Conclusio. Recitentur duo capita *Apoc. 21. & 22.*

NB. *Solet etiam hac Dominica praelegi textus* Matth. cap. 24. *quem ibi vide.*

Matth.17.

Vers.17. Incredulitas est limus & cœnum, obstruens fontem omnipotentiæ & misericordiæ Dei. E contrario fides est canalis & tubus, per quem beneficia Dei ex fonte omnipotentiæ & misericordiæ ejus tanquam riui in agrum sterilem deriuantur.

Vers.18. Potestas, quam Christus habuit in dæmones corporaliter obsidentes corpora hominum, est symbolum potestatis, quam habet in eosdem spiritualiter obsidentes animam hominis.

Vers.21. Christiani eijciunt dæmonia spiritualiter per precationem & jejunium. Est vero eadem ars eijciendi dæmonium, cum adest, & arcendi, ne adsit.

Matth.18.v.1.10.

Deus *2.Chron.4.* docet, se habitare in templo cordis contriti. Hoc ipsum docet Christus in præsenti textu, vbi tractat hanc quæstionem, *Quisnam sit maximus in regno cœlorum.* Duas autem almus hic doctor proponit regulas, à quibus pendet solutio istius quæstionis. *1. Qui studet humilitati, & fit similis puero ἀπλῷ. 2. Qui nemini est offendiculo, siue in doctrina, siue in vita.* Rationes hujus regulæ sunt ponderosissimæ. 1. Quia scandala interimunt animam, tum scandalizantis, tum scandalizati. 2. Quia Christus illis hominibus maledicit, clamando *væ.* 3. Quia angeli sunt custodes puerorum, quos offendimus. 4. Quia puerorum est regnum Dei, quod ipsis eripitur per scandala.

Alia dispositio.

Christus exhibet nobis viuum pueruli imaginem, vt ex illa discamus modum perueniendi ad regnum cœlorum. Debemus autem duo discere à pueris, simplicitatem in fide seu in doctrina, & humilitatem in vita. Ita enim fiet, vt nemini simus offendiculo.

Alia dispositio.

Collatio hominis Christiani cum paruulo, sumatur ex vulgatis versibus qui puerorum indolem ob oculos ponunt:

Sunt pueri puri, parui, paruisque cibantur,
Currunt, lætantur, cito dant, cito pacificantur.

Matth.18..

Vers.18. Claues cœlorum, tum aperientes, tum claudentes, pertinent ad solum Christum, tanquam dominum, ad Apostolos & illorum successores, tanquam commissarios & legatos. Hinc Christus dicitur remittere peccata principaliter & authoritatiue, pastores ministerialiter, nuntiatiue, & interpretatiue.

Vas

*Vers.*20. Qui coguntur in nomine Christi, h.e. ad ejus mandatum & cultum, illi habent Christum in medio sui, præsentem spiritu & gratia sua.

Matth 18.v.13.adfinem.

Exordium. Homo quotidie hæc duo meditari debet: videl. quo loco sit apud Deum & proximum. In his enim duobus veluti cardinibus vertitur totus Christianismus, cujus speculum habemus in hoc textu, vtpote in quo tractatur de fide & charitate. *Dominica XXII. post Trinitatis.*

Propositio. Intuebimur speculum gratiæ Dei erga nos, & speculum charitatis nostræ erga proximum.

De I. Deus ita nos conuertit & justificat. Primo nobis ob oculos ponit nostra peccata, dum exigit à nobis rationem villicationis. Deinde ostendit nobis egestatem & inopiam nostram, per quam stat quo minus simus soluendo. Tertio creat in nobis pœnitentiam salutarem, per quam fit vt cum hoc debitore procidamus. Quarto remittit nobis culpam & pœnam ex mera misericordia.

De II. Oportet vt remittamus proximo offensas: quia Deus remittit nobis nostra debita: & nisi hoc faciamus, prouocamus Deum ad iram, vnde existit æterna condemnatio.

Conclusio. Recitetur *Psalmus* 103.

Aliæ dispositiones.

I. Vrim & Thummim *Exod.* 28. fuit typus Christi, qui est vera lux & perfectio nostra. Ille siquidem pellit tenebras intellectus nostri, & tollit impuritates nostras. Qua de re concionatur hoc euangelium, in quo proponitur nobis cognitio miseriæ nostræ & gratiæ Dei in Christo.

De I. Ad verum γνῶθι σεαυτὸν tria requiruntur. 1. cognitio debiti nostri longe longeque maximi. 2. cogitatio crebra rationum, quas Deus à nobis exiget. 3. cognitio imbecillitatis nostræ, qua fit vt non simus soluendo.

De II. Gratia Dei in Christo cernitur in eo, quod ille ex pura puta misericordia nobis condonat peccata nostra, quæ sunt magna & multa.

II. Annus jubilæus *Leuit.* 25. & *Deut.* 15. erat typus Christiani jubilæi, quo debita spiritualia remittuntur, captiui Diaboli liberantur, bona spiritualia fiunt communia, & vera hæreditas vitæ æternæ ad nos redit. Hũc jubilæum annum magno jubilo & clangore debemus quotidie celebrare. Quam ad rem non parum facit hic textus, in quo describitur, quomodo celebrare debeamus jubilæum gratiæ Dei, & reconciliationis Christianæ.

De I. Gratia Dei cernitur in eo, quod nobis remittit debita omnia, maxima & minima, idq; gratis.

De II. Reconciliatio cum proximo arctissime cohæret cum remissione peccatorum nostrorum. Quicunque igitur fratri suo condonat offensas, vere potest lætari, & inde colligere, se in gratia esse apud Deum.

III. Considerabimus hæc duo. 1. Quomodo Deus nobiscum conferat rationem. 2. Quomodo debeamus cum proximo nostro conferre rationem.

De I. Deus à nobis exigit debitum partim commune, videl. dilectionem ipsius & proximi: partim singulare ratione officij cujusque. Adhibet autem tria media; videlicet legem & conscientiam, crucem, & vltimum judicium. Denique cum videt nos non esse soluendo, miseretur nostri, & nobis remittit debita in solidum.

De II. Fructus remissionis peccatorum est placabilitas & reconciliatio fraterna, ad quam nos impellent sequentia. 1. exemplum Dei, qui plura nobis remittit debita, quam nos possumus remittere proximo nostro. 2. naturæ similitudo: quia proximus est conseruus noster. 3. damnũ, quod oritur ex implacabilitate. Nam conserui nostri contristãtur, & Deus seuerissime irascitur. 4. vtilitas, quæ oritur ex placabilitate: quia Deus remittit nobis debita nostra, quando nos remittimus debitoribus nostris. *Matth. 18.*

Vers. 8. 9. Membra, quæ nos & alios scandalizant, amputare debemus, non corporaliter, sed spiritualiter, orando scil. & jejunando. Ita enim fit, vt obstruatur fons malorum affectuum, vnde alias promanant fluuij nequitiæ in totum corpus.

Vers. 14. Deus non vult, vt vnus pereat ex paruulis, h. e. illis, qui sunt simplices & humiles instar paruulorum.

Vers. 15. Disciplina ecclesiastica est veluti scala in domo Dei, certis constans gradibus, de quibus recte vsurpauerimus tritum prouerbium: *Ne postem transcendito.*

Matth. 19.

Vers. 3. Diuortia olim sub lege permissa, in Christi ecclesia fieri non debent, nisi scortationis causa. Apostolus casum certum desertionis addidit 1. *Cor. 7. v. 15.* Imperatores addiderunt plures casus & causas dirimendi matrimonij.

Vers. 6. Arctissimum est vinculum conjugij, symbolum, conjugij spiritualis & mystici, quod est inter Christum & ecclesiam. Porro hoc idem vinculum est antiquissimum, sanctissimum, & vtilissimum.

Vers. 12. Tria sunt eunuchorum genera. *Primo*, qui tales sunt natura: *deinde*, qui fiunt ab hominibus propter opera quædam ciuilia: *denig.*, qui se continent à matrimonio propter regnum cœlorũ, idq; vel ex speciali & extra-

extraordinario Dei dono, vel ex hypocrisi, vel ex opinione cultus & meriti.

Vers. 13. Impositio manuum erat symbolum gratiæ Dei, qua aliquis sanctificabatur ad munus, vel sanabatur à morbo, vel Spiritum sanctum accipere aut habere significabatur. Est itaq; res sua natura indifferens.

Vers. 14. Regnum cœlorum est paruulorum vel ex canone & judicio charitatis, vel ex canone & judicio fidei.

Vers. 21. Justificatio legalis est simpliciter impossibilis post lapsum.

Vers. 24. Diuitiæ sunt spinæ, quæ fodicant illos, qui cor apponunt: sunt rosæ, quæ oblectant illos, qui ipsis vtuntur tanquam medijs & instrumentis fidei spei, & charitatis: ita nempe, vt fidem in Dei omnipotentia & misericordia sustentent: quantum ad spem sint symbola diuitiarum æternarum, denique caritatem erga proximum acuant.

Matth. 20. *v.* 1.

Regnum cœlorum complectitur regnum gratiæ in statu viæ, & regnũ gloriæ in statu patriæ. In vtroque videbimus adjuncta, regem, subditos, bona regni, & semitam ad regnum.

De I. Adjuncta vtriusque regni sunt numero tria: amplitudo, frequẽtia & administratio. Amplitudo tanta est, vt illam cogitationis humanæ angustiæ capere non possint. Nam ecclesia catholica in his terris complectitur omnes sanctos, qui fuerunt, sunt & erunt vsque ad finem seculi per totum terrarum orbem: & vita æterna per totam cœli cœlorum latitudinem diffunditur. Dilata igitur, anima Christiana, cor tuum, neque renearis angustiis rerum præsentium. Frequentia ciuium cernitur ex numero innumerabili & varietate maxima. Sunt enim in ecclesia omnes electi, quorum non est numerus, & sunt ibi diuites & pauperes, docti & indocti, gentes & Judæi, variæque nationis homines: in cœlo sunt sancti angeli, patriarchæ, prophetæ, &c. Quanta felicitas erit, anima mea, cum tot, tantis & talibus conuersari? Administratio vtriusque regni est perfecta, quippe monarchica, adeo quidem, vt hic sit monarchia perfecte dicta, in qua cernitur potestas independens, absolutissima & sanctissima: quarum rerum nihil est in monarchiis hujus mundi.

De II. Rex est Christus; in cujus intellectu est perfecta sapientia, in voluntate perfecta justitia: quæ sunt duæ præcipuæ qualitates, regibus necessariæ. Nam sapientia facit, vt rex sciat; justitia vt velit subditos bene regere. Ad sapientiam pertinent prudentia & consilium: ad justitiã misericordia & clementia.

De III.

De III. Subditi vtriusque regni sunt angeli & homines electi, qui sunt filij Dei & proinde reges, quomodo videmus filium regis primogenitum esse regem. Exurge igitur, anima mea, & cogita, quale bonum sit regnare cum Deo.

De IV. Bona regni numerari solent potestas, honor, diuitiæ, deliciæ: quæ in regnis terrenis sunt breuia, neque sunt pura bona; quia cum natali regum incipiunt, cum morte finiuntur, & potestas admistam habet infirmitatem, honor ignominiam, diuitiæ paupertatem, voluptas mœrorē. At in regno gratiæ & gloriæ omnia ista bona sunt æterna & sincera. Excitate igitur, anima mea, & discite magni facere regnum cœlorum, cum videas regna terrena magni fieri, quæ sunt caduca, neque habent sincera bona, sed multis malis permixta.

De V. Quid vero facto est opus, vt ad optatissimum & felicissimum regnum cœlorum perueniamus? Id nos docet Christus rex noster *Matt.* 6. vbi iubet nos quærere regnum Dei, quod fit per octo gradus beatitudinum *Matth.* 5. & vim illam, qua violenti rapiunt regnum cœlorum, h.e. illi qui pugnant aduersus hostes vi fidei & bonorum operum *Matth.* 11.

Matth. 20. *v.* 1. 17.

Dominica septuagesima.

Exordium. Quemadmodum opulentus mercator, qui nauem suam pretiosissimis mercibus onerauit, subito exorta tempestate, atque ita inualescente, vt vitæ periculum sit subeundum, nisi nauis exoneretur, protinus abjicit res istas, aut etiam deserta naui apprehendit asserem, illinque ope enatat vt vitæ suæ consulat: ita homo Christianus, qui toto vitæ suæ tempore in nauicula Christi, hoc est, in ecclesia, plurimas easque pretiosissimas merces in vnum congessit, hoc est, de multis optime est meritus, varios que exantlauit labores pro gloria Dei, si tempestas vitæ Dei circa finem vitæ ingruat, necesse habet omnia ista, quæ habet, clinodia, in mare abjicere, & lignum crucis Christi apprehendere.

Propositio. Hic textus nobis ob oculos ponit fundamentum salutis, & ostendit. 1. Quod peccator saluus fiat nō ex merito, sed ex gratia. 2. Quod causa perditionis non sit ex Deo, sed ex homine.

De I. Tria huius assertionis sunt fundamenta in hoc euangelio. 1. Solus Deus est author & cultor vineæ. Christus est vitis, cui inseruntur palmites. Dona Spiritus S. sunt ros & pluuia fœcundantes hanc vineam. Gratia Dei est sol. Vuæ sunt fides, spes, charitas, & similes virtutes. Flos vitis est precatio. Septum vineæ est protectio Dei, & sanctorum angelorum. Turris in hac vinea est verbum Dei. Custodes ejus sunt magistratus. Pastores verbi sunt vigiles. Torcular est passio Christi. Culter, quo resecantur vites, est crux. Vinum est consolatio, pax, & gaudium spiritus. Hæc vero

omnia

omnia & singula sunt pura puta gratia, vt demonstrari potest & debet per partes. 2. Vocatio idem confirmat. Vocamur enim ex gratia. 3. Merces datur ex gratia. Es ist ein Gnadenlohn.

De II. Quid? Si omnes justificantur & seruantur gratis, cur plurimi æternum pereunt? Resp. Causa non est in Deo, sed in homine. Primo enim multi homines non vocantur in hanc vineam: quia Deus non est homini obligatus, vt illum vocet. Deinde multi vocantur, sed non faciunt officiū. Nam alij stant otiosi in foro auaritiæ, superbiæ, iræ, &c. hoc est, nihil boni faciunt: alij in vinea degenerant, dum non faciunt officium generale aut speciale. Officium generale est positum in eo, vt seramus vuas fidei, spei & charitatis. Hic videas incredulos, desperabundos & inimicos. Officium speciale est, vt magistratus, pastores, auditores &c. faciant quisque quod suum est. Sed videas non Dauides, Josaphatos, Constantinos Magnos, in statu politico, verum Saulos, Achabos, Julianos apostatas, qui nō arcent lupos & vulpeculas ab hac vinea, sed ipsi sunt tales. In statu ecclesiastico hæretici & schismatici deuastant vineam. In statu œconomico videas parentes & liberos, dominos & seruos, non vuas, sed labruscas ferre. In summa, hic vsurpari potest illud *Deut. 32.* Vinum vestrum est venenum draconis, &c.

Conclusio. Petatur illa ex *Psal. 80.*

Alia dispositio.

Ostende, quomodo sit laborandum in hac vinea, & quare.

De I. Laborandum est diligenter, distincte, & prudenter: ita vt quilibet faciat suum officium in genere & in specie, fodiendo, amputando, ferendo vuas, &c.

De II. Perpende. 1. Quam pius & bonus sit paterfamilias, qui te vocauit. 2. Quod sis reportaturus mercedem amplam, & parem cum illis, qui inde ab initio mundi laborarunt in hac vinea. 3. Quod sis in vltima hora constitutus.

Alia dispositio.

Exordium. Sicut Ægyptij *Gen. 47.* ad Josephum confugiebant, ne perirent fame, & ipsius gratiam vnice implorabant: ita si nolimus æterna fame perire, oportet vt miseriam nostram agnoscamus, & in solis Christi opibus præsidium quæramus.

Propositio. Dicemus, Cur vocationem diuinam libenter sequi, & Christo in vinea ipsius fidelem nauare operam debeamus.

Tractatio. Quatuor sunt causæ, quæ nos impellent. 1. Q. ecclesia est vinea à Deo plantata. Quis non cupiat esse vitis in hac vinea, præstantissima

illa & vtiliſſima? 2. Immenſa benignitas patrisfamilias, qui nos vocat. Vocat, inquam, inde ab initio mundi per opus creationis, redemtionis & ſanctificationis. 3. Quia nos vocati ſumus ſub veſperam. 4. Quia merces datur ampliſſima.

Concluſio. Amiſimus paradiſum creationis: agamus igitur Deo gratias, quod nos exules tranſtulerit in paradiſum redemtionis, & ibi gnauiter faciamus officium noſtrum.

Alia diſpoſitio.

Exordium. Quemadmodum Iſraelitæ nõ ſuis viribus, ſed per Dei gratiã liberati fuerunt ex manu Pharaonis & translati in terram promiſſam, quã non occuparunt brachio ſuo, ſed virtute Dei *Joſ.* 10. ita nos ex infernali Ægypto transferimur in cœleſtem Chanaan, non propter merita noſtra, ſed ex mera Dei gratia, vti Chriſtus docet in hoc euangelio.

Propoſitio. Quomodo in vinea Dei laborare nos oporteat, vt labor noſter Deo placeat.

Tractatio. Oportet. 1. Studere humilitati, ne noſtris meritis aliquid adſcribamus: quemadmodum Petrus & apoſtoli faciebant, quorum arrogãtiam Chriſtus in hac parabola retundit, vt patet ex ijs, quæ hunc textum proxime antecedunt. 2. Studere charitati, ne murmuremus, ſi videamus Deum non ita diſtribuere mercedem, prout caro & ſanguis nobis dictat. 3. Studere patientiæ, ne murmuremus ſi videamus Deum vni plus oneris, operis aut crucis imponere quam alteri. 4. Deſerere forum mundi, in quo ſtant irriſores, adulteri, fures. 5. Diligenter laborare in vinea.

Concluſio. Diligenter caueamus, ne operibus noſtris aliquid adſcribamus. Alias cum Iſmaele ejicietur ex domo *Gen.* 21. Imitemur Damidem, qui 2. *Chron.* 20. vna cum omnibus ſuis ſubditis imbecillitatem ſuã agnoſcit, & Dei majeſtatem veneratur.

Alia diſpoſitio.

Proponitur hic ſpeculum gratiæ Dei in prædeſtinatione, & juſtificatione. *In prædeſtinatione* cernitur gratiæ Dei in dilectione, datione Filij, & donatione fidei. *In juſtificatione* gratiæ Dei cernitur in vocatione, qua otioſi & impuri vocantur, & in juſtitiæ Chriſti imputatione.

Alia diſpoſitio.

Quotquot ad fidem, reſipiſcentiam & vitam æternam, ab infidelitate, peccatis & morte æterna vocantur à Deo, gratuito vocantur, non ad otiandum, ſed ad laborandum: nec tamen ad merendum de

de Deo, sed ad gratis accipiendum à Deo. Hic itaque notetur terminus vocationis à quo, modus, & terminus ad quem.

Matth. 20. v. 10.

Vita æterna hic confertur cum denario diurno, quæ alibi comparatur cum thesauro, brauio & corona. Quæ comparatio hic adhibetur à Christo, non vt extenuetur præmium vitæ æternæ, sed vt merces congruat cũ labore & opere. Inepta enim fuisset similitudo, si laborantibus per vnam diem in vinea promissa fuissent aliquot pondo auri & argenti, vel thesaurus, vel corona regalis. Quod autem iste denarius non sit denarius paucorum nummorum æneorum: sed denarius cœlestis, & qui satis abunde sufficiat ad victum & amictum per omnem æternitatem, id colligitur ex magnitudine gratiæ Dei in Christo, vnde merces nostra pendet. Nam in hoc denario impressa est imago Christi, qui est rex æternus, & habet subditos æternos. Porro hic denarius datur laborantibus in vinea sine intermissione, non vero stantibus in foro otiosis. Denique omnibus recte laborantibus datur denarius, h.e. vita æterna, ita vt nemo frustretur sua mercede.

Matth 20. v. 20. 24.

Confer cum Marc. 10.

Duodecim apostoli fuerunt præfigurati per duodecim patriarchas, per duodecim fontes in deserto, per duodecim lapides Jordanis, per duodecim gemmas in pectorali Pharaonis, per duodecim boues portantes mare Salomonis, per duodecim stellas *Apoc.* 12. & per duodecim fundamenta cœlestis Hierosolymæ *Apoc.* 21. Nam fuerunt capita familiarum gentium, vt patriarchæ erant capita Judæorum: per illos deriuatus est fons gratiæ in vniuersum mundum: illi fuerunt testes Christi, qui nos per Jordanem deducit in cœlestem Canaan: fuerunt cor Christi, & testes ardentissimi ejus amoris: ijdem mare salutis nostræ, Jesum Christum gestarunt per totum mundum: luxerunt denique tanquam stellæ, & fundamentum salutis vnicum, videlicet Jesum Christum, duodecim veluti columnis expressérunt. Hæc est dignitas apostolorum longe maxima, adeoque & major illo honore, quem mater filiorum Zebedæi à Christo hic orat; vbi occurrit stulta petitio istius fœminæ, & placida responsio Christi.

De I. Petitio hujus fœminæ ideo est stolida, quia non fuit secundum voluntatem Dei, neque conueniens regno Christi. Nam Deus vult, vt primo quæramus cœlestia, & hanc sanxit regulã: *Temporalia bona profluunt ex æternis.* Deinde regnum Christi non consistit in pompa æterna

& regalibus ſecularibus, ſed in ſceptro & diademate ſpiritus.

De II. In reſponſo Chriſti notetur communis crucis & gloriæ. Crux eſt calix ille, ex quo Chriſtus & omnia ipſius membra neceſſe habent bibere, ſed ita vt Chriſtus bibat mare anguſtiæ, nos guttulam duntaxat. Communio gloriæ eſt, quod vna cum Chriſto exaltamur ad dextram Patris, non corporaliter, ſed ſpiritualiter, corpore & anima ſimul.

Matth. 20.

Verſ. 15. Deus dans inæqualibus æqualia, vel contra, non eſt injuſtus: quia poteſt de ſuo facere, quod vult, neq; vllí eſt debitor.

Verſ. 16. Qui ſunt vocati vocatione ſit interna ſecundum propoſitum, illi ſunt quoque electi: ſecus de ijs, qui ſunt vocati vocatione externa per verbum.

Matth. 21 *à v.* 1. *vſq; ad* 10.

Confer cum Marc. 11. Luc. 19. Joh. 12.

Dominica 1. Aduentus.

Exordium. Quod legimus 1. *Reg.* 1. de coronatione Salomonis, id præfigurauit hunc Chriſti aduentum, de quo agit præſens textus Dominicalis.

Propoſitio. Tria hic continentur de ingreſſu Chriſti in vrbem ſanctam: quod videl. ille coram mundo vilis, coram Deo magnificus, & in oculisque cordibus fidelium plenus conſolationis fuerit.

Tractatio. I. Mundus magnificit pompam & [illegible] coronationis & inaugurationis regiæ, quæ cernitur in comitatu illuſtrium & generoſorum ritibus variis, epulis opiparis, luſibus & ſpectaculis. At nihil horum eſt in hoc ingreſſu Chriſti. Non Phanſæi comitantur ipſum, ſed populus: non eſt hic equitatus ſplendidus, ſed humilis: nullum hic cernitur diadema, ſed frondes & veſtes turbæ miſellæ. *Vſus.* 1. *Doctrina.* Chriſti regnum non eſt mundanum. 2. *Inſtitutio.* Diſcamus à Chriſto rege noſtro humilitatem: neq; ſcandal. zemur humilitate regni ejus. 3. *Conſolatio.* In paupertate ſolemur nos exemplo regis noſtri, qui ipſe fuit pauper. Sane non eſt æquum, vt ſubditi fruantur potiori ſorte quam rex ipſorum.

II. Magnificentia hujus ſolennis ingreſſus poſita eſt in tribus: quod ille ſit omniſcius, omnipotens, manſuetus. Qui tituli longo iuterualloſperant apteſt ſimos titulos omnium regum & principum. Hæc explicantur & applicentur per partes.

III. Conſolatio poſita eſt in hiſce: quod eſt *noſter rex manſuetus & Saluator.* Nam datus eſt nobis rex, qui nos defendit aduerſus Satanam, mundum, peccatum & mortem: eſt mitis & clemens: eſt denique is, ad quem in omnibus calamitatibus debemus confugere, & clamare *Hoſianna.*

Concluſio. Hæc ſumatur è *Pſal.* 118. vel 24.

Alia

Alia dispositio.

Exordium. Quod Esaias *c.62.* prædixit, id impletum est in humili hoc ingressu.

Propositio. Duo tractabimus. 1. Quomodo Christus ad nos veniat. 2. Quomodo debeamus hunc nostrum regem excipere.

De I. Christus ad nos venit humiliter, & majestatice. Humiliter: quia venit sine pompa. Id autem facit propter nostrum lapsum, & consolationem: vt videlicet nos qui superbia ducti à Deo defeceramus, per humilitatem regis nostri reconciliaremur, neque ipsius splendore perterrefacti ad ipsum accedere dubitaremus. Ideó nos ad se vocat *Matth.11.* quod sit mitis, & humilis. Majestas cernitur in eo, quod Christus flectit corda nostra, & est Saluator, qui habitat in altissimis.

De II. Quatuor hoc in loco proponuntur. 1. Oportet imitari discipulos Christi, & ipsum excipere vera obedientia. 2. Vestes nostras cum populo debemus substernere huic regi, adeoque illum excipere vera humilitate. 3. Oportet palmas ipsi præferre, hoc est, ipsius officium regium cognoscere. Palma siquidem est signum victoriæ. 4. Excipiendus est Rex noster vera laude & gratiarum actione.

Conclusio Humilis magnificentia & magnifica humilitas Christi conferatur cum externa magnificentia Salomonis: puta cum ipsius templo, regno pacifico, sapientia, diuitijs, justitia: quæ omnia in Christo sunt majora quam in Salomone.

Alia dispositiones.

I. Enarrentur conditiones seu proprietates regni Christi, quantum ad regem & subditos. *Rex* est verus Deus, & homo. *Subditi* sunt populus spontaneus, & coram mundo abjectus.

II. Commemorentur conditiones seu adjuncta regni Christi: quod sit spirituale, vniuersale seu Catholicum, & plane majestaticū: quæ omnia elucent in absconsione majestatis sub humilitate, impletione prophetarum in ipso, commotione cordium, mandati regij spontanea executione, & læta regiæ majestatis celebratione.

III. Occasione istius dicti: *Vt impleretur, quod dictum est per prophetam,* &c. Concio sic potest institui, vt indicetur, Christum esse verum Messiam, quippe in quo impleta sint vaticinia de persona, officio, & beneficijs Messiæ. Enumeranda igitur & applicanda fuerint præcipua oracula V.T. è quibus colligitur aduentum Christi fuisse maximam veterum consolationem. *Jer.14.* maximum ipsorum gaudium. *Joh.8.* & maximum desiderium atque expectationem eorundem. *Gen.49. Esa.45.48.*

Idem textus.

Dominica Palmarum.

Exordium. Quemadmodum Dauid pauperculus pastor Goliathum vicit, & hoc epinicium meruit: *Saul percussit mille, Dauid decem millia. 1. Sam. 17.* & postea euectus est ad regnum: ita Christus in statu humilitatis vicit diabolum per passionem, cujus protasis hic describitur.

Propositio. Considerabimus. 1. Quam glorioſus. 2. Quam gratioſus & amabilis fuerit hic aduentus Christi.

De I. Glorioſus fuit hic aduentus coram Deo & hominibus. Coram Deo: quia ſex vaticinia V. T. ſunt impleta, hoc ordine. Illud *Exo. 12.* de ſanctificatione menſis Niſan, & oblatione agni paſchalis iſtud *Zach. 9.* Filia Sion exulta: item *Pſal. 118.* Hoſianna: item *Pſalmus 8.* Porro *Pſal. 69.* Zelus domus tuæ exedit me: & illud *Eſa. 56.* Domus mea eſt domus precationis coram hominibus: quia diſcipuli, poſſeſſores aſinæ & equiculi, & denique vniuerſus populus honorant Chriſtum.

De II. Amabilitas & φιλανθρωπία Chriſti cernitur. 1. In humilitate & manſuetudine. 2. In eo, quod non exigit nummos, & ſimilia à ſuis ſubditis, ſed cor deuotum, & lætum Hoſianna. 3. In eo quod ipſius regnum non eſt mundanum & caducum, ſed ſpirituale & æternum.

Concluſio. Pſalmo 96.

Alia diſpoſitio.

Duo tractabimus. 1. Cur hic aduentus Chriſti fuerit humilis. 2. Cur ſimul fuerit magnificus.

De I. Chriſtus abſque pompa ingreſſus eſt vrbem, vt doceret regnum ſuum non eſſe de hoc mundo ſed prorſus ſpirituale, quod conſiſtit 1. In adoptione, *Filia Sion.* 2. In gaudio Spiritus, *Exulta filia Sion.* 3. In cognitione ipſius, *Rex tuus ad te venit.* 4. In præſentia, charitate & fauore ipſius, *Venit ad te.* 5. In fide *Venit pauper, manſuetus, Juſtus & auxiliator.*

De II. Chriſtus ingreſſus eſt magnifice, teſtatam faciendo ſuam omnipotentiam, & excitando dulciſſimum Hoſianna in cordibus populi, vt magnificentiam regni ſui ſpiritualis oſtenderet. Concluſionis locus eſt Paraphraſis *Pſal. 24.*

Alia diſpoſitio.

Quemadmodum Judæi reges ſuos excipiebant magno cum jubilo & applauſu, vt inprimis docet hiſtoria *1. Reg. 1.* vbi populus in acclamatione & gratulatione ſua Salomoni inter alia precatur, vt Deus ipſius ſolium & nomen velit exaltare ſupra ſolium & nomen Dauidis, quæ omnia in Chriſto ſunt impleta, cujus characteres & γνωρίσματα hic deſcribuntur numero quatuor. Nam verus Meſſias debebat. 1. Implere vaticinium *Zach. 9.* 2. Excipi cum applauſu dulciſſimi illius Hoſianna. *Pſal. 118.* 3. Reformare cul-

tum

num Dei. *Psal.69.* 4. Ex ore infantium audire epinicium. *Psal.8.* Conclude ex *Psal.92.*

Alia dispositio.

Exordium. Debora inter palmas habitans, & victoriam de hostibus suis reportans, est typus Ecclesiæ, quæ est victrix omnium palmarum in Christo, qui per suum Hosianna diruit muros Hierichuntis instar Josuæ, & hac concione vincit hostes vt Josaphath.

Propositio. Dicemus. 1. De quatuor proprietatibus regni gratiæ. 2. De tribus notis characteristicis per quos Christus demonstrauit, se verum esse Messiam.

De I. Proprietates regni Christi sunt, Mouere corda, Regnare manete, venire per verbum. Non egere armis & pompa externis.

De II. Quod Christus sit verus Messias, probat Hosianna populi; patratio miraculorum, quod sub hunc ingressum multos sanauit, qui ipsum sunt comitati, quomodo videmus principem varia dona dare ijs, qui currum ipsius triumphalem comitantur; denique purgatio templi.

Conclusio. Nostri officij est, huic regi nostro quotidie accinere verum illud Hosianna, & gratitudinem ipsi probare intimam, ne vincamur ab infantibus & lactentibus *Psal.8.*

Matth.21. v.15.16.

Totus hic mundus dispararur in duas hominum classes. In prima sunt Pharisæi, hoc est, osores Christi, quibus mundus nunquam caret. Huc pertinent omnes supercilioſi justitiarij puta Turcæ, Sociniani, Papistæ, Anabaptistæ. In secunda classe sunt paruuli & infantes, hoc est, veri Christiani. Hic ostendatur, quomodo infantes ratione ætatis sint buccinæ operis creationis, & infantes ratione simplicitatis, hoc est, boni Christiani, sint buccinæ operis redemtionis.

Matth.21. v.18.23.

Tametsi omnia Christi dicta & facta studiose nobis sunt obseruanda: inprimis tamen illa, quæ paulo ante passionem suam dixit & fecit, nobis debent esse commendatissima. Quo etiam pertinet hæc historia, quæ absoluitur tribus partibus. 1. De fame Christi. 2. De maledictione ficus. 3. De vi & efficacia fidei.

De I. Fames Christi duplex fuit: vna corporalis, altera spiritualis. Illa est, qua Christus nobis esuriuit, quomodo nobis sitiuit, sudauit, pauper factus est: hæc est, qua desiderauit nostram salutem. Quemadmodum enim Christus fructum quæsiuit in ficu: ita etiam fidem, spem & charitatem quærit in nobis. Demus itaque operam, vt fructus illos feramus, non vero spinas & carduos, ne Christus nos exercetur,

quem-

quemadmodum maledixit huic ficui. Confer *Luc.17.* Amplificetur hic plantatio cœlestis, desiderium Christi, & nostra sterilitas.

De II. Quemadmodum benedictio Dei est vita creaturarum: sic è contrario ipsius maledictio est mors creaturarum. Hoc videre est in ficu hac in agro Sodomæ & Gomorrhæ, in diuitibus qui non possunt vti fruit suis bonis, denique in diabolo & reprobis hominibus. Hanc vim maledictionis Dei diligenter ponderemus, & hoc agamus vnice, vt per quotidianam instaurationem pœnitentiæ auertamus fulmen maledictionis Dei. Hæc, hæc sunt sacra auertentia, non vero ineptiæ illæ, quæ cernuntur in circumgestatione idolorum.

De III. Efficacia fidei est quædam omnipotentia, qua possumus illa, quæ carni sunt impossibilia. Nam quia fides nos vnit Deo, & est opus Dei, atque purus putus Spiritus, qui supra naturam assurgit, oportet vt natura ipsi cedat, si nempe cum nulla conflictetur dubitatione. Docet itaque hic Christus, quanta sit virtus fidei. Non, inquam, docet montes transferre, sed certitudinem fidei notat. Quo pertinet, quod fides nostra dicitur esse victoria, quæ vincit mundum, & quidquid est in mundo. Coronidis loco notetur distinctio ignorantiæ, quod sit vel officij quæ est mala, & opponitur scientiæ ineſſe debitæ: vel naturæ, quæ non est vitiosa, sed consequens naturæ finitæ & creatæ.

Matth.22. v.1.15.

Dominica XX. post Trinitatis.

Exordium. Illustris est illa visio *Apoc.19.* de nuptijs Filij Dei, Describitur enim vestis nuptialis puritas, sponsi majestas, & conuiuarum pluralitas.

Propositio. Differemus 1. de nuptijs gratiæ & gloriæ. 2. De impedimentis, per quæ fiat quo minus homines veniant ad has tales tantasque nuptias.

De I. Quemadmodum totus mundus est speculum absconditi Dei: ita & actiones ordine recto susceptæ sunt speculum absconditarum actionum Dei, verbi gratia, nuptiæ sunt speculum bonitatis Dei, in quo distimus. 1. Conjugium spirituale, seu desponsationem animæ nostræ cum Christo: *Simile est regnum cœlorum homini, qui fecit nuptias filio suo.* 2. Blandissimam inuitationem: *Et misit seruos suos.* 3. Formulam inuitationis amicissimam: *Dicite inuitatis, Ecce, &c.* Atque hæc sunt tria eximia argumenta amoris Dei erga genus humanum.

De II. Non Deus est in causa, sed ipse homo, quo minus ad nuptias illas veniat. Sunt enim quatuor classes hominum, qui seipsos reddunt excluſissimos. 1. contemtores & derisores impij, qui nolunt venire. 2. [illegible] *τριγυια φρονῆσις*, qui curant nil nisi res terrenas. 3. Tyranni & persecutores, qui

qui trucidant, vel saltem contumelijs afficiunt seruos Dei. 4. Hypocritæ, qui non sunt induti vestem nuptialem, οἱ ἔχοντες μόρφωσιν & ζωὴν. Vestis illa nuptialis est toga justitiæ Christi. *Esa.61. Galat.3. Apocal.19.* Induimus autem Christum partim credendo, partim sancte & Christiane viuendo. Sed inquis, si Deus largiretur omnibus hanc gratiam, vtique illi induerent hanc vestem. Jam vero Deus multos vocat, & paucos eligit, atque adeo ludificatur homines. Resp. Deus sufficientem gratiam largitur omnibus vocatis: quia mittit seruos suos, qui prædicant mortem Christi & ejus meritum vniuersale, & hanc gratiam depingit in sacramentis, atque his veluti sigillis confirmat. Vide *Esa.5.*

Conclusio. Recitetur *Psalmus 45.*

Alia dispositio.

Exordium. Conuiuium nuptiale Ahasueri *Esther.1. & 2.* est imago nuptiarum Christi, quantum ad hæc tria, videlicet quoad magnificentiam conuiuij ingratitudinem superbissimæ Vasthi, & desponsationem humillimæ Estheræ.

Propositio. Disseremus 1. de modo, quo anima nostra desponsetur Christo. 2. De ingratitudine hominum.

De I. Desponsatio ista fit. 1. Per veram conuersionem, qua fit vt trãsferamur è regno tenebrarum in regnum cœlorum. 2. Per fidem, qua sponsum cognoscimus, & ipsi vnimur. Cognitio sponsi est quantum ad cor amore saucium, vestem splendidam, arrham egregiam nuptias denique magnificas, in qua cernimus canticum nuptiale, spectacula nuptialia, cibos insignes, &c. Vnitio fit per Spiritum Sanctum.

De II. Impedimenta gratiæ non sunt à Deo, sed ab hominum ingratitudine, cujus describitur modus & pœna.

Conclusio. Induamus Christum ratione justificationis & regenerationis, vt illum aliquando possimus induere ratione glorificationis.

Alia dispositio.

Habemus hic duo specula. 1. Speculum misericordiæ Dei. 2. Speculum miseriæ hominum.

De I. Misericordia Dei cernitur in eo, quod ab æterno nos prædestinat ad vitam æternam, & in tempore nos vocat & ducit in viam ad vitam. Hic disseratur de prædestinatione. 1. Ratione causarum, quæ sunt misericordia Dei, & Christus μεσίτης καὶ ἐγγυητής. 2. Ratione effectorũ, quæ ipsa sunt προσλήψεις electionis, hac serie. Electi 1. norunt & credunt Christum esse sponsum suum. 2. Libenter sequuntur Deum vocantem. 3. Non curant res mundanas. 4. Non ludificantur seruos Dei. 5. Induunt vestem nuptialem. 6. Gustant dulcedinem conuiuij spiritualis.

De II. Miſeria hominum eſt tum vniuerſalis, tum ſingularis. Illa eſt, qua omnes ſunt natura filij iræ, adeoque ſponſa diaboli, non pertinentes ad regnum cœlorum: hæc eſt reproborum, qui ſunt ingrati aduerſus Deum, & ideo ſeueriſſime puniuntur: cujus rei exemplum triſte eſt *Num.2. & 2.Chron.36.*

Alia diſpoſitio.

Parabola hæc de vocatis ad nuptias, non probat facultatem liberi arbitrij ſeſe applicandi ad vocationis gratiam, quam excitantem & prænientem vocant: ſed docet. 1. Deum gratis vocare, quos vocat, etiam indignos. 2. Gratiam vocationis externæ eſſe reſiſtibilem, & nihil prodeſſe ad ſalutem, niſi accedat gratia tractionis ſeu vocationis internæ. 3. Voluntarium contemtum vocationis externæ ſufficere ad juſtam contemtorum damnationem. 4. Cœtui vocatorum ſemper hypocritas quoſdam admixtos eſſe, quos Eccleſia quidem diſcernere non nouit, Deus autem judicabit.

Matth.22.v.15.23.

Confer cum Marc.12. & Luc.20.

Dominica XXII. poſt Trinitatis.

Exordium. Quam graue ſit peccatum rebellio, aduerſus magiſtratum, id vero videre eſt ex hiſtoria Core, Dathan & Abiram, itemque Abſolomi & Achithophelis.

Propoſitio. Conſiderabimus captioſam quæſtionem Phariſæorum, & ingeniolam Chriſti reſponſionem.

De I. Hic occurrit doctrina de tribus proprietatibus regni diaboli, quarum prima eſt ſophiſtica ſarguinolenta, ſeu inſidiæ cruentæ: *Conſilium ceperunt, vt illaquearent eum in ſermone*: ſecunda eſt brachium ſeculare: *Mittunt ad eum diſcipulos ſuos cum Herodianis*: tertia cernitur in labijs doloſis: *Præceptor ſimus, &c.*

De II. Ex reſponſione Chriſti diſcimus ipſius diuinitatem, quæ celatur in κρύφιος γνῶσις: *Cognita autem malitia eorum*: & noſtrum officium, quod conſiſtit in cordis integritate, *Quid me tentatis hypocritæ*: obedientiæ æquitate: *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris*, &c & religionis ſanctitate: *Quæ ſunt Dei, Deo.*

Concluſio. Recitetur *Pſalmus 85.*

Alia diſpoſitiones.

I. Differatur de magiſtratu & ſubditis.

De I. Magiſtratus conſideretur fundamentum, puta inſtitutio Dei & approbatio Chriſti: & officium, quod poſitum eſt in quatuor hiſce columnis, pietate, juſtitia, miſericordia, & ſtudio pacis.

De II.

De II. Officium subditorum nititur similiter quatuor columnis: videlicet mandato Dei, gratitudine erga Deum, benedictione & maledictione Dei, denique regula Christi, quam hic præscribit.

II. Speculum magistratus describitur *Prouerb. 8.* vbi partim origo, partim officium magistratus describitur. In hoc textu idem officium vna cum officio subditorum ob oculos ponitur, videlicet vi correlatiuorum. Officium magistratus continetur religione & justitia, quæ sunt duæ columnæ cujusl bet reipub. Officium subditorum cernitur in amore, honore & obedientia: quæ tres virtutes adamantino nexu cohærent, ita videlicet vt posterior fluat ex priori.

III. Considerabimus persecutionem Pharisaicam, & euasionem Christianam.

De I. Pharisæi persequuntur Christum. 1. Consultando. 2. Insidias struendo. 3. Brachio seculari armando. 4. Blandiendo. 5. Sophisticando. Hæc persecutio Christi est idea persecutionis Christianorum.

De II. Consolatio aduersus persecutionem mundi est. 1. Omniscientia Christi. 2. Patefactio & confusio hostium. 3. Prudentia membrorum Christi, quam habent à capite suo Christo. Quemadmodum enim ille prudenter respondet: ita illius membra ab ipso accipiunt Spiritum prudentiæ serpentinæ, quam opponunt calliditati serpentum hujus mundi.

Mat. 22. v. 21.

Euangelium non abolet politias, etiamsi in ijs multa onera sint ferenda. Nam jus regis, quod ipse Deus sanxit, secum trahit multa dura & onerosa: quibus jus regis vsurpatum adjecit multa injusta & impia.

Matth. 22. v 34. ad finem.

Confer cum Marc. 12. & Luc. 20.

Exordium. Quemadmodum in arca fœderis asseruabantur duæ tabulæ Mosis, manna & virga Aharonis *Hebr. 9.* ita in hoc Euangelio proponitur & exponitur lex Mosis, panis vitæ Christus, & virga ipsius perpetuo florens, id est, regnum æternum. Habemus itaque hic compendium legis & Euangelij, adeoque vniuersæ Scripturæ. *Dominica XVIII. post Trinitatis.*

Propositio. I. In quæstione Pharisæorum agemus de vero sensu & vsu legis. II. In quæstione Christi videbimus sensum & vsum Euangelij.

De I. Obserua primo quod dicitur versu *34. Pharisæi autem cum audiuissent*, &c. Hinc discimus, perpetuas esse disputationes in Ecclesia. Deinde sensus legis pendet à suauitate dilectionis, &

plenitudine diligentis. Nam lex imperat rem dulciſſimam; videlicet dilectionem Dei & proximi: & præcipit, vt hoc faciamus toto conatu, de faciamus diuortium inter dilectionem Dei & proximi, vel inter animam ſiue cor & corpus ſiue os, ita vt diligamus non tantum ore, ſed etiam corde. Tertio vſus legis eſt, vt inde cognoſcamus ſanctitatem Dei, quam facies Moſis ſplendens ſignificabat: deploremus noſtram impuritatem: imploremus denique Dei benignitatem, vt det nobis vti lege tanquam regula.

De II. Euangelium duo docet de Chriſto. Primum eſt de ipſius perſona, quod ſit verus Deus, & verus homo, quippe & dominus & filius Dauidis. Officium ejus eſt, quod ſit Propheta, qui ſufficienter & potenter docet *v.34.37.41.46.* Sacerdos, qui factus eſt homo, vt hominem redimeret *v.42.* vbi appellatur filius Dauidis: denique Rex, vtpote qui eſt dominus, ſedens ad dextram Patris, & potentet dominans in medio inimicorum ſuorum *v.43.44.*

Concluſio. Recitetur *Pſal.110.*

Alia diſpoſitio.

Charitas eſt inter ſolis, qui omnia viuificat & lætificat. De charitate iſta concionatur vniuerſa Scriptura: & quidem de charitate erga Deum & proximum concio legis, de charitate Chriſti erga hominem concio Euangelij. Compendium vtriuſque iſtius concionis hic proponitur.

De I. Obſerua. 1. Cur lex ſit ſeruanda: quia ad hoc obligamur: *Diliges, Dominum, Deum tuum*; *Iſtud eſt primum & magnum mandatum*: quæ ſunt quatuor fundamenta dilectionis Dei: *Secundum ſimile huic: Diliges Proximum tuum*; quæ ſunt tria fundamenta dilectionis proximi. In ijs verbis: *Ab his duobus mandatis*, &c. Continetur fundamentum commune vtriuſque dilectionis. 2. Quomodo lex ſit ſeruanda: Deus eſt diligendus ſupra omnia, & proximus ita vt diligimus nos ipſos.

De II. Obſerua quid ſit tenendum de perſona & officio Chriſti. Conclude *Pſalmo 118.*

Matth.23.v.1.& ſeqq.

Proponitur hoc loco ſpeculum & theatrum hypocritarum ratione doctrinæ, vitæ & pœnæ.

De I. Doctrina ipſorum eſt mangonizata, conſtans ex particulis quibuſdam doctrinæ cœleſtis, & mantiſſa variarum traditionum.

De II. Vita ipſorum eſt ſimilis doctrinæ. Externum hominum mangonizant varijs Phaleris, de interno nequicquam ſolicitii. Hinc Chriſtus docet illos eſſe ſimiles ſepulchris dealbatis.

De III.

De III. Christus illis denuntiat væ, idque iterato. Etsi enim ipsis bene est, quantum ad hominem externum, male tamen est ipsis, quantum attinet ad hominem internum. Atque ita est mirabilis analogia & harmonia inter doctrinam, vitam, & pœnam hypocritarum.

Matth. 23. v. 37. 38.

Duo hic tractantur. 1. de singulari Dei misericordia. 2. de magna hominum ingratitudine.

De I. Misericordia Dei cernitur in eo, quod 1. mittit seruos suos tanquam legatos. 2. per illos congregat nos quemadmodum gallina congregat pullos suos subalas.

De II. Ingratitudo hominum cernitur in eo, quod 1. nolunt venire. 2. trucidant & contumelijs afficiunt legatos Dei. Hæc autem gratitudo nõ dimittitur impunita: *Domus vestra deserta relinquetur.* Proprietates gallinæ possunt ad Christum accommodari hoc modo. 1. Gallina vltro excludit pullos suos, non coacta. Sic Christus vltro pro nobis est passus. 2. Gallina patitur famem vt foueat pullitiem suam. Ita Christus pauper factus est vt nos ditaret. 3. Gallina audit vocem pullorum. Ita Christus audit gemitus suorum. 4. Gallina cibum suppeditat & comminuit pullis suis. Ita & Christus. 5. Gallina pullos hinc inde dilapsos colligit. Similiter Christus. 6. Gallina ducit, defendit & protegit pullos suos. Idẽ facit Christus. 7. Gallina infirmatur præ solicitudine erga pullos. Ita Christus in cruce factus est infirmus & deformis propter salutem nostram. Cæterum ex hac querela Christi, non recte probatur, omnibus dari gratiam sufficientem ad fidem & pœnitentiam, & hominem habere liberum arbitrium in moralibus & spiritualibus: sed tantum hoc inde conficitur, hominem ex se posse resistere gratiæ vocanti.

Matth. 24. v. 15. 29.

Conferendum Marc. 13. & Luc. 21.

Exordium. Horribilis est illa visio de dracone & impuris spiritibus *Apoc. 16.* *Dominica XXV. post Trinitatis.*

Propositio. Considerabimus desolationem corporalem Hierosolymorum, & spiritualem ecclesiæ militantis.

De I. Videmus hic modum & prædictionem desolationis, & consolationem in illa. Modus indicatur illis verbis: *Abominationem desolationis.* Prædictio est ibi: *Quæ dicta est à Daniele.* Hic indicentur principales causæ hujusmodi desolationis: puta idololatria, falsatio doctrinæ, persecutio ecclesiæ, impia vita, & discordia. Consolatio est gemina: videl. fuga & precatio. Ad fugam quod attinet, meminisse debemus, hanc esse paternam

Dei indolem, vt in flammis persecutionum halcyonia præbeat filijs suis, vt discimus ex historia Lothi, Eliæ, Elisæi, & aliorum. Precatio nostra debet orare Deum, vt tempore pœnæ grauitatem. *v.*20.

De II. Abominatio desolationis spiritualis est regnum Antichristi, cujus notæ sunt numero tres. 1. est pseudochristus, i.e. sanctitatem Christi prese fert hypocritice. 2. pompa religionis: *Ecce in deserto est: Ecce in penetralibus.* Habes hic picturam vitæ eremiticæ & monasticæ. 3. miracula & prodigia. Consolatio aduersus hæc mala est quadruplex. 1. Fideles Christi serui sunt electi. *v.*22. Non igitur possunt seduci. 2. Etsi tribulatio ista futura est magna: dies tamen breuiabuntur propter electos. 3. Christus nobis prædixit. 4. Aduentus Christi terribilis erit impijs. *v.*27. & lætitiam afferet electis, vtpote qui Christo adhærent, non aliter atque aquilæ cadaueri. *vers.*28.

Conclusio. Recitetur *Psalmus* 121.

Alia dispositio.

Exordium. Triplex illa corona Filij Dei *Apoc.*19. denotat triplex ipsius officium; quod ecclesia Catholica credit & propugnat, antichristus odit & impugnat.

Propositio. Indicabimus hæc duo. 1. quomodo noua Hierusalem ædificetur. 2. quomodo desoletur.

De I. Triplex est ædificatio ecclesiæ: videl. ædificatio fidei, vitæ ex charitatis, & consolationis seu spei. Fides cernitur in eo, quod credentes sunt electi, habent verbum Dei, confugiunt ad Deum. *vers.*22. 15. 16. 20. Charitas in eo, quod Christo adhærent. *v.*28. Spes in eo, quod dies breuiantur propter electos. *v.*22. & ipsi liberantur glorioſe. *v.*27.

De II. Antichristus desolat spirituale hoc ædificium operibus suis hypocriticis, pomposis, & prodigiosis. Quo pertinent indulgentiæ, inuocatio sanctorum, purgatorium, meritum operum, traditiones humanæ, concilia caput ecclesiæ visibile, miracula &c.

Conclusio. Recitetur visio illa *Ezech.*8. de quatuor principalibus abominationibus desolationis.

Matth. 24.

*Vers.*1. Admiratores basilicarum magnificarum debebant hoc agere, vt Deo ædificarent templum in corde suo.

*Vers.*6. Quando videmus omnia sursum deorsum misceri in mundo, cogitemus illa esse necessaria ratione definitionis & prædictionis Dei, ideoque ab illo sapienter, juste & potenter regi, vt cooperentur nobis in salutem.

*Vers.*12.

*Vers.*12. Multiplicata fide, hoc est, religione falsa, decrescit charitas, quæ est verus ille ignis, quo corda nostra fouentur, vt ament Deum & proximum. Est, inquam, ignis, qui calefacit cor nostrum, quomodo è contrario odium frigefaciendo depascitur cor, & proximum in frigore egestatis reficit. Hat.

*Vers.*14. Quemadmodum sol totum terrarum orbẽ ambit, illuminat & calefacit: sic necesse est, vt sol justitiæ, Christus Jesus, prius in toto mũdo prædicetur, quam veniat ad judicandum totum mundum.

*Vers.*23.25 Qui post ascensionem Christi in cœlum, corpus ejus monstrant in certo loco, extra cœlum, in terris, hic vel ibi, in ciborio, in altari, in Missa, in monasterio, in crucifixo, &c. præsens pseudochristi vocantur. Christus est in cœlo corpore suo, in cœlo & terra deitate sua, in ecclesia & anima fideli præsentia gratiæ, in sacramento similiter vere præsens est gratia realissima & efficacissima, siue spiritu suo viuifico, denique adest hypocritis & contemtoribus suis præsentia seueræ justitiæ.

*Vers.*28. Hic continetur descriptio mysticæ vnionis & communionis inter Christum & electos. Explicationem vide supra.

*Vers.*29.30. Magnificentia aduentus Christi ad judicium erit plena majestatis, quæ terrebit impios, exhilarabit pios.

*Vers.*37 38. Instituatur collatio diluuij & vltimi judicii, quantum ad antecedentia, formam, & consequentia.

*Matth.*24. *v.*37. *ad finem.*

Exordium. Beneficia Dei vtiliter inter se conferuntur. Similiter & judicia ipsius. Ita Christus hoc in loco confert inter sese diluuium & ipsius tẽpus cum vltimo judicio & ipsius tempore. *Dominica XXVII. post Trinitat.*

Propositio. Considerabimus statum mundi circa finem seculi, & officiũ electorum Dei filiorum circa hoc tempus.

De I. Status mundi circa finem seculi erit geminus illi, qui fuit tempore diluuij: vbi notetur voluptas & securitas carnis, quæ duo vitia feneſtrã, vel potius januam aperiunt omnibus omnino peccatis.

De II. Officium nostrum consistit. 1. in vigilantia. 2. in fidelitate seruitij. Vbi obseruetur merces officij *vers.*47. & antithesis mali seruitij *v.* 48. *& seqq.*

Conclusio. Recitetur *Psalmus* 123.

NB. *Solet etiam hac Dominica prælegi textus* Matth.17. *quem ibi vide.*

*Matth.*25 *v* 1.13.

Differatur hic de conjugio Christi & ecclesiæ, hoc modo. 1. Christus est spon-

ſponſus: ratione pulchritudinis, procationis, vnionis, communionis & defenſionis. 2. ſponſa Chriſti eſt eccleſia, eaque tum Catholica & inuiſibilis, tum particularis & viſibilis. Ibi ſunt quinque virgines prudentes, quæ ſunt virgines, h. e. caſtæ, intactæ: ſunt prudentes, quia habent lampades inſtructas oleo, & ardentes, vigilantque in ſuo munere: Hic ſunt quinque virgines fatuæ, quæ ſunt virgines, opinione, cum reuera ſint meretrices: ſunt fatuæ, quia non habent oleum in lampadibus ſuis, & ſapiunt poſt factum.

Matth. 25. v. 1. & ſeqq.

Hic tria ſunt notanda: primum quis ſit ſponſus, & quæ ſponſa; deinde, quam excellens bonum ſignificetur nomine nuptiarum; poſtremo quid requiratur, vt ad bonum tam eximium peruenire valeamus.

De I. Sponſus eſt Chriſtus. *Johan. 3. 2. Cor. 11.* Sponſa eſt eccleſia *Eph. 5.* & proinde quæuis anima ſancta.

De II. Dici non poteſt, imo ne cogitari quidem, quale ſit bonum, animam hominis cum Chriſto, adeoque cum Deo, connubio jungi. Nihil magis honorificum, nihil vtilius, nihil dulcius inueniri poteſt, quam filium Dei, fratrem Chriſti, & ſponſam ejus eſſe, conſortem throni, conſortem thalami, conſortem coronæ, conſortem titulorum omnium. ô vnionem admirabilem! ô communionem deſiderabilem?

De III. Quinque ſunt conditiones ſiue qualitates, quæ requiruntur: prima, vt anima ſit virgo, virginitate fidei & morum: ſecunda, vt ſit prudens, quæ declinet à malo, & faciat bonum: tertia, vt habeat lumen in lampade, ſeu lampadem lucentem, quæ ſunt bona opera: quarta vt habeat oleum in vaſe, h. e. ſpem viuam: denique, vt vigilet, & vigilando ſponſi aduentum diligenter obſeruet, meditando ſcil. & precando.

Matth. 25. v. 14. & ſeqq.

Æterna felicitas ſanctorum continet poteſtatem ampliſſimam & gaudium maximum. Poteſtas eſt, quod electi, ſerui illi fideles, conſtituuntur ſuper omnia bona domini ſui. Quid eſt autem ſuper omnia bona domini conſtitui, niſi poteſtatem accipere in omnes res inferiores, & conſortem fieri imperij, quod habet Deus in mundum vniuerſum? Quis capiat, quanta ſit hæc poteſtas? quis rex aut imperator in terris cum minimo ſanctorum in cœlis poteſt comparari? Sed quoniam tanta poteſtas in homine non videtur haberi poſſe ſine magna ſolicitudine, & perturbatione animi, ideo adjungit Dominus: *Intra in gaudium Domini tui* q. d. quemadmodum te conſortem facio ſummæ poteſtatis, ſic etiam facio ſummæ voluptatis & quietis, quam nulla ſolicitudo impedire aut diminuere poterit. Quantum ſit hoc gaudium, quod promittitur juſtis in cœlo, inexplicabile

cabile prorsus est, neque antea sciemus, quam experimento didicerimus. Interim tamen hoc scimus gaudium illud fore maximum. Nam Dominus dicit, *Intra in gaudium*, non vero, *intret in te gaudium*: quibus verbis docet, majus esse illud gaudium, quam vt nos totum capere possimus. Itaq; intrabimus nos quasi in mare magnum sempiterni & diuini gaudij, quod nos intra & extra, supra & infra, ante & post, totos replebit, & vndiq; redundabit. Deinde Christus absolute dicit, *In gaudium*, non vero in hoc vel illud gaudium. Deniq; addit, *Domini tui*. Intrabimus enim in gaudium, nō quo gaudent angeli vel homines, sed quo gaudet Deus, in quo sunt omnia infinita. Videamus nunc, ad quos tanta promissa pertineant. Ad illos nimirum pertinent, qui talenta sibi à Deo tradita multiplicare cum fide adlaborant. Talenta ista sunt dona naturæ & gratiæ, seu naturalia, moralia & spiritualia, puta ingenium, judicium, eruditio, fides, spes, charitas, & similia. Hæc talenta sunt per negotiationem fidelem bene collocanda & cum fœnore multiplicanda in officio cujusque, ita vt singuli bene operentur in salutem suam & aliorum.

Matth. 25.

Vers. 9. Christus non jubet indulgentias emere à Papa vel monachis: sed docet oleum fidei & resipiscentiæ comparandum esse & emendum partim precibus & labore multiplici, partim auditione verbi. Illo modo emitur à Deo, & quidem gratis: hoc modo emitur à ministris ecclesiæ, non tanquam institoribus, sed institutoribus, quibus debetur certum salarium.

Vers. 15. Deus omnibus & singulis hominibus, tum in ecclesia, tum extra ecclesiam, dat talentum, siue fidei & resipiscentiæ, siue sapientiæ, siue opulentiæ &c. Nostrum itaq; est id operam dare, vt simus boni negotiatores, & meminerimus nos non esse proprietarios bonorum nostrorum, sed vsufructuarios.

Vers. 29. Habenti dabitur, h. e. illi, qui præditus est vera fidè, augebuntur dona Spiritus sancti. Nam solus Christus habetur, omnia extra Christum videntur haberi, sed sunt aliena.

Matth. 25. v. 31. ad finem.

Exordium. Insignis illa visio *Apoc. 20. v. 11. & seqq.* est illustre speculum vltimi judicij *Dominica XXVI. post Trinitatis.*

Propositio. Considerabimus majestatem judicis, & processum seu modum & ordinem judicii.

De I. Maiestas iudicis cernitur in solio, comitatu, & comitiis. Solium maiestatis Christi præfiguratum est per thronum Salomonis, cui non fuit

ſponſus: ratione pulchritudinis, procationis, vnionis, communionis & defenſionis. 2. ſponſa Chriſti eſt eccleſia, eaque tum Catholica & inuiſibilis, tum particularis & viſibilis. Ibi ſunt quinque virgines prudentes, quæ ſunt virgines, h. e. caſtæ, intactæ: ſunt prudentes, quia habent lampades inſtructas oleo, & ardentes, vigilantque in ſuo munere: Hic ſunt quinque virgines fatuæ, quæ ſunt virgines, opinione, cum reuera ſint meretrices: ſunt fatuæ, quia non habent oleum in lampadibus ſuis, & ſapiunt poſt factum.

Matth. 25. v. 1. & ſeqq.

Hic tria ſunt notanda: primum quis ſit ſponſus, & quæ ſponſa; deinde quam excellens bonum ſignificetur nomine nuptiarum; poſtremo quid requiratur, vt ad bonum tam eximium peruenire valeamus.

De I. Sponſus eſt Chriſtus. *Johan. 3. 2. Cor. 11.* Sponſa eſt eccleſia *Eph. 5.* & proinde quæuis anima ſancta.

De II. Dici non poteſt, imo ne cogitari quidem, quale ſit bonum, animam hominis cum Chriſto, adeoque cum Deo, connubio jungi. Nihil magis honorificum, nihil vtilius, nihil dulcius inueniri poteſt, quam filium Dei, fratrem Chriſti, & ſponſam ejus eſſe, conſortem throni, conſortem thalami, conſortem coronæ, conſortem titulorum omnium. ô vnionem admirabilem! ô communionem deſiderabilem?

De III. Quinque ſunt conditiones ſiue qualitates, quæ requiruntur: prima, vt anima ſit virgo, virginitate fidei & morum: ſecunda, vt ſit prudens, quæ declinet à malo, & faciat bonum: tertia, vt habeat lumen in lampade, ſeu lampadem lucentem, quæ ſunt bona opera: quarta vt habeat oleum in vaſe, h. e. ſpem viuam: denique, vt vigilet, & vigilando ſponſi aduentum diligenter obſeruet, meditando ſcil. & precando.

Matth. 25. v. 14. & ſeqq.

Æterna felicitas ſanctorum continet poteſtatem ampliſſimam & gaudium maximum. Poteſtas eſt, quod electi, ſerui illi fideles, conſtituuntur ſuper omnia bona domini ſui. Quid eſt autem ſuper omnia bona domini conſtitui, niſi poteſtatem accipere in omnes res inferiores, & conſortem fieri imperij, quod habet Deus in mundum vniuerſum? Quis capiat, quanta ſit hæc poteſtas? quis rex aut imperator in terris cum minimo ſanctorum in cœlis poteſt comparari? Sed quoniam tanta poteſtas in homine non videtur haberi poſſe ſine magna ſolicitudine, & perturbatione animi, ideo adjungit Dominus: *Intra in gaudium Domini tui* q. d. quemadmodum te conſortem facio ſummæ poteſtatis, ſic etiam facio ſummæ voluptatis & quietis, quam nulla ſolicitudo impedire aut diminuere poterit. Quantum ſit hoc gaudium, quod promittitur juſtis in cœlo, inenarrabile

cabile prorsus est, neque antea sciemus, quam experimento didicerimus. Interim tamen hoc scimus gaudium illud fore maximum. Nam Dominus dicit, *Intra in gaudium*, non vero, *intret in te gaudium*: quibus verbis docet, majus esse illud gaudium, quam vt nos totum capere possimus. Itaq; intrabimus nos quasi in mare magnum sempiterni & diuini gaudij, quod nos intra & extra, supra & infra, ante & post, totos replebit, & vndiq; redundabit. Deinde Christus absolute dicit, *In gaudium*, non vero in hoc vel illud gaudium. Deniq; addit, *Domini tui*. Intrabimus enim in gaudium, nō quo gaudent angeli vel homines, sed quo gaudet Deus, in quo sunt omnia infinita. Videamus nunc, ad quos tanta promissa pertineant. Ad illos nimirum pertinent, qui talenta sibi à Deo tradita multiplicare cum fide adlaborant. Talenta ista sunt dona naturæ & gratiæ, seu naturalia, moralia & spiritualia, puta ingenium, judicium, eruditio, fides, spes, charitas, & similia. Hæc talenta sunt per negotiationem fidelem bene collocanda & cum fœnore multiplicanda in officio cujusque, ita vt singuli bene operentur in salutem suam & aliorum.

Matth. 25.

Vers. 9. Christus non jubet indulgentias emere à Papa vel monachis: sed docet oleum fidei & resipiscentiæ comparandum esse & emendum partim precibus & labore multiplici, partim auditione verbi. Illo modo emitur à Deo, & quidem gratis: hoc modo emitur à ministris ecclesiæ, non tanquam institoribus, sed institutoribus, quibus debetur certum salarium.

Vers. 15. Deus omnibus & singulis hominibus, tum in ecclesia, tum extra ecclesiam, dat talentum, siue fidei & resipiscentiæ, siue sapientiæ, siue opulentiæ &c. Nostrum itaq; est id operam dare, vt simus boni negotiatores, & meminerimus nos non esse proprietarios bonorum nostrorum, sed vsufructuarios.

Vers. 29. Habenti dabitur, h. e. illi, qui præditus est vera fide, augebuntur dona Spiritus sancti. Nam solus Christus habetur, omnia extra Christum videntur haberi, sed sunt aliena.

Matth. 25. v. 31. ad finem.

Exordium. Insignis illa visio *Apoc. 20. v. 11. & seqq.* est illustre speculum vltimi judicij *Dominica XXVI. post Trinitatis.*

Propositio. Considerabimus majestatem judicis, & processum seu modum & ordinem judicii.

De I. Maiestas iudicis cernitur in solio, comitatu, & comitiis. Solium maiestatis Christi præfiguratum est per thronum Salomonis, cui non fuit

similis 1. *Reg.* 10. & descriptum à Daniele *cap.* 7. Comitatus est splendidissimus, puta exercitus sanctorum angelorum: quo pertinet clangor tubæ, & hortationis clamor. 1. *Thess.* 4. Comitia erunt amplissima: *Congregabuntur coram eo omnes populi.*

De II. Tres hic sunt actus. 1. Separatio: cujus tria erunt media; videl. conscientia, sancti angeli, & clarificatio corporum. Hic observa, libros illos, qui aperientur in vltimo judicio, esse conscientias hominum, quas circumdabit lux admirabilis, ita vt omnia & singula cogitata, dicta & facta clare possint introspici. 2. Sententiæ dictio: vbi est benedictio electorum, & maledictio reproborum. Vtrobiq; observa colloquium Christi & hominum judicandorum. 3. Sententiæ executio.

Conclusio. Diligenter præparemus nos ad hoc judicium, quotidie illud meditando, & sancte viuendo.

Matth. 25. v. 34. 35.

Hic differatur de necessitate bonorum operum, κατ' ἀνάγκην σχέσεως.

De I. Bona opera non sunt necessaria necessitate meriti: quia meritum Christi est causa solitaria & totalis, λύτρου perfectissimum, & pretium pretiorum. Deinde bona opera non possunt sustinere examen Lydij lapidis: tum quia sunt imperfecta, tum quia sunt debita, tum quia non sunt nostra.

De II. Bona opera etsi non sunt causa regnandi, tamen sunt via ad regnum: & proinde sunt necessaria necessitate præcepti, promissionis seu obligationis mutuæ, medij, & signi; adeoq; propter Deum, nos ipsos, sanctos angelos, & proximum nostrum, siue sit fidelis, siue infidelis & hypocrita. Hinc Christus judex allegabit bona opera, non tanquam merita, sed tanquam signa & argumenta justæ sententiæ de quibus latæ.

Historia passionis Christi.

Matth. 26. & 27. Marc. 14 & 15. Luc. 22. & 23. Johan. 18. & 19.

Prima homilia.

Exordium. Hæc est illa dies, quæ prædicta est *Dan.* 9. Septuaginta septimanæ: & *Zach.* 3. Adducam seruum meum Zemah &c.

Propositio. Considerabimus quatuor actus siue loca, in quibus Christus est passus: videl. montem olueti, palatium Pontificis maximi, prætorium Pilati, & locum caluariæ.

Tractatio. I In monte olueti Christus tristatur, fit supplex Patri, suæ voluntatem subjicit voluntati Patris, sudat sanguinem, & capitur. II. In Palatio Pontificis, seu coram Consistorio ecclesiastico accusatur, cæditur, illuditur, cõuitijs proscinditur. III. In prætorio Pilati, seu coram tribunali politico, flagellatur, purpura induitur, spinis coronatur, abnegatur, damnatur. IV. In

monte

monte caluariæ affigitur cruci, quam ipse baiulauit. *Vsus.* In singulis actibus considerentur quatuor specula: videl. speculũ peccati, iræ Dei aduersus peccatum, gratiæ Dei, & virtutis seu officii atq; imitationis Christi. Adhibeatur item crebro apostrophe, nunc ad animam, nunc ad Christum.

Conclusio. Recitetur *Psalmus* 22.

Secunda homilia.

Exordium. Apostolus 2. *Tim.* 2. inquit, Memoria tene Christum crucifixum. Quæ verba nobis dicta putemus, in primis hoc tẽpore, quo historiã passionis Christi pro consuetudine recepta explicare solemus.

Propositio. Quadruplex est consideratio passionis Christi. 1. Historica. 2. Practica. 3. Paradigmatica. 4. Allegorica.

De I. In tradenda historia passionis Christi sequemur methodũ symboli: *Passus, Crucifixus & Mortuus.* Passio distincte consideratur in monte oliueti, consistorio ecclesiastico, & dicasterio politico. Crucifixio explicetur per hypotyposin. Mors similiter.

De II. Considera personam, quæ patitur causam cur patiatur: finẽ, ob quem patitur. Hic differes de persona Christi, de peccatis nostris, de amore Dei, de fructibus passionis Dominicæ.

De III. Oportet vt Christum nobis proponamus imitandum, quantũ attinet ad obedientiam, patientiam, humilitatem, & mansuetudinem.

De IV. Passio Cliristi est speculum fortis & conditionis filiorum Dei in hoc mundo. Nam tragœdia passionis à tyrannis hodieq; agitur per mẽdacia, consultationes, proditiones, colaphos & crucem: Sed Deus hanc tragœdiam vertit in comœdiam.

Conclusio. Quotidie dicamus cum Ignatio: Amor meus crucifixus est.

Tertia homilia.

Exordium. Passio Christi præfigurata fuit per iridẽ Noachi, per immolationẽ Isaaci, per venditionem Josephi, per immolationem agni paschalis, per sacrificia deniq; propitiatoria.

Propositio. Consideratio passionis Christi est generalis & specialis.

De I. Oporter cõsiderare modũ fructũ, & vsum passionis Christi. *Modus* consistit in hisce. 1. Quis sit passus: nõ nudus homo, sed θεάνθρωπος. Nã Dominum gloriæ crucifixerunt. 2. Pro quibus sit passus: videl. pro omnib. & solis electis. Nã dedit animam pro ouibus suis, & nõ pro hœdis. 3. Quare sit passus: videl. propter peccata nostra. Hæc enim Christum crucifixerunt. 4. Quid sit passus: videl. iram Dei, quam nos debebamus pati. *Fructus* passionis est redemtio, & adoptio. Redemtio est, qua Christus

nos liberauit ab omni peccato & pœna peccati: ab ira Dei: à maledictione: à iudicio Dei: à morte æterna. Adoptio est, qua Christus nos constituit filios Dei, quibus dat iustitiam, sanctitatem, gaudium & vitam æternam. *Vsus* passionis consistit in eo, vt meditatio ipsius excitet in nobis pœnitentiam, qua doleamus de peccato: fidem, qua Christum crucifixum intueamur, & fructuum passionis eius participes fiamus: sanctam denique vitam quæ posita est in imitatione Christi patientis.

De II. Specialis consideratio passionis Christi est theorica, vel practica. Illa historiam explicat, hæc illam applicat eiusq; vsum tradit in doctrina, refutatione, institutione, correctione & consolatione. Vide seqq. homilia.

Conclusio. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. *Ioh.* 1.

Quarta homilia.

Exordium. Quemadmodum in libro naturæ pulcherrima cernitur harmonia, ita & in libro scripturę, nominatim in historia passionis Christi, prout illa à quatuor euangelistis est descripta. Harmoniam istam in præsentia ostendemus.

Propositio. Considerabimus antecedentia, concomitantia, & consequentia passionis Christi.

De I. Antecedentia sunt ista. 1. *Tepus.* Festum dierum azymorum, quod dicitur pascha, imminebat. Quo significabatur, panem vitæ, in quo nulli est fermentum malitiæ, & verum agnum paschalem immolandum esse. 2. *Concilium sacerdotum.* Ecce omnia occasioni passionis Christi inseruunt. 3. *Præparatio ad passionem Christi in domo Simonis leprosi*; eaque triplex. *Prima* est vnctio Christi, profecta à muliere: vbi est significationis mysterium, quod verus Messias sit vnctus præstantissimo illo balsamo Spir. S. fidei exercitium in muliere: discipulorum Christi murmur, & Christi encomium. *Secunda* est pactum Judæ proditoris, cuius cor occupauit dæmon auaritiæ. *Tertia* est ipsius Christi, qui in cœnaculo Hierosolymitano se præparat ad passionem suam, monstrando locum cœnæ, edendo cum discipulis agnum paschalem, condendo testamentum, pedesque sociorum abluendo. In primo opere elucet Christi omniscientia, & discipulorum obedientia: In secũdo mysterium agni Paschalis. In tertio perfectio & sublimitas testamenti Christi: In quarto humilitas Christi, ablutio spiritualis, & mutua charitas. *Quarta* concio Christi, in qua mœstitia perculsus manifestat proditorem, sedat conditionem discipulorum de primatu, sancit nouum mandatum de charitate, denique admonet Petrum de futuro lapsu, & reliquos discipulos de futuro scandalo. Quæ vaticinium Christi de sua passione, *Percutiam pastorem*: & discipulorum infidelitate, *Dispergentur oues.*

De II.

De II. Quatuor sunt actus passionis Christi. *Primus actus* est in monte oliueti & horto: vbi memorabile est, quod ibi se inclinauerit diuina misericordia, vbi ceciderat humana superbia. Hic occurrunt ista. 1. Tristitia, timor & tremor Christi. 2. Oratio ter repetita. 3. Consolatio angelica. 4. Lucta cum morte. 5. Sudor sanguineus. 6. Socordia & somnus discipulorum. 7. Concio Christi ad discipulos. 8. Proditio Judæ. 9. Captiuitas Christi. 10. Concio Christi ad Petrum & turbam. 11. Desertio & fuga discipulorum. *Secundus actus* est in consistorio Ecclesiastico, vbi ista sunt gesta. 1. Christus vinctus ducitur ad Hannam. 2. Idem examinatur à Caipha. 3. Idem fert patienter alapas sibi impactas. 4. Petrus labitur. 5. Christus patienter fert testimonium falsum, quod quæsiuerunt seniores aduersus ipsum, & duo falsi testes pronuntiarũt. 6. Christus denuo examinatur. 7. Idẽ illuditur, conspuitur & cæditur. *Tertius actus* est in prætorio Pilati, & continet ista. 1. Christus, quod perseuerat in sua confessione, condemnatur blasphemiæ, & ad Pilatum manibus ligatis mittitur. 2. Judas pœnitentia hypocritica ductus mortem sibi conscisit. 3. Quoniam Judæi nolunt se ingressu prætorij contaminare, Pilatus foras exit, & sententiam aduersus Christum à sacerdotibus latam, exequi recusat. 4. Judæi pergunt Christum arguere seditionis & rebellionis. 5. Christus, partim se excusando, partim tacendo, suam innocentiam probat Pilato, ejusque rei testimonio publico ab ipso ornatur. 6. Christus ad Herodem deductus, illi & familiæ illius propinatur deridendus. 7. Insomnia vxorẽ Pilati admonent integritatis Christi. 8. Pilatus Christum, flagellatione instituta tentat à supplicio mortis liberare. 9. Christus flagellis cæsus corona spinea redimitur, chlamyde coccinea induitur, & omnimodis probris infestatur. 10. Pilatus tandem clamoribus populi superatus; ac metuens sibi à Cæsare offensionem, nulla conscientiæ habita ratione morti adjudicat Christum, nil ejusmodi merentem. 11. Pilatus lauando manus testatur, se à cœdis illius culpa longissime abesse. *Quartus actus* est in monte caluariæ, vbi occurrunt ista. 1. Christus ad supplicium arreptus, suam crucem Simone Cyrenæo adjuuante ipse bajulat. 2. Idem consolatur mulieres hoc triste spectaculum deplorantes. 3. Idem accipit bibendum acetum felli admixtum. 4. Medius inter duos latrones cruci affigitur. 5. Titulus cruci affigitur. 6. Vestes Christi diuiduntur. 7. In stipite extensus conuitijs prętereuntium impetitur. 8. Vltima verba morti jam propinquus eloquitur. 9. Capite inclinato efflat animam.

De III. Mortem Christi sequuntur hæc duo. 1. Signa miraculosa. 2. Sepultura.

Conclusio. Quotidie hanc summariam passionis Christi historiam percurramus, & hoc crucifixum de collo suspendamus, vt inueniamus consolationem

lationem conſcientiæ efficaciſſimam, & incentiuum vitæ vehementiſſimum; dicamuſque cum Chriſtianiſſimo illo Theologo:

Homo fit hominis factor,
Vbera ſugit, qui ſidera regit,
Panis ipſe eſurit, fons vitæ ſitit,
Ipſa lux dormit, ipſa via fatigatur,
Veritas accuſatur, judex judicatur,
Juſtitia damnatur, flagris diſciplina cæditur,
Virtus infirmatur, ſalus vulneratur, vita moritur.

Quinta homilia.

Diuidemus paſſionem Chriſti in quatuor actus. *De primo actu.* Hic occurrit paſſio Chriſti interna, & præambulum ad paſſionem externam. *Paſſio interna* reſpicit Chriſtum trepidantem, orantem, & agonizantem. In trepidatione occurrit cauſa, vehementia, & eluctatio: in oratione humilitas, fides & obedientia: in agonizatione cauſa, vehementia & victoria. *Præambulum* cernitur in proditione Judæ, reprehenſione Petri, Apologia ſeu defenſione ſui, (in qua diſſerit de ſua innocentia, hoſtium poteſtate & cæcitate,) denique in deſertione & fuga diſcipulorum. *De ſecundo actu.* Chriſtus judicandus ſiſtitur Pontifici, vbi occurrunt iſta. 1. Vincula Chriſti, quæ ſoluunt vincula peccati, legis & inferni. 2. Alapæ Chriſti, quæ nobis pepererunt libertatem. 3. Abnegatio & conuerſio Petri, quæ eſt ſpeculum noſtræ miſeriæ, & Dei miſericordiæ. 4. Confeſſio Chriſti, in qua eſt compendium doctrinæ Chriſtianæ de perſona & officio ipſius. 5. Contumeliæ & injuriæ, quibus Chriſtus eſt affectus ob ſuam confeſſionem. 6. Sententia aduerſus Chriſtum à Pontifice pronuntiata, qua dignus fuit judicatus extremo ſupplicio tanquam blaſphemator. *De tertio actu.* Hic occurrunt iſta. 1. Chriſtus ducitur vinctus ad Pilatum. 2. Judas deſperat. 3. Chriſtus falſo accuſatus ſe ipſum defendit. 4. Chriſti innocentia à Pilato & ejus vxore aſſeritur. 5. Chriſtus ſingularem præ ſe fert patientiam. 6. Chriſtus ab Herode illuſus remittitur ad Pilatum. 7. Chriſto præfertur Barrabas, adeoque reijcitur à Judæis. 8. Jeſus indigne tractatur. Nam flagellatus, purpura indutus ſpinis coronatus, denique illuſus ad mortem crucis condemnatur. *De quarto actu.* Hic occurrunt. Antecedentia crucifixionis, vt ſunt eductio Chriſti, bajulatio crucis, & vulneratio Chriſti. 2. Ipſa crucifixio, vbi Chriſtus ſuſpenditur inter homines intermedius. 3. Conſequentia crucifixionis, qualia ſunt titulus crucis, diuiſio veſtimentorum Chriſti, blaſphemiæ Judæorum, preces Chriſti pro hoſtibus, ſolicitudo ejus de matre Maria, deſertio Chriſti, ſitis, pœnæ

pſius, duo verba ejus nouiſſima, *Conſummatum eſt*, & *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum*: denique ſeptem miracula, puta eclipſis ſolis, ſciſſura veli templi, terræmotus, ruptura petrarum, apertio ſepulchrorum, conuerſio multorum, ſanguinis & aquæ fluxus ex latere Chriſti. Dicamus jam ex *Pſalmo 66. Venite, & videte opera Domini.* Venite, inquam, & videte perſonam, quæ patitur. Venite & videte quam multa, quam magna, quam diu patiatur. Venite & videte quam ſit innocens, qui patitur. Venite & videte myſteria paſſionis, & illorum quæ tempore hujus paſſionis geſta ſunt, de quibus hanc accipite epitomen. I. Solus Chriſtus calcauit torcular iræ Dei. *Eſa. cap. 63.* & inter calcandum aſperſit veſtem ſuam, id eſt, humanam naturam, ſanguine ſuo, quemadmodum homo calcans vuas ſe conſpergit vino. II. Quemadmodum vua inter calcandum omnes ſuas vires effundit: ita Chriſtus, pretioſiſſima illa vua, omnem ſuam vim viuificam calcando hoc torcular expreſſit, & noſtro bono expreſſit. III. Triſtitiæ Chriſti tres gradus exprimuntur. Nam ille cœpit λυπᾶσθαι ἀκαταμβεῖσθαι, καὶ ἀδημονεῖν, hoc eſt, ſentire triſtitiam in anima, tremere præ horrore & timore mortis, denique deſtitui viribus corporis & animæ. Hic meminerimus triſtitiam Chriſti non fuiſſe corporalem, quæ concernit res caducas, neque ſpiritualem, quæ concernit res æternas; neque humanam, quæ exiſtit ex metu mortis; ſed infernalem, qua fit vt aliquis guſtet amaritiem mortis æternæ, quam Deus *Geneſ. cap. 2.* erat comminatus Adamo, ſi violaret legem. IV. Voluptas primorum parentum ſeu intemperantia gulæ circa fructum arboris vetitæ eſt cauſa doloris & triſtitiæ, quam Chriſtus ſuſtinuit, & ſuſtinendo vicit. Nos itaque fugiamus voluptates carnis, & conſolationem aduerſus pauorem conſcientiæ quæramus in triſtitia. V. Primus Adam faciem ſuam in ſublime extulit. Ideo Chriſtus genuflexus faciem ſuam in terram demiſit, vt ſuperbiæ noſtræ vim edomare. VI. In medijs calamitatibus exemplo Chriſti clama *Abba*. Nam Deus eſt Pater tuus non ſolum in proſperis, ſed etiam in aſperis. VII. Quemadmodum Chriſtus ſe ipſum veluti ſubmergit in abyſſum voluntatis Dei: ita & tu fac, anima mea. Demerge, inquam, te ipſum, quanta quanta es in abyſſum ſanctitatis, miſericordiæ, ſapientiæ & potentiæ DEI: ita enim fiet, vt nunquam mergaris. VIII. CHRISTVS in agone ſuo paulo minor factus eſt angelis. Voluit enim DEVS vſque adeo Filium ſuum luctari cum ſenſu mortis æternæ, vt omnes prope vires ipſum deſtituerent. Quam ob cauſam miſſus fuit angelus, qui ipſum confortaret. Hic videmus, quod CHRISTVS factus fuerit vermiculus. *Pſal. 22.* & quod ſenſus mortis æter-

æternæ sit infinitis modis horribiliter quam sensus mortis temporalis. IX. Quemadmodum serpens ille antiquus osculo hypocryseos osculatus est Euam: ita Judas prodidit Christum simili osculo. X. Christus Judam humanissime salutat. Quo ipso nobis exemplum reliquit, quonam modo debeamus tractare inimicos nostros. XI. Christus prohibet Petro vsum gladij corporalis: quia ipsius regnum est spirituale, in quo preces & vigilantia, silentium & spes, verbum Dei, & similia sunt arma nostra. *Esa. 30. 2. Cor. 10. Eph. 6.* Vnde Christus ad discipulos ait: *Orate & vigilate.* Et vero, si Christus velit, nutu vel verbulo potest compescere hostes suos, quomodo his verbis, *Quem quæritis*, subito exanimauit lictores ad ipsum comprehendendum missos. XII. Maxima cœcitas Judæorum, quam illis Christus exprobrat, est speculum cœcitatis illius, quæ passim in mundo regnat & efficit, vt homines malitiose velint in tenebris ambulare, nec videre cupiant solem justitiæ. XIII. Fuga discipulorum est speculum infirmitatis humanæ. XIV. Jeremias vinctus & delusus. *cap. 20.* fuit typus Christi. XV. Peccata nostra sunt lora, quibus Christus est vinctus. XVI. Quemadmodum Simson *Judic. 15.* lora, quibus vinctus erat, disrupit: ita Christus rupit vincula peccati, mortis & legis, quæ nobis erant metuenda. XVII. Sanctissima Christi facies alapis fuit cæsa, vt impura & superba nostra facies à colaphis Satanæ esset libera. XVIII. Petrus abnegans Christum comprobauit veritatem illius dicti *Jer. 23. Hominis cor est nauigans & pusillanimis.* XIX. Aspectus ille, quo Christus Petrum eli. tuitus, notat gratiam Dei, qua conuertimur. XX. Micha *1. Reg. 22.* percussus à pseudoprophetis ob suam παῤῥησίαν, fuit typus Christi, qui propter confessionem suam illuditur & cæditur. XXI. Confessionem illam Christi, qua confessus est se esse verum Messiam; oportet instar maximi thesauri quam enixissime in cordibus nostris conseruare per fidem, quæ nos vnctionis, vnionis & inhabitationis hujus Messiæ reddit participes. XXII. Protoplasti abnegauerant veritatem Dei & hoc ipso meriti erant illusionem Satanæ & verbera mortis. Hanc pœnam Christus in suos suscepit humeros. XXIII. Nos omnes sumus blasphematores in cordibus nostris. Hanc blasphemiam Christus luit, quando ipsi innocenti hoc crimen fuit objectum. XXIV. Christus *Psal. 22.* comparatur cum cerua, quæ exagitatur. Hoc videmus in historia passionis esse implerum. Nam canes illi, venatici Satanæ, sacerdotes & scribæ, ipsum mittunt ad Hannam, Hannas ad Caipham, Caiphas ad Pilatum, Pilatus ad Herodem. Cæterum Christus etiam confertur ceruæ, quia hoc animal est timidum, destitutum cornibus, quibus se defendat, & denique difficulter parit: quæ omnia in passione Christi sunt conspicua. Porro Messias ille noster appellatur cerua auroræ, quia vt hoc animal sub auroram exit ad pastum, quo

quo tempore ros commendat gramen, ita passio Christi est Euangelica aurora, qua reficiuntur corda nostra ad vitam æternam. XXV. Quia nos offenderamus supremum magistratum, Deum Opt. Max. necesse fuit vt Christus traderetur summo in terris magistratui, puta Romano Imperatori, qui tum rerum potiebatur. XXVI. Quemadmodum magistratus secularis cum Ecclesiastico conspirat aduersus Christum: ita omnes confessores Christi eandem sortem experiuntur. XXVII. In desperatione Judæ habemus speculum inquietæ conscientiæ, æternæ damnationis, & fructuum auaritiæ. XXVIII. Ager sanguinis emtus à figulo pro peregrinis significat, sanguinem Christi sanctificasse sepulchra nostra, in quib. tanquam peregrini & exules humamur, donec à cœlesti figulo refingamur ad vitam immortalem. XXIX. Si conscientia nostra & diabolus nos accusent, opponamus illis accusationem Christi, qui accusatus est seditionis & apostasiæ, qua primi nostri parentes se polluerant. XXX. Christus fatetur se esse regem, illum videlicet qui nos è regno Satanæ possit & velit transferre in regnum lucis & pacis. XXXI. Joseph *Genes. 39.* ab impura adultera, vxore Potipharis, falso accusatus, est typus Christi, quia à Judæis, populo illo adultero grauissimorum criminum fuit insimulatus. XXXII. Lex à nobis requirit summam innocentiam, quam in solo Christo inuenire est. Testes hujus innocentiæ sunt septem: Pilatus, Pilati vxor. Judas, falsi testes à seipsis diffidentes, Herodes, cœlum & terra per eclipsin & terræmotum, denique centurio. XXXIII. Patientia Christi est partim medicina nostræ impatientiæ, partim regula vitæ. XXXIV. Pilatus est speculum vulpionum politicorum, qui causam justam hinc inde remittunt, & amicitiam redintegrant modis illicitis. XXXV. Herodes deridet humilitatem regni Christi. Tale quid hodieque vsuuenit. XXXVI. Vestis purpurea, qua Christus indutus fuit à Pilato, est symbolum regni ejus. Nam reges orientis induebantur purpura. Primi nostri parentes amiserant vestem regalem, quam à Deo acceperant. Hanc Christus recuperauit, quando vestem suam tinxit purpura sanguinis sui. Pilatus quidem hoc habitu illusit Christo. Sed tu, anima mea, agnosce & admirare mysterium. Tale quid etiam est in veste illa candida, qua Christus super indutus fuit ab Herode. Ecce, anima mea, Herodes illudit Christo. Sed Pilatus videns Christum ita remissum ab Herode, palam fatetur ipsius innocentiam. Ita nimirum vestis illa candida niueam ipsius innocentiam testatur, & indicat Christum esse partim regem, (quia reges Ægypti sic vestiebantur, vt patet ex Josephi historia *Genes. 41.*) partim sacerdotem, quia Pontifex Maximus gestabat togam albam. XXXVII. Judæi reijciunt Christum, adeoque implent *Psalmum 118.* de lapide angulari, quem rejecerant architecti. XXXVIII. Barrabas

homicida dimittitur, Christus innocens occiditur. Quo ipso docemur, passionem Christi expiare infandum illud homicidium Adami, quo ille totam suam posteritatem trucidauerat: item hoc esse ingenium mundi, vt Barrabam præferat Christo, quando scilicet peccatis indulget, honorem mundi anteponit gloriæ Dei, &c. XXXIX. Quemadmodum vxor Mosis ipsum vocat sponsum sanguinis *Exod. 4.* ita nos Christum debemus appellare sponsum sanguinis pretiosissimi. XL. Serui immorigeri flagellabantur ex lege & præscripto Dei. *Deut. 25. Luc. 12.* Nos vero eramus serui illi inobedientes. Christus itaque loco nostro est flagellatus & vulneratus, vt à flagellis iræ Dei & mortis æternæ nos liberaret. Macte igitur esto, anima mea, age gratias Christo tuo pro hac misericordia, & caue denuo ipsum flagelles peccatis tuis. XLI. Adamus amiserat coronam gloriæ. Hanc Christus recuperat gestando coronam spineam, qua diabolus humilem formam regni Christi exagitauit. Nos per peccatum facti eramus spinæ *Mich. 7.* Sed Christus hanc ignominiosam coronam gestat, & nos coronat gloria. Cæterum corona spinea Christi non tantum seruit consolationi, sed etiam humilitati & patientiæ, ne superbiamus ornatu capitis, aut indignemur, quando calumniatores nos fodicant spinis conuitiorum. XLII. Verba illa Pilati: *Ecce homo:* vsurpare debemus in angustijs conscientiæ, & in seductione ad peccata. Nam si turbetur cor nostrum, ita debemus aloqui patrem nostrum cœlestem: *Pater optime, Ecce homo! Ecce homo ille, qui fuit omnium formosissimus, factus est deformissimus! Hæc deformitas abolet meam deformitatem, & est mea forma præstantissima! Ah Pater, Ecce homo, Ecce homo.* Similiter, si ad peccata impellamur à carne, mundo aut diabolo, ingeminare debemus hæc verba: *Ecce homo! Ecce homo!* Hunc contemplentur oculi nostri, ne videant vanitatem seculi. XLIII. Christus fuit condemnatus solenniter, vt nos liberaret ab æterna damnatione conscientiæ & vltimi judicij. XLIV. Isaac Gen. 22. est typus Christi, qui fuit vnicus & obsequentissimus Patris cœlestis filius, & eductus fuit ad supplicium, crucemque suam ipse portauit. Ille fuit aries, quem Abraham vidit cornibus suis adhærentem spinis. XLV. Christus extra sanctam vrbem eductus fuit, vt nos exulantes reduceret in cœlestem Hierosolymam & paradisum vitæ æternæ. Ille banno fuit affectus, ne nos æterni anathematis fulmine percuteremur. Hæc consideratio etiam seruit consolationi nostræ, quando immerito excommunicamur. XLVI. Adam peccauerat in ligno. Ideo Christus bajulat lignum, & in ligno moritur. XLVII. Christus bajulando crucem bajulauit onus iræ Dei, peccatum & mortem. XLVIII. Nostrum est bajulare crucem nostram patienti animo, quia Christus præit, & innumeri sancti nos comitantur atque sequuntur. Hoc itaque spectaculum nobis

nobis addat animum. XLIX. Christus jubet mulieres deflere peccata sua & excidium Hierosolymitanum, quod est speculum æternæ damnationis. Hæc duo etiam nos quotidie deflere debemus lachrymis feruidissimis. L. Christus inter latrones in monte caluariæ fuit crucifixus, vt expiaret homicidium Adami maximi illius homicidæ, itemque homicidium illud, quo singuli se polluunt, irascendo, vindictam exercendo, & proximum odio habendo. LI. Protoplasti amiserant fructus dulcissimos. Ideo Christus acero & felle fuit potatus, vt nobis redderet dulcedinem fauoris Dei. LII. Sitis illa Christi, quæ non fuit vulgaris, liberat nos à siti illa inextinguibili, quam patiuntur damnati. LIII. Crux erat summum & crudelissimum supplicium, teste Cicerone. Hoc supplicio Christus fuit affectus, vt nos liberaret à summo animæ supplicio. Mors crucis erat maledicta à Deo. Hanc mortem Christus subijt, vt nos liberaret à maledictione illa, quam Adamus incurrerat. Adam peccauerat in ligno. Christus expiat peccatum in ligno. Adesdum Adam, & intuere hanc arborem: decerpe ex hoc ligno vitæ poma dulcissima fauoris Dei: hæc est arca Noe, per quam liberamur ex diluuio iræ Dei: hoc est pedum Mosis, quo diuiditur mare angustiæ, vt libere transeamus, & quo in cœlum sublato obtinetur victoria aduersus hostes: hæc est funda Dauidis, qua prosternitur infernalis Goliath: hoc est lignum, quod impositum aquæ amaræ crucis nostræ facit illam dulcescere: hic est arca fœderis, obducto auro, & continens manna: hic est, serpens æneus, qui sanat morsum serpentis antiqui: hic habemus trophæum Christi: hic est ciuitas refugij: hic est sacrificium, quod sacerdos in sublime extulit, ad confundendum principes & potestates aeris. LIV. Quemadmodum coronæ sacerdotis *Exod. cap. 39.* hæc verba incidebantur, *Sanctitas Domini*: sic cruci Christi hic titulus fuit inscriptus, *Jesus Nazarenus, Rex Judæorum*. Et sicut illa verba inseruiebant sanctificando & reconciliando populo *Exod. cap. 29.* ita se habet titulus ille crucis Christi. Hic enim habemus sanctitatem Domini, & sanctificationem nostri. Nam *Jesus* est Saluator: *Nazarenus* est consecratus & deuotus Deo: *Rex Judæorum* est rex æternus omnium illorum, qui sunt sinceri confessores Dei. LV. In titulo crucis Christi admirare Dei prouidentiam. Romani habebant in more positum, vt causam mortis affigerent cruci. Hoc ipsum conatur Pilatus facere. Sed ecce Deus ipsius manum ducit, vt tanquam summus magistratus loco Imperatoris Romani publ. testimonium edat, regem Judæorum siue Messiam esse crucifixum. Porro hunc titulum exarat in tribus linguis, quæ tum temporis in Romano imperio erant vsitatissimæ. Ita nimirum accidit, vt promulgatum fuerit nomen hujus regis in

regis in illis linguis, per quas regnum ipsius in totum mundum est propagatum. LVI. Christus pendet nudus in cruce, vt tegat nostram nuditatem, quam habemus ab Adamo. Tu itaque, anima mea, Deo tuo exhibe nudum illud corpus quod in cruce pendet, & hanc ipsius passionem habe pro veste illa nuptiali, quæ Deo placet. LVII. Milites accipiunt vestes Christi, nihil soliciti de vestitu animæ. Ita hypocritæ vestes Christi externas, hoc est, temporalia beneficia, magnificiunt, nihil soliciti de veste justitiæ & gloriæ, quam ille dat discipulis suis, puta Josepho Arimathæo, & ejus similibus. Hic differatur de prælatis Ecclesiasticis, qui inter se diuidunt vestes Christi, hoc est, bona Ecclesiastica, & illis Christum, hoc est, pauperes nefarie spoliant. LVIII. Quintuplex occurrit conuitium in populo, qui adstat cruci Christi. *Primo* exagitant ipsius personam: *Si es Filius Dei.* Ecce hoc est scandalum crucis Christi, quo mundus inebriatur. *Secundo* exagitant ipsius officium: *Si est Christus, Rex Israel*, &c. Graue profecto est peccatum, traducere officium Christi, quod Deus sanctificauit. *Tertio deridentipsius fidem: Deum confisus est.* Hæc est maxima tentatio, quam spe & patientia oportet vincere. *Quarto* ingratitudinem suam produnt: *Alios iuuit*, &c. *Quinto* calumniantur ipsius verba: *Templum destruis*, &c. Hæc omnia Christus patienti animo est passus, vt ab æterna ignominia nos liberaret, ne cum damnatis Deo malediceremus. Habemus etiam exemplum patientiæ in perferendis injurijs, calumnijs & conuitijs mundi. LIX. Quemadmodum ira Dei *Leuit. 16.* sedata fuit per suffitum Aharonis: ita Christus, cœlestis ille Aharon, per ignem amoris, & per suffitum precum nos reconciliauit Deo. Hujus rei exemplum est in verbis illis Domini: *Pater remitte ipsis, quia ignorant quid faciant.* Merus hic est amor, patientia mera. Nam Christus, qui indignissima quæque patiebatur in corpore, anima, & honore suo, orat pro hostibus suis, à quibus illa patiebatur. Multo magis itaque orabit pro nobis, qui salutem nostram quærimus in ipsius morte. Cæterum in precatione ista occurrunt tria fulcra fidei, *Pater: Remitte: Ignorantes faciunt.* LX. Christus in cruce pendens solatur Mariam & Johannem sub cruce stantes. Ita almus noster Seruator in medijs calamitatibus nos affatur. LXI. Maria stans sub cruce est typus Ecclesiæ militãtis, quæ semper habet aliquem Johannẽ, qui solitudinẽ ipsius soletur. LXII. Quemadmodũ Maria & Johannes nõ erubescunt crucem Christi: sic nostri officij est non erubescere crucem illam, quam Christus ceu characterẽ imprimit electis suis. LXIII. Cymbala illa, quæ adhærebant splendidissimę togæ sacerdotis *Exo. 28.* fuerunt typus precum Christi, quas pro nobis fundit. Hæ siquidem sunt cymbala, quæ adhærent vesti ejus purpureæ, & sonitu suo exhilarant Deum & homines.

Perti-

Pertinent huc septem nouissima verba Domini, quæ nobis debent esse quam commendatissima, quoniam λόγοι ἐσχατικοὶ solent esse momentosi. LXIV. Verba illa *Hodie mecum eris* in paradiso, docent, Christum nobis aperuisse paradisum clausum. Illius enim crux est scala illa cœli. *Gen.* 28. LXV. In latrone conuerso habemus imaginem fidei, quomodo oriatur, & qui sint ejus fructus Fides latronitis oritur ex auditu verborum Christi, & visu eorum, quæ fiebant. Fides illa non offenditur cruce Christi, sed parit cognitionem Christi, timorem Dei, & charitatem erga proximum. LXVI. In verbis illis, *Deus mi, Deus mi, cur dereliquisti me*, est speculum damnationis & fiduciæ. Nam Christus sensit dolores infernales, qui fuit supremus gradus & apex passionum ejus: & nihilominus fiduciam suam collocauit in Deo suo. LXVII. Sitis illa Simsonis *Judic.* 15. quæ ipsum molestauit post prælium, fuit typus sitis Christi, quæ expiauit intemperantiam gulæ protoplastorum. Hic admiratione dignum est, quod Christus in cruce pendens super nulla alia re conquestus est, quam super desertione & siti. Vnde intelligimus hanc sitim non fuisse vulgarem illam, qua videmus moribundos corripi, sed singularem istam, quam nos debebamus pati in inferno. Cæterum sitis illa Christi in nobis excitare debet sitim justitiæ ipsius. LXVIII. Verba illa, *Consummatum est*, denotant consummationem passionis, prædictionis & satisfactionis, seu pressuræ, scripturæ & curæ. Hæc verba seruiunt consolationi nostræ, inprimis in agone mortis: quia tunc temporis per veram fidem nos inuoluere debemus huic consummationi Christi, & in illa placide obdormire, quomodo videmus Christum prolatis illis verbis obdormiuisse. LXIX. Mors nostra erit sancta, beata, pretiosa, & fructuosa, si exemplo Christi animam nostram cõmendemus Deo. Ita enim Deum retinemus Patrem in vita & in morte. LXX. Mors Christi quinque fructus nobis adfert. Nam ille moriendo absorpsit mortem, confirmauit testamentum Dei, nostram mortem sanctificauit, animas nostras Deo commendauit, denique mortificationem veteris Adami procurauit. LXXI. Consideratio septem miraculorum, quæ secuta sunt mortem Christi, debet institui hunc in modum. 1. Quemadmodum Deus educturus populum suum ex Ægypto varijs miraculis hũc suum animum testatum fecit: ita quoq; accidit tempore passionis Christi. 2 Sicuti sol stitit cursum suum tempore Josuę pugnantis in hostem, & gloriosam victoriam reportantis: ita quoque hic accidit. Confer cum historia Hiskiæ de sole retrogrado. 3. Eclipsis solis fuit supernaturalis, & testata est innocentiam Christi, veræ illius lucis, quæ illo tempore eclipsin est passa, vt tolleret totalem eclipsin cordium nostrorum adeoque tenebras infernales. 4. Scissura veli templi notat finem ceremoniarum V. T. & docet sublatum esse discrimen illud inter Judæos & gentes: deniq; signi-

ficat velum illud, quod prohibebat aditum in sanctum sanctorum, siue ad faciem Dei, esse ruptum per sanguinem Christi. 5. Eclipsis solis fuit vniuersalis, similiter & terræmotus, vt omnibus hominibus innotesceret mors Christi. 6. Terræmotus indicat vim legis & euangelij. Nam quemadmodum terra tremit: sic anima nostra tremit, si concutiatur fulmine legis & iræ Dei. Hunc terræmotum mors Christi compescuit. Deinde sicut terra fuit concussa per mortem Christi: sic annuntiatio mortis Christi in euangelio concutit corda credentium in toto mundo. 7. Ruptura petrarum notat contritionem cordis nostri lapidei per mortẽ Christi. Deinde lapides fiunt testes Christi, quando homines silent: quod Christus prædixerat *Matth.* 21. 8. Apertio sepulchrorum & resurrectio mortuorum docet, quis sit fructus mortis & resurrectionis Christi, puta apertio sepulchrorum in nouissimo die, & apertio cordium spiritualis, adeoq; resurrectio ad vitam gratiæ & gloriæ. 9. Fructus mortis Christi est conuersio nostra, cuius imaginem videmus in populo, qui signis illis mortis Christi fuit exterritus, postea credidit & confessus est Christum esse filium Dei, deniq; eor & vitam suam commutauit in melius: quæ sunt tres partes pœnitentiæ salutaris. 10. Christo non sunt fracta cruta, quemadmodum facinorosis frangebantur, vt impleretur typus agni Paschalis, & significaretur, Christum non esse affectum supplicio crucis tanquam facinorosum. Cæterum loco fractionis istius latus est apertum Christo, vnde manauit aqua & sanguis, vt impleretur scriptura: quoniam purgatio fiebat in V. T. per sanguinem & aquã: qui sunt duo testes sacrificij Christi *1. Ioh. 4.* Hoc itaq; latus Christi apertum & vulneratum est speculum amoris Christi, in quo intuemur cor ipsius: hæc vulnera sunt requies animæ nostræ, quę in foramin bus petræ hujus suauiter & tuto quiescit instar columbę: hæc est petra, quę petrosis suppeditat aquam vitæ: hoc est trophæũ nostrũ, in quo princeps vitę nobis ostendit victoriam suam: hic sanguis est medicina vulnerum nostrorum: hæc vulnera sunt munitio & propugnaculum illud, in quo milites Christiani sunt tuti aduersus omnis generis insultus.

Sexta homilia.

Veteres passionem Christi diuiserunt in sex actus, hoc ordine:

Cœna, hortus, Caiphas, Pilatus, Cruxq;, sepulchrum.

De primo actu. Christus diuertit Bethanię, hoc est in loco afflictionis. Diuertit apud *Simeonẽ*, hoc est auditorẽ & cõfessorem suũ, quẽ à lepra sanauerat. *Cœnat* apud Simeonẽ, & ita docet, se delectari cœna contriti & lati cordis. Nã Simeon his duabus notis erat insignis. *Vngitur* inter cœnandũ, vt inde cõstet ipsũ esse vnctũ oleo lætitię, & paulo post vngendũ oleo misericordię & charitatis erga nos. *Praditur* à Juda, fallo amico, vt nobis facilius verum

veram amicitiã. *Patitur circa tẽpus Paſchæ*, vt inde diſcamus ipſum eſſe verũ Paſcha. *Inſtituit teſtamentum*, vt confirmet fidẽ noſtram. *Abit in montem oliueti*, vt doceat ſe nil niſi pacem quærere & nobis adferre. *De ſecũdo actu.* Chriſtus *ingreditur hortum*, vt expiet delictum commiſſum in horto, & impleat promiſſionem de ſemine mulieris factam in horto, denique vt nobis aperiat cœleſtem paradiſum. *Contriſtatur*, vt tollat noſtram triſtitiã, & æternam adferat lætitiam. *Fit Patri ſupplex*, vt doceat magnitudinem crucis, & nos inuitet ad idem faciendum. *Deſeritur à diſcipũlis*, vt calcet ſolus torcular iræ Dei. *Capitur in horto*, vt nos liberet à captiuitate, quæ cœperat in horto. *De tertio actu.* Hic occurrunt iſta: Examen injurioſum, percuſſio malitioſa. Teſtimonium doloſum, Adjuratio inſidioſa, Condemnatio malitioſa, Abnegatio & conuerſio Petri. *Chriſtus examinatur*, vt nos liberet ab examine judicij Dei ſecundum rigorem legis: *percutitur*, vt nos vindicet in libertatem: *teſtimonio falſo obruitur*, vt nobis impetret teſtimonium bonæ conſcientiæ: *adjuratur*, vt nos liberet ab adjuratione legis & conſcientiæ: *condemnatur*, vt nos abſoluat: *abnegatur à Petro*, vt abnegationẽ illam, qua nos Deum & veritatẽ cœleſtem abnegamus ſanet: *aſpicit Petrum oculis miſericordiæ*, vt vim mortis ſuæ doceat. *De quarto actu.* Hic videmus *Judam deſperantem*, vt intelligamus fructum mortis Chriſti nihil pertinere ad fratres Judæ, ſed tantum ad ſocios Petri. *Sacerdotes falſo accuſant Chriſtum*, vt ille perſonam noſtram repræſentando accuſationẽ legis à noſtris humeris in ſe deriuet. *Chriſtus ab Herode induitur veſte candida*, vt hoſtis ille infenſiſſimus nihil tale cogitans doceat Chriſtum eſſe candidatum juſtitiæ; quo titulo inſigniebantur illi, qui Romę cooptabãtur in ſenatũ, & geſtabant togã albam. Chriſtus itaq; nos efficit cãdidatos gratiæ & gloriæ. *Pilatus Chriſto perhibet teſtimoniũ innocẽtiæ*, vt inde diſcamus ipſũ eſſe ſacrificiũ idoneũ & medicinã ſufficientẽ. *Barrabas dimittitur, Chriſtus occiditur*, vt cõſtet nos ſeditioſos & homicidas per mortẽ Chriſti eſſe liberatos: vt itẽ hinc diſcamus, ea nos indole prędditos eſſe, vt Barrabam, honores & voluptates mundi præferamus Chriſto. *Chriſtus flagellatur*, vt nos liberet à flagellis iręDei, diaboli, peccati, & mortis æternę. *Chriſtus coronatur ſpinis*, vt tollat ſpinas cordis noſtri, & nobis imponat coronã glorię inter medias ſpinas, quę nos fodicãt, nec tamẽ conſumunt, vt ex hiſtoria rubi ardentis *Exod.* 3. videre eſt. *Chriſtus induitur purpura*, vt doceat, nos abluiſanguine ipſius. Nam purpura tollit impuritatem corporis. Hoc fuit prędfiguratum per pannos purpureos, quibus arca fœderis fuit inuoluta. *Pilatus Chriſtũ affatur his verbis, Ecce homo*: vt inde diſcamus, ſummã Chriſti miſeriã, quę hominẽ ethnicũ commouit: & illa ipſa verba vſurpemus ſi cum Deo, diabolo, peccato & morte luctemur. *Chriſtus extra vrbẽ educitur*, vt nos in cœleſtem patriam reducat ex noſtro exilio. *Hebr.* 13.

De quinto actu Sequitur crucifixio Christi. *Christus baiulat crucem*, vt nos necesse habeamus bajulare crucem mortis æternæ: item vt discamus ipsius crucem tollere,& veluti patibulum humeris nostris portare. *Christus patitur in loco supplicii*, vt nos liberet ab æterno supplicio. *Christus patitur mortem crucis*, quæ erat ignominiosissima, crudelissima,& à Deo maledicta, vt nos liberet à morte æterna, quę procul dubio est summa, itemq; à maledictionis fulmine, quod lex aduersum nos vibrat. *Christus in cruce pẽdens septem aureas sententias eloquitur*, vt illis tanquam cymbalis nos exhilaret. Quotidie itaq; septem ista verba sonent in cordibus nostris. *Signa varia comitantur & sequuntur mortem Christi*, vt totus mundus præbeat ipsi testimonium,& vt inde percipiamus mysteriũ & fructum passionis ejus. *De sexto actu. Hostes Christi miniunt & custodiunt sepulchrum*, vt nihil tale cogitantes doceant veritatem mortis & gloriam resurrectionis illustrent. *Christus sepelitur*, vt pateat ipsum vere mortuum esse, & vt hoc modo sanctificet nostra sepulchra. *Sepelitur à Joseph*, vt inde constet semper esse pios, etiam inter honoratos viros, qui crucem ipsius non erubescant. *Corpus Christi inuoluitur sidone*, vt doceatur corpus illud non sensurum putredinem, vtque inde discamus Christum inuoluendum esse sindone fidei. *Christus petra salutis, reponitur in monumento, quod excisum erat in saxo, vbi nondum quisquam fuerat positus*, vt discamus ipsum reponendum esse in corde nostro lapideo,& eo quidem vacuo ab affectibus & operibus mortuis. Deinde Christus in saxo reponitur, vt constet ipsius corpus non redigendum esse in puluerem terræ. Deniq; reponitur in nouo monumento, ne hostes criminentur alium resurrexisse, qui prius ibi fuerit repositus quam Christus sepeliretur.

Septima homilia.

In passione Domini vtrumque reperitur, gaudium & mœror, exultatio & fletus. Videbimus itaque, quomodo passio Dominica sit fons lachrymarum & fons gaudij. Potest enim passio ista tribus modis considerari; vt est in se, vt est causa,& vt est effectus. Si consideretur vt in se est,& si animo contemplanti repræsentetur vt est præsens, fontes lachrymarum scaturire faciet etiam ex corde lapideo. Si consideretur vt causa redemptionis generis humani, nec non vt clauis aperiens credentibus regna cœlorum, atque vt triumphus de principe hujus mundi; tum vero non lachrymas & mœrorem, sed gaudium & contemplationem in cordibus credentium excitabit. Si denique consideretur vt effectus peccatorum nostrorum, iterum dolorem & lachrymas vbertim emanare faciet. Vbi non est prætereundum, quod lachrymæ sanctæ, quæ oriuntur ex contemplatione passionis Christi, secum ferunt oblectationem & exultationem.

Fieri

fieri enim non potest, vt non concipiamus singularem lætitiam ex contemplatione amoris Dei, quem veluti thesaurum in agro passionis Christi reperimus.

Octaua homilia.

Quemadmodum apostolus *Eph.3.* in mysterijs diuinis considerat longitudinem, latitudinem, altitudinem & profunditatem: ita hanc sacram geometriam in passione Christi considerabimus: idque duobus modis. Principio longitudo in passione Christi est duratio: latitudo, varietas: altitudo, eminentia: profundum, puritas. Itaque mors Christi longissima fuit: quia non vno ictu finita est, vt illis contingit, qui plectuntur capite: neque ad spatium paulo longius peruenit, vt ijs accidere solet, qui iuspendio, vel viui comburio, vel mersione in aquas, vel bestiarum morsibus, vel alijs consuetis supplicijs moriuntur. Mors vero Christi cœpit ab hora sexta vsque ad nonam. Quid? Non in sola crucifixione passio Christi fuit posita: sed cœpit in horto Gethsemane, & sine vlla intermissione octodecim horas complexa fuit: videlicet nouem nocturnas, ab hora noctis tertia vsque ad duodecimã, & totidem diurnas, ab hora prima diei vsque ad nonam. Sed neque his horis octodecim passio Christi tota consummata fuit. Nam tota ejus vita passio, & quidem crucis passio dici potest. Hinc crucem suam omnitempore ante oculos habuit, & toties crucis suæ mentionem fecit, vt vere dici possit, eum toto vitæ suæ tempore in cruce pependisse. Neque solum longissima fuit passio Saluatoris nostri, sed etiam latissima: siquidem non vno aut altero pœnarum genere contenta, innumerabilia tormenta amplissimo sinu suo complexa est. Huc pertinent vincula, colaphi, sputa, flagella, irrisiones, spinæ, maledictiones, falsa testimonia, ludibria, claui in manibus & pedibus, eleuatio crucis in sublime, vulnera, defatigatio seu lassitudo orta ex longiori itinere & deductione ex vno loco in alterum, itemque ex gestatione crucis. Et quis enumeret omnia tormentorum genera, quæ Christus toto isto tempore passionis magnæ sustinuit. Sed non est minor altitudo passionis Christi: quia fuit major, intensior, acerbior & amarior cæteris omnibus passionibus in vnam conflatis. Grauitas illa colligitur, partim ex eo, quod Christus toto vitæ suæ tempore præuidit fulmen illud iræ diuinæ, & id quidem inenitabile; partim ex temperamento corporis nobilissimo; partim denique ex causa & effecto passionis, quia Christus debuit sentire onus iræ Dei, & pati mortem æternam, non succumbendo, sed vincendo. Restat profunditas passionis Christi, vbi est primo abyssus amoris, deinde abyssus doloris, ita vt passio illa fue-

rit tota & pura passio, non admixta consolationibus amicorum, quippe qui illum deseruerunt. Quo pertinet derelictio, qua Filius à Patre fuit desertus, non quidem quoad benevolentiam, sed quoad præsentiam illã specialem, quam alias experiebatur. Vides, anima mea, quam longa & lata, alta & profunda fuerit passio Salvator tui. Quin igitur gratias agis Domino tuo, qui tanto labore & dolore requiem & lætitiam sempiternam tibi parare dignatus est. Hunc roga, vt illuminet oculos tuos interiores, quibus gratiam istam cognoscas, magnifacias & laudes, denique diligentissime custodias, vt dolores Christi tibi sint frænum validissimum ab omni malo, & stimulus acutissimus ad omne bonum. Atque hæc est prima dimensio crucis Christi. Altera cernitur in quatuor virtutibus principalibus, quæ in passione Christi mirifice splendent, hoc modo. Longitudo crucis Christi est patientia: latitudo, charitas: altitudo, obedientia, profunditas, humilitas. Ad patientiam pertinet longanimitas Christi, qui nullam vocem vel irascentis, vel comminantis, vel conuitiantis inter tot injurias emisit, sed obmutuit vt agnus innocens, qui non aperit os suum. 1. *Pet.* 2. Latitudo charitatis est in eo, quod Christus mortuus est pro inimicis suis; quod inimicis suis ignouerit, & pro illis Patrem suum rogauerit, vt illis dimitteret peccatum ipsorum. Altitudo obedientiæ in eo cernitur, quod in tota sua passione respexerit Deum altissimum, in re difficillima & altissima, gustatione videl. mortis æternæ. Denique profunditas humilitatis Christi fuit longe maxima; quia se humiliauit vsque ad mortem, mortem autem crucis, cum esset eminentior & altior omnibus creaturis, vtpote Dominus cœli & terræ. Quis vero subjecit Filium Dei tot & tantis passionibus? An cohors militum, & ministri Judæorum? At illi audita voce Filij Dei, *Ego sum*, abierunt retrorsum, & in terram ceciderunt. An Pilatus? At ille puluis & cinis erat. An imperator Romanus? An ille quoque vermiculus terræ erat. An potentia diaboli? At Christus poterat illam verbo vel nutu ejicere. An justitia Dei? At Christus innocens erat, sanctus, impollutus, segregatus à peccatoribus, excelsior cœlis, & purior angelis. Quid igitur Dei Filium flagellauit, crucifixit, occidit? Impietas mea, charitas Patris, & obedientia Filij. *Esa.* 53. *Phil.* 2. Itaque peccata mea, peccata tua, peccata Adami & filiorum ejus causa fuerunt passionis & mortis Filij Dei. Non spinæ, quamuis acutissimæ, potuissent caput illud tremendum potestatibus cœli perforare, nisi superbia mea vires illis addidisset. Non flagella, quamuis plurima, carnem illam atterere potuissent, nisi carnales meæ concupiscentiæ illa juuissent. Non claui ferrei, quamuis durissimi, manus illas ac pedes persoluere valuissent, nisi auaritia mea & euagationes meæ illos adegissent,

gissent. Denique neque mors ipsa ad vitam opprimendam accedere fuisset ausa, nisi iniquitas mea aditum illi aperuisset. Ergone peccata hominum tantas habent vires, vt in Dei Filium prævaluerint? Sane peccatis hoc tribuimus: quia nisi illa fuissent, passio Dominica non fuisset. Sed adde amorem Patris erga genus humanum, & obedientiam Filij erga Patrem: quæ hæc sunt condimenta passionis, quam peccata & odium Dei erga peccata procurauisse nullum est dubium. Ecce, anima mea, quid retribues Domino pro omnibus, quæ retribuit tibi? Nihilne offeres tanto benefactori, qui vt deleret peccata tua, & mundaret te, tradidit semetipsum in mortem, vt mors ejus esset hostia Deo pro te in odorem suauitatis? Offeram omnino cor contritum & humiliatum, offeram lachrymas pœnitentiæ, testimonium odij in peccatum: offeram denique promtam voluntatem ad omne quod à me petere dignatus fuerit. Peto ergo, Domine: quia nihil jam tibi negare potero. Vulnerasti enim cor meum charitate tua. Et quid putas, anima mea, Dominum petiturum, nisi salutem tuam. Itane, bone Domine, sic superabundat charitas tua, vt qui pro nobis laborasti vsque ad mortem crucis, non aliam mercedem à nobis requiras, nisi vt cooperemur in salutem animarum nostrarum? Hoc plane est exemplar verissimæ charitatis. Da ergo, Domine, quod petis, & pete, quod vis. Sic enim adimplebitur voluntas tua, & obedientia nostra in salutem nostram & gloriam tuam.

Nona homilia.

Salutaris ruminatio passionis Christi consistit in cognitione historiæ, & meditatione fructuum. *Historia* complectitur actus quatuor. 1. In horto: vbi est passio interna, animi & corporis; & externa, illata ab hostibus & discipulis. 2. Coram Caipha: vbi est passio illata ab inimicis, & duobus discipulis, Petro abnegante, & Juda desperante. 3. In prætorio coram Pilato. 4. In cruce: vbi sunt septem verba, septem miracula, septem circumstantiæ mortis (puta genus mortis, sub dio; lectulus, crux; puluinar, corona spinea; potus, acetum cum felle; consolator, nullus; experientia mortis, fossio lateris; compatientes, pij) denique septem testes innocentiæ, puta Judas, Pilatus, Pilati vxor, latro à dextris. Centurio, Joseph, Nicodemus. De septem miraculis vide supra. Fuerunt autem ista: Tenebræ, velum scissum, Terræmotus, Petræ disruptæ, Apertio sepulchrorum, Resurrectio sanctorum, Conuersio centurionis & aliorum. De septem verbis vide paulo post. *Fructus* est doctrina multiplex, consolatio efficax, & institutio vitæ ad patientiam & pœnitentiam.

Decima homilia.

In passione Christi est theoria & praxis videnda. *Theoria* cernitur in septem profectionibus, in sieben Creutzgängen. 1. in hortum. 2. ex horto ad Hannam. 3. ab Hanna ad Caipham. 4. à Caipha ad Pilatum. 5. à Pilato ad Herodem. 6. ab Herode ad Pilatum. 7. à Pilato ad locum Caluariæ. *Praxis* consistit in eo, quod passio Christi est speculum naturæ Dei, puta veritatis, sapientiæ, justitiæ, & misericordiæ ejus; naturæ peccati & hominis peccatoris; denique naturæ Christianorum, quantum ad patientiã, obedientiam, charitatem & preces. Quod vt clarius euadat, decem triades considerationum colligemus, hoc modo. In passione Christi habemus, 1. *Tria specula*, videl. iræ, gratiæ & justitiæ Dei. 2. *Triplicem obedientiam*: impiam in ministris comprehendentibus Christum, perfectam in Christo, inchoatam in Johanne Petro & Josepho. 3. *Tria regna*: mundi, in Pilato & Herode; pecuniæ, in Juda; cœli, in Christo. 4. *Tres virtutes*: fidem, spem & charitatem. 5. *Tria peccata*: infidelitatem Pharisæorum, abnegationem Petri, & desperationem Judæ. 6. *Tria indicia de peccato*: e quibus primum peccat in defectu, in Pilato, secundum in excessu, in Juda; tertium seruat medium, in Petro. 7. *Triplex amor*: amor Trinitatis sacrosanctæ, osculum Judæi, amor sincerus Johannis. 8. *Triplex passio*: crux Christi, compassio populi & totius naturæ, compassio piorum. 9. *Triplex vita*: fugax in Juda, fidei in Petro, æterna in latrone. 10. *Tria testimonia*: primum scripturæ, secundum naturæ (quo pertinent miracula) tertium curæ, in Josepho Johanne & Centurione. Atq; hæ sunt triginta considerationes passionis Christi.

Vndecima homilia.

Crux Christi considerari debet, vt sedes seu cathedra concionantis, altare sacrificantis, stadium pugnantis, & officina mirabilia facientis.

De I. Christus in cruce pendens protulit septẽ verba, quæ sunt cõpendium totius scripturæ. Primum est: *Pater, dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.* Ex hac parte concionis Christi geminus ad nos fructus redundat. Hinc enim discimus magnitudinem charitatis Christi, & habemus exemplum, quod imitemur, vt ex inimicis nobis faciamus amicos, illis benefaciendo. Secundum est: *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso.* Hinc tres fructus colligimus. Primus est, consideratio immensæ liberalitatis Christi, qui in medijs doloribus audit preces suorum: secundus est, consideratio naturę fidei, quę cõfidit in auxilio Christi pẽdentis in cruce: tertius est, consideratio diuersitatis eorum, qui crucẽ eandẽ patiuntur, vt sunt hoc in loco Christus innocens, latro impœnitens, & latro pœnitens.

Ter-

Tertium est: *Ecce, mater tua, ecce filius tuus.* Hinc duos fructus colligimus, videlicet solicitudinem Christi morientis de propinquis suis, itemque officium parentum erga liberos, & vicissim liberorum erga parentes. Quartum est: *Deus meus, Deus meus, quare dereliqsti me?* Quinque hic occurrunt fructus, qui colligi debent ex arbore crucis. Discimus enim hinc, quod Christus exhauserit calicem passionis, plane totum vsque ad vltimã guttam: quod sensus iræ Dei rumpat silentium: quod filij Dei in medijs tentationibus retineant πληροφοριαν καὶ πληροφορίαν: quod desertio Dei, qua ad tempus desinit filios suos, non sit indicium odij: denique, quod humilitas cordis in persecutionibus & tentationibus Deo sit probanda. Quintum est: *Sitio.* Hinc duo fructus colliguntur: videlicet imitatio patientiæ Christi, & consideratio sitis spiritualis, qua Christus sitiuit salutem nostrã. Sextum est: *Consummatum est.* Ex hoc ramo arboris crucis, ligni vitæ, decerpuntur hi quinque fructus: quod vaticinia & figuræ Vet. T. in morte Christi fuerint impleta: quod peregrinatio vitæ nostræ nonnisi in morte cõpleatur: quod Ecclesia sit consummata per mortem Christi, & ex latere illius morientis prodierit, quomodo Euam ex latere Adami dormientis prodijsse legimus: quod Christus consummauerit totum opus redemtionis: denique quod nostrum officium sit, in omnibus nostris actionibus, tanquam hostijs Deo placentibus, quærere consummationem & perseuerantiam. Septimum est: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Ex hac postrema parte concionis Christi in cruce pendentis colliguntur duo fructus. Habemus enim hic speculum officij moribundorum: quod nempe hæc verba Christi debeant sub finem vitæ frequentare, & cogitationes suas auocare à rebus hujus mundi, inque solo Deo fiduciam habere. Atque hæc sunt septem verba Christi, è quibus primum est concio charitatis erga inimicos, secundum misericordiæ erga pœnitentes, tertium pietatis mutuæ inter parentes & liberos, quartum fiduciæ humilis, quintum patientiæ mirabilis, sextum obedientiæ perfectæ, septimum perseuerantiæ inuictæ.

De II. Christus in cruce non tantum concionatur vt propheta: sed etiam sacrificium offert vt sacerdos. Sacrificium dico ἱλαστήριον & εὐχαριστήριον: illud corporis sui, hoc precum.

De III. & IV. Officium Christi regium etiam cernitur in cruce. Nam pugnat pro nobis contra hostes, gustando dolores infernales, & victoriam reportat de hostibus nostris, & denique facit mirabilia in cœlo & in terra per vbiquitatem majestatis ipse interim pendens in ara crucis secundum infirmitatem humilitatis. Nam sole justitiæ moriente Sol cœli obscuratur: Petra Ecclesiæ patiente, Petræ terræ compatiuntur: templo æternitatis destructionem sentiente, templum manu factum sentit scis-

sionem veli,&c. Ex hac vltima consideratione passionis Christi videmus, quomodo crux Christi sit pictura triplicis officij Christi. Est enim cathedra & templum prophetæ concionantis: altare sacerdotis sacrificantis & orantis: denique stadium regis vincentis, & officina ejusdem, mirabilia facientis.

Matt. 28.

Vers.2.3.4.5.6.7.8. Gloria resurrectionis Christi cernitur in eo, quod tota natura seruit Christo, domino naturæ, resurgenti. Nam terra concutitur: angeli descendunt è cœlo: custodes sepulchri exanimantur: mulieres fideles exhilarantur, concipiendo lætitiam intra cor suum, ex concione Euangelica & angelica, & lætitiam extra se testatam faciendo alijs discipulis Christi. Duo itaque hic occurrunt: quomodo sit facta resurrectio Christi, videlicet vere & glorioſe: tum, quomodo sit patefacta, glorioſe scilicet tum quia præconem habuit angelum, tum quia terribilis fuit custodibus sepulchri, qui sunt figura omnium hostium Christi, tum denique quia fuit plena gaudij & lætitiæ spiritualis apud mulieres, quæ figurant bonos Christianos.

Vers.10. Finis Euangelij est pax cum Deo. Hinc Christus post resurrectionem toties ingeminauit ista: *Pax vobis: Ne timete.*

Vers.2. Vbi diabolus semel collocauit solium suum, solium dico infidelitatis, superbiæ & auaritiæ, ibi Christus, neque viuus, neque mortuus, neque rediuiuus potest habere locum.

Vers.18.19.20. His verbis tria continentur. 1. Præparatio discipulorum ad commissionem & legationem: *Data est mihi omnis potestas*, scilicet Christi mediatoris, siue œconomia illa, quæ est omnis potestas dispensationis in regno mediatorio, non vero omnipotentia Dei Patris, Filij & & Spiritus sancti. 2. Ipsa commissio & instructio: vbi sunt tria: *Docete*, hoc est, Christianos facite: *Baptizantes*, hoc est, omnibus Christianis administrantes signum & tesseram Christianismi: *Docentes eos seruare*, hoc est, baptizatis injungentes, vt viuant quemadmodum dignum est Christo & Christiano. 3. Ratificatio commissionis: *Ecce ego vobiscum sum*, scilicet vt princeps & author legationis vestræ.

CON-

II.

CONCIONES IN MARCVM.

Memoriale Euangelij ſecundum Marcum. Cap. 16.

4 25 35 3 11
Baptizas, Danid, Mater mea, Semina, Porci,
4 4 8 49 18
Patria, Traditio, Quem pudet, Igne, Bonus.
11 29 33 10 37
Intrat, Præcipuum, Vigilate, An prodit, Obitque,
E tumulo Jeſus en rediuiuus adeſt.

Oeconomia Euangelij ſecundum Marcum.

Marcus comes Petri, vt Lucas Pauli, deſcribit ſtatum humiliationis & exaltationis Chriſti.

I. Status humiliationis cernitur in deſcriptione muneris prophetici & ſacerdotalis. Muneris prophetici occurrit præparatio & adminiſtratio. Præparatio eſt ratione Johannis Baptiſtæ, *c.1. ad v.9.* & ratione Chriſti, qui baptizatur & tentatur, *à v.9. c.1.* Adminiſtrationis periodi tres ſunt. Prima eſt ante transfigurationem, vbi ſunt varia miracula & oracula, *c.2.3.4.5.6 7.8.* Secunda periodus eſt in ipſa transfiguratione, *cap.9.* Tertia eſt poſt transfigurationem: vbi aliæ ſunt actiones ante ingreſſum in vrbem, *c.10.* aliæ ſub ingreſſum, *c.11.12.13.* Munus ſacerdotale cernitur in paſſione: cujus protaſis eſt in antecedentibus *cap.14.* epitaſis in concomitantibus, *c.15. ad v.45.* cataſtrophe in ſequente ſepultura, *v.45 46 47.*

II. Status exaltationis cernitur in officio regio, *c.16.*

Typicam ſiue tabellarem diſpoſitionem Euangelij ſecundum Marcum vide *lib.2. Præcog. Theol. pa.108. c.54.* Chronologiam *ibi. cap.116. p.475. & 529. & ſeqq. item ſupra in præliminari Concione Bibliorum.* Denique charakterem & ſummariam conſiderationem *lib. 2. Præcog. Theolog. cap. 133. pag.632.*

Marc.1.v.1.9.

Marcus orditur Euangelium ſuum à miniſterio Johannis Baptiſtæ, non vt Matthæus & Lucas à natiuitate Chriſti, quia tunc impoſitus fuit finis legi & Prophetæ. Deſcribitur autem miniſterium Johannis à ſanctificatione ſeu vocatione ad munus, & muneris functione.

De I. Sanctificatio est, qua Johannes fuit à Deo prædictus & promissus nuntius, qui pararet viam Domini, & esset vox clamantis in deserto: & suo tempore est missus. Vtrumque vaticinium explicetur, & applicando ad singulos verbi doctores amplietur.

De II. Functio spectatur in doctrina, & vita. *Doctrina Johannis* hæc fuit. Ille prædicauit baptismum resipiscentiæ, ad remissionem peccatorum, hoc est, prædicationi suæ addidit sacramentum baptismi, obsignans resipiscentibus remissionem peccatorum. Hic obseruetur modus prædicationis verbi & administrationis sacramentorum, & vtriusque effectus. *Modus prædicationis* est: quod Johannes tantum fuit nuntius & vox clamantis, hoc est, docuit moraliter & externe: Deus autem erexit cathedrã in cordibus hominum, & illos docuit interne. *Modus administrationis sacramenti baptismi* est: quod Johannes in isto sacramento partes externas peregerit, baptizando aqua: Christus autem internas, suo spiritu, tanquam igni, baptizando. Ignis ille consumit spinas & scorias, illuminat, & calefacit, & purgat corda electorum. *Effectus* ministerij est, quod homines instituti à Johanne, fuerint confessi sua peccata, non confessione auriculari, sed salutari. *Vita Johannis* in hypothesi nobis non est imitanda, sed in thesi, quatenus vita pastoris boni debet esse sigillum doctrinæ, ac proinde analoga esse doctrinæ sanctæ, integræ & puræ. Hic instituatur collatio Johannis cum Elia, & redarguatur κοινοβία monachorum, qui Johannem habent pro fundatore ordinis sui maledicti prorsus & superstitiosi.

Marc. 2.

Vers. 7. Christus est verus Deus: quia remittit peccata. Non enim potest remittere debita, nisi creditor. Itaque in remissione peccatorum Christus duplices obit partes. Nam remittit vt Deus, & facit peccata remitti vt aduocatus & mediator.

Vers. 24. 29. Sanctificatio Sabbati non tollit opera charitatis & misericordiæ, juxta regulam: *Lex ceremonialis cedit morali.* Item: *Operadilectionis, non violant, sed sanctificant Sabbatum.*

Marc. 3.

Vers. 5. Ira per se, quæ est indignatio ob læsionem gloriæ Dei, aut salutis nostræ vel proximi, vel ob perturbationem vocationis & ordinis in politia, Ecclesia œconomia, vel schola, tantum abest vt pugnet cum lege, vt è contrario sit præcepta & imperata lege. Hinc recte dicitur ira officij, & ira necessaria, quæ est eos formidinis, & argumentum fidei. Fit vero peccatum per accidens, cum spirat vindictam priuatam, & læsionem proximi, vel gloriæ Dei. Et tum appellatur ira immoderata, & ira injuriæ. Quo per-

pertinet & illa distinctio: *Non personis, sed vitijs oportet irasci.*

Vers. 35. Qui faciunt voluntatem Dei, hi omnes & soli attingunt Christum spirituali cognatione.

Marc. 4.

Vers. 3. In Ecclesia vocatorum, hoc est, in cœtu Ecclesiæ visibilis plures sunt hypocritæ, qui audiunt Euangelium sine fructu, quam vere pij, fructũ fidei & nouæ obedientiæ ferentes: quia impedimenta à Christo notata apud plures & plerosq; dominantur. Id constat ex perpetua praxi Ecclesiæ V. & N. T.

Vers. 16. Hypocritæ lætantur auditione Euangelij, vel quia eis est res noua, vel quia videtur blandiri eorum affectibus, vel quia quærunt sua cõpendia sub ejus professione. *Vere credentes* autem lætantur de sensu gratiæ Dei, remissionis peccatorum, & pacis cum Deo per Jesum Christum, diffuso in cordibus eorum ex Euangelio, per Spiritum S. Quod attinet ad prius illud gaudium, illud est momentaneum: quia simile est frumento rectorum, quod radicem & succum non habet.

Vers. 20. Omnes natura sumus terra non bona, quippe qui sumus ager lapidosus, ex succus, spinosus. Semen vero jactum à Spiritu S. per verbum, & exceptum vera fide, quæ oritur ex prædicatione verbi, facit nos terram bonam, quæ succum habet, rore cœlestis gratiæ irrigatur, solis justitiæ radijs fœcundatur, & fert fructum centuplum, imo millecuplum.

Marc. 5.

Vers. 13. Diabolus nihil juris habet in creaturas Dei, ne in porcos quidem, nedum in homines, nisi Dei voluntate & permissu. Permittit autem Deus justo judicio, vt diabolus vexet tum pios, tum impios. Illos castigat, hos vlciscitur. Vitemus itaq; peccatum, quia illud instar magnetis attrahit diabolum, sicut è contrario fides in Christum est magnes, qui Christum, dominum illum diaboli, attrahit. Rursus inter peccatum & diabolum est maxima sympathia, sicut è contrario inter ipsum & Christum, adeoq; & fidem in Christum, fideiq; exercitia est summa antipathia.

Vers. 34. 36. Fides saluifica, quæ est fiducia diuinæ misericordiæ & potentiæ, nihil non impetrat à Deo, quod quidem ad ipsius gloriam & salutem nostram pertinet.

Vers. 41. Solo verbo Deus efficit, quidquid efficit. Nam ipsius dicere est facere. Hoc obtinet in creatione prima cœli & terræ, in creatione noua, qua refingimur in Christo, & denique in creatione iterata, qua Deus in vltimo judicio reproducet corpora nostra. Ad primam creationem pertinent miracula Christi. Conferantur hic tria ista verba Dei: *Fiat: Crede: Surgite mortui.*

Marc.6.

Vers.3. Christus fabrilem artem proculdubio exercuit: atq; ita partim nobis præiuit exemplo, partim sanctificauit labores vocationis nostræ, quomodo per baptismum & prædicationem suam sanctificauit hæc duo, & exemplum nobis reliquit.

Vers.5. Deus non potest nobis bene facere, quando non implemus conditionem promissioni annexam: quia cessante conditione cessat obligatio.

Vers.8. Impedimenta vocationis sunt remouenda, si velimus facere operæ pretium.

Vers.13. Vnctio Apostolorum, qua sanabant ægrotos, erat Symbolum doni extraordinarij & temporarij. Cessante igitur re significata, cessat & signum. Quorsum enim attinet, ludere inanibus signis?

Vers.56. Virtus sanandi non exiuit à vestibus Christi, sed à Christo per vestes.

Marc.7.v.31. ad finem.

Dominica XII. post Trinitatis.

Exordium. Quemadmodum liber creationis *Genes.1.* testatur, omnia Dei opera fuisse valde bona: ita liber redemtionis hoc in loco dicit de Christo, καλῶς πεποίηκε.

Propositio. Dicemus de magna hominis miseria, & vero medico.

De I. Omnia Dei opera sunt pulchra & delectabilia. E contrario omnia opera diaboli sunt deformia & horribilia. Vtrumque videre est in homine; quippe in quo imago Dei est formosissima, imago diaboli deformissima. Deformitatis istius speculum est miser hic homo, qui fuit surdus & mutus. Hic differatur de surditate & ἀλαλίᾳ corporali & spirituali.

De II. Turba implorat opem Christi. Nos idem faciamus. Ita fiet, vt sanemur, idq; hoc modo. Christus adhibet medicinam, in qua cernuntur quinque ingredientia, vt vocant. 1. Conuersio: *Cum abduxisset eum à turba.* 2. Spiritus Sancti operatio: *Misit digitos suos in auriculas ejus.* 3. Consolatio verbi: *Cum spuisset.* Sputum adhibemus leniendo dolori. 4. Mediatoris intercessio: *Suspiciens in cœlum.* 5. Verbi efficacia: *Ephatha.*

Conclusio. Recitetur *Psalmus 72.*

Aliæ dispositiones.

Exordium. Solida sapientia consistit in cognitione sui & Dei. Cognitio sui est quoad statum innocentiæ, in quo homo habuit imaginem Dei: quoad statum miseriæ, in quo homo amisit imaginem Dei: deniq; quoad statum gratiæ, in quo homo recipit imaginem Dei per Christum, qui venit vt destruat opera diaboli, quemadmodũ in hoc textu videre habemus.

Propositio. Ostendemus, quomodo nos ipsos & Christum recte cognoscere possimus.

De I.

De I. Oportet vt cognoscamus miseriam corporis & animæ, quod nempe simus surdi & muti.

De II. Christum cognoscimus ex operibus gratiæ, quæ hic proponuntur quinq; : Separatio à promiscua hominum turba : Operatio Spiritus S. qui est digitus Dei ; Operatio Christi, qua fit vt ex suo ore sumat medicinam, & sua manu illam applicet. *v. 33.* Meditatio cœlestium, qua sursum attollimus oculos cum Christo & per Christum ; Efficacia denique verbi, in quo Christus hanc vocem Ephata sonat in cordibus nostris.

Conclusio. Nostri officij est, gratitudinem nostram erga medicum declarare, & quotidie recitare istum hymnum : *Omnia bene fecit*, &c.

Alia dispositio.

Dicemus de miraculo Christi, & illius effectu.

De I. Miraculum hoc est pictura conuersionis nostræ, ad quam requiruntur nouem gradus. 1. Adductio ad Christum : *Offerunt ei.* 2. Miseriæ nostræ consideratio : *Offerunt ei surdum difficulter loquentem.* 3. Auxiliaris manus impositio : *Vt imponat ei manum.* 4. Auersio à malo : *Cum abduxeisset eum à turba.* 5. Aurium contrectatio. 6. Medicinæ ex ore Christi per manum ejusdem applicatio. 7. Suspirij emissio. 8. Ephathæ pronuntiatio. 9. Vinculi surditatis solutio.

De II. Quatuor sunt fructus miraculi. 1. Celebratio miraculi. 2. Ardor vehemens : *Tanto magis hoc prædicabant.* 3. Timor & admiratio. *Supra modum percellebantur.* 4. Humilitas, qua fit, vt dicamus, omnia bene fecit, nimirum in opere creationis, redemtionis, & sanctificationis.

Marc. 7.

Vers. 2. Lotio manuum pertinet ad ciuilitatem morum, non vero ad cultum Dei moralem. Alias lotio manuum erat symbolum sanctitatis, adeoq; pertinebat ad cultum ceremonialem V. T. & apud quasdam nationes erat symbolum innocentiæ, vt constat ex facto Pilati.

Vers. 7. Traditiones humanæ non sunt cultus Dei, vel pars ejus : sed debent seruire cultui Dei, minime omnium vero præceptis Dei anteferri.

Vers. 16. Aliquis habet aures ad audiendum, vel sonum externum, vel res spurcas, vel sonum Euangelij externum, vel vocem Euangelij internam. Qui postremo modo habent aures, illi soli dicuntur habere aures ad audiendum, κατ' ἐξοχήν : quia priores illi audiendo non audiunt.

Vers. 18. Pollutio est triplex : corporalis, ceremonialis, & moralis. Hæc est pejor quam ista, & ista quam illa.

Vers. 27. Judæi erant liberi seu filij Dei, vocatione in Ecclesiam : gentes nondum vocatæ, sed extorres à repub. Israelis, erant canes, qui latrando sunt molesti, inuidendo infames, & libidinando odiosi.

Marc.8.v.1.10.

Confer cum Matth.15.

Dominica VII. post Trinitatis.

Exordium. Deus vtitur duabus columnis, quibus sustentat fidem nostram, quæ est victoria nostra, ita vt multum sit situm in fidei confirmatione. Columnæ istæ sunt omnipotentia & misericordia Dei. Vtriusque speculum hic habemus.

Propos. Dicemus de misericordia Christi, & ipsius miraculo.

De I. Tria sunt documenta misericordiæ Christi. 1. Colligit ad se populum. Turba enim hæc venit ad Christum non sine tractu magnetico. 2. Miseretur populi. 3. Solicitudo: *Quia jam triduum manent apud me*, &c. O singularem vim amoris! Ille siquidem attrahit & conjungit amantes, afficitur mutuis miserijs, & solicite prouidet de mutuis auxilijs.

De II. Miraculum triplici nomine est insigne. 1. Superat rationem. 2. Auget substantiam panis. 3. Auget virtutem panis.

Conclusio. Recitetur *Psalmus 37.*

Alia dispositione.

I. Agitur hic. 1. De feruore attentionis populi. 2. De prouida cura Christi erga populum. 3. De singulari miraculo, in quo Christus reseruauit gazophylazium suæ omnipotentiæ.

II. Hoc miraculum est instar fontis, è quo manant septem riuuli consolationum. 1. Christus fecit hoc miraculum in deserto. Ita Deus nobis opitulatur in media cruce. 2. Christus manet cum populo in deserto. Ita Deus nobiscum manet in cruce. 3. Populus manet cum Christo, & illum audit, hujusque pietatis fructum & præmium fert amplissimum. Ita Deus compensabit piam nostram deuotionem. 4. Christus accipit panes, & illos benedicit. Sic Deus nostro laboti benedicit. 5. Virtus saciandi est à benedictione Christi. 6. Benedictio Dei dat non solum necessaria, sed etiam superflua. 7. Posteaquam quæsiuimus regnum Dei dimittimur à Christo ad labores nostros felici cum successu exantlandos.

III. Hoc Euangelium incidit in tempus messis, vbi hæc duo inprimis meditari decet. 1. Quid solatij habeamus contra solicitudinem nimiam bonorum hujus vitæ. 2. Qualem ordinem seruare debeamus ad mensam.

De I. Quinque sunt argumenta consolatoria in hoc textu. 1. Si maneamus apud Christum, & ille apud nos, id quod fit per verbi ejus meditationem & praxin, non destituet nos in calamitatibus. 2. Misericordia & φιλανθρωπια Christi tanta est, vt intima ipsius viscera moueantur sensu nostræ necessitatis. 3. Solicitudo Dei, qua fit vt computet momen-

momenta noſtræ afflictionis: quomodo videmus Chriſtum hic dicere: Jam triduum apud me manent. 4. Si veniamus ad Chriſtum, etiam procul, ille nobis opem feret. Triplex autem eſt via, per quam oportet ad Chriſtum ire: videl. cultus Dei, vocatio ſeu officium cujuſque, & crux. 5. Deus eſt omnipotens, qui ſupplere poteſt defectum omnium cauſarum ſecundarum. Nam hic vides omnia artificia & artifices, puta aratores, ſatores, meſſores, molitores & piſtores, vna Dei benedictione contineri.

De II. Politia menſæ, die Tiſchordnung, conſiſtit in his punctis. 1. In obedientia fidei, qua luctamur aduerſus carnem, & illius inſulſam arithmeticam. 2. In gratiarum actione, ſeu benedictione menſæ. 3. In ordine bono: vt paterfamilias procuret neceſſaria, alij apponant cibos, alij veſcãtur. 4. In liberalitate, vt quilibet edat ad ſatietatem. 5. In parſimonia. 6. In diligentia, qua quilibet à cibo redeat ad ſuos labores: quomodo videmus Chriſtum auditores ſuos jam ſaturos dimiſiſſe.

V. Poteſt inſtitui diſſertatio de annonæ caritate, ita vt indicẽtur ipſius tum cauſæ, tum remedia. *Cauſæ* ſunt ira Dei, auaritia, ignauia, prodigalitas, intemperantia gulæ, ſuperbia, frigiditas in cultu Dei & precibus. *Remedia* ſunt pœnitentia, precatio, fiducia in Deum, miſericordia erga pauperes, bona politia circa annonam, nuptias, conuiuia, & ſimilia.

Marc. 8.

Verſ. 15. Fermentum Phariſæorum notat traditiones, partim ridiculas, partim ſuperſtitioſas, & corruptelam doctrinæ & vitæ.

Verſ. 19. Non vt Chriſtus multiplicauit panes: ita multiplicat corpus ſuum in euchariſtia, faciendo vt miraculoſe illud creetur. Non enim in ſacramentis eſt miraculum creans, ſed miraculum recreans: non eſt illa præſentatio rei, quæ non prodeſt, ſed rei viuificantis ad ſalutem.

Verſ. 36. Æterna ſalus animæ omnibus theſauris mũdi eſt potior. Stulti ergo ſunt, qui illa neglecta his inhiant.

Marc. 9.

Verſ. 2. Transformatio Chriſti in monte, non fuit formæ humanæ in diuinam Eutychiana tranſmutatio, & quædam velut ἀποθέωσις: ſed tum habitantis in carne Chriſti diuinitatis major declaratio, & futuræ in cœlis gloriæ corporum glorioſorum præfiguratio.

Verſ. 24. Fides noſtra luctatur cum ὀλιγοπιστίᾳ καὶ ἀπιστίᾳ. Quotidie itaque ingeminemus illã viri ad Chriſtum venientis precationem: *Credo, Domine: ſuccurre incredulitati meæ:* & adhibeamus tres columnas veræ fidei, de quibus poeta,

In rebus dubiis vna eſt medicina,

Jehouæ

Cor patrium, Os verax, omnipotens q; Manus.

Marc. 10.

*Vers.*5. Sanctio diuortiorum non erat moralis, sed ciuilis. Hinc itaque, quod Christus prohibuerit diuortia extra casum fornicationis, quæ Moses permiserat propter duritiem cordis, non recte infertur pugna euangelij cum lege.

*Vers.*14. Christus non baptizauit infantes sibi oblatos, sed illis benedixit: quia solennem administrationem baptismi voluit differre post resurrectionem, vt esset vexillum triumphi sui de morte, diabolo & mundo.

Vers. 42. Christus omnem dominatum secularem prohibuit suis discipulis: & voluit illos esse dominos mundi, quatenus sceptrum euangelij tenent manu sua, & confringunt omnem potestatem cordis arrogantis, & contra Christum tumultuantis, annuntiando miseriam & liberationem ex illa per misericordiam.

*Vers.*39. Communio sanctorum cum Christo consistit in participatione crucis & gloriæ.

Marc. 11.

*Vers.*12. Christus suscepit infirmitates naturæ, non culpabiles, sed miserabiles, & tentatus est per omnia, sicut & nos, sed absque peccato, tum vt veritatem naturæ assumtæ confirmaret, tum vt nobis relinqueret exemplum patientiæ, tum denique vt sanctificaret nostram crucem, & propter nostram salutem ista omnia perferret, quæ nobis perferenda erant.

*Vers.*17. Templum debet esse domus precationis, tanquam præcipui sacrificij, quod placet Deo.

*Vers.*29. Prudentia in respondendo est argumentum animi bene compositi.

Matth. 12.

*Vers.*1. Vinea, quam plantat Deus, est ecclesia. Hic differatur de benignitate domini vocantis, de varietate colonorum laborantium, & de seueritate domini visitantis.

*Vers.*10. Christus est lapis *reprobatus* ab ædificantibus, h. e. scribis & Pharisæis, qui debebant esse architecti: *approbatus* à Deo & electis.

*Vers.*17. Euangelium non abolet politias & ordinem magistratus, vt criminabatur Julianus apostata: sed probat vtrumque, adeo quidem, vt decet,

doceat, in politijs ferenda esse onera quædam grauia, non pugnantia cum verbo Dei & conscientia.

Vers. 26. Christus optimus Logicus, non peccauit in leges formæ syllogisticæ, sed cryptice pro majore rationem minoris posuit, hoc modo: *Quorum Deus est Deus, illi viuunt, vel, si sint mortui, reuiuiscent.* Ratio: quia Deus non est Deus mortuorum, sed viuentium. *At Deus est Deus Abrahami, Isaaci, & Jacobi. Ergo illi mortui reuiuiscent.*

Vers. 43. Deus metitur eleemosynam quantitate affectus, non quantitate muneris.

Marc. 13.

Vers. 7. Consideratio prouidentiæ Dei nobis addet animum in sonitu rerum omnium confusione.

Vers. 31. Quamdiu mundus erit, ecclesia erit, in qua sonabit vox euangelij.

Vers. 32. Christus in statu humilitatis ignorauit diem iudicij: quia hoc non pertinebat ad ipsius officium. Hoc itaque sit frænum nostræ curiositatis.

Vers. 33. 35. 36. Quotidie in cordibus nostris sonet illa ingeminatio Christi: *Vigilate, Vigilate, Vigilate.* Vig late, inquam, credendo, sperando, & amando.

Marc. 14.

Vers. 3. Nostri muneris est, Christum vngere nardo fidei & charitatis.

Vers. 7. Christum non habemus nobiscum, secundum carnem humanitatis: habemus vero nobiscum vsque ad consummationem seculi, secundum majestatem deitatis, & spiritum efficacitatis, qua ille implet omnia, & efficit omnia in omnibus, non relinquendo vacuum in corde, intellectu, voluntate, affectu & membris nostris, sed illa transformando in seipsum, h. e. creando & refingendo nos, vt simus noua creatura, & templum SS. Trinitatis. *Johan.* 14.

Vers. 22. Fundamentum vnionis sacramentalis est promissio Christi, quæ conjungit extrema, non conjunctione locali, sed virtuali.

Vers. 36. Christus voto conditionali calicem mortis à se transferri petit, & postea subjicit correctionem voti categoricam, qua se voluntate Patris subjicit: non correctione morali, quæ est peccatum, sed correctione fidei eluctantis è paroxysmo tentationis.

Vers. 71. Non defecit Petrum fides in corde, cum deficeret eum confessio in ore. Itaque abnegatio Petri, probat quidem illa lapsus sanctorum, sed non apostasiam.

Marc. 15.

Marc.15. vers.34.

Queritur Christus in cruce, se derelictum à Deo, non ex desperatione (fiduciam enim Dei non abjecit, quia Deum suum inuocat fiducialiter) sed ex doloris & mortis instantis acerbitate: neque etiam deitatis à carne sua diuulsione, sed auxilij & liberationis subtractione. Desertus enim fuit tanquam is, cui reatus desertionis nostræ, qua Deum malitiose deseruimus, fuit impositus.

Marc. c.16. v.1.9.

Confer cum Matth.28. Luc.24. & Johan.20.

In festo Paschæ.

Exordium. Sicut flos, qui præ diurno solis æstu marcuit, caput versus terram vesperi inclinat, sed rore blando superueniente se recolligit postridie, nouo sole oriente: ita Christus, qui in Cantico dicitur flos campi & lilium conuallium, cum præ maximo æstu iræ diuinæ emarcuisset, caputq; suum inclinasset, tertio die, superueniente rore gratiæ Dei, refocillatus fuit. Deinde sicut Israelitæ per mare rubrum liberati fuerunt è manu Pharaonis: ita nos per sanguinem Christi liberati fuimus à tyrannide infernalis Pharaonis. Neque enim Christus mansit in sepulchro, quemadmodum Ægyptij non manserunt in sepulchro maris rubri. Deniq; sicut virga Aharonis floruit: ita & Christus, virga illa arida Dauidis.

Propositio. Videbimus. 1 Majestatem diuinitatis, quam glorioſe Christus resurrexerit. 2. Charitatem fraternitatis, quam amice se manifestauerit.

De I. Christus resurrexit. 1. Tanquam vnctus Domini. Nam mulieres veniebant, vt vngerent ipsum. 2. Cum terræ motu. 3. Famulante angelo, cujus describitur splendida dignitas, & gratiosa concio.

De II. Hæc pars describitur *à v.9. ad 15.* Obseruentur hic ex euangelistis inter se collatis, sex fructus resurrectionis Christi, qui sunt. 1. Christus adfert peccatoribus justitiam: Ideo hic apparet Mariæ Magdalenæ, è qua ejecerat septem dæmonia. 2. Christus est frater noster: *Dic meis fratribus.* Adoptio: *Ascendo ad Patrem meum.* 4. Communio cum Deo: *Patrem vestrum.* 5. Excitatio è somno & morte peccatorum. 6. Resurrectio carnis nostræ.

Conclusio. Recitetur *Psalm.118.*

Alia dispositio.

Exordium. Quemadmodum tempestas maris non potuit sedari nisi per projectionem in mare: ita ira Dei non potuit placari nisi per mortem Christi. Rursus vt Jonas triduum mansit in ventre ceti: sic Christus in ventre terræ.

Propo-

Propositio. Videbimus quomodo Christus sit arbor vitæ, ferens fructus oprimos.

Tractatio. Sunt fructus numero duodecim, quot fructus tribuuntur arbori vitæ *Apoc.* 22. 1. Vita animæ. Christus crucifixus viuit in cordibus suorum. Vide mulieres, quæ emunt aromata. 2. Resurrectio nostra. Sicut enim mulieres voluerunt vngere Christum, ne corpus ipsius computresceret: ita Christi resurrectio est balsamum corporis nostri jam in sepulchro jacentis. 3. Desiderium auroræ lucis æternæ. Vide mulieres venientes summo mane. 4. Victoria mundi: quam figurat terræmotus. 5. Subjectio angelorum, qui Christo ministrant. 6. Terror hostium. Vide custodes sepulchri, qui patent. 7. Sollicitudinis profligatio. Vide quomodo angelus solicitudini mulierum succurrerit. 8. Sepulchrorum apertio. Vide saxum deuolutum. 9. Angelorum colloquium. 9. Peccatorum consolatio: *Annuntiate Petro.* 10. Recordatio promissionis, & veritatis confirmatio: *Illi recordabantur verborum* 11. Gaudium permixtum cum timore: *Exibant cum timore, vt annuntiarent discipulis.* 12. Amabilis visio Christi: in qua sunt tres thesauri, fraternitas cum Christo, adoptio filiorum Dei, & communio cum Deo, & omnibus ejus bonis.

Conclusio. Hanc arborem plantemus in cordibus nostris.

Alia dispositio.

Quemadmodum Hiskias 2. *Chron.* 30. magna cũ solẽnitate celebrauit festum Paschæ: ita in N. T. omnes electi celebrant festum resurrectionis Christi; cujus *veritatem, maiestatem & vtilitatem* ex hoc textu demonstrabimus. *Veritas* pendet à testib. varijs, quorum hic fit mẽtio. *Maiestas* spectatur in terræmotu & apparitione angeli. *Vtilitas* elucet ex circũstantiis. 1. Terræmotus est signũ victoriæ & triumphi Christi, quo triumphauit de hostibus, qui conabantur illum in sepulchro detinere. 2. Resurrectionis nostræ confirmatio. Nam saxum deuoluitur ab ostio sepulchri 3. Terror hostium, & consolatio credentium. 4. Consortium angelicum. Conclude ex *Psal.* 16. & ex 1. *Sam.* 17. vbi est epinicium, quod Israelitæ accinuerunt Dauidi, cum vicisset Goliathum.

Marc. 16.

Vers. 6. Corpus Christi rediuiui non erat in sepulchro, saltu vnione personali. Hæc igitur vbiquitatem corporis non importat. Nimirum vnio non tollit naturam vnitorum, sed naturam inferiorem extollit.

Vers. 16. Fides & baptismus adultis sunt de necessitate salutis: illa simpliciter, iste extra casum priuationis. Quod attinet ad infantes Christianorum, illis baptismus adimi non debet. Nam omnes infantes Christianorum sunt sancti, fœderatione scil. & ideo, qui sunt in fœdere, recte accipiunt signum hujus rei. Deinde infantes electi, qui perueniunt ad annos

discretionis, habent fidem, ex decreto Dei definitam, & suo tempore infundendam. Denique infantes electi, qui moriuntur in infantia, habent fidem speciali dono Spiritus sancti, qui supplet defectum organorum,

Marc. 16. v. 14. ad finem.

Confer cum Luc. 24. & Act. 1.

Infesto Ascensionis.

Exordium. Quod dicitur *Psal. 57. Elevare Deus supra cælos, super totam terram gloria tua*: id impleuit Christus ascendendo in cœlum. Ascendit enim in altum vt triumphator & princeps pacis, ibiq; occupauit thronum majestatis suæ, vt inde gubernet ecclesiam suam.

Propositio. Dicemus 1. de maiestate. 2. de multiplici vtilitate huius ascensionis.

De I. Tres circumstantiæ hic sunt considerandæ. 1. Temporis opportunitas: postquam scil. quadraginta dies se præparauerat ad hunc triumphũ, & apostolos instruxerat sufficientibus donis. 2. Modi sublimitas: Sublatus fuit, Ipsis spectantibus. Vehitur nube, Angeli comitantur. Cedite hic currus Salomonis, & ipsiũs equi numero 52000. cedite currus Eliæ. 3. Loci dignitas: In cœlum, & id quidem tertium, quod est domus & ciuitas Dei, paradisus animæ, cœlestis Hierosolyma.

De II. Tres sunt fructus principes. Nam Christus ascendit. 1. Vt sit caput ecclesiæ, adeoque impleat munus suum regium. 2. Vt impleat munus suum sacerdotale, intercedendo pro nobis in sancto sanctorum. 3. Vt nostra corda à rebus terrenis ad cœlestia bona traducat.

Conclusio. Recita *Psal. 68. 93. vel 110.*

Alia dispositio.

Exord. Quemadmodum Moses ascendit in montem Sinai, vt inde ad populum referret de voluntate Dei, adeoque adferret normam, secundũ quam constitueretur politia ecclesiæ. *Exod. 24. & 34.* ita Christus ascendit in cœlum, vt inde distribuat dona hominibus, & constituat ecclesiam, constitutamque gubernet.

Propos. Dicemus. 1. De circumstantiis ascensionis. 2. De ipsius fructu.

De I. Circũstantiæ aliæ antecedunt, puta apparitio Christi, eius concio, & commissio siue instructo data apostolis, eiusdẽ confirmatio per signa subsequentia: partim comitantur, puta tempus, locus, & modus: partim sequuntur. *Illi vero ibant, & prædicabant, &c.*

De II. Quinq; sunt fructus. Nam Christus ascendendo in cœlũ. 1. Aperuit cœlum, & viam illam ad paradisum, quam Cherubim strictis gladiis custodiebant. 2. Trahit nos tanquam magnes ad sese. 3. Triumphauit de hostibus suis & nostris. 4. Implet officium suum sacerdotale. 5. Implet officium suum regium.

Conclusio.

Conclusio. Quotidie cum Christo ascendamus fide, vt aliquando ad illum ascendamus cum anima & corpore.

Alia dispositio.

Exordium. Tametsi quotidie debemus vna cum Christo ascendere in cœlum: inprimis tamen hoc tempore illud est faciendum.

Propositio. Considerabimus duplicem formam ascensionis Christi, vnã visibilem, alteram inuisibilem.

De I. Triumphus hîc non debuit in angulo aliquo celebrari, sed solẽniter: vbi obseruetur 1. Tẽporis indulgentia: Postquã Christus sufficientibus donis ornauerat discipulos videl. increpando illorum infidelitatem, & legando ipsos in totum orbem. 2. Loci conuenientia: videl. montis oliueti, vbi Dominus cœperat pati & de quo prædictum erat hoc ipsum *Zach.* 13. 3 Modi euidentia: vbi est nubes, comitatus angelorũ & testimoniũ angelorum & discipulorũ. Hic nubes illa quę Christum euexit, cõferatur cum nube illa *Exo.* 40. & *Num.* 10. Nã sicut nubes deduxit Israelitas per desertum, illis monstrando viam: ita Christus nobis præiuit viam in cœlum.

De II. Hic consideretur. 1. Triumphi celebritas; quia Christus vicit diabolũ, peccatũ, mundum & mortẽ. 2. Loci sublimitas. Ascendit in tertium cœlum. 3. Regni potestas, Sedet ad dextram Patris. Cum primum enim ingressus est cœlum, Pater ipsi dixit, sede à dextris meis, id est, guberna ecclesiam, quam sanguine tuo peperisti, & dominare in medio inimicorum tuorum.

Conclusio. Ascensio Christi est gloria hominis; quia terra ascendit supra cœlum: & victoria mundi, quia Christus captiuam duxit captiuitatem. *Psalm.* 68.

Alia dispositio.

Consideretur. 1. *Veritas:* quæ pendet à veritate corporis Christi, & testimonio angelorum & apostolorum. 2. *Maiestas:* quæ pendet à circumstãtijs externis, & adjunctis æternis Christi triumphantis, & regiam suã occupantis. *Vtilitas:* quæ est confirmatio fidei, consolatio cordis, & excitatio nouæ obedientiæ, qua in cœlum ascendamus gemendo, canendo, eleemosynas distribuendo &c. Hoc enim pacto recte celebratur festum ascẽsionis Christi.

Alia dispositio.

Considerabimus historice & allegorice quinq; illa signa, quorum hic fit mentio. *Historia* est: Apostoli acceperũt donũ extraordinariũ ejiciendi dæmonia, loquendi varijs linguis, pellendi serpentes, superandi vim veneni

ni bibiti,& curandi morbos per impositionem manuum. *Allegoria* est: Omnes filij Dei habent donum ejiciendi diabolum per fidem & bona opera:mirabilia Dei opera eloquendi : expellendi serpentinam malitiam cordis : concoquendi odia & persecutiones : & denique sanandi animam suam & aliorum per spiritualia exercitia.

III.

CONCIONES IN LVCAM.

Memoriale Euangelij secundum Lucam. Cap. 24.

57 7 2 2 16
Elisabeth, Natus, Johannes, Tentat, Et orat,
14 11 1 5 42
Bis sex, Naine, Prædicat, Ite, Bonam.
2 33 4 16 24
Orandum, Gaza, Siloe, Cœna, Receptus,
1 24 1 28 42. 44.
Oeconomus, Veniet, Vota, Venit, Dominus.
7 44 46 51
Signa, Deus patitur, Moritur, Petit atheraiudex.

Oeconomia Euangelij secundum Lucam.

Lucas describit vitam & mortem Christi.

I. Vita Christi est priuata & publica. Priuata cernitur in conceptione, *c.*1.& natiuitate, *c.*2. Publica cernitur in inauguratione, *c.*3. & prædicatione,quæ consideratur ante profectionem Hierosolymitanam , & in ea. Ante profectionem Christus primo prædicat solus,*c.*4.5. deinde adsciscit socios apostolos, *c.*6.7.8.9. In profectione cernitur terminus à quo,per quem & ad quem. Terminus à quo est Galilæa, *c.*9. *v.*51. Terminus per quem est varius:vbi hæc sunt gesta:septuaginta discipuli vocantur, *c.*10.& Christus disserit de cultu Dei interno & externo. Internus est in precatione,*c.*11. fide,*c.*12.& pœnitentia,*c.*13.14.15. Cultus externus est *c.*16.17.18. Terminus ad quem est Hierosolyma:vbi Christus excipitur,*c.*19. disputat, *c.*20.& prophetat,*c.*21.

II. Mors Christi habet suam protasin, *c.*22. epitasin, *c.*23. catastrophen,*c.*24.

Typicam siue tabellarem dispositionem euangelij secundum Lucam vide *lib.*2.*præcog.theol.cap.*55.*pag.*108. chronologiam *ibid. cap.*116. *pag.* 475. *& seqq.item pag.*529. *& seqq.item supra in præliminari cõcione Bibliorum.* denique

Denique characterem & summariam considerationem *lib. 2. Praeogn. Theol. c. 122. pag. 633.*

Luc. 1. v. 1. v. 7.

Duo inprimis hic sunt documenta. *Primum:* Deus solet erudire nos per oculos & aures, duos sensus præstantissimos. Vbi etiam notetur vsus antiquissimus dedicandi libros. *Secundum:* Zacharias & Elisabeth sunt speculum pij conjugij, nominatim illius, quod personæ Ecclesiasticæ contrahunt. Impij ergo sunt Canonistæ, & qui illos sequuntur in prohibendo conjugio pastorum, quod nititur jure diuino & praxi Ecclesiæ Vet. & Nou. Test.

Luc. 1. v. 5. 26.

Historiam de natiuitate Johannis Baptistæ ita considerabimus, vt in illa tanquam in speculo intueamur nouam illam natiuitatem, qua renascimur. Obseruentur itaque sequentia. 1. Requiruntur parentes boni: videlicet Zacharias & Elisabetha, hoc est, cor deuotum Deo, quod Deo adhæret, illius recordatur, in illo habet sabbatum suum, illum amat & colit. 2. Requiritur angelus, qui nobis annuntiet voluntatem Dei. 3. Requiritur conceptio spiritualis, qua verbum Dei fructificat in corde nostro. 4. Requiritur proles spiritualis, cujus propria sunt, parere lætitiam, magnam esse coram Deo, abstinere à voluptatibus, corroborari spiritu, & denique vesci melle gratiæ Dei. Quæ omnia in historia Johannis sunt manifesta. 5. Requiritur nomẽ nouum, quod est Johannes, hoc est, gratia Dei plenus. Porro hic etiam sunt ista documenta. *Concio Allegorica.*

Vers. 6. Zacharias & Elisabeth fuerunt justi ante Deum, tum imputatione, tum inchoatione: quæ duo efficiunt, vt Deus non imputet nobis peccata hærentia in nobis.

Vers. 7. Etsi conjugium sine prole est mundus sine sole: tamen defectum istius solis supplet Sol justitiæ illustrans & fœcundans conjugium nostrum pium & tranquillum.

Vers. 9. Agenda Ecclesiastica, quæ vocant, sunt necessaria, non tanquam pars cultus Dei, sed tanquam illius medium.

Vers. 10. In templo non solum prædicare, sed etiam precari oportet.

Vers. 15. 16. 17. Johannes Baptista fuit alter Elias: quia natus est cum spiritu & virtute Eliæ, ad conuertendum corda patrum in filios.

Vers. 19. Sancti Angeli sunt apparitores Dei, & amatores hominum.

Luc. 1. v. 26. 39.

Exordium. Angelus *Tob. 12.* ait, consilia principum esse retinenda, sed

opera Dei esse manifestanda. Qua quidem in re dissimillima sunt arcana principum, & mysteria Dei. Inter illa mysteria facile primas tenet incarnatio Christi, per quam vniuersum genus humanum postliminio recuperauit dignitatem suam, quomodo videmus Nebucadnezari rationem humanam à Deo restitutam. Nam nos amiseramus imaginem Dei, imo rationem rectam, & similes facti eramus bestijs.

Propositio. Describitur hic. 1. Legatio angelica. 2. Collocutio sancta: in qua oratio angeli, & responsiones Mariæ virginis.

De I. Considerentur hic ista. 1. Legati authoritas: *Angelus Gabriel.* 2. Legantis majestas: *A Deo.* 3. Loci qualitas. *In vrbem Nazareth.* 4. Personæ, ad quam legatus mittitur, castitas: *Ad virginem.*

De II. Partes orationis constant triplici actu. I. Salutatio: *Aue:* & perturbatio Mariæ. II. Propositio legationis angelicæ: *Ne time: Concipies in vtero: Vocabis nomen ejus Jesum: Hic erit magnus:* quibus verbis continentur ista, Consolatio infirmorum. Incarnatio Christi, Nominis Christi annuntiatio, & Descriptio personæ, officij & regni Christi. Quid hæc propositio effecerit apud Mariam indicatur illis verbis: *Dixit autem Maria,* &c. III. Confirmatio propositionis, *Spiritus Sanctus superueniet in te,* &c. vbi sunt duo argumenta, vnum ab omnipotentia Dei, alterum ab exemplo: quæ sunt duo fundamenta fidei nostræ. Effectus hujus confirmationis est *v. 38,* videlicet consensio virginis Mariæ, & depositio legationis angeli.

Conclusio. Sumatur ex *Psal. 118.* & ostendatur quomodo hoc opus Dei sit plenum majestatis, amoris, & consolationis siue gaudij.

Luc. 1. v. 28.

Explicetur sensus & vsus salutationis angelicæ.

De I. Angelus dicit, *Aue,* id est, Pax tibi, vt reddit Syrus interpres: *Gratis dilecta,* hoc est, ex misericordia Dei hanc prærogatiuam adepta: *Dominus tecum est,* singulari operatione Spiritus Sancti: *Benedicta tu inter mulieres,* quia est mater futura Jesu Christi.

De II. Vsus non est, vt ista salutatio sit formula precationis, sed forma consolationis, tum in genere omnium Christianorum, tum in specie mulierum.

Luc. 1. v. 39. 57.

Exordium. Visitatio amicorum, & solidum gaudium censentur duo bona non infima in hac vita, eaque tum animali, tum spirituali. Vtriusque exempla multa sunt in scripturis. Nam Joseph visitauit Jacobum morbidum, Jethro Mosen, Joas Elisæum, Christus Zachæum & sorores Lazari: Abraham gauisus est quod vidit diem Domini Dauid in deductione arcæ *1. Paral. 14.* Christus *Mat. 11.* Vtriusque exemplum habemus in hoc textu.

Propo-

Propositio. Dicemus de visitatione Mariæ, & ipsius gaudio.

De I. Maria visitat Elisabetham, vbi nota. 1. Ornatum virginis Mariæ, qui consistit in humilitate, fide, & singulari priuilegio. Humilitas cernitur in eo, quod mater Dei visitat Elisabetham: fides in eo, quod singulari Dei impulsu hanc profectionem instituit, vnde Elisabetha fidem istam prædicat, singulare priuilegium in eo, quod sola inter mulieres hanc benedictionem est adepta, vt esset θεοτόκος. 2. Effectum salutationis Mariæ: *Johannes exiliit in vtero Elisabethæ* Vnde vero hoc? A præsentia Messiæ. Alterum effectum est, quod Elisabetha fuit repleta Spiritu Sancto, & beatã prædicauit Mariam, vbi est beatitudo singularis, *Benedicta inter mulieres*, & communis, *Quæ credidisti.*

De II. Gaudium Mariæ cernitur in ipsius hymno, qui visitate appellatur *Magnificat.* Tres autem sunt partes istius hymni. Nam Maria commemorat beneficia Dei, quæ exhibuit. 1. Sibi singulariter. 2. Omnibus in vniuersum hominibus communiter. 3. Solis Israelitis peculiariter.

Conclusio. Recitetur *Psalmus 57.* & conferatur hic hymnus Mariæ cum cantico Mariæ sororis Mosis. *Exod. 15.* Deboræ *Judic. 5.* & Hannæ. *1. Sam. 2.*

Alia dispositio hymni Mariæ.

TO Magnificat Mariæ, vt vulgo loquimur, complectitur nouem beneficia Dei. *1. Spiritus meus exultat super Deo seruatore meo.* Quibus verbis continetur summum beneficium, quod Deus est seruator meus, tuus, &c. Vnde oritur gaudium solidum, præ quo gestimus. *2. Deus respicit humilitatem suorum.* Quo major est humilitas, eo propior est sublimitas. *3. Deus fecit rem magnificentissimam in Filij sui incarnatione. 4. Misericordia Dei permanet in æternum. 5. Brachium Dei comminuit superbos. 6. Deus euertit potentes, & in illorum locum euehit humiles. 7. Illos, qui fame & siti justitiæ tenentur, satiat. 8. Deus recordatur misericordiæ, & erigit seruum suum Israel. 9. Deus seruat promissiones suas.* Ecce hymnus Mariæ est instar myrothecij, in quo beneficia Dei reposita gratissimum spirant odorem.

Luc. 1. v. 57. ad finem.

Exordium. Etsi in V. Test. multi fuerunt sancti viri, per quos Deus regnum suum ædificauit: nullus tamen ex ijs fuit major Johanne Baptista præcursore illo Christi *Matth. 11.*

Propositio. Considerabimus quinque circumstantias natiuitatis Johannis.

Tractatio. Prima circumstantia est misericordia Dei, quam Deus exhibuit Elisabethæ, dando ipsi talem filium. *Secunda* est circũcisio infantis. *Tertia* est mirabilis impositio nominis. *Quarta* est hymnus Zachariæ, in

quo

quo est catalogus beneficiorum Dei longe maximorum, quæ sunt. 1. Clementissima visitatio populi Israelis, quæ facta est per incarnationem Christi, per redemtionem, per verbum, gratiosam inhabitationem, & communicationem donorum. 2. Constitutio regni salutiferi. 3. Promissionum impletio. 4. Copiosa & plena liberatio. 5. Fœderis recordatio. 6. Pia vitæ institutio. *Quinta* est vaticinium de officio Johannis, in quo depingitur prædicatio Euangelij, quæ. 1. Proficisci debet à Propheta, hoc est, ministro legitime vocato. 2. Ita debet institui, vt 1. via paretur Domino. 2. Annuntietur remissio peccatorum. 3. Misericordia Dei annuntietur. 4. Vt vera lux, Jesus Christus, affulgeat ijs, qui sedent in tenebris. 5. Vt Propheta Dei magis magisque proficiat, & à nutu Dei pendeat, quomodo videmus Johannem creuisse, & mansisse in deserto in eum vsque diem, quo se ostenderet apud Israelem.

Conclusio. Conferatur Johannes Baptista cum Elia.

Luc 1. v. 76.

Christus ita est Filius Altissimi, vt idem sit Altissimus: vt patet ex collatione hujus versus *cum vers. 32. hujus capitis.* Est autem Altissimus ratione. 1. Essentiæ, qua Patri est ὁμοούσιος, & nihil est rerum creatarum. 2. Potentiæ & eminentiæ, quia potest omnia, supra quam nos cogitare possumus. 3. Excellentiæ, quia est honorandus supra omnes & omnia.

Luc. 2. v. 1. 15.

Dominica Natiuitatis Christi.

Exordium. Dies Natiuitatis Christi est dies immensi amoris Dei, summæ consolationis nostræ, summi nostri gaudij, vnionis admirandæ Dei & hominis, paris, beneplaciti, honoris generis humani, & societatis angelicæ. Merito itaque celebramus festum hoc, quod est velut introitus omnium festorum.

Propositio. Describitur hic natiuitas Christi plene, quantum ad circumstantias, modum siue formam, patefactionem, & fructus suos.

De I. Indicatur *tempus:* vbi disces veritatem Dei, & triplicem Christi natiuitatem. Nam Christus natus est absque tempore. *Psal. 2. Hebr. 1.* in tempore, vt homo. *Esa 7. & 9.* supra tempus in cordibus nostris. *Galat. 4. Matth. 12.* Prima natiuitas est æterna, secunda externa, tertia interna & spiritualis, vbi Christus in corde concipitur per fidem, foueturque per spem, in lucem ediur per charitatem. Deinde indicatur *occasio:* videlicet descriptio orbis terrarum. Hic disces descriptionem illam primam, qua subditi omnes, hinc inde in prouincijs Romano imperio subjectis, significare subjectionem & recapitulationem illam, qua omnes fideles sunt subditi vnius capitis, Jesu Christi. Tertio exprimitur *locus*, Bethlehem: vbi vides miram Dei prouidentiam, & intelligis non absque mysterio factum esse, quod panis vitæ fuerit natus in domo panis.

De II.

De II. Modus natiuitatis fuit humilis & abiectus: vbi disce. 1. Donorum & filiorum Dei conditionem. Solet Deus aurum & gemmas suas includere ligneis vasis, & inuoluere simplicissimis linteis. 2. Causam. Rex regum natus est in summa paupertate, vt nos ditaret. 3. Exemplum. Oportet vt nos consolemur exemplo Christi, & discamus despicere splendorem mundanum. Recte ait Augustinus de Christo: Pauper nascitur, pauper viuit, pauper moritur. 3. Modum spiritualis natiuitatis Christi: vt fias pauper spiritu.

De III. Patefactio facta est pastoribus, non regibus & Pharisæis: & facta est ab angelo Domini, cujus describitur magnificentia *v. 9. &* concio. *v. 10. & seqq.* Tres autem sunt partes concionis Angelicæ. Prima demit timorem: *Netimete.* Secunda annuntiat gaudium, & illius justam causam: vbi omnia vocabula sunt emphatica, ita vt contineant pondus centenarium: *Ecce, Euangelizo, vobis, gaudium magnum, quod erit toti populo, Hodie, natus est, Saluator, qui est Christus, Dominus, in vrbe Dauid.* Tertia indicat signum, quod est mirabile & amabile. Mirabile siquidem est, quod Deus fascijs inuoluitur & in præsepi reponitur. Amabile & plenum consolationis est, quod Saluator noster adeo se exinaniuit. Ex hac patefactione dices. 1. Deum mirabilia sua opera non sapientibus & potentibus hujus seculi, sed infantibus reuelare. *Matth. cap. 11.* 2. Angelos esse Dei ministros. *Hebr. cap. 1.* 3. Christum esse epitomen omnium donorum Dei salutarium. 4. Christum spiritualiter in nobis nasci, si cum pastoribus illis faciamus id, quod nostra vocatio requirit: si cum ijsdem majestatem Dei reuereamur: Si gaudium spirituale intra nos concipiamus: si denique Christum fascijs cordis nostri inuoluamus.

De IV. Fructus natiuitatis Christi proponuntur in cantione angelica, hoc modo. 1. Gloria Dei: videlicet gloria ineffabilis sapientiæ, misericordiæ, potentiæ, justitiæ: gloria, inquam, Patris, Filij & Spiritus S. 2. Pax in terris. Est enim pax supra nos cum Deo, juxta nos cum omnibus electis tanquam confœderatis nostris, intra nos quantum ad conscientias, infra nos quantum ad alias creaturas. 3. Beneplacitum triplex: videlicet beneplacitum Dei in homine, beneplacitum hominum in Deo, beneplacitum angelorum super homine.

Conclusio. Petatur ex toto *Psalmo 103.*

Alia dispositio ex eod. textu, sed additis versibus aliquot, vsque ad 20.

Exordium. Scala illa cœli *Gen. 28.* fuit figura Christi θεανθρώπου, cujus natiuitas temporalis hic describitur.

Propositio. Considerabimus tria miracula, triplex gaudium, & triplicem meditationem natiuitatis Christi.

De I. Tria hic sunt miracula. Nascitur enim Christus, qui est Deus & homo: nascitur ex virgine: nascitur humili & abjecto modo. Ecce in persona Christi, à majestate suscipitur humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas! Ecce verus homo nascitur ex virgine intacta! Ecce Dominus gloriæ nascitur modo abjectissimo!

De II. Triplex hic est gaudium, siue solennitas; videlicet angelica manifestatio, concio & cantio. Exultate itaque omnes populi, quia hodie natus est vobis Saluator: exultate reges, peccatores, ægroti, virgines &c. quia natus est dominus dominorum, &c.

De III. Triplex est meditatio natiuitatis Christi. 1. Exhortatio, qua cum pastoribus excitamus nos inuicem ad visendum hunc regem natum, & dicimus, Venite reges, hic est verus Rex: Venite docti, hic habetis veram sapientiam: Venite peccatores, infirmi in fide, patres familias, &c. hic habetis justitiam, robur, benedictionem, &c. 2. Contemplatio Christi in præsepi exinanitionis seu externo, cordis seu humiliationis, & Scripturæ seu reuelationis. 3. Celebratio hujus regis: ita vt cum pastoribus annuntiemus laudes ipsius, & cum Maria in corde puro conferuemus hoc mirabile Dei opus.

Conclusio. Sumatur ex *Psal. 95.* Venite exultemus.

Alia dispositio.

Ostendi potest in concione, quomodo debeamus contemplari Christum infantem. Consistit autem illa contemplatio in meditatione attributorum infantis nati, qualia sunt. 1. Humilitas inæstimabilis, quæ elucet ex circumstantijs. 2. Puritas ineffabilis, quod fuit absque labe peccatis. 3. Thesaurus incorruptibilis. Est enim materia gaudij, medicus animæ, justitia peccatoris, &c. 4. Amor delectabilis: quia descendit è cœlo propter nos, & amorem plantauit inter Deum & nos, inter angelos & nos, inter nos & alias creaturas, quibus fruimur. 5. Doctor infallibilis. Nam ipsius natiuitas est speculum & regula vitæ nostræ.

Alia dispositio.

Exordium. Dicamus cum *Esaia cap. 49.* Exultate cœli, & lætare terra, &c. Dicamus cum angelis, Gloria Deo in excelsis, &c. Hodie enim natus est Christus, qui nobis est omnia, cibus famelico, potus sitibundo, medicus ægroto, &c.

Propositio. Considerabimus beneficium Dei amplissimum, & officium nostrum deuotissimum.

De I. Beneficia Dei hic sunt multa, & illustria. Nam 1. Nascitur nobis Rex & author pacis, eo tempore, quo Augustus factus fuit monarcha, &

pax

pax fuit in orbe toto. 2. Panis vitæ nobis nascitur in domo panis. 3. Nobis impuris nascitur homo purus ex virgine. 4. Nobis superbis nascitur Rex & doctor humilitatis. 5. Non solum nobis nascitur tantus thesaurus, sed etiam monstratur ab angelis, exhibetur in præsepi Scripturæ, reponitur in corde nostro. Venite igitur peccatores, quia hic inuenitis justitiam: venite hostes Dei, quia hic inuenitis gratiam & reconciliationem: Venite afflicti, quia hic inuenitis consolationem: Venite mortui, quia hic inuenitis regenerationem & vitam: Venite patresfamilias, quia hic inuenitis benedictionem: Venite filij, quia hic inuenitis puerulum suauissimum, qui vos exhilaret & doceat: venite virgines, quia hic inuenitis sponsum: Venite steriles, quia hic inuenitis filium, &c. Venite pauperes, quia hic inuenitis diuitias, &c.

De II. Officium nostrum est in eo positum, vt imitemur angelos, celebrando hæc magnalia Dei, & laudes huic regi concinnendo: vt cum pastoribus nos inuicem excitemus ad quærendum Christum, apud illum maneamus, & laudes ipsius propagemus: vt denique cum Maria hoc ingens Dei beneficium in corde nostro voluamus & reuolnamus.

Conclusio. Vt in eo terminetur, in quo cœpit concio nostra, dicamus rursus cum Esaia: Exultate cœli, &c. & ex *cap. 45.* Rorate cœli.

Alia dispositio.

Quatuor distinctæ conciones possunt ex proposito textu formari. *Prima* de circumstantijs: vbi historia sacra cum profana, & nouum Testamentum cum veteri conferatur. *Secunda* de modo natiuitatis, qui est partim augustus, partim humilis: vbi magnificæ apparitiones Filij Dei in Vet. Test. recitentur, puta quod apparuerit Abrahamo *Genes. cap. 18.* Jacobo *Genes. cap. 32.* Mosi *Exod. cap. 24.* Josuæ *cap. 1. & 5.* Gedeoni *Jud. c. 6.* Esaiæ *cap. 6.* Ezechieli *cap. 1. 8. 43.* Danieli *cap. 9.* *Tertia* de patefactione natiuitatis: vbi de angelica concione & cantione, itemque pastorum obedientia. *Quarta* de fructibus incarnationis Christi: vbi expendi possunt præcipua Christi nomina, videlicet semen mulieris, semen promissum, Siloh, filius virginis, filius Dauidis, admirabilis, consiliarius, heros, pater æternitatis, princeps pacis, virga ex radice Isai, germen justitiæ, Zemach, dux populi Dei, expectatio gentium, &c. In hac quarta concione potest esse perpetua allegoria: Quæremus Christum in fascijs & præsepi Scripturæ. Principio in præsepi Veteri Testamenti *Genes. cap. 3. 18.* &c.

Alia dispositio.

Indicabimus, quomodo natiuitas Christi sit facta, & patefacta. *Facta* est mirabiliter, & miserabiliter. *Patefacta* est magnifice, & ita vt nil nisi lætitiam inde possimus haurire.

Alia dispositio.

Quemadmodum princeps militiæ conflicturus cum hoste, optime se præparat, sed ita vt hæc tria in arcanis habeat, vires seu potentiam suam, strategemata sua, & tempus aggressionis: ita Christus, princeps pacis, descensurus in arenam cum hostibus suis, optime se præparauit in vtero virginis Mariæ, inque illo armamentario lectissima arma defensionis & offensionis assumsit, sed potentiam suam & sapientiam occultauit, vt & tempus conflictus sui, quantum ad natiuitatem & passionem suam. Jam dicemus de natiuitate, quod sit humilis & amabilis, vtilis, & nobilis.

De I. Maximæ humilitatis est, quod Deus è cœlo descendit in vterum virginis, & habitat in templo corporis. Vnde etiam eluceſcit summus Dei amor erga homines.

De II. Christus nobis est natus saluator, quomodo videmus solem non sibi lucere, sed nobis.

De III. Nobilis est, qui nascitur, siue spectes diuinam naturam; siue prosapiam regiam, ex qua fuit oriundus; siue spectes claritatem angelorum, qui annuntiant hanc natiuitatem; siue spectes claritatem syderis, quod magis nuntiauit hanc natiuitatem; siue denique spectes bona illa excellentissima, quæ ex natiuitate hujus regis ad nos redeunt. In summa, nobilis est hic natalis propter personam, officium & beneficia illius qui nascitur.

Alia dispositio.

Ostendemus, quomodo Jesum Christum debeamus quærere in præcipuis vaticinijs V. T. tanquam in præsepi promissionis. Sunt autem hujusmodi vaticinia numero decem, hoc modo. *Genes. c. 3.* Semen mulieris. *Genes. cap. 22.* In semine tuo benedicentur. *Genes. cap. 49.* Non auferetur sceptrum. *Esa. c. 7.* Ecce virgo pariet. *Esa. ca. 9.* Puer natus est nobis. *Esa. c. 11.* Prodibit virga ex radice Iſai *Jerem. cap. 23.* Ecce venit tempus, quo excitabo Dauid justum germen. *Dan c. 9.* Septuaginta septimanæ. *Hagg. 2.* Commouebo cœlum & terram. *Zach. 9.* Ecce seruum meum Zemach.

Alia dispositio.

Circumstantiæ loci, temporis, & modi natiuitatis Christi, concordant cum oraculis prophetarum de Messia, eoque fidem nostram confirmant. Instituatur hic collatio V. & N. T. hoc modo.

De I.

De I. Locus prædictus fuit Bethlehem; quæ vox significat domum vitæ, quia ibi natus est dominus vitæ. Bethlehem ista abjecta est typus ecclesiæ, quæ in oculis mundi est humilis. Mirabilis autem hic cernitur providentia Dei in eo, quod Augustus hospitium Christo nascituro præparauit per suam descriptionem. Er ist Christi Furirer geweſt.

De II. Tempus natiuitatis Christi consideratur tribus modis: videl. vt est definitum æterno Dei decreto, prædictum à prophetis, & impletum eo ipso articulo, qui in scripturis vocatur plenitudo temporis.

De III. Modus natiuitatis fuit humilis & majestaticus, juxta oracula prophetarum, & typum Melchisedeci, Dauidis, Salomonis, & cæterorum. Differatur hic de majoribus Christi, & natalis ipsius conferatur cum natalibus regum & principum hujus seculi.

Luc. 2. v. 21.

Exordium. Duo illi Cherubim *Exod. 25.* è regione se aspiciebant, alisq; suis tegebant propitiatorium, cujus nomen erat Jehoua Zebaoth. Hujus typi complementum est in hoc textu. Nam lex & euangelium sunt duo Cherubim, qui se inuicem aspiciunt, & alijs suis complectuntur Christum. *Infesto circumcisionis.*

Propositio. Dicemus de lege & euangelio.

Tractatio. I. Lex Dei erat speculum miseriæ, & pœdagogus ad Christum. Primo enim lex & circumcisio nobis reuocat in memoriam peccata nostra: deinde ad Christum nos manuducit. Nominatim circumcisio erat signum fœderis, quod erudiebat & confirmabat Judæos, Deum fore ipsorum Deum vt & seræ posteritatis: deinde ipsos conuincebat spiritualis impuritatis, quæ est circumcidenda: denique sanguis, qui fundebatur in circumcisione, præfigurabat Messiam, qui ipse circumcisus est, vt impleret omnem justitiam legis, & hanc ceremoniam V. T. tolleret, & hoc ipso testatum faceret se esse semen Abrahæ.

II. Compendium legis est in nomine Jesus: vtpote quod docet, Christum nobis esse omnia, videl. Saluatorem merito & efficacia, h. e. lucem quæ nos illuminet, doctorem qui nos doceat, sacerdotem qui nos justificet, regem qui nos ducat, defendat, sanctificet, consoletur & glorificet. Ecce nomen Jesus est clinodium & ornatus tuus!

Conclusio. Non nobis, Domine, sed nomini tuo da gloriam. *Psal. 115.*

Alia dispositio.

Exordium. Nouus hic annus in memoria nobis reuocare debet æternum illum & vere nouum annum, qui erit in altera vita: vbi cessabit omne malum, puta fames, pestis, bellum, paupertas, peccatum; & redundabit omne bonum, satietas, sanitas, pax, diuitiæ & sanctitas. Hujus autem

gaudij non erunt participes nisi ij, qui nomen Jesu gestant in cordibus suis. Illis enim hoc nomen est materia gaudij, quemadmodum Isaac est nomen risus.

Propositio. Docebimus, quomodo nomen Jesus sit vnicum & æternum animæ clinodium.

Tractatio. Considera *primo* hujus clinodij originem. Deus hoc clinodium nobis donat. *Act.* 4. prophetæ annuntiarunt. *Act.* 10. angeli monstrarunt. *Luc.* 2. Spiritus S. cordi imprimit. *Deinde* perpende, quomodo te debeas ornare hoc ipso κειμηλίῳ. Sicut pontifex maximus in V. T. ingressurus sanctum sanctorum induebat splẽdidissimas vestes, in quibus erat cymbalum suauissimi tinnitus: quemadmodum principes imaginem suam auro impressam donant subditis, vt de collo suspendant: ita nostrum est, sanctũ hunc ornatum, & sanctam imaginem nominis huius gestare in cordibus nostris per verã fidẽ, & quotidiano intuitu eius nos oblectare. *Tertio* quẽadmodũ clinodiũ ex variis gẽmis constat: ita dulcissimum hoc nomen est compositum ex pretiosissimis gemmis. Nã Jesus est adamas comminues peccatum, est pyropus monstrans viam, est smaragdus oblectans visum, est rubinus &c. Rursus vt homo est microcosmus seu epitome vniuersi: sic Jesus est epitome omnium donorũ Dei. Ille est α καὶ ω, est Immanuel, via, vita, veritas, pastor, saluator &c. *Deniq;* oportet vt sciamus, quomodo debeamus hoc tale & tantum clinodium custodire: ita videl. vt sit nostrũ solatium, corona, medicina & extremum refugium.

Conclusio. Vitam nostram finiamus in nomine Jesu, quemadmodum videmus Biblia hoc nomine claudi *Apoc.* 22.

Alia dispositio.

Exordium. Quẽadmodum nouellæ arbores, cũ prima vice frõdent & fructus ferunt, summã voluptatẽ pariũt patrifamilias: ita in paradiso N. T. nouella & tenella ista arbor, Jesus recens natus, in sua circumcisione primum fructum edidit. Et sicut virga Aharonis *Num.* 17. vna nocte virorem, florem & fructum simul habuit: ita Christus in circumcisione viriditatem deitatis, florem sanguinis, & fructum nominis sui Jesus, simul ostendit.

Propositio. Instituemus collationem paradisi & Jesu Christi.

Tractatio. Homo collocatus fuit in paradiso amœnissimo, sed inde fuit exturbatus propter suam ingratitudinẽ. Quid fit? Deus aliũ paradisũ nobis plantauit, videl. Christũ. in hoc paradiso sunt ista. 1. *Fons*, id est, sanguis Christi. Hic fons primũ apertus est in circũcisione, post in passione, & hodie per quatuor flumina deriuatur in totum mũdum, quia Christus nobis à Deo est factus sapientia, justitia, sanctificatio & redẽtio. In his fontibus est aurum, hoc est, pretium pretiorũ & lætitia cordis nostri: est ibi balsamum sanans vulnera nostra: est ibi onyx, significans fidelitatem Christi sponsi nostri,

noſtri, qui nos geſtat in humeris non aliter quã ſummus ſacerdos onyche ornabat humeros ſuos. 2. *Arbor vitæ*, id eſt, Chriſtus, qui eſt Jucũditas mœrentium, Hilaritas flentiũ, Eminentia humiliũ, ſanitas languentiũ, vbertas egentium, ſuauitas quieſcentium. De hac arbore canamus cum poeta:

O arbor vitæ, ſine te ſumus arida ligna!
Si tibi conſerimur, florida palma ſumus.

3. *Flores omnigeni.* Nam Chriſtus eſt floſculus charitatis, flos amoris, lilium puritatis, roſa humanitatis, viola humilitatis, hyſſopus emundationis. Ex his floribus fac ſertum capiti tuo, & falciculum odoriferum naribus tuis. 4. *Arbores variæ.* Nam Jeſus eſt cedrus immortalitatis, palma victoriæ, olea miſericordiæ, vitis lætitię, balſamus precationis, ficus conſolationis. Hic eſt virga florens Aharonis, flos Aaronis, germen Dauidis, virga prodiens ex radice Jeſſe. 5. *Animãtia omnis generis.* Nam Chriſtus eſt agnus mitiſſimus, Spiritus S. eſt colũba puriſſima, angeli & ſancti homines ſunt aues dulciſſima cantione Deum celebrantes. 6. *Tempeſtas optima.* Nam in hoc paradiſo nulla eſt hyems, ſed ver perpetuum. 7. *Deſponſatio.* Sicut enim in paradiſo Adam accepit ſponſam ex coſta ſua: ita Chriſtus accepit ſponſam ſuam eccleſiam ex latere ſuo.

Concluſio. Hunc paradiſum intra, anima mea, & ibi oblecta quinq; ſenſus tuos, & omnes facultates tuas.

Alia diſpoſitio.

Quemadmodum ſponſus ſponſæ ſuæ dat clinodium, imaginem, ſuam, libellum aureum, & ſtrenam: ita Chriſtus hæc ipſa nobis donat in & cum nomine ſuo Jeſus. Jã videbimus, quomodo illud nomen ſit nobis ſtrena. *Primo* circumciſio Chriſti eſt materia lætitię & juſtitiæ. Nam Chriſtus impleuit legẽ, atq; ita nobis peperit ſummã libertatẽ. Et quẽadmodum ille circumciſus eſt corporaliter, ita nos debemus circũcidi ſpiritualiter, vt ſimus juſti per fidem & bona opera. *Deinde* nomen Jeſus ſimiliter eſt materia lætitiæ & juſtitiæ: quia docet Chriſtum eſſe noſtrum Saluatorem, & nos liberatos eſſe à peccatis, quę ideo nobis ſint fugienda. Chriſtus itaq; ſolus eſt noſtra ſtrena. Sed vt clarius videamus, quomodo almus ille Saluator ſit noſtra ſtrena, indicabimus per partes, exempla & doctrinas, ex quibus quiſq; noſtrum poſſit intelligere, quomodo hic annus nobis ſit inchoandus & tranſmittendus. Itaq; ſit ſtrena

	Exemplum.	*Doctrina.*	*Hieroglyphicum*
Magiſtratus	*Joſua*	*Pſal.* 20.	*Pelecanus.*
Subditorum	*Centurio in Capernaum*	*Pſal.* 61.	*Apicula.*
Paſtorum	*Eſaias c.* 6.	*Pſal.* 86.	*Columba Noe: Gallina.*
Auditorum	*Maria ſoror Lazari: Lydia*	*Pſal.* 119.	*Ouicula.*

Paren-

Parentum	*Tobias senior.*	*Psal.* 112.	*Gallina glocitans.*
Liberorum	*Tobias iunior.*	*Psal.* 8.	*Ciconia.*
Maritorum	*Isaac.*	*Psal.* 127.	*Palma.*
Vxorum	*Sara.*	*Psal.* 128.	*Turtur: vitis.*
Adoleſcẽtum	*Joseph.*	*Psal* 119.	*Monoceros odoratu internoſcens virgines.*
Virginum	*Sara: Maria virgo: filiæ Philippi Act.* 4.	*Psal.* 45.	*Monoceros.*
Viduarum	*Hanna; Vidua Sareptana.*	*Psal.* 146.	*Turtur gemens.*
Orphanorum	*Esthera.*	*Psal.* 68.	*Philomela.*
Dominorum	*Abraham & Jacob.*	*Psal.* 78.	*Palma.*
Dominarum	*Rahel.*	*Psal.* 78.	*Testudo.*
Seruorum	*Eleazar seruus Abrahami.*	*Psal.* 123.	*Grus, vigilax auis.*
Ancillarum	*Ancilla Naemanis.*	*Psal.* 123.	*Grus.*

Porro ſtrena paupertum ſint faſciæ Chriſti: ſtrena totius regionis *Pſalmus* 122. ſtrena ſcholarum ſit ſchola illa ſobrietatis & ſapientiæ. *Dan.* 1. Hęc eſt Chriſtianæ ſtrenæ diſtributio. Strena vero ſtrenarum ſit Jeſus Chriſtus.

Alia deſpoſitio.

Exordium. Aharon ingreſſurus ſanctum ſanctorum neceſſe habebat duo adferre, ornatum ſanctum & ſanguinem. In ornatu erat pectorale, in quo inciſa erant nomina 12. tribuum vna cum cymbalo. Ecce hic habes iſta omnia, partim in circumciſione Chriſti, partim in nomine Jeſu.

Propoſitio. Docebimus. 1. Quomodo nomina noſtra ſint ſcripta in nomine Jeſu, & quos theſauros in illo ipſo nomine Deus repoſuerit. 2. Quomodo ſanguis fuſus in circumciſione Chriſti fuerit primum inſigne & ornamentum officij eius.

De I. Quemadmodum nomina duodecim tribuum inciſa erant totidem gemmis: ita nomina omnium electorum ſunt inciſa huic nomini Jeſus. Nam in hoc *ſardio* inciſus eſt Ruben, cujus miſeriam Deus reſpicit: in hoc *topazio* inciſus eſt Simeon, quem Deus exaudit: in hoc *ſmaragdo* inciſus eſt Leui, propter quem Deus ſe nobis conjungit: in hoc *rubino* inciſus

sus in Juda, qui Deum confiretur: in hoc *sapphiro* inciſus est Dan, cujus cauſam Deus judicat: in hoc *adamante* inſcriptus Naphthali, qui est conuerſus à Deo: in hoc *cyano* ſculptus est *Gad*, qui vincit diabolum & mundum cum omnibus concupiſcentijs ejus: in hoc *achate* ſculptus est Aſer, qui felix est in Deo: in hoc *amethyſto* est Iſaſchar, cuius merces ampla est Deus: in hoc *turchoide* inciſus est Sebulon, in quo habitat Deus: in hoc *onyche* ſculptus est Joſeph, qui creſcit in Chriſto: in hoc *jaſpide* ſculptus est Benjamin, filius ille dextræ Dei, ô ſplendidiſſimum ornatum Pontificis noſtri Jeſu Chriſti! Hinc manat omnimoda conſolatio, & pleniſſima inſtructio.

De II. Alter ornatus Chriſti est circumciſio ejus, quam non oportet oculis carnis, ſed fidei intueri. Nam circumciſio Chriſti est. 1. Signum, quod ille fuerit ſemen Abrahæ. 2. Sigillum, quo confirmatum est fœdus. 3. Impletio legis. 4. Sanctificatio circumciſionis ſanctorum in V. T. 5. Typus ſpiritualis circumciſionis, quæ fit per ſanguinem Chriſti & operationem Spiritus Sancti.

Concluſio. Sicut Moſes *Exod. 4.* dicitur ſpõſus ſanguinis: ita Chriſtus est ſponſus ſanguinis, hoc est, ſanguine ſuo tanquam arrha teſtatur amorem ſuum. Deinde ſicut in altari offerebãtur ſacrificia: ita in nomine Jeſu preces & opera noſtra debemus Deo offerre. Denique ſicut ſol mane rubens adfert veſperi pluuiam: ita Chriſtus ſol juſtitiæ in circumciſione ſua exoriens rubicundum colorem præ ſe tulit, quem in veſpera paſſionis ſecutus est fœcundiſſimus imber. Hæc & ſimilia diligenter meditemur, & meminerimus circumciſionem Chriſti inchoare annum nouum, vt incipiamus circumcidere veterem Adamum.

Alia diſpoſitio.

Cum Noe naſceretur, parentes ipſius dicebant: Hic nos cõſolabitur, & ipſum appellarunt Noe. *Gen. 5.* In quibus verbis continentur hæc duo: quod videl. parentes Noe, vt & alij patriarchæ, variis obnoxij fuerint afflictiombus, & contra illas remedium quæſiuerint in Chriſto, cuius typus fuit Noe. In illo enim ſolo inuenitur requies, non corporis, ſed animi, eaque tum ſpiritualis, tum æterna, idque hoc modo. 1. Jeſus est requies noſtra, quantum ad remiſſionem peccatorum: vnde est quies conſcientiæ, & quies noſtra in Deo, atque viciſſim quies Dei in nobis. 2. Jeſus est noſtra requies quantum ad mortem, mundum & infernum. Si enim illa nobis incutiant terrorem, aſpectus nominis Jeſu nobis est ſolatio. 3. Jeſus est noſtra quies quantum ad diabolum, & varias tentationes. Si enim ille hoſtis nobis faceſſat negotium, & nos reddat inquietos, ad Chriſtum oportet confugere,

4. Jesus est nostra quies in vltimo judicio, & denique in vita æterna.

Luc. 2. *v.* 22. 23.

Exord. Si princeps egregium donum conferat in suum ministrum, & vero hic male illud collocet, incurrit offensam sui domini. Similiter Deus offenditur, si videat nos abuti donis suis: vt in exemplo protoplastorum, Nebucadnezaris & diuitis epulonis videre est. Donum maximum, quod Deus nobis dedit, est Filius ejus Jesus Christus. Agite igitur videamus, quomodo hoc dono debeamus vti, datori in honorem, nobis in fructum.

Propositio. Ostendemus, quomodo Christus nobis sit: sui in vita & in morte.

De I. In vita Christus est nostra puritas & caput nostrum. Nam *principio* Christus impuritatem nostram natiuam, quam significabat sacrificiū purificationis *Leu.* 12. tegit tanquam complementum istius sacrificij. Et quia Maria Christum Deo obtulit in die purificationis suæ, Christus impleuit etiam hac in parte legem. Officij nostri est, puritati magis magisque studere exemplo Simeonis, de quo hæc prædicantur. 1. Pietas. 2. Expectatio consolationis Israelis. 3. Inhabitatio Spiritus Sancti. 4. Collocutio cum Deo. 5. Frequentatio templi. 6. Christi amplexatio seu apprehensio. 7. Dei glorificatio. *Deinde* Christus est primogenitus ille, qui Deo est consecratus & duplum hæreditatis obtinet. Ille igitur est caput nostrum: quia sumus dilecti in illo dilecto. Nam participes simus juris primogenituræ Christi.

De II. Artem moriendi discimus à Simeone, qui mortem describit sub imagine solutionis vel discessus, hoc modo *Primo* requiritur vt bona cū pace valedicamus: *Domine nunc dimittis seruum tuum. Deinde* requiritur via tuta: *In pace. Tertio* viaticum, quod est verbum Dei: *Quemadmodū promisisti. Quarto* bonus hospes. *Mei oculi viderunt Salutare tuū. Quinto* dux. *Lumen, ad illuminandum gentes. Sexto* comites & socij boni: *populus Israel*, h. e. patriarchæ, prophetæ, reges sancti, apostoli &c.

Conclusio. Petatur ex *Psal.* 84.

Alia dispositio.

Proponemus διζωσιν καὶ διδασκαλιαν, h. e. artem bene viuendi, & beate moriendi. *Ars bene viuendi* consist t in his tribus. 1. Agnosce tuam impuritatem, seu impuram natiuitatem, quam hoc loco significat impuritas illa Leuitica mulierum. 2. Cognosce puram tuam natiuitatē seu regenerationem in Christo: qui est sacrificium veræ purificationis, & dat tibi jus primogenituræ suæ, ita vt fias filius Dei per gratiam, quemadmodum

ille

illeest Filius Dei per naturam. 3. Cognosce operationes vitales hominis illius, qui est in Christo regenitus. Ecce tibi speculum hujus rei Simeonem! In hoc enim elucent septem dona, de quibus vide disp. præced. *Ars beate moriendi* consistit, in cognitione sui ipsius & Christi. *Suiipsius* ita nimirum vt homo seipsum humiliet, *Nunc dimittis seruum tuum*: & mortem habeat pro solutione, λύσεις τὸν δοῦλον. *Christi*: vt illum habeas pro seruatore, lumine & gloria tua.

Alia dispositio.

Ad artem moriendi requiritur præparatio bona, & recta migratio. *Præparatio* consistit in agnitione miseriæ, fide in Christum, & gratitudine erga Christum: quæ tria elucent in Simeone. *Recta migratio* cõsist t in his quinque. 1. In valedictione: *Nunc dimittis*. 2. In curru seu vehiculo, quod est pax Christi: *In pace* 3. In equis trahentib. hunc currũ: qui sunt fides, *oculi mei viderunt*, & dilectio Dei, *quem præparasti*. 4. In duce: qui est Christus, cui tribuuntur hi tituli, quod sit Saluator hominum, Illuminator gentium, Glorificator Israelis. 5. In comitibus: qui sunt veri Israelitæ. Conclude ex *Psal.* 16.

Luc. 2.

Vers. 34. Christus est positus multis in resurrectionem, per se: multis in ruinam, & signum contradictionis, ex accidenti: quomodo lapis angularis & fundamentalis in domo, habitatori est lapis quietis, offendenti lapis doloris.

Vers. 39. Lex Dei nobis debet esse norma in maximis, medioximis, & minimis.

Vers. 40. 52. Incrementa, vt staturæ & ætatis, ita sapientiæ in puerulo Jesu, non apparentia tantum fuerunt, sed vera, pro veri hominis modulo: & sunt documenta profectus nostri, quo imus de virtute in virtutem. Qui profectus est sanctificatus per incrementum & profectum Christi, & à sola Dei gratia pendet.

Vers. 50. Sæpenumero accidit, vt filij melius intelligant mysteria salutis, quam parentes.

Luc. 2. v. 33. 41.

Exordium. Simeon & Hanna quorum testimonium de Christo hic describitur, non ab re conferuntur cum Jacobo *Gen.* 32. & Hanna. 1. *Sam.* 1. Nam pari gaudio & desiderio expectarunt Messiam. *Dominica post natalem Domini.*

Propositio. Duæ sunt partes. 1. duo testimonia de Jesu puerulo. 2. descriptio infantiæ Christi.

De I. Simeon vaticinatur de passione Christi, apostasia Judæorũ, persecutione Ecclesiæ, & perturbatione Mariæ: Hanna cõsolatur populũ. Hinc

discimus. 1. Hierosolymis, id est inter medios Pharisæos, esse semper aliquē Simeonem & Hannam, id est, pusillum aliquem gregem. 2. Christum esse lapidem offensionis & defensionis. Est lapis offensionis respectu incredulorum, qui offenduntur humilitate personæ ipsius, difficultate doctrinæ, paucitate & vilitate discipulorum, denique varietate crucis. Est lapis defensionis, quatenus suis electis est resurrectio, hoc est, facit vt resurgamus à somno peccatorum ad vitam æternam. 3. Christum esse signum cui contradicitur per infidelitatem, rationis subtilitatē, & vitæ impietatē. Porro hic habemus speculum viduarum, in quo relucent sex gemmæ. Nam Hanna frequentabat templum, orabat, jejunabat, laudabat Deum, loquebatur de Messia.

De II. Breuis, sed magnifica est descriptio infantiæ Christi. Quatuor sūt membra hujus descriptionis: *Crescit: Corroboratus fuit spiritu: Impletus fuit sapientia: Gratia Dei fuit cū illo*: h. e. Corpus ejus magis magisq; fuit ornatum ad instar templi Salomonis: ipsius anima instar virentis virgulæ omnis generis fructus spiritualis protulit: thesauri sapientiæ fuerunt aucti: denique omnia ipsius dicta & facta fuerunt gratiosa in oculis Dei & hominum.

Conclusio. Quia nos sumus facti filij per infantulum Jesum, dabit Deus eadem nobis dona secundum mensuram Christi, qui habet ista citra mensuram.

Alia dispositio.

Exord. Non sine causa miretur aliquis, quod Simeon & Hanna puerulum Jesum, nunquam antehac visum, nouerunt, & de ipso vaticinati sunt. Hoc non aliunde habuerunt nisi à Spiritu S. qui salutarem Dei cognitionem operatur in cordibus nostris.

Propositio. Dicemus. 1. de cruce seu malo, quod sequitur Christum. 2. de bono, quod oritur ex Christo. 3. de bono, quod profecit in Christo.

De I. Tria sunt mala, quæ Christum sequuntur vitio hominum. 1. Scandalum & lapsus multorum: videl. illorum, qui habent corda terrena, sui miseriam non agnoscunt, non norunt personam & officium Christi. Hoc seruit cautioni & consolationi electorum. Oportet enim vitare illa, quæ faciunt vt Christus nobis sit scandalo; & simul lætari, quod Christus credentibus sit medicina, infidelibus venenum. 2. Contradictio: quod Christus est signum & veluti meta contradictionis. Nam Diabolus egre fert ipsum contriuisse caput suum. Ideo excitat omnis generis hæreticos, qui contradicunt personæ & officio Christi. 3. Gladius, qui penetrauit cor Mariæ tempore passionis Christi: qui est figura persecutionis Ecclesiæ.

De II. Hanna de Christo testatur, ipsum esse redemtionem in Hierusalem: vbi obserua, 1. quomodo Christus sit redemtio. 2. quibus sit redēptio.

De III.

De III. Christus profecit statura, & sapientia, siue donis corporis & animæ: vnde extitit summa gratia apud Deum & homines.

Conclusio. Faxit Deus, vt Christus nobis non sit offendiculo, sed solatio: neque signum, cui contradicamus, sed scopus, ad quem collineemus fide, spe & charitate, quæ sunt tres sagittæ militis Christiani: denique vt proficiamus cum Christo de virtute in virtutem.

Luc. 2. v. 41. 52.

Dominica I. post Epiphan.

Exordium. Josias octennis puer capessit regnum, & anno ætatis duodecimo repurgat templum. *2. Paral. 34.* Pius iste Rex fuit typus Christi, qui anno ætatis duodecimo templum ornauit sua præsentia, & illud expurgauit dum falsam istam opinionem de temporali regno Messiæ confutauit.

Propositio. Duæ sunt partes. 1. Quomodo parentes Jesu cultum diuinum peregerint. 2. Quomodo filium suum amiserint, & in templo inuenerint.

De I. Religiosi fuerunt parentes Christi; quia quotannis profecti sunt Hierosolymam, & religionem istam implantarunt filio suo Jesu. Hic tractetur locus communis de cultu Dei & ejus solennitatibus: item de educatione liberorum, quæ consistit in eo, vt perennes doceant liberos suos voce & vita seu exemplo.

De II. Parentes Christi, amittunt suauissimum suum filium. Ita pij in medio feruore deuotionis experiuntur varias calamitates & tentationes. Deinde solicite quærunt ipsum, & tandem inueniunt. Ita enim Deus probauit fidem & diligentiam suorum, patitur se ab illis rursus inueniri.

Conclusio. Petatur ex *Psal. 42.*

Alia dispositio.

Exordium. De infantia Salomonis legimus *2. Sam. 12.* ipsum clarum fuisse Deo, & à Nathane cognominatum Jedidja, hoc est, dilectum Jehouæ. Verus Jedidjah est Christus, qui profecit sapientia, ætate & gratia apud Deum & homines.

Propositio. Tria hic habemus specula. 1. Speculum piorum parentum. 2. Speculum crucis. 3. Speculum piorum liberorum.

Tractatio. I. Piorum parentum est vacare cultui Dei & educationi liberorum. Cultus Dei consistit in tribus, videlicet in solennitatibus Ecclesiasticis, deuotione cordis, emendatione vitæ. Ita videmus parentes Christi executos fuisse mandatum Dei de visitando festo solenni, & suam deuotionem atque sanctitatem ipso facto testatam fecisse. Deinde recta liberorum educatio consistit in tribus: videlicet vt timor Dei implantetur,

liberorum commodum solicite quæratur, ipsis denique recte sentientib. locus detur. II. Christus amittitur per negligentiam & tentationes, quæ duo cadunt etiam in sanctissimos quosque. In hujusmodi autem cruce nostri officij est Christum quærere, & quidem magno cum cordolio. Sed vbi ipsum quæremus? Resp. In templo cordis tui, & in Sacra Scriptura. Christus enim sedet in medio doctorum & interrogat eos, ipsisque dat responsa. Cor tuum est illud templum, in quo Christus sedet, tibique responsa dat per fidem & gemitus ineffabiles. III. Christus comitatur parentes Hierosolymam, quærit gloriam Dei, & subjectus est parentibus. Hoc idem est officium omnium frugi liberorum. Quod si officium istud sedulo faciant, consequuntur à Deo benedictionem omnigenam, & cum Christo proficiunt sapientia, ætate & gratia.

Alia dispositio.

De cultu Dei doceantur ista. 1. Requiritur vt sit à Deo institutus. Ita Judæi quotannis jussi sunt Hierosolymam ire, & celebrare tria festa principalia, videlicet Pascha in memoriam liberationis ex Ægypto, Pentecosten in memoriam legis promulgatæ, & Scenopegiam in memoriam peregrinationis in deserto & possessionis terræ Canaan. 2. Oportet læto animo illum peragere, neque morari difficultatem vilam. 3. Solennitates Ecclesiasticæ sunt adhibendæ. 4. In corde sunt conservanda eloquia Dei. 5. Christus quærendus est in templo, non honor, splendor aut affluentia opum. Nam Judæi necesse habebant templum frequentare, quod erat typus Christi. Porro quia cultus Nou. Testam. non est ita operosus vt ille Vet. Test. nostras partes decet majori alacritate illum peragere, & dicere cum psalte ex *Psal. 122. Lætor, &c.* item ex *Psal. 27. Vnum expetij, &c.*

Luc. v. 3.

Vers. 1. 2. Chronologia sive notatio temporis est lumen historiæ sacræ & argumentum prouidentiæ Dei.

Vers. 5. Valles, id est, humiles, qui agnoscunt sua peccata, & confugiunt ad Christum *implentur* donis Spiritus Sancti: *montes & colles*, hoc est, superciliosi Pharisæi, vt sunt Pelagiani, Justiciarij & Perfectistæ, *deprimuntur: Quæ curua sunt*, hoc est, conscientiæ seductæ, *fiunt recta: Via aspera*, hoc est, opera nostra vitijs respersa, *fiunt plana*, videlicet per gratiam Spiritus Sancti in Jesu Christo, qui nos juuat docendo, lucendo & ducendo.

Luc. 4.

Vers. 16. Exemplo Christi diligenter frequentemus cœtus sacros.

Vers. 18. 19. Hi duo versus complectuntur summam beneficiorum Christi.

Vers. 43.

Vers.43. Scopus, ad quem pij pastores collimare debent, idem esse debet cum illo, qui Christo hic fuit propositus.

Luc. 4.

Vers.2. Jejunium Christi fuit plane miraculosum & extraordinarium, antitypum jejunij quadragesimalis Mosis & Eliæ. Nullo igitur colore Papistæ hinc probant suam quadragesimã, superstitiosam illã & meritoriam.

Vers.8. Religiosus adorationis & seruitutis cultus soli Deo conuenit.

Vers.22. Sermo noster debet esse plenus gratia, tum Euangelica, tum morali & ciuili.

Vers.28. Semper in Ecclesia sunt hypocritæ, qui replentur excandescentia, quando audiunt sermonem legis.

Vers.41. Cognitio historica Christi etiam cadit in dæmones: affectiua, h. e. illa quæ conjuncta est cum affectu pietatis, non item.

Luc. 5. v. 1. 12.

Confer cum Matth. 4. & Marc. 1.

Exordium. Jucundissimum procul dubio spectaculum fuit, quod Dominum nostrum Jesum Christum, cœlestem illum doctorem, toties comitata fuit multitudo populi longe maxima. *Dominica V. post Trinitatis.*

Propositio. Disseremus. 1. De amore verbi Dei. 2. De labore vocationis nostræ.

De I. Verbum Dei debemus amare. 1. Quia Christus illud annuntiauit tum in V. T. tũ in N. T. 2. Quia homines electi hoc fecerunt tum in V. tum in N. T. 3. Quia vbi est verbum Dei, ibi est Deus, ibi est Ecclesia seu multitudo credentium, ibi Christus edit varia miracula. Quæ omnia sunt manifesta in hoc textu.

De II. Labor vocationis nostræ requirit. 1. Audium verbi Dei. 2. Diligentiam indefessam. 3. Obedientiam erga præcepta Dei. 4. Agnitionem nostræ indignitatis. 5. Fiduciam in misericordia Dei. 6. Abnegationem sui. 7. Imitationem Christi. Quæ omnia demonstrentur ex textu.

Conclusio. Recitetur *Psalmus 128.* & addatur epiphonematis loco, bona corporalia fluere ex bono spirituali & æterno.

Alia dispositio.

Exordium. Sirachus *cap. 24.* verbum Dei confert cum flumine, quod procedit ex paradiso, secumque vehit omnis generis bona.

Propositio. Disseremus de spirituali piscatura.

Tractatio. Mare est mundus: pisces sunt homines: nauicula est Ecclesia: piscatores sunt ministri verbi: rete est verbum Dei.

Conclusio Petatur ex *Ezech. 47.*

Alia dispositio.

Disseremus de occasione miraculi, illiusque modo, & effecto.

De I. Hic considera populum, Christum, & nauiculam Petri. In populo vides famem spiritualem animæ: in Christo inuenis panem animæ: ex nauicula Petri discis, Christum esse orandum vt veniat in nauiculam cordis nostri & vocationis nostræ.

De II. Circa formam miraculi obserua, quomodo Deus benedicat labori nostro, & mirabilia operetur circa officium & vocationem nostram.

De III. Effecta miraculi sunt quinque: agnitio indignitatis, reuerentia siue timor filialis, consolatio, vocatio Petri, & contemtus mundi. Conclude ex *Psal. 19. vel 1. vel 112. vel 125. vel 127.*

Alia dispositio.

Disseremus de verbo Dei, & modis acquirendi legitimis.

De I. Verbum Dei est audiendum cum Zelo & feruore. Sicut enim frigus enecat semen: ita negligentia nostra verbum Dei non sinit crescere & fructificare in cordibus nostris.

De II. Media sunt corporalia & spiritualia. Ibi est labor in vocatione: hic sunt auditus verbi Dei, fiducia in Deo, mutuum auxilium, agnitio infirmitatis & indignitatis suæ, abnegatio denique sui ipsius.

Luc. 5.

Vers. 14. Christus, non vult, vt intempestiue ipsius gloriam propagemus. Deinde non confirmat confessionem auricularem, quando jubet leprosum sanatum se ostendere sacerdotibus, sed leproso præcipit obseruationem legis, & testimonium hujus sui miraculi elicit à sacerdote jura legem pronuntiante.

Vers. 24. Pastores Ecclesiæ dicuntur remittere peccata, in quantum sunt legati Dei, annuntiantes Dei nomine veniam peccatorum, ijs qui vere resipiscunt, & credunt Euangelio: Christus vero αὐτόθεν remittit peccata propria diuina virtute.

Luc 6.

Vers. 20. Veram beatitudinem non oportet metiri rebus caducis, sed æternis.

Vers. 24. & seqq. Diuitiæ, saturitas, risus, & similia, sunt res indifferentes, quarum vsus est bonus, abusus malus. Et hunc, non illum damnat Christus.

Vers. 34. Christus hic jubet etiam egenis & ingratis mutuare: non vetat autem sortem mutuatam repetere, (sic enim non juberet mutuare, sed donare), neque etiam pro mutuo gratitudinem oblatam vel debitam accipere: sed vetat, cum damno proximi egeni lucrum, præsertim iniquum exige-

exigere. Ibidem non improbat judicia Ecclesiastica politica, vel œconomica, sed tantum maligna, quæ à vocatione priuatorum sunt aliena, & inuehunt confusionem ordinum.

Luc.6.v 36.43.

Confer cum Matth.7. v.6.

Exordium. Quemadmodum homo noscitur ex nomine, factis & officio suo: ita Deus ex nominibus suis cognoscitur, itemque ex operibus. Varia autem sunt Dei nomina, & varia opera. Ibi excellit hic titulus: Deus misericors, longanimis & gratiosus, Pater, & Pater misericordiæ *Exod.34. Psal.103.2.Cor.1.* hic excellit remissio peccatorum. *Dominica I V. post Trinitatis.*

Propositio. Dicemus de diuinissima hac virtute, misericordia, ita vt indicemus. 1. Illius fructus. 2. Argumenta, quæ ad ejus studium nos impellunt.

De I. Qui sint fructus misericordiæ, Christus docet proposito exemplo Patris cœlestis, cujus misericordia est præueniens, expectans, suscipiens, emendans, tolerans, custodiens, coronans. Eodem modo nos debemus misericordiam nostram facere contestatam, videlicet. 1. *Non judicando*, hoc est, defectus proximi non exaggerando, dicta & facta ejus non male interpretando, miseriæ ipsius non insultando, ex calamitate ipsius non ferendo judicium de ipsius impietate; denique non calumniando ipsius dicta & facta. 2. *Non condemnando*, hoc est, non damnando indicta causa, non flagrando vindictæ cupiditate. 3. *Remittendo*, hoc est, possidendo cor amabile, mansuetum, placabile & pacificum. 4. *Dando*, hoc est, benefaciendo omnibus.

De II. Argumenta suasoria sunt. 1. Exemplum patris cœlestis *vers.36.* 2. Vtilitas *v.38.* 3. Triplex similitudo, hoc modo. *Primo* omnes homines natura sunt cœci. Non igitur est, quod vnus præ alio se arbitretur oculatum, & ipsius vitia taxet, quasi ipse sit Lynceus. *Deinde* Christus, magister noster, in omnibus suis dictis & factis misericordiam expressit. Nos itaque, qui volumus esse ipsius discipuli, debemus ipsam sequi. *Denique* quia ferme vsuuenit, vt nos habeamus trabem in oculo nostro, non oportet festucam in oculo proximi nostri considerare, & trabem nostram negligere.

Conclusio. Recitetur *Psalmus 33.*

Alia dispositio.

Exordium. Hic textus est speculum amoris & misericordiæ: cujus illustre exemplum fuit Jonathan *1.Sam.20.* & Dauid, qui post mortem Saulis solicite inquirebat in ipsius posteritatem, vt posset compensare misericordiam Jonathanis.

Propositio. Dicemus 1. de quatuor operibus misericordiæ. 3. De triplici schola misericordiæ.

De I. Opera misericordiæ sunt, non judicare temere & inique: non condemnare facile & crudeliter: remittere sincere & plene: dare libenter & liberaliter.

De II. In prima schola disce propriam cœcitatem, & expende quam ridiculum sit futurum, si cœcus cœcum conetur ducere. In secunda schola disce imperfectionem, & expende, quam stolidum sit, si discipulus conetur docere condiscipulum ejusdem, aut etiam minoris profectus: denique imitare doctorem tuum Christum. In tertia schola disce cognoscere trabem in oculo tuo, & festucam in oculo proximi. Atque hoc est verum illud γνῶθι σεαυτόν.

Conclusio. Meminerimus summam felicitatis esse positam in amore Dei, & ejus imitatione, & cogitemus illud Augustini: *Summa religionis est, imitari eum quem colis.* Recitetur *Psalmus 112.*

Luc. 6.

Vers. 43. & seqq. Lydius lapis Christiani & Christianismi est fructus fidei, qui est positus in dilectione Dei & proximi.

Vers. 48. Quicunque præstant sermonem Christi, sunt viva ipsius membra, ædificata super ipso, tanquam fundamento immoto, quod nulla vi labefactari potest.

Luc. 7.

Vers. 4. Christianos decet pro se invicem intercedere apud illos, in quorum manu est juvare. Sympathia enim ista est signum communionis sanctorum.

Vers. 6. 7. & seqq. Quo quis se magis deprimit & humiliat, eo proximus ad Deum accedit, atque ita verum esse cognoscit paradoxum istud: *Humillimus altissimus, quia altissimo proximus.*

Vers. 8. Fides admittit certos gradus, tum inter varios, tum in variis. Admittit, inquam, gradus, non quantum ad formam & essentiam suam, qua fertur in objectum, sed quantum ad ὑπόξω: quomodo manus infirma æque est manus atque valida.

Luc. 7. v. 11. 18.

Dominica XVI. post Trinitatis.

Exordium. Quemadmodum semen projicitur in agrum, ut ibi germinet & fructificet: ita threni electorum sunt semen, quod Deus per crucem jacit in agrum cordis, ut inde fructificet usque in cœlum. Hujus rei exemplum habemus in vidua Sareptana *1. Reg. 17.* quæ altera vice threnos suos seminavit, cum famem experta est, & filio suo orbata fuit per mortem.

Sed

Sed hi threni ejus semper vberem & lætam fructum peperernnt, vt testantur duo miracula Elisæi, è quibus posterius optime conuenit cum miraculo Christi, quod hic describitur.

Propositio. Duæ sunt partes: Speculum tristitiæ & imago mortis, itemque speculum lætitiæ & imago vitæ.

De I. Videmus hic 1. Mundi vanitatem: quæ per vrbem Nain figuratur. Nomen siquidem hoc notat vrbem amœnissimam, sed tamen talem, in qua homines non erant immortales. 2. Mortis amarulentiam, quæ etiã sæuit in juuenes. 3. Consolationis mundanæ vanitatem. Hæc vidua habebat filium vnicum, qui erat ipsi instar scipionis. Sed hic scipio fuit fragilis. 4. Viduarum miseriam. 5. Hominum lamentationem: *Turbaque ciuitatis bene multa erat cum ea.*

De II. Videmus hic Christi commiserationem & patefactionem. *Commiseratio Christi* habet istam scalam, in qua septem sunt gradus. 1. Aspectus, seu oculi Domini, *Dominus eam intuitus.* 2. Affectus, *Misericordia commotus est.* 3. Affatus, *Dixit ei, Ne fleto.* 4. Attactus, *Accessit & tetigit loculum.* 5. Imperium *Tibi dico, surge.* 6. Executio mandati, *Tunc resedit.* 7. Consolatio, *Et ille dedit eum matri suæ.* Ecce commiseratio Christi elucet ex oculis, corde & manibus. *Patefactio Christi* est timor Dei, glorificatio Dei, agnitio Christi, & amplificatio beneficiorum Dei apud alios homines.

Conclusio. Recitetur *Psalmus 90.*

Aliæ dispositiones.

I. Vox illa *Ezech. 37.* qua propheta jussus à Deo est vaticinatus de ossibus aridis & illa animauit est typus vocis Christi excitantis mortuos. Cujus rei imago est in hoc textu. Duo autem videbimus. 1. Contemplabimur nos ipsos in tristi speculo mortis. 2. In læto speculo vitæ.

De I. Quinque imagines mortis in hoc speculo nobis obijciuntur. 1. Mundi vanitas; quam figurat Nain. 2. Reditus in terram; quem figurat funus adolescentis, qui efferebatur. 3. Terminus vitæ dubis; quem figurat ætas defuncti. 4. Consolationis mundanæ nullitas; quam figurat solatium viduæ, quod illa habuit in filio suo vnico. 5. Fletus hominum; quem figurat deductio funeris. Nimirum turba, quæ comitatur viduam, nihil potuit præter plorare.

De II. Quinque imagines consolationis in hoc speculo nobis proponuntur. 1 Diuina commiseratio. 2. Dextra virtutis, qua Christus tangit loculum. 3. Verbum vitæ seu viuificum. 4. Læta restitutio. 5. Humilis agnitio & læta confessio Messiæ. Conclude *Psalmos 126.*

II. Quemadmodum *2. Reg. 2.* Elisæus injecto sale aquam reddidit salubrem: ita Christus scaturiginem mortis, quæ est abscondita in veteri

Adamo, sanat injecto sale sapientiæ in aquam siue threnos crucis. Considerabimus hic scaturiginem mortis & vitæ, illam in veteri, hanc in nouo Adamo, qui est Christus.

III. In historia Euangelica legimus, Christum excitasse tres homines à mortuis, filiam Jairi *Matth.9* hunc adolescentem, & Lazarum *Johan.11*. In tribus hisce miraculis nobis depicta est ad viuum resurrectio nostra gemina, corporalis videlicet & spiritualis. *Corporalis* hoc modo. Quemadmodum filia Jairi & hic adolescens, cum primum excitati fuerunt, cœperunt loqui: ita nobis per resurrectionem restituetur loquela. Et quemadmodum Lazarus excitatus à mortuis accubuit mensæ: ita nos excitati à mortuis accumbemus vna cum Christo in cœlis. Filiam Jairi excitat Christus, dum adhuc jacet in lecto: adolescentem, dum effertur humandus: Lazarum, postquam quatriduum jacuerat in sepulchro. Hi tres gradus faciunt ad confirmationem fidei nostræ. *Spiritualis* hoc modo. Quemadmodum filia Jairi excitata à mortuis ambulat & edit: sic nos, qui per veram pœnitentiam surgimus ex lecto peccati, ambulamus in Christo, & cibamur ipsius verbo, spiritu & carne. Deinde quemadmodum hic adolescens loquitur; ita nos renouati per Spiritum incipimus loqui de cœlestibus. Denique sicut Lazarus accubuit vna cum Christo: ita tertius gradus resurrectionis spiritualis est habere Christum in corde, & frui delicijs mensæ ipsius.

Luc. 7.

Vers.22. Hic versus secundum literam, & allegoriam, intelligendus est de beneficijs Christi spiritualibus & corporalibus.

Vers.24.25. Pastor verbi neque debet esse arundo, hoc est, inconstans, instar vertumni: neque homo vestitu molli, hoc est, leuis: neque homo vestitu magnifico, hoc est, superbus, conformans se huic seculo.

Vers.29. Deus justificat hominem, justum illum efficiendo & pronuntiando propter justitiam Christi: homo justificat Deum, prædicando ipsius bonitatem & justitiam.

Luc.7.v.36.adfinem.

Contiò pœnitentialis.

Quemadmodum mulier illa Sunamitis *2.Reg.4.* crebra sua instantia obtinuit à Propheta Elisæo, vt ipsam redderet voti compotem frustra renitente seruo prophetæ: ita hoc in loco Maria Magdalena perseuerans apud Christum, impetrat ab illo remissionem peccatorum, frustra murmurante Pharisæo. Describuntur autem hic duæ partes ministerij. pœnitentia & remissio peccatorum.

De I. Quinque proprietates veræ pœnitentiæ hic recitantur. 1. Venire ad Christum, vt hæc fœmina peccatrix, Maria Magdalena.

2. Effun-

2. Effundere lachrymas. Hæ siquidem sunt nectar angelorum. 3. Procidere ad pedes Christi, h.e. seipsum humiliare. 4. Osculari pedes Christi, h.e. spe-rare in ipsius misericordia, & illam osculari. 5. Pedes Christi vngere oleo præstantissimo, id est ferre fructus pœnitentiæ dignos, oleum videl. deuotionis & dilectionis. Atque ita Maria Magdalena est speculum veræ pœnitentiæ.

De II. Veram pœnitentiam non potest non sequi remissio peccatorum, de qua notentur hæc tria. 1. Tanta est Dei misericordia, vt peccatores ad se venientes non repellat: quomodo videmus hoc loco Christum non repellere Mariam Magdalenam. Hic enim est petra illa *Num.* 20. & 1. *Cor.* 10 quæ nobis suppeditat aquam refectionis. 2. Sola Dei misericordia nobis remittit peccata, vt constat ex parabola quam Christus hic proponit. Confer cum *Psal.* 130. & *Ezech.* 16. 3. Remissionis peccatorum infallibilis nota est dilectio.

Concl. sumatur ex illo dicto: Omnia, quæ Magdalena faciebat exterius, faciebat Christus interius in anima illius. Veniebat illa, hic trahebat: illa vngebat oleo hic sua gratia illa lauabat lachrymis, hic sanguine: illa tergebat capillis, hic animam illius ornabat virtutibus: illa osculabatur osculo dilectionis, hic osculo pacis. Cæterum ad *versum* 47 *huius capitis* notetur regula: Particulæ, istæ, *Enim, Nam, Quia, Quoniam,* non semper sunt causales, sed sæpe rationales, ac proinde non semper significant causam essentiæ, sed sæpe indicant causam consequentiæ: vt, sol ortus est. Dies enim est. Est pauper: quia mendicat, sic: Huic remissa sunt peccata multa, Nam dilexit multum,

Luc. 8. *v.* 4. 19.

Confer cum Matth. 13. & Marc. 4.

Exordium. Hoc in loco Christus, doctor ille noster cœlestis nobis depingit ecclesiæ conditionem, quomodo planterur, suboleſcat & fructificet: quomodo item impediatur semen verbi Dei, ne fructificet. Vtrumque nobis præfiguratum est *Gen.* 18. vbi legimus, paucos esse, in quibus verbum Dei, semen illud immortale fructum ferat, vsq; adeo vt inter Sodomæos vnus Loth fuerit inuentus. *Dominica Sexagesima.*

Propositio. Indicabimus impedimenta salutis, & illius media: quomodo scil. impediatur & promoueatur salus animarum nostrarum.

De I. Magna est φιλανθρωπία Patris nostri cœlestis, quippe qui seipsum comparat satori, cui nihil prius & antiquius est cultura sui agri. Sed qui fit, quod tam pauci saluentur? Christus disparat auditores verbi in quatuor classes siue ordines, è quibus tres priores sunt malæ notæ. *In primo ordine* sunt homines securi, qui verbum Dei non audiunt attente. Hi sunt velut

ager in via. Hi versantur in spirituali captiuitate Babylonica, ita vt non curent Hierosolymã. In his diabolus procurat somnũ, & tandẽ illorũ cor indurat. Diabolus est instar mimi, qui nugis suis homines auocat à seria negotiorum tractatione. Remedium contra hanc socordiam in audiendo verbo Dei, est legitima præparatio per preces & meditationem excellẽtiæ atq; vtilitatis scripturæ. *In secundo ordine* sunt inconstantes, qui sunt veluti ager, in quo semen quidem oritur, sed non fructificat, eo quod non possit agere radicem propter malum fundum agri. Similiter homines illi, qui non habent Christum in lapidoso suo corde, audiunt quidẽ illi verbum Dei, & semen illud in ipsis geminat: sed tempore æstus seu crucis exsiccatur & exarescit illud germen. Remedium hic est, precari Deum, & meditari vtilitates crucis, inter quas hæc non est postrema, quod crux sit instar ignis & salis, quæ duo necessaria sunt ad præparationem cibi. *In tertio ordine* sunt illi, qui curis hujus vitæ, auaritiæ & voluptatibus sunt dediti. Hi sunt velut ager spinis obsitus. Contra triplices istas spinas duo sunt remedia, meditari noxam illarum, & cogitare finem vitæ, in quo diabolus, mundus & mors nos ludificabuntur, & dicent: Euge mi homo: hæ sunt tuæ curæ, hæ tuæ diuitiæ, hæ voluptates.

De II. Christus imitatur bonum medicum, & non solum indicat quid sit noxium, sed etiam docet quid sit salubre. In quarto igitur ordine monstrat media salutis, eaque numero quatuor: videl. audire verbum Dei, illud custodire; ferre fructum fidei, pietatis, humilitatis &c. & crucem patienti animo tolerare.

Conclusio. Petatur ex *Psal.* 1. *vel* 12. *vel* 92.

Alia dispositio.

Exordium. Deus *Exod.* 15. dedit Israelitis manna, cujus fastidium ingrato populo obrepsit, cum panis ille habuerit omnem in se saporem, vt est *Sap.* 16. Hoc ipsum nobis accidit in meditatione verbi Dei, quod omnis generis sapores in se continet. Vnde appellatur lux, panis, vinum, medicina, gladius, ignis, & in hoc textu semen. Quæ postrema comparatio diligenter est notanda. Audimus enim Christum vti hoc veluti celeusmate: *Qui aures habet &c.*

Propositio. Dicemus. 1. Quomodo verbum Dei sit semen. 2. Quotuplex sit ager, in quem hoc semen jacitur.

De I. Quemadmodum res corporales in semine & à semine suo habent vitam suam: ita omnes creaturæ suam essentiam & vitam habent ex verbo creationis. *Gen.* 1. & omnes electi vitam suam habent ex verbo recreationis. Sicut igitur homo à verbo Dei habet imaginem ipsius: ita per verbum

bum Dei renouatur ad istam imaginem. Vnde patet, hoc semen esse immortale & maximæ efficaciæ.

De II. Deus non est in causa, quod semen illud non fructificet in omnibus agris. Est enim ager alius in via, alius lapidosus, alius spinis obsitus, alius deniq; bonus & fertilis. Tres priores vitium habent intra se: quartus fertilitatem habet à Deo.

Conclusio. Quotidie oremus à Deo ista quatuor: vt à nobis prohibeat securitatem, inconstantiam, & amorem hujus mundi, tria illa impedimēta salutis, & nobis largiatur suam gratiam, per quam semen verbi ferat centuplum fructum.

Alia dispositio.

Exord. Si Deus coronat annum prouentu vini, patresfamilias industrij comparant & præparant sibi vasa, quibus vinum excipiant. Similiter faciunt fideles, quibus Christus, vitis illa cœlestis, suppeditat optimum nectar. Præparant nimirum corda sua, in quibus nectar illud possit bene asseruari: dissimiles hypocritis, qui vel nullum habent vas, vel adferunt vasa sordidata omnis generis vitijs, superbia, voluptate, auaritia, spinis, felle, & similibus.

Propositio. Explicabimus naturam spiritualis agriculturæ.

Tractatio. Parabola hæc testatur de Christi φιλανθρωπία & sapiētia. Nam rem longe maximam admodum populariter nobis depingit sub imagine agriculturæ, in qua agricola est Deus, ager est homo vocatus à Deo ad gremium ecclesiæ, semen est verbum Dei, cultura est auditus verbi fructuosus, sol est Christus, pluuia est Spiritus Sanctus, impedimenta sunt tria, via per quam conculcatur ager, lapides in agro, & spinæ.

Conclusio. Oremus Deum, vt det nobis ad instar rosæ inter spinas hujus mundi crescere: & dicamus cum propheta ex *Psal.* 67. &c.

Luc. 8.

Vers. 10. In mysterijs diuinis omnes homines sunt pariter cæci & stupidi natura: quia animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Quæ igitur in illis percipimus vel intelligimus, non nostro ingenio, sed singulari Dei dono intelligimus. Nulla hic est nostra ἀγχίνοια, vbi est pura Dei δόσις.

Vers. 46. Virtus sanatrix non ex veste Christi exijt, sed ex ipso Christo per vestem, Christo jubente & efficiente. Hinc frustra sunt impostures, qui reliquijs Christi, quas jactitant, sine Dei verbo, sine ipso Christo, virtutem sanatricem affingunt.

Luc. 9.

Luc. 9.

*Vers.*6. Prædicare euangelium est officium ecclesiæ perpetuum: sanare morbos erat officium temporarium.

*Vers.*11. Minister verbi semper loqui debet de regno Dei, & hoc omnibus viribus agere, vt destruat regnum diaboli.

*Vers.*20. Rotunda & breuis illa confessio Petri, est summa euangelij.

*Vers.*46. Christus in humilitate & ministerio discipulis majoritatem monstrando, superbiam detestatur, nominatim illam, quę cernitur in primatu ecclesiasticorum.

Luc. 10.

*Vers.*1. Duodenarius numerus apostolorum, & definitus numerus 70. discipulorum Christi nihil facit ad hierarchiæ ecclesiasticæ substantiam: quia est res ordinis temporalis & indifferentis.

*Vers.*18. Quoties euangelium radices agit in anima fideli, vel plantatur in aliquo loco, toties Satan vt fulgur è cœlo cadit. Habet enim suum imperium in cœlo, h. e. in aere, indeque insultat hominum capitibus, inde vero cum impetu decidit, quando tuba euangelij disijciuntur muri Hierichuntis improbæ, quos circumdedit hominum cordibus.

*Luc.*10. *v.*23.38.

Dominica XIII. post Trinitatis.

Exordium. Quemadmodum oculi delectantur tribus, limpida aqua, viriditate campi & pulchritudine florum, denique speculo: ita oculi fidei hæc tria habent in Christo, quem tot reges & prophetæ desiderarunt intueri tanquam aquam puram, florem cœli & terræ, & speculum deitatis.

Propositio. Dicemus, quid à nobis requiratur, vt vitam æternam consequamur.

Tractatio. Duo requiruntur; visio Christi, & dilectio proximi. *Visio Christi* fit per fidem: vbi ostendatur, quomodo sancti in V.T. Christum viderint, quomodo Pharisæi Christum viderint, denique quomodo discipuli ejus ipsum viderint. *Dilectio proximi* est fructus visionis Christi, h. e. manat ex euangelio, non autem ex lege. Nam via legis à nobis calcari nequit. Nos enim sumus ille homo, qui incidit in latrones. Oportet itaque vt viâ euangelij ineamus, vbi duo fiunt. 1. Christus imponit oleum vulneribus nostris, & nostri miseretur. 2. Nostrum est Christum imitari, & misericordiam exercere erga miseros, imponendo oleum vulneribus ipsorum &c. *Vide vers.*34.35. Cauere oportet, ne similes simus huic Legisperito, qui seipsum justificabat, neq; sacerdoti & Leuitæ, qui præteribant proximum suum miserum.

Conclus. Recitetur *Psal.*103.

Alia

Alia dispositio.

Exordium. Duæ sunt partes verbi Dei, lex & euangelium: Vtriusq; speculum hic habemus.

Propositio. Considerabimus 1. Alloquium Christi, quo affatur discipulos suos. 2. Colloquium ejus cum Pharisæo.

De I. Tria hic occurrunt. 1. Singularis φιλανθρωπία Christi: *Conuersus ad discipulos.* Ita quoque ad nos se conuertit. 2. Alloquium Christi: *Seorsum dixit.* Sic peculiariter alloquitur electos suos, partim externe, partim interne. 3. Beatitudo nostra. Illa vero consistit in eo, vt videamus Christum, illumque audiamus, h. e. vt illum fide vera discamus cognoscere; quam ad rem requiritur cognitio humilitatis & passionis, vitæ seu exempli, & gloriæ Christi.

De II. Tria similiter hic occurrunt. 1. De justitia, quæ valet coram Deo: *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* Quia vero hæc justitia legis frustra à nobis quæritur, oportet vt confugiamus ad euangelium adeoque ad justitiam Christi. Hoc discimus ex parabola proposita. Nos enim sumus, qui incidimus in latrones, id est, diabolum & ejus administros. Illi nos expoliarunt imagine Dei, multisque plagis affectos dereliquerunt semimortuos. Quid fit? Prætereunt sacerdos & Leuita, hoc est, lex & sacrificia ejus. Venit autem Samaritanus, h. e. Christus, custos ille Israelis. Ille videt nos, & misericordia mouetur. Accedit, & obligat vulnera nostra, infundendo oleum misericordiæ & vinum lætitiæ. Imponit nos in suum jumentum, h. e. iniquitates nostras humeris suis excipit. Ducit nos in diuersorium siue domum Dei. Hic curam nostri agit: Postero die abit in cœlum, & promit duos denarios, h. e. verbum & sacramenta. Hos dat hospiti, h. e. Spiritui sancto: & ait, Curam illius habe. Ex his videmus, viam ad cœlum esse puram putam gratiam Dei in Christo. 2. Quomodo quotidie incidamus in latrones? Nimirum vitia sunt latrones illi, qui nos innumeris plagis afficiunt. Nam superbia vulnerat Nebucadnezarem: auaritia Nabalem, crudelitas Pharaonem. Imo & fidei Dei incidunt in hos latrones: Dauid in adulterium & homicidium, Petrus in abnegationem Christi, &c. 3. Quomodo debeamus cognoscere tum nos ipsos, tum proximum nostrum. Sumus homines: *Homo quidam.* Amemus igitur nos inuicem. Sumus homines miseri. Nam descendimus ab Hierusalem in Jericho, h. e. auertimus nos à Deo, & conuertimus nos ad mundum. Incidimus in latrones, qui nos exuunt vestibus, & varijs plagis afficiunt. Soli relinquimur, & quidem semimortui. Prætereunt sacerdos & Leuita, id est, homines celebres ob externam sanctimoniam. Tandem venit Samaritanus, h. e. abjectissimus ille Chri-

ſtus, quem Judæi appellant Samaritanum. Ille exercet opera miſericordiæ, quæ nobis quoque ſunt exercenda erga proximum, eo ordine & proceſſu, quem Chriſtus ſeruat. Nimirum debemus venire ad proximum noſtrum, & videre ipſius miſeriam, vt miſericordia moueamur. Poſtea oportet vt ad ipſum accedamus, vulnera ejus obligemus &c. Ecce hic habes ſpeculum dilectionis, qua Chriſtus nos dilexit, & qua nos viciſſim ipſum diligere debemus. Conclude. *Pſal.* 103.

Alia diſpoſitio.

Duo hic docemur. 1. Beatus eſſe, qui Chriſtum vident & audiunt. 2. Nos non juſtificari ex operibus legis, ſed fide, ſeu merito Chriſti: vbi eſt argumentum ab impoſſibili *v.* 28. à lapſu hominis *v.* 30. ab officio mediatoris. *v.* 33. *& ſeqq.*

Luc. 10.

Verſ. 20. Vera gaudij & conſolationis noſtræ materia eſt, quod nomina noſtra ſcripta ſunt in cœlis, hoc eſt, quod nos ab æterno ad vitam æternam in Chriſto electos, vocatos, & per fidem juſtificatos eſſe, ex verbo Dei, teſtimonio Spiritus Sancti, & ſtudio bonorum operum, certo confidimus. Vnde patet, fundamentum conſolationis Chriſtianæ in certitudine diuinæ prædeſtinationis conſiſtere. Ex ea enim tanquam primo fonte omnia ſalutis noſtræ media, & qualitates, ſaluandorum, puta vocatio per verbum & Spiritum ſanctum, fides, juſtificatio, ſanctificatio, tolerantia crucis, perſeuerantia denique deſcendunt. Quemadmodum itaque qui ad fontem ignorat viam, ſequitur riuum ducem: ita nos ſi practice velimus meditari noſtram prædeſtinationem, à riuis illius aſſurgamus ad fontem, h.e. analytice procedamus à poſteriori ad prius, ab effecto ad cauſam.

Verſ. 21. Debemus glorificare Deum, quod myſteria ſalutis occultauerit ſapientibus, h.e. illis, qui præditi ſunt ſupercilio Phariſaico. Requiritur autem hic affectus lætitiæ ſpiritualis, non vero carnalis. Illa facit vt lætemur juſto Dei judicio, hæc eſt ἐπιχαιρεκακία, quæ lætatur alieno exitio.

Luc. 11.

Verſ. 2. Oratio Dominica eſt breuiarium euangelij. Hac itaq; precationis formula Deus præcipue eſt inuocandus.

Verſ. 9. Deus ex fide & indeſinenter inuocantes ſemper exaudit, quantumuis aliquando videatur aliquamdiu non exaudire, quia auxilium differt.

Verſ. 13.

Vers.13. Spiritus sanctus & prior est precatione, vt illius causa: & posterior, quantum ad effecta, quæ augentur per preces.

Luc.11. v.14.49.

Confer cum Matth.9. & 12. Marc.3.

Dominica Oculi.

Exordium. Saul reprobatus à Deo propter inobedientiam, amisit spiritum bonum, in cujus locum successit spiritus malus, qui valde ipsum exagitauit, neq; inducias vllas ipsi concessit, nisi quando Dauid pulsabat suum nablium. 1. *Sam.16.* Eundem in modum genus humanum, postquã à Deo desciuit, exagitatur â spiritu impuro, quem sola Christi musica, id est, concio euangelij poreſt pellere.

Propositio. Considerabimus. 1. Miraculum Christi. 2. Ejus apologiam.

De I. Deus hominem condiderat ad suam imaginem, quæ erat sanitas & pulchritudo perfecta tum animæ, tum corporis. In locũ eius eheu successit deformissima imago diaboli, qui obsidet hominem nunc corporaliter, nunc spiritualiter. De vtraq; obsessione differatur.

De II. Diabolus nomen habet à calumniando. Hanc artem vnice facit. Eius rei exemplum habemus in hoc textu. Nam impurus hic Spiritus sanctissimũ Christi opus calumniari est aggressus. Hic obserua. 1. Triplex effectum miraculi: Turba mirata est, Quidam sunt calumniati, Quidã petierunt signum. 2. Apologiam Christi, in qua sunt argumenta diuisionis, & varia documenta de nostro officio. 3. Effectum huius apologiæ. *v.27.* 4. Epiphonema Christi. *v.28.*

Conclusio. Recitetur *Psal.25. vel 121.*

Alia dispositio.

Considerabimus in timore Dei hæc duo. 1. Quare homo sibi accersat obsessionem diaboli corporalem & spiritualem. 2. Quæ sit medicina aduersus vtrumque hoc malum.

De I. Horribilis est & miseranda prorsus corporalis obsessio diaboli: sed horribilior & magis miseranda est obsessio spiritualis. Causa vtriusque est abusus corporis & animæ: si quis nempe abutatur auribus, ad audiendum ea, quæ gloriam Dei obscurant, & salutem animæ impediunt: oculis, ad videndum vanitates huius seculi, quarum laruam, diabolus nobis obiicit, variisq; coloribus fucatis pingit: ore, ad blasphemandum nomen Dei, & nocendum proximo: corde, ad amandum hunc immundum mundum. Quæ cum ita sint, nos quotidie oremus Deum & hoc agamus, vt membra nostra possideamus in sanctitate.

De II. Quinq; medicinę in apologia Domini prę scribũtur. 1. Fides & charitas, siue cõiunctio cũ Christo, & proximo: *Omne regnũ diuisum desolabitur.* 2. Digitus Dei, h.e. Spiritus S. *Digito Dei eiicio dæmonia.* 3. Solicitudo, qua

quæritur regnum Dei: *Nempe peruenit ad vos regnum Dei.* Quæritur autem regnum Dei per vigilantiam & preces. 4. Timor Dei, qui cernitur in eo, vt non simus securi, sed diaboli potentiam consideremus. *vers.* 21.22. cum Christo colligamus, non vero dispergamus. *vers.* 23. Deum oremus, vt ne recidiuam patiamur, quando à diabolo sumus liberati. *v.* 24.25.26. denique attollamus vocem nostram, & Christum laudemus. *v.* 25. 5. Legitimus auditus & vsus verbi Dei. *v.* 28.

Luc. 12.

Vers. 1. Hypocrisis est pietatis simulatio vel ostentatio, faciens externa opera à Deo præcepta, moralia vel ceremonialia, sine fide & conuersione vera ad Deum: addens plerumque opera à Deo non præcepta, ostentationis causa.

Vers. 2. Quod vulgo dici solet,

Sub nive quod tegitur, cum nix perit omne videtur:

id inprimis verum est de vltimo judicio.

Vers. 6.7. Hic habemus speculum prouidentiæ Dei.

Vers. 7. Ratiocinium & calculus, qui est sine Deo, est fallax.

Vers. 22. Solicitudo officij, die Amptsorg/ est virtus: solicitudo ethnica, die Heidnische Bauchsorg/ est vitium.

Vers. 31. Hæc regula vitæ omnibus opificibus debet esse commendatissima. Certissimum enim est illud: *Temporale bonum fluit ex bono æterno & summo.*

Vers. 33. Christus jubens vendere bona nostra, non vetat possidere propria, sed præcipit beneficentiam, non tantum ex superfluo, sed etiam ex necessario, etiam cum jactura proprij, si ita exigat pauperum necessitas.

Vers. 34. Christus est thesaurus noster, qui est in cœlo & in corde. *In cœlo:* quia eo ascendit, ibique vult esse conuersationem nostram per fidem. *In corde:* quia in nobis habitat.

Luc. 12. *v.* 35. *v.* 41.

Docemur hic, quomodo & quare nos præparare debeamus ad illustrem Christi aduentum.

De I. 1. Necesse est, vt lumbos nostros circumcingamus fide. 2. Debemus ambulare vt filij lucis. 3. Debemus expectare Christum non aliter atque serui dominum suum obseruant. 4. Debemus desiderare & expectare aduentum Christi sponsi nostri. 5. Debemus Christo aperire januam cordis nostri per fidem, spem siue gaudium, & charitatem. 6. Requiritur vt vigilemus.

De II. Ad hoc officium nostrum nos impellent sequentia. 1. Fidelis admonitio Christi. 2. Præmium. 3. Inopinatus aduentus Christi.

Luc. 12.

Luc. 12. v. 49.

Euangelium est ignis: tum quia fidem accendit, tum quia excoquit sordes animæ fidelis, tum quia accendit fomitem & ignem charitatis, tum denique quia incendit ignem, hoc est, furores impiorum excitat. Tria priora facit per se, posttremum per accidens.

Luc. 13.

Vers. 3. Casus fortuiti atrocium exemplorum, sunt partim documenta absolutæ potestatis Dei in creaturas suas, partim argumenta occultæ ipsius justitiæ, partim denique hominum, inprimis eos intuentium, ad pœnitentiam inuitamenta. Etsi enim vnum, vel duo exempla particularia non faciunt regulam: recte tamen, exemplo Christi, inde ducitur argumentum hortationis ad pœnitentiam: quia habent vniuersalem causam & veritatem quod Deus certo puniet omnes peccatores non resipiscentes. Confer cum *vers. 5. hujus cap.*

Vers. 6. 7. Ex hac parabola discimus, quanta sit μακροθυμία Dei vocantis homines in suam vineam, & fructus ab illis expectantis: quanta item sit nostra peruersitas, dum media, quæ sufficere possunt ad conuersionem, non curamus.

Vers. 18. Euangelium est tanquam granum sinapis, quod in speciem, mole videlicet sua, est minimum, sed virtute maximum. Arborescit enim vi prorsus stupenda. Huc etiam facit parabola fermenti *vers. 20.*

Luc. 14. v. 1. 12.

Exordium. Officium cujusque, quod Deus ipsi injungit, est ipsi velut baculus Mosis. Si quis vero inuolet istud officium, baculus Mosis fit ipsi serpens. *Exod. 4. & 7.* Serpentinum hoc venenum videmus hoc loco in Pharisæis qui hujusmodi fabricabant dilemma: Christus aut sanabit hydropicum, aut non. Illud erit violatio sabbati, hoc erit violatio legis de dilectione. *Dominica XVII. post Trinitatis.*

Propositio. Videbimus, quomodo hoc Euangelium nobis sit speculum fidei & vitæ.

De I. Fides nostra in Christum confirmatur ex hoc textu tribus argumentis. 1. Quia est παρορατικός, vtpote qui nouit cogitationes Pharisæorum. 2. Quia facit solus miracula. 3. Quia sanctificauit sabbatum modo perfectissimo.

De II. Vniuersa nostra vita debet esse exercitium humilitatis, per quam fit, vt non præponamus nos ijs, quos Deus superiori loco collocauit, sed inferiorem locum affectemus exemplo Christi & omnium sanctorum.

Conclusio. Recitetur *Psalmus 113.*

Aliæ dispositiones.

I. Hic textus nobis proponit duo opera & specula, per quæ fides nostra fit conspicua. 1. Speculum charitatis in Christo, qui amice tractat Pharisæos hostes suos, sanat hydropicum, & dilectionem Dei facit testatam legitima Sabbati sanctificatione. 2. Speculum humilitatis in parabola Christi: vbi obserua triplex judicium; puta judicium filiorum seculi, qui judicant sibi debere: primum locum, vt videre est in omnibus vitæ humanæ statibus: judicium filiorum Dei, qui contenti sunt illo loco & gradu, quem Deus ipsis assignat: denique judicium Christi, *Quisquis se extollit, humiliabitur.*

II. Disseremus. 1. De insidijs antiqui serpentis, quomodo Christo insidietur. 2. De potentia & sapientia Christi, qui conterit caput serpentis istius.

III. Disseremus de sanctificatione sabbati. 1. Externa. 2. Interna, quæ consistit in charitate & humilitate.

IV. Agemus de duplici hydrope, corporis puta, & animæ, quæ superbia distenditur non aliter atque corpus aqua intercute. Hic ostendatur quomodo superbia sit origo omnis peccati, & è contratio humilitas scaturigo omnium virtutum. Nam sicut per superbiam homo se auertit à Deo *Genes. c. 3.* ita per humilitatem redit ad Deum, & ipsi intime conjungitur.

V. Disseremus de conatibus impiorum & piorum in hac vita. Illi conantur fontem vitæ & flumen charitatis in Christo obstruere & sistere: hi vero imitantur Christum, & instar fontis atque fluminis quo magis calumnijs & insidijs impiorum impediuntur, eo fortius & copiosius emittunt aquam charitatis & humilitatis.

Luc. 14. v. 16. 25.

Dominica 11. post Trinitatis.

Exordium. Amor mundi est venenum animæ præsentissimum, amor Dei est animæ cibus suauissimus. Cor mundanum est ipse infernus, cor cœleste est ipsum cœlum. Vtriusque cordis speculum proponitur in hoc Euangelio.

Propositio. Intuebimur speculum gratiæ Dei, & speculum hujus mũdi.

De I. Gratia & singularis φιλανθρωπία Dei per partes ita describitur. 1. Hospitis majestas: *Homo quidam*, hoc est, Deus, qui est hospes amabilis instar hominis. 2. Conuiuij dignitas: *Fecit magnam cœnam.* 3. Inuitationis amabilitas: *Inuitauit multos.* 4. Vocationis opportunitas: *Misitque hora Cœnæ.* 5. Ministrorum sanctitas: *Seruum suum.* 6. Comparendi facilitas: *Venite.* 7. Apparatus jucunditas: *Omnia sunt parata.* Habes hic panem & vinum, mel, lac, balsamum, musicam, & omnia, quæ requiruntur ad perfectũ conuiuium, in quo necesse est vt omnes sensus exhilarentur, auditus collo-

colloquio & cantu, visus jucunditate, gustus dulcedine, odor suauitate, tactus facilitate. Hæc accommodentur ad cœnam gratiæ & gloriæ.

De II. Hic notetur ingratitudo, & pœna. Nam 1. Qui inuitati fuerũt, cœperunt omnes simul sese excusare. Disparati autem sunt in tres classes, quæ nobis ob oculos ponunt tria peccata cardinalia, in quibus mundus est suffocatus. Nam ager notat gloriam mundi, quinque juga boum auaritiam, vxor voluptatem carnis. 2. Hospites illi ingrati seuere fuerunt puniti. Nam paterfamilias. 1. fuit iratus. 2. Vocauit pauperes, claudos, &c. Illisque hunc honorem habuit, quem diuites respuerunt. 3 Rejecit ingratos cuculos, *Nemo illorum gustabit cœnam meam*.

Conclusio. Recitetur *Psalmus 95.* & accommodetur ad nostra tempora.

Alia dispositio.

Exordium. Christus probe sciuit, quam frigidi simus in quærendo regno cœlorum. Ideo varijs modis illud nobis depinxit, vt hoc modo pijs cordibus magis magis dulcescat. Ducit enim nos modo ad mare, & regnũ cœlorum comparat naui: modo in campum, & monstrat nobis satorem: modo cum vinea, ouili & nuptijs illud confert. In hoc textu proponit imaginem conuiuij

Propositio. Dicemus. 1. De magna cœna. 2. De ingratis hospitibus.

De I. Tria hic notentur. 1. Quis paret hoc conuiuium? Christus vna cum Patre & Spiritu S. 2. Quid sit hæc Cœna? Non est Cœna illa creationis, in qua Deus escam dat omni carni *Psal. 104.* sed Cœna gratiæ & gloriæ. Cœna gratiæ est Christus cum omnibus suis beneficijs, videlicet justitia, pace, vita, &c. quæ omnia nobis in verbo & sacramentis offert, & per eadem Spiritu Sancto animata confert. Adeste famelici, Christus est panis vitæ: adeste pauperes, Christus pauper factus est vt vos ditaret: adeste peccatores, Christus est justitia nostra. Adeste, inquam, & in Scriptura videte varia fercula, hoc est, insignia dicta. Ferculum pro desertis est *Esa. cap. 49. An etiam mater obliuisci potest infantis.* pro pauperibus *Psal. 9. Dominus est pauperi edita arx*, pro peccatoribus. *1. Timoth. cap. 1. Fides est hic sermo, & dignus, qui omnibus modis recipiatur, Christum Jesum venisse in mundum, vt peccatores seruaret.* In summa, non est homo in mundo, qui non habeat peculiare ferculum in Scriptura, vnde sustentetur vita spiritualis. Cœna gloriæ est vita æterna. 4. Quomodo ad hanc cœnam perueniatur? Vides hic officium ministrorum Dei, & hospitum qui non fuerunt ingrati. Illi enim missi fuerunt, & fecerunt imperata, vocando & compellendo: hi venerunt ad cœnam.

De II. Consideretur hospitum ingratorum malitia & pœna. Malitia cernitur in concupiscentia mundi, contra quam notentur septem

ista

ista loca *Psal.37.49.& 144.1.Corinth.7.Coloss.3.1.Timoth.6.1.Iohan.2.* Ingratorum istorum speculum sunt Israelitæ nauseantes ad manna, & retro picientes Ægyptum illiusque ollas; item Vasthi, quæ contemnit conuiuium regis, & ideo repudiatur. Pœna est ira Dei, & illorum rejectio.

Conclusio. Veniamus quæso ad hanc cœnam: quia hoc est facile & vtile. Nam Deus non requirit à nobis symbolam aliquam, sed gratis nos vocat ad cœnam gratiæ, vt ab illa veniamus ad cœnam gloriæ.

Luc. 14.

Vers.5. Opera misericordiæ non violant sabbatum, etiam illa, quibus succurritur jumentis proximi vel nostris periclitantibus. Nam ceremoniæ cedunt charitati.

Vers.12. Benefaciendum est non tantum cognatis & amicis, sed quibusvis ope nostra indigentibus: non compensationis spe, sed virtutis amore, vt beneficentia nostra sit charitatis augmentum, non lucri vel commodi auspicium.

Vers.23. Omnes, qui in statu eminentiæ sunt constituti, in statu œconomico, scholastico, Ecclesiastico & politico, debent existimare sibi dictum esse, *Compelle intrare.*

Luc.14.v.16.

Æterna felicitas sanctorum confertur cum cœna magna, qualis est nuptialis vel regalis, in qua inueniuntur omnia quæ sensus humanos oblectare possunt, & quæ potentiam, diuitias & gloriam hujus mundi demonstrant. Primum enim in cœna magna oblectantur oculi in apparatu sumtuoso totius aulæ, in ordine ministrorum vestibus decoris & pretiosis indutorum, in vasis aureis atque argenteis: oblectantur aures colloquijs & musica vocali atque instrumentali: olfactus oblectatur odore florum, rosarum, vnguentorum, suffituum, aquarum odoratarum: oblectatur gustus sapore cibi & potus exquisitissimi: denique tactus delectatur accubitu & recubitu in loco amœnissimo, sella mollissima & gratissima. Hæc vero bona temporalia cœnæ corporalis nihil sunt aliud quam putamina & cortices fructuum paradisi. Porro felicitas sanctorum cœnæ potius quam prandio comparatur: quoniam cœna instituitur sub finem diei, quando negotijs omnibus peractis & remota mensa componimus nos ad somnū & quietem. Jam videamus impedimenta, per quæ fiat, quo minus homines veniant ad hanc cœnam. Tria proponit Dominus, quæ ex genere suo mala non sunt, sed ex affectu minus ordinato: videlicet emere agrum, boues probare, & vxorem ducere. Quæ per se non sunt peccata, sed fiunt peccata, si regno cœlorum præponantur. Remedia, quibus impedimenta ista tolli possunt, à Domino monstrantur mirabili prorsus ratione.

Nam

Nam dum ille vocat paupetes, debiles, cœcos & claudos, qui neq; agrum emere, neque boues probare, neque vxores ducere ſolent aut poſſunt, nos docet, illos admitti ad hanc cœnam, qui ſunt liberi ab impedimentis, quibus priores illi tenentur, quique ſunt pauperes ſpiritu, debiles fiduc in ſeipſis, cœci aſtutia, qui credunt quod non vident, & claudi affectibus carnis.

Luc. 14. v. 26. 33.

Moribundis negotium non leue faceſſit deſiderium mundi. Oportet itaque pectus munire conſolatione contra hoc deſiderium hac ratione. *Concio funebris.*
1. Abuſus mundi eſt malus propter peccata. Ideo à mundo nos auocet deſiderium ſanctæ vitæ. 2. In mundo multiplex eſt miſeria, quæ nobis impendet à diabolo, hoſtibus amicis, morbis, omnibus denique creaturis. 3. Illi, qui adhærent mundo, grauiſſimas experiuntur pœnas: vt in vxore Lothi, Eſaui, Iſraelitarum, & diuitis epulonis videre eſt. E contrario, qui adhærent Deo, ſunt feliciſſimi: vt docet exemplum Abrahami, Joſephi, Moſis, &c. 4. Contra curioſitatem experiendi caſus futuros tenebimus, quod inanis ſit illa curioſitas; quod nihil noui fiat; quod omnia ſint in manu conſilij Dei. 5. Contra ambitionem honorum conſolabitur nos vanitas & noxa ambitionis. 6. Contra amorem opum conſideratio incertitudinis & damni, quod adferunt, nos eriget. 7. Contra ſolicitudinem pro vxore, liberis, & amicis nos muniemus conſideratione paternæ Dei curæ, & vanæ noſtræ ſolicitudinis, & proinde commendabimus illos Deo.

Luc. 14.

Verſ. 26. Chriſtus dicit, eos qui veniunt ad ipſum, odiſſe patrem ſuum, & reliquos cognatos, comparatiue: item ſimpliciter, ſi nobis obijciant remoras, quo minus ad ipſum venire poſſimus.

Verſ. 27. Portare crucem Chriſti perinde eſt, atque in humeros ſuos ſuſcipere patibulum, de quo ſuſpendendus eſt dux noſter. Hinc intelligi poteſt, quam durum hoc accidat carni & ſanguini.

Verſ. 28. 31. Chriſti veros ſectatores oportet ædificare ſimul ac pugnare. Proinde ab ijs requiritur, vt ad quaſuis ærumnas perferendas recte ſint compoſiti: quia imparatus eſt, neque ad ædificandum, neque ad pugnandum eſt aptus.

Luc. 15. v. 1. 11.

Exordium. In hoc textu eſt ſpeculum gratiæ Dei, & viua imago charitatis Chriſti erga nos. Ecce enim Chriſtus humeris ſuis portat ouiculam, & ipſum circumſtant ſancti Angeli! Typum paſtoralis hujus curæ vide in Dauide *1. Sam. 17.* *Dominica III. poſt Trinitatis.*

Propositio. Duæ sunt partes. 1. De pœnitentia & conuersione peccatoris ad Deum. 2. De singulari amore Christi erga peccatores pœnitentes.

De I. Pœnitentiæ proprietates siue gradus sunt quinque. 1. Accedere ad Christum. 2. Christum audire. 3. Non curare murmur & judicium mundi. 4. Recipi à Christo. 5. Christum retinere, ita vt nobiscum vescatur, adeoque in nobis habitet.

De II. Quatuor sunt gradus amoris Christi erga peccatores pœnitentes. 1. Solicitudo, qua tenetur. 2. Desiderium, quo fertur ad quærendum perditos. 3. Industria in quærendo. 4. Gaudium, postquam inuenit perditos. Quæ distincte proponuntur in similitudine ouis, drachmæ & filij prodigi.

Conclusio. Recitetur *Psalmus 32.*

Alia dispositio.

Exordium. Quanta sit misericordia Dei erga peccatores resipiscentes, docet historia *Jonæ c. 3. & 4.* vbi Deus parcit Nineuitis pœnitentiam agentibus.

Propositio. De gratiosa Christi conuersatione cum peccatoribus. 1. De ipsius affectu erga peccatores.

De I. Peccatores accedunt ad Christum, qui illos recipit, & vescitur cum ipsis. O magna φιλανθρωπία! Nimirum Christus est thronus gratiæ, & fons misericordiæ; est doctor amabilis, frater humilis, & pater delectabilis.

De II. Cor & affectū suum Christus depingit viuis coloribus in imagine ouis & drachmæ, vbi sunt quinque gradus. Si enim aliquis nostrum amittat rem sibi charam. 1. Dolet. 2. Tenetur desiderio recipiendi. 3. Quærit. 4. Gaudet, si recipiat. 5. Suum gaudium testatum facit vicinis. Ita Christus miseretur nostri, desiderat nostram salutem, quærit nos per verbum suum & ministros, gaudet nostra conuersione, & hoc suum gaudium commune habet cum Patre, Spiritu Sancto, & angelis. Nam Pater lætatur, quia nouum accipit filium: Filius lætatur, quia accipit nouum fratrem & membrum: Spiritus S. lætatur, quia nouum accipit templum: Angeli lætantur, quia numerus electorum impletur.

Conclusio. Breuiter recitetur tertia similitudo in hoc capite, de filio prodigo.

Luc. 15. v. 18.

Probe circa hanc parabolam notandum est, quod Pater cœlestis filijs ἀνήτοις resipiscentiam dare possit: quod non potest pater terrenus.

Luc. 16. v. 1. 10.

Dominica IX. post Trinitatis.

Exordium. Nebucadnezar est speculum œconomi, qui dissipat bona domini sui *Dan. 4.*

Prop-

Propositio. Dicemus de officio dispensatoris Dei, & spirituali prudentia filiorum lucis.

De I. Officium boni dispensatoris absoluitur quatuor partibus: vt nempe perpendat, bona non esse sua, sed domini sui: vt fidelitati studeat propter varios obseruatores & delatores: vt meminerit, quouis momento ipsum posse deponi: denique vt cogitet de reddenda ratione villicationis suæ. Hic ostendatur, quomodo Deus nobis det bona animæ, corporis, & externa; & quomodo homines illa bene vel male collocent in tribus statibus vitæ humanæ: & quomodo Deus in vltimo judicio sit allocuturus magistratum pium vel impium, pastores vel bonos vel malos, &c.

De II. Spiritualis prudentia cernitur in duobus. 1. Vt nobis faciamus amicos in cœlis. 2. Vt eam solicitudinem & curam impendamus cœlestibus, quam filij seculi impendunt rebus terrenis.

Conclusio. Hic textus nobis sit festum tabernaculorum, in quo recordemur beneficiorum Dei, & meditemur cœlestem patriam: quod in illo festo Judæi jussi sunt facere *Leuit. 23.* Recitetur *Psalmus 112.*

Alia dispositiones.

I. Dicemus, cur bene debeamus vti corporalibus Dei donis, & quomodo possimus hoc præstare.

De I. Quatuor sunt causæ. 1. Quia omnia illa dona non sunt nostra, sed Dei, qui est proprietarius. 2. Quia Deus illa dona nobis dat ex gratia. 3. Ne ad hunc dominum deferamur, quasi male administrauerimus ista bona. 4. Quia reddenda est ratio nobis omnibus, de omnibus, coram justo & omnicio judice.

De II. Vsus bonorum temporalium legitimus consistit in eo, vt faciamus nobis amicos in cœlis, recte scilicet distribuendo bona animi, corporis & fortunæ.

II. Instituatur paraphrasis totius textus, & parabola per partes explicetur atque applicetur.

Luc. 16.

Vers. 9. Pauperes amici dicuntur nos recipere in æterna tabernacula, non quod illi ad vitam æternam sibi vel alijs conferendam juris aliquid habeant: sed quia Christus, caput pauperum piorum, nos recipiet. Sicut itaque Christus ea, quæ pauperibus fiunt, sibi facta reputat: ita quod ipse facit, pauperes facturos dicit. Deinde pauperes pij pro receptione beneficiorum Deum assidue precantur.

Vers. 11. Mammona terrena est fallax: cœlestis est æterna.

Luc.16.v.19.ad finem.

Dominica I. post Trinitatis.

Exordium. Deus non solum verbis, sed etiam imaginibus & picturis nos docuit quid sit cœlum & infernus. Cœli egregia imago est *Esa.cap.6. Dan.7. Matth.17. Apoc.21.* inferni *Gen.19.* vbi describitur excidium Sodomæ & Gomorrhæ: & *Num.16.* vbi est historia Core, Dathan & Abiram, qui viui descenderunt in infernum. Vtriusque, cœli videlicet & inferni, speculum illustre habemus in hoc textu.

Propositio. Dicemus 1. De diuitis epulonis vita impia, morte infelici, & damnatione æterna. 2. De Lazari vita miseri, morte felici, & æterna salute.

De I. Homo hic fuit diues, & abusus fuit diuitijs. Primum inde patet, quia induebatur purpura & bysso, qui erat vestitus regius. Alterum inde colligitur, quod fuit deditus superbiæ, voluptati, & immisericordiæ. Mors ipsius docet, neque diuitias, neque res alias posse hominem in hac vita retinere. Mors autem est indifferens, adeoque potest esse bona & mala. Hujus hominis mors fuit admodum infelix, quia fuit janua æternæ mortis in inferno: qui status quam sit miser, colligere est ex colloquio epulonis & Abrahami, in quo obserua decem gradus torturæ infernalis, qui sunt. 1. Tormenta corporis & animæ 2. Beatitudinis electorum consideratio & inspectio. 3. Vlulatus continuatio, *Ipse clamauit dixit.* 4. Misericordiæ denegatio. 5. Nulla mitigatio pœnæ. 6. Denegatio consolationis. 7. Attestatio conscientiæ, *Recordare, quod receperis bona tua.* 8. Æterna separatio à conspectu Dei. 9. Cognatorum similis perditio. 10. Deploratio suæ impietatis, quod Mosen & prophetas noluerint audire, cum facile hoc potuissent. Atque hæc est scala, per cujus gradus absque intermissione ascendunt & descendunt damnati.

De II. Lazari vita erat plena miseriæ, quia erat pauper, nudus & ulcerosus: sed & plena virtutum, videlicet humilitatis, patientiæ, &c. Vitæ huic miseræ finem attulit mors, & quidem læta, vtpote janua vitæ. Lazarum enim portatus fuit ab angelis in sinum Abrahæ.

Conclusio. Recitetur *Psalmus 37.* item *Sap. capui 5.*

Alia dispositio.

Habemus hic duo specula omnium hominum: & in diuite quidem proponitur speculum filiorum hujus seculi, qui datum suum, vt vocant, vltra hunc mundum non extendunt, ideoq; sunt superbi, voluptarij, immisericordes, & contemptores verbi Dei: in Lazaro autem proponitur speculum filiorum Dei, qui se oblectant in vno Deo.

De I. In diuite considera 1. Qualia beneficia à Deo acceperit. 2. Quomodo erga Deum, benefactorem suum, se gesserit. 3. Quomodo Deus ingratitudinem ejus punierit.

De II. In Lazaro videbimus. 1. Paupertatem corporalem, quæ cernimus

tur in eo, quod fuerit mendicus, quod jacuerit ad vestibulum diuitis, fuerit vlcerosus, desiderauerit saturari micis, fuerit denique derelictus ab hominibus & à canibus aliquid solatij acceperit. 2. Paupertatem spiritualem, quæ consistit in humilitate cordis, patientia & tolerantia crucis, & timore Dei. 3. Diuitias gloriæ, quæ consistunt in eo, quod fuerit portatus ab angelis in sinum Abrahæ. Conclusionis loco sit *Psal. 49.*

Luc. 16.

Vers. 22 Mors diuitibus æque ac pauperibus dominatur.

Vers. 23. Mors pijs est deportatio in sinum Abrahæ h.e. in locum solatij & beatitudinis: impijs abjectio in gehennam.

Vers. 25. Pœnæ infernales sunt ineffabiles, immutabiles, justissimæ.

Vers. 26. Post mortem nullus gratiæ vel pœnitentiæ est locus. Vnde cõmentum purgatorij, & liberationis ex eo per suffragia sanctorum, & merita missarum refellitur.

Vers. 29. Qui volunt effugere locum tormentorum infernalium, non opus habent nouis reuelationibus, vel mortuorum consiljs & intercessionibus, sed auditione Mosis & prophetarum: quia solæ scripturæ sufficiunt ad salutis viam plene monstrandam. Fructus siquidẽ doctrinæ Mosicæ & propheticæ est fides, resipiscentia, & salus æterna.

Luc. 17.

Vers. 1. Scandala necessario eueniunt, h.e. infallibiliter, respectu primæ causæ. Eadem eueniunt libre, h.e. non coacte, respectu liberæ malitiæ Satanæ & organorum ipsius.

Vers. 10. Homines, quidquid Deo præstent, debitum præstant: proinde nihil de Deo merentur. Nec vllum potest esse creaturæ de Deo creatore meritum, quo obligetur ad reddendum ei debitum.

Vers. 13. 19. Etiam hypocritæ, misericordiam Dei implorantes, impetrãt quædam beneficia, sed non salutaria: quia carent vera fide, quæ sola facit Dei beneficia salutaria, quomodo videmus ventriculum bene constitutũ, conuertere cibos in succum salutarem.

Luc. 17. v. 11. 20.

Dominica XIV. post Trinitatis.

Exordium. Tres sunt insignes virtutes, quæ Deo vehementer placent: fides, humilis precatio, & gratitudo. Hæ virtutes conspicuæ sunt in hoc euangelio, vbi agitur de mundatione hominum leprosorum.

Propositio. Tres sunt partes. 1. Quomodo hi leprosi auxilium Christi implorauerint. 2. Quomodo Christus illos mundauerit. 3. Quomodo erga Christum se gesserint.

De I. Si velimus à Christo sanari, oportet vt 1. miseriam nostram agnoscamus, & ipsi occurramus. 2. precemur ex vera fide.

De II. Christus nos sanat, 1. lo tuitu gratiæ: *Cum eos vidisset.* 2. Alloquio: *Dixit eis, profecti itote.* 3. Manu: *Et factum est, vt inter abeundum purgati sint.*

De III. Nouem ex his leprosis sunt ingrati, vnus ex ijs præditus fuit vera fide, suamq; gratitudinem erga medicum fecit contestatam.

Conclusio. Recitetur *Psalmus 38.*

Alia dispositiones.

I. Hoc euangelium est speculum miserię nostrę & misericordiæ Dei, quod vtiliter conferri potest cum historia illa 2. *Reg. 5.* Nos differemus de spirituali nostra lepra, illiusque mundatione. *Principio* lepra corporalis est speculum lepræ spiritualis siue peccati in his quatuor partibus. Lepra 1. est morbus impurus & fœdus aspectu, inficiens totam sanguinis massam. 2. facit vt homo sit viuus mortuus. 3. inficit alios partim tactu, partim anhelitu. 4. excludit hominem à societate hominum. *Deinde* tria sunt remedia aduersus hanc lepram. 1. Precatio valida, & cum pœnitentia conjuncta: *Occurrerunt, steterunt procul, Extulerunt vocem dicentes, Jesu magister miserere nostri.* 2. Miseratio Christi: *Qui cum eos vidisset.* 3. Verbum Dei: *Ostendite vos sacerdotibus.* Conf. 1 cum *Leuit.* 14. vbi ceremonia de mundatione leprosorum explicatur.

II. Deus *Exod. 15.* se vocat medicum populi sui. Ita quoque Christus est medicus noster incarnatione, passione, resurrectione, verbo, sacramentis & miraculis. Speculum hujus rei habemus in hoc euangelio, in quo docemur. 1. solum Christum esse medicum nostrum. 2. inter decem vix vnum esse, qui suam probet Deo gratitudinem.

III. Septem proprietates fidei hic describuntur. 1. Inuocare nomen Jesu. 2. Habere Jesum pro magistro, cujus magisterium cernitur in sapientia, doctrina seu verbo, auxilio, consolatione, redemtione, regeneratione & resuscitatione. 3. Niti misericordia Dei. 4. Stare & cadere verbo Dei supra & contra rationem cœcam. 5. Per fidem obtinere purgationem à peccato. 6. Gratum esse erga Christum. 7. Constanter Christo adhærere soliq; Deo gloriam dare.

IV. Tria hic habemus specula: videl. miseriæ nostræ in decem leprosis, miserisordiæ Dei in Christo, & disparis conditionis hominum, qui accipiunt à Deo beneficia.

Luc. 17.

Vers. 20. Regnum Christi non venit cum obseruatione, i.e. signa aduentus

nentus Christi per euangelium non sunt pomposa, qualia Pharisæi sibi imaginabantur.

Vers.26. Securitas mundi est instantis extremi judicij certissimum prognosticon.

Vers.32. Semper meminisse debemus vxoris Loth: quæ respiciendo εἰς τὰ ὀπίσω, effecta est statua salis. Idem euenit omnibus, qui cum ante se habeant Christum eiusq; regnum, nihilominus tamen respiciunt regnum hujus mundi post se, & cum Israelitis cogitant ollas Ægypti.

Luc. 18.

Vers.1. Semper oportet orare, quia orando non oportet defatigari, donec exaudiamur. Exaudimur autẽ vel ad sensum, vel ad meliorem vsum. Nihil autem hoc pertinet ad opus operatum Euchetarum, vel ad horas canonicas & meritorias monachorum, vel denique ad pensum diurnum hypocritarum.

Vers.14. Justificatio nostra coram Deo, non est alia, quam fuit publicani in euangelio: nempe remissio peccatorum, per fiduciam misericordiæ Dei propter Christum.

Luc. 18. v. 9. 15.

Dominica XI. post Trinitatis.

Exordium Historia illa 2. *Sam.12.* est speculum veræ pœnitentiæ, cujus duæ sunt partes, videl. cognitio practica suæ miseriæ & indignitatis, & Dei misericordiæ. Quæ duo etiam in hoc textu proponuntur.

Propositio. Dicemus. 1. quales sint isti homines, quorum preces Deus nõ exaudit. 2. quales sint illi, quorum preces exaudit, & quos justificat.

De I. Vno verbo Deus non audit preces, neq; curat opera illorum, qui sunt similes huic Pharisæo, h.e. qui sibi persuadent se esse justos, & pro nihilo habent reliquos. Huc itaque pertinent illi, qui 1. Seipsos non cognoscunt. 2. Sunt præsumtuosi. 3. Inter precandum opera sua, illorumque merita jactant.

De II. Deus audit preces illorum, qui cum publicano. 1. Fatentur suam indignitatem: *Procul stans.* 2. Afficiuntur pudore ob peccata: *Nolebat vel oculos in cœlum tollere.* 3. Afficiuntur dolore, suntque corde contrito: *Percutiebat pectus suum.* 4. Præditi sunt vera fide: *Deus propitius esto.* Atque hi sunt, qui justificantur coram Deo.

Conclusio. Pertinet huc *Psalmus 51.*

Alia dispositio.

Exordium. Inde ab initio mundi fuerunt duum generũ homines. Nam alii propriis viribus confisi quæsiuerunt in seipsis iustitiam, alii vero

vero in gratia Dei miseratoris. Duo hi ordines depinguntur in Caino & Abele, Ismaele & Isaaco, Esauo, & Jacobo, Manasse & Ephraimo, Saulo & Dauide, denique; in hoc Pharisæo & publicano.

Propositio Ostendemus 1. Nullum superbum recte posse orare. 2. Veram pœnitentiam esse veram precationem.

De I. Homo superbus quinque vitijs est præditus, quæ tanquam impuri spiritus precationem conspurcant. Sunt autem 1. Præsumtio, seu opinio pietatis. 2. Contemtus aliorum hominum. 3. Precatio recitata in templo externo, neglecto templo interno. 4. Precatio hypocritica, hoc nomine recitata, vt ab hominibus videamur. 5. Precatio recitata sine pœnitentia.

De II. Vera pœnitentia, non vero garrulitas, est precatio vitalis, quæ Deo placet. Eam vero ad rem ista quatuor requiruntur. 1. Agnitio indignitatis suæ, qua fit vt procul stemus. 2. Confusio seu pudor, quo fit vt non audeamus attollere oculos in cœlum. 3. Contritio & dolor, quo fit vt tundamus pectus præ pauore. 4. fides, qua fit vt misericordiam Deo imploremus supplices.

Conclusio. Sic instituamus precationem totamque vitam nostram, vt Christus de nobis ferat hanc sententiam: Illi sunt justificati præ his: quia quicunque se extollit, humiliabitur, & qui se humiliat extollatur.

Luc. 18. v. 31. 43.

Confer cum Matth. 20. & Marc. 10.

Dominica Esto mihi, seu Quinquagesima.

Exordium. Dauid etiam in hoc fuit typus Messiæ, quod sicut ille per multiplices calamitates peruenit ad regnum 1. *Sam.* 22. ita & Christus, filius ille Dauidis. Et sicut Dauid longe ante fuit vnctus in regem, quam regnum capesceret: ita Christus vnctus à Spiritu S. non statim inchoauit regnum gloriæ. Hujus rei speculum est in hoc textu.

Propositio. Considerabimus 1. Prædictionem passionis Christi. 2. Sanationem cæci, & inde sumemus materiam dissertationis de spirituali nostra cæcitate & illuminatione.

De I. Circa passionem Christi hoc loco quinque sunt expendenda. 1. Quod fuerit spontanea passio, & perfecta Christi obedientia. 2. Quomodo prophetæ prædixerint passionem Domini. 3. Quod Christus sit passus nostro bono. 4. Quod Christum debeamus imitari per crucem. 5. Quod crux Christi nobis non debeat esse scandalo.

De II. Cæcus est speculum spiritualis nostræ cæcitatis, quæ graphice depingatur; & illuminationis per Christum, quæ fit hoc modo. 1. Agnoscimus miseriam & cæcitatem nostram. 2. Imploramus auxilium Christi, & ex vera fide dicimus cum hoc cæco: *Domine miserere mei.* 3. Per eam fidem adhæ-

adhæremus Christo, nihil morati varia impedimenta: quomodo videmus hunc cœcum insuper habuisse interminationem populi. 4. Christus iubet nos ad se venire, & nobis loquitur in corde. 5. Nos celebramus beneficia Christi.

Conclusio. Recitetur *Psalmus* 13.

Alia dispositio.

Exordium. Quemadmodum Josua precatione fideq; sua stitit solem *Jos.* 10. ita preces & fides hujus cœci sistunt Christum, solē illum justitię. Et sicut sol illuminat mundum sibi subjectum: ita Christus hunc cœcum illuminat corporaliter juxta & spiritualiter.

Propositio. 1. Dicemus quomodo Christus sit sol justitię in passione sua? 2. Ostendemus, quomodo hic sol luceat in cordibus nostris.

De I. Christus est sol noster in passione sua lucendo perfecta obedientia, *Ecce ascendimus:* illustrando prophetias & typos V. T. *Quæ scripta sūt per prophetas:* tollendo ignominiam nostram, *Tradetur illudetur:* remouēdo tenebras cordium nostrorum, *Ipsi vero nihil horum intellexerunt.*

De II. Hic sol lucet in cordibus nostris per fidem, precationem, & constantiam. Nam fides facit, vt tanquam aquila oculo irretorto intuemur hunc solem: precatio calefacit threnos cordis per radios hujus solis: constantia facit, vt in hoc sole semper ambulemus. Tria ista elucent in hoc cœco.

Conclusio. Sumatur ex *Psal.* 18. *vel* 27.

Alia dispositio.

Exordium. Sicut exitum ex Ægypto præcessit trinoctium tenebrosum. *Exod.* 10. ita liberationem generis humani per mortem Christi præcesserunt horrendę tenebrę populi Judaici, per quas stetit quo minus Christum cognouerint. Exemplo sunt ipsi discipuli Christi. Hoc ipsum figurauit cœcus, qui eo ipso tempore, quo Christus de morte sua fuit vaticinatus, ipsi occurrit, vt per corporalem ipsius sanationem probaret se esse illum, qui spiritualiter illuminet corda mortalium.

Propositio. Dicemus. 1. De fine nostræ religionis. 2. De proprietatibus precationis.

De I. Finis religionis est: Memoria tenere Christum crucifixum, ita scil. vt intelligamus mysterium passionis ipsius, inde salutem nostram arcessamus, peccatum nostrum agnoscamus, & vitam emendemus.

De II. Spiritus precum quatuor habet proprietates. 1. Clamat. 2. Gemit. 3. Non patitur se impediri. 4. Adeo est efficax, vt Christum remoretur atque sistat.

Conclusio. Recitetur *Psal.* 34.

Luc. 18. v. 21.

Vnum illud, quod deerat diuiti ad perfectionem, non supra obseruationem omnium mandatorum, sed in obseruatione mandatorum Dei ad salutem, erat contemtus diuitiarum: quem defectum vnum in eo desiderat Christus, non quod eum omnia mandato obseruasse crederet, sed vt ex vno isto defectu, h. e. ex amore nummi, omnium mandatorum reum perageret.

Luc. 19.

Vers. 3. Desiderium videndi Christum in Zachæo, non fuit à libero ipsius arbitrio præueniente gratiam, sed à gratia præueniente & excitante liberum arbitrium.

Vers. 7. Quemadmodum Christus in statu exinanitionis crebro conuersatus fuit cum peccatoribus, & apud illos diuersatus: ita hodieq; in statu exaltationis diuertit apud homines contritos ob sensum peccati.

Luc. 19. v. 41. ad finem.

Confer cum Matth. 21. Marc. 11. & Johan. 2.

Dominicæ X. post Trinitatis.

Exordium. Quemadmodum legatus regis Syriæ. 2. *Reg. 8.* scisciatur ex Elisæo, cur ploret: ita nos hic quæramus ex Christo cur ploret.

Propositio. Considerabimus lachrymas Christi, & excidiũ vrbis sanctæ.

De I. Hic occurrit modus, & causa lachrymarum. Modus est in aspectu vrbis, threnis & concione seu verbis. Causa est partim φιλανθρωπία Christi, partim Judæorum impœnitentia.

De II. Consideretur prædictio Christi & conferatur cum prædictione illa *Deut. 28.* & cum historia excidij apud Josephum.

Conclusio. Recitetur *Psalmus 95.*

Aliæ dispositiones.

I. Quemadmodum habitatores Sodomæ & Gomorrhæ habitabant in loco amœno & affluebant omnibus delicijs, & deniq; impietati suæ frænа laxabant: ita populus Judaicus, qui varia à Deo acceperat priuilegia, his tantis beneficijs fuit abusus. Hanc ingratitudinem Dominus in hoc textu deplorat, & pœnam ipsis annuntiat.

De I. Hic videbimus speculum amoris & cordis Christi, qui sitit salutem hominum, vt ex ipsius threnis, amica Judæorum visitatione, & denique hac concione elucet.

De II. Excidium Hierosolymitanum est speculum iræ Dei erga ingratos contemtores verbi sui. Conclude *Psal. 2.*

II. Dauid 2. *Sam. 19.* valde luget mortem Absolomi. Ita Christus hic defler

deflet vicem Judæorum, qui multis modis ipsum persecuti fuerant, non aliter atque Absolom patrem suum. Dicemus. 1. Cur Christus fleuerit? 2. Cur Hierosolyma sit excisa?

De I. Quatuor sunt causæ: videl. Judæorum impœnitentia, securitas, cœcitas siue induratio, & contemtus gratiæ seu paternæ visitationis.

De II. Tres sunt causæ: contemtus verbi Dei, fiducia collocata in munitione & potentia, & corrupteła cultus Dei.

III. Jeremias emittens threnos suos fuit typus Christi hoc loco flentis. Considerabimus 1. threnos Christi. 2. excidium vrbis. 3. Zelum Christi. Conclude *Psal 85. vel 79.* & ostende, quomodo threni Christi fuerint lachrymæ dolentis, docentis, amantis, orantis, & medicantis.

Luc. 19.

Vers. 3. Zachæus est typus peccatorum, qui sunt paruuli, h.e. qui non superbiunt: & conscendunt arborem crucis, vt ibi Christum intueantur, & isto intuitu pascantur.

Vers. 12. *& seqq.* Tria hominum genera, quæ sunt in ecclesia, hic depinguntur. *Primum* est eorum, qui à Christo deficiunt. *Secundum* est eorum, qui donis à Deo acceptis pie & grauiter vtuntur, ad ipsius gloriam, & proximi salutem. *Tertium* est eorum, qui præ ignauia torpent. Primos illos Deus vlciscetur suo tempore justis pœnis: secundos gratis beabit pro laborum, quos sustinuerunt, ratione ignauos autem, vt inutiles, plectet.

Vers. 26. Habenti veram fidem, dantur & alia Dei dona salutaria.

Vers. 40. Si homines sileant, Deique gloriam propagare nolint, lapides clamant, h.e. creaturæ inanimatæ à Deo excitantur, vt testimonium perhibeant veritati: vt patet ex historia passionis Christi.

Luc. 20.

Vers. 2. Nemo debet se ministerio ecclesiæ, ejusque proprijs munijs ingerere absque legitima vocatione. De ea vero non ex Canonibus Pontificijs, sed ex verbo Dei est judicandum, hoc modo. Vocatio ad ministerium verbi est immediata vel mediata, extraordinaria vel ordinaria. Immediata est potior quam mediata & extraordinaria est diuinior quam ordinaria. Sic Christus fuit vocatus & missus, non mediate & ordinarie à Phariseis, sed immediate & extraordinarie à Deo.

Vers. 9. Ecclesia veteris testamenti tempore Phariseorum fuit vinea valde corrupta: quam Christus ipse instaurauit.

*Vers.*20. Cessantibus causis matrimonij, cessabit & matrimonium in vita futura.

*Vers.*44. Christus est & filius Dauidis, secundum humanitatem: & ejus dominus, secundum deitatem.

Luc. 21.

*Vers.*3. Eleemosynas Deus æstimat non quantitate doni, sed qualitate dantis: non effectu operis, sed affectu operantis.

*Vers.*17.18. In afflictionibus piorum ne pilus quidem cadit de capite illorum citra voluntatem Dei.

Luc. 21. *à v.* 25. *ad* 32.

Confer cum Matth. 24. v. 29. & Marc. 13. v. 24.

Dominica II. Aduētus.

Exordium. Quemadmodum humilis aduentus Christi in carnem per varia signa magnifice fuit partim manifestatus, partim cōfirmatus, puta per Johannē baptistā, epinicion angelorum *Luc.* 2. inaugurationē & proclamationē. *Mat.* 3. varia miracula, & missionē Spir. sancti: ita secūdus Christi aduētus ad judiciū sua quoq; habet signa, quę in hoc textu describuntur.

Propositio. Tria hic docentur, 1. De signis vltimi judicij. 2. De ipsius modo. 3. De nostro officio.

Tractatio. I. Signa sunt partim in macrocosmo, videl. in sole, luna, stellis, mari: partim in microcosmo seu homine, qui erit in angustia propter famem, bellum, horrendas persecutiones, & similia.

II. Aduentus ille ad judicium erit visibilis, & magnificus, quia veniet Filius hominis, in nubibus, cum potestate & gloria magna.

III. Officij nostri est 1. Lætari: quia dies ille est dies plenę nostræ redēptionis. 2. Pœnitentiam agere, adeoq; nos prępparare, ita vt desinamus à malo, & faciamus bonum, juxta Christi admonitionē: *Cauete &c. Vigilate &c.*

Conclusio. Sumatur ex *Psal.* 126. Cum Dominus liberabit captiuos Zionis, &c.

Alia dispositio.

Exordium. Quemadmodum in homine moribundo cernuntur signa & indicia mortis, vt sunt linguæ resolutio, oculorum suppressio, sudor insolitus, frigus, & similia: eundem in modum ruina mundi ex certis indiciis colligitur: de quibus passim in Apocalypsi, & in hoc textu.

Propositio. De vltimo judicio hæc duo tractabimus: quod illud sit mūdo prædictum seu indictum, quod que omnia præparatoria sint præsto.

Tractatio. I. Indictio hujus diei censorii est gemina. Habemus enim clarissima vaticinia, & illustria signa partim in cœlo, partim in elementis,

partim

partim in homine, in quo cernitur angustia & securitas secundum omnes status. Vnde Christus hoc veluti celeusmate nos excitat *Vigilate* q.d. Ne stertite cum impijs.

II. Præparatio consistit. 1. In citatione: *Erigite capita vestra.* 2. In præsentia judicis: *Instat regnum Dei.* 3. In qualitatibus judicandorum, qui non possunt effugere hoc judicium.

Conclusio sumatur ex *Psal. 97.*

Aliæ dispositiones.

I. Demonstretur quod sit futurum vltimum judicium, & declaretur quale illud sit futurum.

II. Hæc duo tractantur. 1. Quomodo nos debeamus erigere seu consolari meditatione vltimi judicij aduersus trepidationem carnis. 2. Quomodo nos debeamus præparare ad vltimum judicium. *Consolatio* consistit in his quatuor sententijs: Attollite capita vestra: Appropinquat redemtio vestra: Æstas instat: Regnum Dei instat. Prima sententia est excitatio fidei, spei, & charitatis erga Deum: secunda agit de plena liberatione nostri ex seruitute Ægyptiaca & captiuitate Babylonica mũdi, carnis & mortis: tertia & quarta concionantur de gaudio & gloria nostra in cœlesti paradiso, regno illo gloriæ. *Præparatio* consistit in illa sententia *Cauete*, &c. vbi *v.34.* est dehortatio. *v.35.* Ætiologia dehortationis. *v.36.* Adhortatio, & illius ætiologia.

Luc. 21.

Vers. 19. Qui per tolerantiam possident animas suas, in medijs calamitatibus triumphant.

Vers. 22. Qui negligunt diem prædicationis, experiuntur diem vltionis.

Luc. 22. v. 24. 31.

Confer cum Matth. 20. & Marc. 10.

Tria hic describuntur. I. Contemtio Apostolorum de primatu: vbi notetur sanctorum infirmitas & ambitionis fœditas. II. Contentionis hujus à Christo facta diremtio, quæ constat duob. argumentis: vnum est à disparatis quia reges gẽtium, seu principes mundani hoc faciunt; alterum à majori, quia ipse se gesserit tanquam minister. Hic notetur, magistratus authoritas, & differentia quæ est inter regnum Christi & regna hujus mundi. III. Promissio gloriæ Apostolis facta, seu dispositio vltimæ voluntatis Christi: vbi tractetur locus de vita æterna per comparationem cum epulo, in quo est lauta tractatio, læta conuersatio, & æterna duratio.

Luc.22.

Vers.2. Falsa religio non disputat, sed amputat: non vtitur stilo, sed pilo, non argumentis, sed ferramentis.

Vers.3. Maximum Dei flagellum est desertio punitionis & totalis atque finalis: qua Deus negat gratiam suam insolidum. Ita deseruit Judam, in cujus cor Satanas intrauit. Hanc itaque oportet deprecari propter Christum, & dicere cum illo martyre: *Ne deseras me, Domine, vt ne deseram te.* Huic opponitur desertio probationis & castigationis, quæ est partialis, & fit ad tempus: quomodo videmus parentes & præceptores quandoque deserere petulantes liberos & discipulos. Hujusmodi desertio electis est vtilis.

Vers.15. Christus, verum illud Pascha, desiderio desiderauit edere Pascha typicum, vt finem imponeret vmbris legalibus, & perficeret opus redemtionis nostræ.

Vers.22. Etsi homines impij faciunt voluntatem & decretum Dei: non tamen excusantur, quia faciunt voluntatem Dei materialiter, non vero formaliter, hoc est, faciunt sanctam Dei voluntatem, sed non sancta voluntate, quia faciunt alio fine, & alio modo, & alia causa impellente.

Luc.22. v.31. 32.

Quod Satan sit συζητητὴς, præter verbum Dei etiam confirmat experientia. Vide *1.Pet 5. Eph.6. Apoc.12.* & exempla sanctorum, in primis Christi, Jobi & Petri. De vltimo agitur in hoc textu, vbi describitur Satanæ consilium, & Christi auxilium.

De I. Christus ait: *Simon, Simon, ecce:* quibus verbis innuit, rem esse certam & maximi momenti, de qua hic agitur. *Satan*, id est, aduersarius ille Dei & hominum. *Cupiuit*, hoc est, conatus est, sed Deus ipsi non permittit. Vnde discimus, diaboli potentiam esse limitatam. *Vos ventilare*, hoc est, tentare. Explicetur similitudo.

De II. Consolatio aduersus consilium Satanæ est triplex. *1. Sed ego rogaui pro te.* Quantum pondus habeat illa intercessio Christi, verbis non potest exprimi. *2. Ne fides tua deficiat.* Ecce fides est nostra victoria. *3. Et tu conuersus aliquando confirma fratres.* Ecce Deus vsque adeo nos juuat, vt emergamus è tentationibus, & fratres nostros, qui eandem experiuntur, leam, confirmemus.

Luc. 22.

Vers.29.30. Mirifica est consolatio, quam Christus proponit his verbis. *Ego paciscor vobis*, hoc est, testamento vobis lego, vel potius vos hæredes scribo & instituo: *prout pactus est mihi Pater*, pactione immutabili. Paciscor, inquam, vobis *regnum*, hoc est, volo vos esse hæredes regni mei:

vt e-

vt edatis & bibatis, de manna abscondito: & *sedeatis super thronos*, tanquam assessores, qui approbent judicium meum.

Vers.32. Fides & perseuerantia electorum, nititur intercessione Christi, & proinde est ἀμεταπτωσία & ἀμετανοησία.

Luc.22.

Vers.2. Dici non potest, quantopere noceant falsi testes, & mali interpretes.

Vers.12. Impijs nulla in re magis conuenit, quam in Christi oppugnatione: vt docemur exemplo Pilati & Herodis.

Vers.21. Falsa religio est sanguinaria: & illius professores pro symbolo habent istud lemma, *Crucifige, Crucifige.*

Luc.23 v.43.

Æterna felicitas sanctorum hic confertur cum paradiso, tres ob causas. 1. Occurrit *amplitudo* maxima. 2. *Pulchritudo* admiranda. 3. *Gaudium* ineffabile, quod occupabit totum hominem ratione animæ & corporis. Nam *gaudium intelligentiæ* erit, oculis mentis videre Deum à facie ad faciem: *Gaudium voluntatis* erit amor Dei & proximi ardentissimus, quies incomparabilis, & justitia perfectissima: *Gaudium memoriæ* erit, recordatio beneficiorum Dei in omni vita, spiritualium & corporalium, naturalium & supernaturalium, temporalium & æternorum: itemque periculorum, à quibus Deus nos eripuit miris modis, in omni ætate, in omni officio, in omni statu; denique tot vicissitudinum rerum, & tantæ varietatis, in administratione & cursu seculorum à principio vsque ad finem: *Gaudium visus* erit videre proprij corporis splendorem & pulchritudinem, itemq; gloriam Christi & omnium electorũ, quorum corpora erunt tot soles, intueri denique ipsam nouam Hierosolymam amplissimam, firmissimam, splẽdidissimam: *gaudium aurium* erit audire loquelam Christi & hymnorum sanctorum: *gaudium narium* erit percipere odorem, quem de se spirabunt corpora glorificata suauissimum: *gaudium gustus* erit oblectationem supernaturalem habere in abscondito manna: *Gaudium tactus* erit oblectationem percipere ex perpetua & optima habitudine corporis glorioſi, quod erit sanum, robustum & agile. Faceſſant itaque gaudia hujus seculi, quæ neque perpetua sunt, neque pura & sincera. 4. *Pretium*, quo emtus est paradisus cœlestis, est solus Jesu Christi sanguis. 5. *Porta paradisi* est fides in Christum. 6. *Arbores* hic sunt triplices. Arbor vitæ est mors Christi: arbor cognitionis boni est illuminatio Spiritus S. perpetua & immobilis: arbores justitiæ sunt sancti, qui proferunt fructus laudis absque intermissione. 7. *Custos* est gratia Dei in Christo perpetua. 8. *Flumina*, hortum irrigantia, sunt charitas, laus Dei, gaudium, & gloria.

Luc.

Luc.23.v.43.46.

Confer cum Matth.10. v.28.

Concio funebris.

Inter locos consolatorios aduersus metum mortis etiam est ille, qui tractat de immortalitate animæ, de qua notentur ista tria. I. Quod anima hominis sit immortalis: vt constat ex *Eccles.12.v.9. Marc.12.* & locis, quæ sunt loco textus: item ex varijs exemplis, puta Enochi Eliæ, Stephani, Christi. Possunt etiam recitari variæ rationes à natura Dei & animæ. II. Quo perueniant animæ. Nimirum animæ justorum recta perueniunt in cœlum *Phil.1.v.23.2.Cor.5.v.1. Joh.14.v.2.* Locus ille vocatur fasciculus viuentium, sinus Abrahæ, terra viuentium, &c. Animæ impiorum perueniunt in infernum. Fabulæ itaque de purgatorio & obberratione animarum explodantur. III. Quid agant animæ separatæ à corporibus. Nimirum animæ beatorum vident Deum *1.Cor.13. Joh.17.v.3.* & ipsum laudant *Apoc.6.* animæ damnatorum torquentur. *Luc.16. Sap.5.6.*

Luc. 23.

Vers.28. Non debemus deflere passionem Christi eo modo, quo deflemus martyris alicujus innocentis, vel hominis facinorosi & merito luentis, supplicium, sed ita, vt deflcamus peccata nostra, quæ ipsum crucifixerunt.

Vers.31. Si in Christo, ligno virente & fructifero mundus designavit omnis generis flagitia, quid fiet in nobis, qui natura sumus infructuosi, aridi, & omnis justitiæ expertes? Potest etiam hæc comparatio institui inter filios Dei, qui sunt in Christo arbores justitiæ, & filios hujus seculi, qui sunt arbores ex succæ & steriles.

Vers.33. Pontifices, Pilatus & milites, licet impleuerint decretum Dei, & oracula prophetarum: non tamen excusantur à scelere: quia impleuerunt voluntatem Dei & oracula prophetarum, non per se, vel sua intentione, sed ex accidenti, occulta nempe prouidentia & judicio Dei.

Luc.24. v.13.49.

Festo Paschæ.

Exordium. Christus *Cant.1.* dicitur rosa inter spinas. Cujus rei commentarius est passio ipsius, & resurrectio. Illa instar hyemis, hæc instar veris. Quemadmodum enim tempore hyberno flores latent inter spinas, vere nouo prodeunt: ita & Christus.

Propositio. Considerabimus. 1. Colloquium, in quo Christus demonstrat passionem & resurrectionem suam. 2. Euentum colloquij.

De I. Christus. 1. Arguit discipulos cæcitatis: *O amentes!* 2. Aperit ipsis scripturas & corda: vbi per prosopopœjam figuretur, quomodo Christus historiam passionis repetierit, & vaticinia atque typos V. Test. exposuerit.

De II.

De II. Quatuor sunt fructus hujus colloquij. 1. Christus benter manet. 2. Fit hospes ipsorum, capit vna cum ipsis cibum, & illis benedicit. 3. Cognoscitur ab ipsis. 4. Gaudium amor & pax oritur.

Conclusio. Colloquium hoc Emaunticum superat alia Christi colloquia, quæ cum discipulis habuit ante passionem.

Alia dispositio.

Exordium. Splendidum amictum summi Pontificis inter alia ornabant cymbala. *Exod. 28. Num. 6.* Ita splendidissimam illam purpuream vestem Christi, mortem videlicet ipsius, ornant cymbala pacis & Euangelij.

Propositio. Fructum resurrectionis Christi, hoc est, pacem Domini, considerabimus.

Tractatio. Pax illa complectitur omnia Dei beneficia ad instar fasciculi, non aliter atque pax externa est epitome bonorum omnium. Bona ista sunt. 1. Viua consolario in omnis generis miserijs. 2 Benedictio spiritualis. 3. Dei gratia & fauor. 4. Victoria diaboli, mortis, mundi & peccati. 5. Remissio peccatorum. 6. Totum Dei regnum, cœlum & vita æterna. Hæc igitur pax est flos Paschalis, os roseum Christi, mel prodiens ex leone Simsonis, arbor vitæ, pallium Josephi, annulus Spiritus S. thesaurus cordis.

Conclusio. Diligenter meditemur historiam resurrectionis: quia ferme idem nobis accidit, quod Jacobo. *Genes. ca. 37.* qui ægre admodum poterat adduci vt crederet filium suum Josephum viuere. Postquam vero illum vidit, existimauit, se felicem esse. *Genes. cap. 45.* Recitetur *Psal. 85.*

Alia dispositio.

Exordium. Christus *Johan. 12.* seipsum comparat grano tritici, quod terræ commendatum fert multiplicem fructum. Hinc Christi typus fuit Joseph, quem fratres opinabantur mortuum, cum tempore annonæ ipsis esset veluti vita procurans ipsis τὰ βιωτικά.

Propositio. Videbimus duodecim fructus hujus tritici, pro numero duodecim mensium anni.

Tractatio. 1. Nominis Christi recordatio: *loquebantur de gestis.* 2. Christi appropinquatio: *Christus venit ad illos.* 3. Socialis confabulatio: *Quales sunt sermones?* 4. Scripturæ interpretatio. 5. Christi spontanea mansio & cohabitatio. 6. Gloriæ Christi manifestatio: Ἀν φανερωσις. 7. Spiritualis viuificatio: *Annon ardebat cor nostrum?* 8. Resurrectionis Christi propagatio: *Annuntiabant reliquis vndecim.* 9. Pax. 10. Fides. 11. Confessio fidei. 12. Perseuerantia in fide. Quæ tria posteriora videmus in Thoma.

Conclusio. Recitetur *Psalmus 72.*

Alia dispositio.

Disseremus. 1. De mirabili apparitione Domini. 2 De pace Dei. 3. De Scriptura, cujus centrum est Christus, quemadmodum centrum majoris mundi est homo.

Alia dispositio.

Quod Scriptura Sacra sit liber ille obsignatus *Apocal.5.* quem nemo possit aperire præter Christum, ex hac historia est manifestum. Considerabimus. 1. Colloquium triste discipulorum. 2. Responsum Christi exhilarans.

Alia dispositio.

Sacerdos Vet. Test. fuit typus Christi quantum ad habitum sacerdotalem, sacrificia precationem pro populo, & benedictionem populi *Num.6.* Benedictionis exemplum est in hoc textu, in quo videbimus apodixin & praxin resurrectionis Christi. *Apodixis* est, qua Christus demonstrat resurrectionem suam quatuor argumentis, quæ sunt 1. Apparitio. 2. Collocutio. 3. Ostensio corporis. 4. Comestio. *Praxis* continet fructus resurrectionis, qui sunt 1. Impletio vaticiniorum Christi & prophetarum. 2. Explicatio & intelligentia Scripturarum. 3. Apertio intellectus & cordis. 4. Pœnitentia, & remissio peccatorum.

Luc. 24.

Vers.6. Corpus Christi non fuit in sepulchro, quando angelus hæc verba pronuntiauit: neque tamen ideo vnio personalis sibi non constitit: quia non necesse est ad vnionis integritatem, vt res vnitæ sint æqualis essentiæ.

Vers. 16.31. Sicut Christus à duobus discipulis non fuit agnitus: sic ab eis disparuit: non corporis sui mutatione, sed oculorum in discipulis retentione.

Vers.25. Solus Christus potest aperire oculos mentis nostræ, vt videamus ipsum tanquam solem justitiæ. Sic solem sine sole non possumus videre.

CON-

IV.

CONCIONES IN JOHANNEM.

Memoriale Euangelij Johannis. Cap. 21.

1 1 1 7 8
Sermo, Cana, Nicdemus, Adeſt Samaritica, Sanat.
41 37 3 5 27
Panis ego, Veniat, Mœchica, Lux ego, Oues.
2 12 2 6 1
Lazarus, Intrat, Ibi Iſcariot, Via, Vinea ſumque.
5 9 2 34 14
Vado, Precor, Prodit, Lancea, ſurgit humo.
15
Paſce meos agnos, dicit ſeruator Jeſus.

Oeconomia Euangelij ſecundum Johannem.

Johannes deſcribit Chriſti perſonam & officium.

I. Perſona Chriſti graphice deſcribitur, *c.1.*

II. Officium Chriſti eſt propheticum, ſacerdotale & regium. Prophetia habet quatuor interualla ſeu periodos. Prima eſt à primo paſchate ad ſecundum, *c.2.3.4.* Secũda à ſecundo paſchate ad tertium, *c.5.* Tertia à tertio paſchate ad quartum, *c.6.* Quarta à quarto paſchate ad quintum: vbi eſt interuallum à feſto pentecoſtes ad Scenopegiam ſiue Encænia, & ab Encænijs ad Paſcha quintum. In illo interuallo eſt aduentus Chriſti in vrbem, *c.7.* commoratio in vrbe, *cap.8.9.10.* & diſceſſus, *c.11.* In hoc eſt reditus in vrbem, *c.12.* & actiones in vrbe, *cap.13.14.15.16.17.* Sacerdotium eſt in paſſione, *c.18.19.* Regnum eſt in reſurrectione, *c.20.21.*

Typicam ſiue tabellarem diſpoſitionem Euangelij ſecundum Johannem vide *lib.2. Præcog. Theol. c.56, pa.109.* Chronologiam *ibi. cap.116. p.475. & ſeqq. item pag. 529. & ſeqq. item ſupra in præliminari Concione Bibliorum.* Denique characterem & ſummariam conſiderationem *lib. 2. Præcog. Theolog. cap. 122. pag. 634.*

Joh. 1. v. 1. 18.

Septem ſunt, quæ de *Sermone*, hoc eſt, de Filio Dei hoc loco prædicantur. *1. Sermo* ille, ὁ λογος, erat in principio, quo Deus creauit cœlum & terram. 2. Idem *Sermo* erat apud Deum, Filius æternus in ſinu Patris: & erat Deus ὁμοούσιος Patri. 3. Per hunc *Sermonem* mundus eſt conditus. 4. Hic *Sermo* eſt lux vera, illuminans omnem hominem, venientem in hunc

mundum, tam naturali quam supernaturali lumine. *5. Sermo*, hoc est, Filius Dei, factus est caro, assumendo humanam naturam in vnitatem personæ. *6. Sermo* est Filius Dei vnigenitus à Patre; quia Pater eum ab æterno ineffabiliter genuit. 7. Ex hujus *Sermonis* plenitudine accipimus gratiam pro gratia, hoc est, gratiam justificantem & nos Deo reconciliantem, & gratiam regenerantem, & nos sanctificantem ad vitam æternam.

Joh. 1. v. 1. 15.

Exordium. Sapientia, hoc est Filius Dei, *Prouerb. 8.* ait. Dominus possedit me in principio viarum suarum, &c. Quibus verbis sapientia ostendit suam æternitatem, majestatem & beneficia. Hoc ipsum etiam in præsenti textu docetur.

Propositio. Indicabimus. 1. Quibus argumentis deitas Christi à Johanne, aquila ista inter Euangelistas, asseratur. 2. Quomodo mysterium incarnationis vna cum suis donis & beneficijs describatur.

De I. Sex sunt argumenta. 1. Æternitas: quia ὁ λόγος fuit in principio apud Deum, & fuit ipse Deus. Filius Dei dicitur Sermo quatuor de causis: quia vt sermo est character animi, ita Christus est χαρακτὴρ ὑποστάσεως τοῦ πατρός. *Hebr. 1.* & hic Sermo patriarchis & prophetis est locutus in V. T. & annuntiauit nobis voluntatem Patris, & denique est aduocatus noster. 2. Creatio: quia omnia per eum facta sunt. 3. Vita infinita: quia est vita omnium rerum, & lux illas refocillans. 4. Testimonium Johannis, cujus scopus est testari de hac luce, vt homines per fidem illius fiant participes. 5. Illuminatio salutaris: quia nobis donat Spiritum S. 6. Jus adoptionis: quia quotquot illum vera fide apprehendũt, illis dat potestatẽ vt fiant filij Dei. Principes creare possunt nobiles & equites: sed titulum filij Dei non potest tribuere nisi qui est verus Deus *Vsus.* 1. Credamus igitur in Christum, tanquam verum Deum. 2. Simus bono animo: quia mediator noster est verus Deus, qui suspiria nostra nouit & audit, qui nos & Ecclesiam suam potest defendere, qui sufficiens λύτρον pro nobis soluit, qui vitam æternam nobis donare potest. Sancte viuamus, vt placeamus huic προδομήτῃ.

De II. Incarnatio ibi describitur: *Sermo factus est caro*, &c. Beneficia inde manant tria. 1. Habitauit in nobis, dum scilicet in his terris vixit & adhuc tabernaculum suum habet in carne nostra, quam assumsit. 2. Gloriam ipsius videmus in opere admirandæ redemtionis per veram fidem. 3. Regnum ipsius est plenum gratia & veritate.

Conclusio. Concludamus cum Apostolo *1. Tim. 3.* Sine controuersia magnum est pietatis mysterium, Deus patefactus in carne, &c.

Johan. 1.

Vers. 18. Deum nemo vidit vnquam, visu corporali, nec cognitione mentali vel spirituali perfecta, & sine patefactione. Cognoscitur vero et

libro

libro naturæ & Scripturæ, quantum satis est ad ἀπολογίαν, partim à non vocatis, partim à vocatis hypocratis: deniq; ex libro scripturæ in Christo, quantum satis est ad ὁμολίαν, ab omnibus & solis electis.

Vers. 29. Christus est agnus Dei, qui tollit (merito mortis & efficacia spiritus sui) peccatum mundi, h.e. omnium fidelium in mundo.

Vers. 33. Christus baptizat Spiritu sancto, quia per verbum & baptismũ Spiritu sancto regenerat omnes, quicunq; regenerantur.

Johan 1. *v.* 19. 28.

Exordium. Quemadmodum princeps ingressurus vrbem præmittit præconem: ita Christus in hunc mundum venturus habuit suum prodromum Johannem baptistam, cujus testimonium de Christo hic describitur. *Dominica IV. Aduentus.*

Propositio. Duo firmissima testimonia aduentus & præsentiæ Messiæ hic occurrunt: videl. vox clamans in deserto, & baptismus, h.e. institutio ministerij noui testamenti, quod consistit in concione euangelica, & nouis sacramentis.

Tractatio. I. Primum testimonium præsentiæ Messiæ est vox illa, de qua vaticinatus erat *Esaias cap* 40. Hinc discimus. 1. Messiam venisse. 2. Ministrorum verbi esse, præparare viam Domino. 3. Ministros tantum esse vocem seu os Dei. 4. Ministros in solitudine debere facere suum officium, hoc est, in cordibus desolatis & prostratis.

II. Alterum testimonium aduentus Messiæ est baptismus. Nam baptismus aquæ, quem administrabat Johannes, erat testimonium baptismi spiritus & ignis, cujus dispensator est solus Christus. Hic agatur de baptismo: quis det aquam & spiritum, quis illa accipiat, quomodo dentur & accipiantur.

Conclusio. Efficacia verbi Dei ostendatur ex *Psal.* 29. vbi agitur de tonitru.

Alia dispositio.

Quadruplex aduentus Christi per quatuor Dominicas Aduentus nobis inuinuatur. Primus est aduentus in carnem, secundus in vrbem Hierosolymam, tertius in corda electorum, quartus ad vltimum judicium. De penultimo aduentu agit hic textus, dum hæc tria proponit. 1. Christum nobis adesse per verbum. 2. per sacramenta. 3. per spiritum suum.

Alia dispositio.

Quemadmodum tempore verno & æstiuo auiculæ paulo ante solis exortum dulcissime modulantur: ita Johannes baptista, tanquam philomela & turtur in deserto, jucundissima sua voce indicauit ortum solis justitiæ.

stitiæ. Vox autem illa est quadripartita. I. Modestum judicium de seipso: vbi est responsio negatiua, *Non sum Christus, neq; Elias*: & affirmatiua, *Vox clamantis in deserto*. II. Concio de nostro officio: *Complanate viam Domini*, h. e. per veram pœnitentiam, fidem, & nouam obedientiam corda vestra præparate, vt ibi Deus habitare possit. III. Concio de baptismo: *Ego baptizo aqua*. IV. Euangelium de Christo, cujus persona & officium hic describitur. Persona ibi: *Hic est ille* &c. Officium ibi: *In medio vestrum stat*: vbi obserua, quomodo Christus veniat ad nos, ita vt stet in medio nostrum. Nimirum venit vt judex & doctor incutiens terrorem per concionem legis: vt medicus sanans errorem per concionem euangelij: vt præceptor corrigens errorem: vt sponsus in flammans amorem. Rursus est in medio nostrum. 1. Incarnatione, tanquam mediator. 2. Exinanitione, tanquam frater. 3. Exaltatione, tanquam dominus, rex, & caput. 4. Auxilio, tanquam opitulator in cruce. 5. Consilio, tanquam aduocatus in precibus. 6. Sacrificio, tanquam summus sacerdos in ecclesia.

Alia dispositio.

Tres personæ hic nobis proponuntur, quas ordine considerabimus: videl. Judæos, qui mittunt legationem: Johannem, ad quem mittitur legatio: Christum, in quo terminatur legatio.

Johan. 2. v. 1. 12.

Dominica II. post Epiphan.

Exordium. Quantopere Deus auersetur scortationem, docet historia 1. *Judic. 19.* vbi 65000 ceciderunt occasione adulterij. Vnde colligere est, matrimonij violationem Deo displicere, & illius reuerentiam vehementer ipsi placere. Id ipsum etiam patet ex historia *Gen. 20.* & ex *Num. 5.*

Propositio. Dicemus de conjugio, & de miraculo Christi.

De I. Tria hic proponuntur de conjugio. 1. Ipsius dignitas. Nã Christus honorauit coniugium sua præsentia & primo suo miraculo. Huc etiam pertinent ista argumenta: author, Deus: locus, paradisus: tempus, quo est institutum, videl. ante lapsum: conseruatio eius in arca Noe: mandatum Dei præc. 5. & 7. apologia coniugii à Christo *Matth 19.* institutæ: defensio & custodia eius per angelos. *Gen. 34.* prohibitio scortationis: encomium vxoris apud Salomonem: mysterium cõiugii mystici inter Christum & ecclesiam. 2. Ipsius calamitas. Ecce vinum deficit in his nuptiis! Eadé est sors omnium piorum coniugum. 3. Officium coniugum. Hoc in eo vertitur, vt coniugum habeant pro officina & academia omnium virtutum, idque hoc modo, Oportet vt Christo suas necessitates exponant, alii pro aliis orent, tentationem cum Maria tolerent, patienter expectent horam auxilii Dei, faciant id quod Christus iubet. Ita ipsorum tristitia vertetur in lætitiam, & aqua in vinum.

De II.

De II. Miraculi præstantia colligitur ex vacuitate hydriarũ, cõuersione aquæ in vinũ, encomio & proba architriclini, & fine miraculi. Hic obserua Christum suam gloriam voluisse primo manifestare per creationem, quẽadmodum Deus in principio fecit. *Gen.* 1. & hoc primo miraculo inter alia docuisse, se esse veram illam vitem, quę proferat vinum amoris & gaudij.

Conclusio Petatur ex *Psal.* 128.

Alia dispositio.

In hoc textu proponuntur nobis sex specula. 1. Speculum dignitatis cõjugij in nuptijs. 2. Speculum crucis in defectu vini. 3. Speculum charitatis in Maria. 4. Speculum tentationis in duro responso Christi. 5. Speculum fidei & constantiæ in Maria. 6. Speculum glorię Christi, illius videl. potentiæ, benedictionis, consilij & auxilij.

Johan. 2.

Vers. 18. Signum à Deo licet petere extra casum diffidentiæ, & quando est necessarium.

Vers. 19. Corpus Christi est templum, Salomonis templo antitypum, quod extructum est à Spiritu sancto, in quo habitat Deus σωματικῶς, quod est destructum à Judæis propter peccata nostra, & ab ipso Christo reparatum, vt nos in illo, tanquã templo justitiæ, quietem inueniamus, & in eo atq; per illud sacrificemus Deo sacrificia labiorum & vitæ nostræ.

Vers. 23. 24. Hypocritæ credunt in nomen Christi, h.e. ore præ se hoc ferunt. Sed Christus se non credit illis: quia nouit cor ipsorum. Eodem modo prudentia Christiana requirit, ne hypocritis facile credamus nos & nostra.

Johan. 3. *v.* 1. 16.

Exordium. Prisci ecclesiæ doctores ex hoc textu docuerunt mysterium sacrosanctæ Trinitatis: de quo nonnisi ex verbo Dei nobis est disserendum, idq; per Christum in carne patefactum. Sicut enim Israelitis non licebat contrectare arcam fœderis, & similia, quæ inuoluenda erant velo *Num.* 24. vnde 50070. sunt cæsi, cum arcam fœderis introspexissent 1. *Sam.* 6. ita nos non possumus hoc mysterium considerare aut intelligere nisi in Christo, & in scriptura, quæ ipsa tamen adeo est profunda, vt non possimus ipsam satis inuestigare, quemadmodum aquæ illæ *Ezech.* 47. non habebant fundum. *Dominica Trinitatis.*

Propositio. Disseremus. 1. De SS. Trinitate. 2. De regeneratione.

De I. Consideretur necessitas hujus doctrinæ, ipsa doctrina, & ejus vsus. *Necessitas* inde patet, quia hæc doctrina est summus fidei articulus, & fons salutis. Fieri enim non potest, vt saluetur, qui hoc mysterium

non

non tenet. *Doctrina* absoluitur duobus capitibus. 1. quod sint tres personæ SS Trinitatis. Colligantur argumenta tum ex hoc textu, tum ex alijs V.& N.T. locis. 2. quod hæ personæ sint æquales, & distinctæ. *Vsus* est. 1. Confirmatio fidei, spei & charitatis: vt solam religionem Christianam pro vera habeamus, optimam spem de tribus his personis concipiamus, summoque illas amore complectamur, cum nihil nõ faciant ad nostram salutem promouendam. 2. Hic habemus fundamentum inuocationis nostræ. 3. Emendatio vitæ. Nam quia scimus SS. Trinitatem velle habitare in nobis, oportet vt conformemur Trinitati, colendo vnitatem Spiritus, & trinitatem istam, fidem videl. spem & charitatem, in ista vnitate retinendo.

De II. Christus hoc in loco quatuor capita proponit de regeneratione, quæ sunt. 1. Necessitas: *Nisi quis natus fuerit è supernis.* 2. Modus regenerationis: *v. 5. & seqq.* Nimirum ita fit spiritualis hæc natiuitas. Spiritus S. modo incomprehensibili nos mundat à peccatis ad instar aquæ, & nobis inspirat nouam vitam, qua in re est similis vento. 3. Origo: *Nemo ascēdit in cœlum* q.d. Quicunque vult in cœlum ascendere, oportet vt prius è cœlo descēdat, h.e. inde renouetur vt fiat noua creatura in Christo. 4. Medium regenerationis: *Sicut Moses exaltauit serpentem.* Vnicum hic est medium, vera fides, quæ intuetur Christum crucifixum.

Conclusio. Recitetur *Psal. 67.*

Alia dispositio.

Differemus. 1. de cognitione Dei. 2. de modo perueniendi ad Deum.

De I. Hic duo sunt explicanda. 1. vnde petenda sit salutaris illa cognitio Dei: videl. ex solo ipsius verbo, ita tamen vt maneat discrimen inter τὸ γνωστὸν καὶ ἀκαταλήπτον τοῦ θεοῦ. 2. quid de Deo sit tenendum: videl. quod sit vnus in essentia, & trinus in personis.

De II. Si velimus communionem habere cum SS. Trinitate, oportet vt regeneremur: vbi obserua 1. cur necessaria sit regeneratio. 2. vnde habeat suam originem, & quomodo fiat. 3. qui sint ejus fructus & γνωρίσματα. Conclude hoc simili: Quemadmodum sol per radios suos illustrat & fouet hæc inferiora: ita Deus irradiat intellectum & cor nostrum, vt ipsum videamus & amemus; qua in re consistit regeneratio.

Johan. 3.

Vers. 2. Multi sunt Nicodemitæ, qui non audent ad Christum venire nocte.

Ibid. Gradus doctrinæ non sunt prohibiti, si conferantur citra abusum & superstitionem. Ita Christus subinde vocatur *Rabbi*, quod erat nomen supremi gradus doctoræ apud Judæos.

Vers.

Vers.3. Regeneratio est noua creatio seu generatio, quæ fit verbo Dei & Spiritu. Hic instituatur collatio inter regenerationem & creationem, itemq; inter regenerationem & generationem.

Vers.5. Regeneratio fit per Spiritum Sanctum, qui est aqua fœcunda munda, mundans, & refocillans.

Vers.9. Triplex est *Quomodo:* Ignorantiæ simplicis, Ignorantiæ affectatæ & diffidentiæ, denq; Explorationis.

Vers.11 Quod scimus, id demum proloqui debemus, non vero id, quod non scimus.

Vers.12. Oculi nostri caligant, tanquam oculi nycticoracis, in rebus terrenis, vbi formas rerum ignoramus. In cœlestibus vero sumus talpæ, h.e. caremus oculis, ac proinde neque formas rerum cœlestium, neque vsum intelligimus.

Vers.13. Filius hominis loquens in terra cum Nicodemo juxta humanitatem, descenderat de cœlo, & erat de cœlo, juxta deitatem. Itaque hæc prædicatio est ex ijs quæ dicuntur κατ' ἄμφω.

Johan.3.v.16.

Hoc dictum describit fundamentum salutis, videl. amorem Patris, meritum Filij, & applicationem Spiritus Sancti. *In festo Pentecostes.*

Alia dispositio.

Hic describitur fons salutis nostræ: videl. fons amoris in Patre, fons gratiæ in merito Filij, fons consolationis in applicatione Spiritus S. Quicunque nostrum sitit, accedat ad hunc fontem, indeque gratis hauriat, suo quisq; vase, riuosq; charitatis sinat largiter fluere in proximi sui hortos & agros.

Alia dispositio.

Exordium. Lilium dicitur regina florum. Vnde Christus *Matth.6.* ornatum lilij præfert amictui Salomonis. Tale lilium, pentecostale habemus in his verbis. Nos inde suganus mel instar apicularum.

Propositio. Considerabimus 1. odorē hujus floris, 2. colorem, 3. saporē.

De I. Odor ejus confortat cor, & est amor Dei: *Sic Deus dilexit mundū.* Hic inter se confer amorem creationis, redemtionis & sanctificationis.

De II. Color hujus floris est purpureus Jesu Christi sanguis: *Vt filium suum vnigenitum daret:* & nitida manus fidei, *Vt omnis qui credit in eum.*

De III. Fructus hujus floris est vita æterna: *Non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Conclusio. Sumatur ex *Psal. 103.*

Alia dispositionis.

Exordium. Quemadmodum *Cantic.* 5. describitur effigies Christi: sic in hoc compendiolo euangelij describitur amabilis facies, & patrium cor Dei nostri.

Propositio. Considerabimus. 1. Excellentes amoris Dei, quo nos prosequitur, proprietates. 2. Medium, per quod hujus amoris simus participes. 3. Fructus hujus amoris.

De I. Amor iste est 1. Exuberans, *Ita dilexit.* 2. Consolans, *Deus dilexit.* 3. Abundans in omnes, *Dilexit mundum.* 4. Communicans, *Vt daret Filium suum vnigenitum.*

De II. Medium hic est vnicum, vera fides.

De III. Fructus est vita æterna. Fieri enim non potest, vt pereat ille, quem Deus Pater dilgit, quem Filius redemit, cui Spiritus S. Christum applicat.

Conclusio. Hoc dictum aureis characteribus inscribamus cordi nostro.

Alia dispositio.

Describatur latitudo, longitudo, profunditas & altitudo amoris Dei, qui dilexit mundum, siue late, siue restricte mundus intelligatur, & Filium suum vnigenitum dedit mundo, vt nonnisi credentes in Filium velit seruare.

Johan. 3. v. 19. 22.

Euangelium est currus ille *Ezech.* 1. quẽ dirigunt oculi Domini, & cuius rotas impellit Spiritus Dei. Hoc curru vehitur Christus, & instar lucis illabitur in corda nostra. Talis currus est in his verbis, vbi cõtinetur probatio seu examen fidei. Nimirum vera fides diligit lucem, h. e. Christum, & odit tenebras, id est, opera mala, puta incredulitatem, odium proximi, furtum, scortationem &c.

De I. Fides cognoscit Christum, venit ad Christum, & adhæret Christo. Vnde autem scimus, quod ad hanc lucem venerimus? Resp. *Qui operam dat veritati, venit ad lucem.*

De II. Opera mala sunt tenebræ, quia sunt plena confusionis, & contristant hominem, quomodo videmus tenebras parere confusionem, & incutere horrorem.

Johan. 3.

Vers. 14. Ostendatur, quomodo Christus sit antitypus ænei serpentis: & quo sensu Christus, quo sensu diabolus appelletur serpens. Pertinet huc regula Rabbinorum; *Per quæ Deus vulnerat, per illa & sanat.* Sic Deus permisit serpentem vulnerare hominem protoplastum, & per serpentem restituit ipsi sanitatem. Tale quid etiam accidit in deserto *Num.*

21. Sic

21. Sic Deus ex fœmina, Maria, voluit nasci salutem, quæ per Euam erat amissa.

Vers. 29. Christus est sponsus, ecclesia sponsa.

Vers. 33. Fides est sigillum, quo obsignamus, Deum veracem esse, ac proinde illo solo confidimus.

Iohan. 4.

Vers. 2. 3. Christus baptizauit, & non baptizauit. *Baptizauit*, partim mediate per discipulos, partim interne, ratum faciendo baptismum externum Spiritu suo. *Non baptizauit*, administrando hoc sacramentum.

Vers. 21. Cultus ceremonialis sublatus est aduentu Messiæ.

Vers. 22 Extra verbum Dei omnes cultus disciplicent Deo, & sunt idololatrici.

Vers. 23. 24. Deus cum sit Spiritus, spiritu & veritate, h.e. fide & cordis sincero affectu debet adorari.

Vers. 44. Visitatum est in mundo cacoethes, quod Christus exprimit hoc prouerbio: *Propheta non habet gratiam in patria.*

Iohan. 4. v. 46. ad finem.

Exordium. Historia illa 2. *Reg.* 4. in plurimis partibus conuenit cum hac ipsa: si videl. spectes φιλοστοργίαν parentum, naturam & luctam fidei & denique ipsum miraculum. *Dominica XXI post Trinitatis.*

Propositio Considerabimus duo colloquia, quæ hic describuntur.

De I. Primum colloquium est reguli cum Christo, vbi occurrunt tres proprietates fidei: videl. venire ad Christum tempore calamitatis, luctari cum carne & sanguine, deniq; vincere omnem difficultatem.

De II. Secundum colloquium est reguli cum seruis suis, vbi occurrit fidelitas seruorum, fidei sagacitas & ingeniosa ratiocinatio *v.* 53. & deniq; fidei fœcunditas, *Credidit ipse, ac tota eius domus.*

Conclusio. Recitetur *Psalmus* 77.

Aliæ dispositiones.

I. Describitur hoc in loco fides incipiens siue lactans, proficiens siue luctans, & triumphans siue eluctans.

II. Agitur hic de fidei officina, quæ est crux: schola, quæ est verbum Dei seu colloquium cum Deo: & deniq; triumpho seu victoria.

III. Hic textus est speculum veræ fidei, & illius proprietatum, hoc modo. 1. Origo fidei est verbum Dei. *Hic cum audisset.* 2. Proba siue Lydius lapis fidei est crux: *Cuius filius infirmabatur.* 3. Fides quærit Christum: *Abiit ad eum.* 4. Fides non est sine precatione: *Ro-*

gauit eum. 5. Fides sub initium est infirma: *Rogauit eum*; *vt descenderet.* 6. Fides nititur verbo Dei, non vero signis & rebus visibilibus: *Nisi signa & prodigia videritis.* 7. Fides instat apud Deum: *Domine descende.* 8. Fides nititur verbo Dei: *Credidit homo sermoni.* 9. Fides inquirit in sensum verbi Dei: *Percontatus est ergo.* 10. Fides conuertit alios: *Credidit ipse, ac domus eius tota.*

IV. Indicabimus quomodo fides incipiat, teneatur seu probetur, & denique triumphet.

V. Salutares censentur medicinæ, quæ morbum tollunt, & simul confortant corporis vires. Ita crux tollit morbum incredulitatis, & confortat fidem. Eius rei exemplum habemus in hoc regulo, cujus fides describitur quantum ad initium, luctam & victoriam.

Johan. 5.

Vers. 4. Aqua illa est figura Christi, qui est aqua vitæ.

Vers. 17. Prouidentia Dei semper est in actu, instar horologij automati.

Johan. 5. v. 24.

Confer cum Rom. 8. v. 1. 13. & Apoc. 21. v. 8. & deinceps.

Concio funebris. Disseremus de triplici vita & morte, videl. naturali, spirituali, & æterna.

De I. Vita naturalis est, dum anima ineſt corpori. Datur à Deo. Est igitur recte traducenda & custodienda, ne illam perfundemus: quia Deus hoc ægre fert, quomodo videmus figulum indignari, si videat suam vrnam ab alio frangi, quam ipse pro libitu frangere potest. Petenda & expetenda est hæc vita propter tres causas: videlicet propter Deum, vt ipsum magis cognoscamus, & impensius colamus: propter proximum, vt illi tum in ecclesia, tum in politia seruiamus: propter domesticos, vt ijs magis prospicere queamus de honesta & pia vita. Mors naturalis est separatio animæ à corpore. Immittitur à Deo. Illam auertimur naturaliter: quatenus est destructio naturæ. A Christi morte est, quod ista mors sit transitus in vitam æternam.

De II. Vita spiritualis consistit in vita animæ, & morte carnis, qua fit vt crucifigamus veterem hominem, & viuificemus nouum, præbendo membra nostra arma justitiæ & non injustitiæ, ita vt oculi videant non turpia & temporalia, sed honesta & æterna: vt cor cogitet, non fraudes, impuritatem &c. Vita carnis hos profert fructus, malam conscientiam, iram Dei, desperationem, æternam condemnationem. Vita animæ promouetur per prædicationem verbi & vsurpationem sacramentorum, item per mortem quotidianam crucis & calamitatum. Porro vita animæ est mors carnis, & vita carnis est mors animæ.

De III.

De III. Vita æterna est gloria & gaudium animæ & corporis: mors æterna est ignominia & dolor animæ & corporis.

Johan. 5.

Vers. 24. Omnes homines venient in judicium discretionis, siue separationis, quo Christus judex discernet oues ab hircis, & triticum à Zizanijs. In judicium absolutionis venient soli credentes: in judicium damnationis, soli reprobi.

Vers. 39. Hoc dictum Christi potest accipi sensu & imperatiuo, & indicatiuo. Sed prior sententia est communis, & magis emphatica.

Johan. 6. v. 1. 14.

Confer cum Matth. 14. Marc. 6. Luc. 9.

Exordium. Sicut bonus architectus bonum ponit fundamentum: ita Christus, architectus Ecclesiæ, seipsum collocauit fundamentum domus suæ spiritualis, adeoque fidem nostram fundat in seipso. Id autem confirmauit variis miraculis, quæ Christus subinde iterauit, quia sciuit fidem nostram esse infirmam, adeoque imitatus est præceptores fideles, qui solent ista subinde inculcare discipulis suis, quibus eruditio ipsorum ceu fundamento inniti debet. *Dominica Latare.*

Propositio. Vera fidei praxis in hoc miraculo continetur, quantum ad illius antecedentia, modum miraculi, & consequentia.

De I. In antecedentibus continetur excitatio & confirmatio fidei: vbi sunt ista, populi fiducia *v. 2.* Dei prouidentia. *Quum ergo sustulisset oculos:* Christi misericordia, *Et conspexisset turbam multam:* Fidei exploratio, *Tentans eum:* Christi sapientia, *Ipse enim sciebat:* Carnalis supputatio, *v. 7. 8. 9.* Carnali isti supputationi opponenda est suppuratio fidei.

De II. In miraculo Christi continetur praxis siue exercitatio fidei: vbi est 1. Obedientia populi, adeoque supputatio, non rationis & carnis, sed fidei & spiritus. 2. Benedictio Christi: vbi mirabile est, quod vnum granum in infinitum est auctum. Confer hoc miraculum cum illis V. T. vbi Israelitæ in deserto cibati sunt manna & coturnicibus, & Elias cibatus est à coruo, & Elisæus auxit oleum viduæ Sareptanæ, & Samaritanorum angustia tempore famis fuit à Deo sublata. *2. Reg. 6. & 7.* 3. Populi saturitas, quæ non à cibo externo, sed à verbo & virtute Dei fuit profecta. 4. Profusionis prohibitio.

De III. In consequentibus miraculi proponitur confessio fidei. *v. 14.* & ipsius infirmitas *v. 15.*

Conclusio. Recitetur *Psalmus 65.*

Alia dispositio.

Exordium. Elisæus miraculosè cibauit centum homines viginti panibus hordeaceis. 2. *Reg.* 4. At vero Christus singulis panibus cibat singula hominum millia. Vnde hæc Dominica vocatur Lætare ex *Psal.* 34 & 111.

Propositio. Dicemus. 1. Quomodo Christus nobis sit quærendus. 2. Quomodo hoc miraculum debeamus considerare.

De I. Oportet Christum sequi. 1. Constanter: *Post hæc abijt Iesus.* 2. Feruide: *Subsequebatur turba multa.* 3. Ex vera fide: *Quia videbãt ejus signa.* Quæramus itaque Christum, vt cibum, medicum, regem, nostri amatorem, &c. & quæramus ipsum corde famelico & sitibundo.

De II. Non oportet omnipotentiam Christi metiri judicio carnis, quia multiplex est humanæ rationis cœcitas, prudentiæ carnalis vanitas, & diffidentiæ nostræ absurditas, vt colligere est ex *v.* 9. sed oculus fidei est adhibendus. Nam fides. 1. Obedit Deo, vt videmus in populo. 2. Inuocat Deum, vt videmus in Christo. 3. Impetrat à Deo benedictionem. 4. Paret Christo in asseruandis Dei donis. 5. Confitetur Christum.

Conclusio. Petatur ex *Psal.* 104. *vel* 146.

Alia dispositio.

Exordium. Inter alia Christi nomina etiam hoc est, quod appellatur Mirabilis. Ejus rei documentum inter alia est patratio miraculorum, quæ fecit propter nominis Dei gloriam, fidei nostræ confirmationem, & hominum vtilitatem: quæ tria in quouis miraculo Christi occurrunt.

Propositio. Duo docebimus. 1. Ante omnia quærendum esse cibum animæ. 2. Cibum corporis legitime esse parandum.

De I. Historia multitudinis hominum ad Christum concurrentium est speculum multitudinis electorum, qui quærunt Christum, tanquam panem illum vitæ, qui è cœlo descendit. Hic duo tenenda. 1. Cur hic cibus ante omnia quærendus: videlicet propter nostram famem, & cibi præstantiam. 2. Quomodo sit quærendus: videlicet ita, vt famem & sitim nostram agnoscamus, & ore fidei Christum comedamus.

De II. Oportet vitare infidelitatem & diffidentiam, & è contrario adhibere quinque media, per quæ Deus benedicit nostro pani. *Primum* est precatio, vt docemur exemplo Christi. *Secundum* est obedientia erga Deum, adeoque diligentia in officio. Nam populus paret Christo, & discipuli faciunt officium suum. *Tertium* est misericordia & sympathia erga famelicos & egenos. Nam puerulus, qui habuit quinque panes, gratificatus est Christo, & discipuli distribuerunt populo. *Quartum* est, parsimonia. *v.* 13. *Quintum* est celebratio nominis Dei. *v.* 14.

Conclusio. Recita illud ex *Psal.* 104. *Oculi omnium in te sperant, &c.* *Iohan.* 6.

Johan.6.v.35.

Exordium. Deus in prima creatione hominem duabus naturis plane diuersis constare voluit, anima videlicet spirituali atque immortali & corpore mortali. Quoniam igitur homo est compositus ex duabus substantijs, cœlesti & terrestri, oportet vt duplici quoque sustentetur cibo.

Propositio. Ostendemus 1. Quis sit panis vitæ. 2. Quid operetur. 3. Quomodo manducetur.

De I. Christus est panis vitæ, quatenus ipsius caro pro nobis est immolata. Crux est clibanus, in quo coctus est hic panis, adhibito igne intensissimi amoris.

De II. Hic panis operatur vitam, eamque internam in hac vita, & æternam post hanc vitam. Quin igitur accurrimus, & hunc panem nobis comparamus, vt famem spiritualem profligemus.

De III. Oportet venire ad hunc panem, adeoque deserere escam mundi & diaboli: & deinde illum comedere, id quod fit per veram & viuam fidem.

Conclusio. Hîc habemus verum manna, quod omni melle est dulcius.

Johan.6.v.35. ad finem.

I. Concio Christi de pane vitæ, pertinet ad S. Eucharistiam, & non pertinet. *Pertinet*, ratione promissionis & gratiæ, quam in vltima Cœna Christus postmodum vestiuit ritu sacramentali Eucharistico, & obsignauit, de spirituali participatione carnis & sanguinis sui, ejusque salutari fructu. *Non pertinet* eo, ratione ceremoniæ, seu ritus externi, quem Christus multo post instituit. II. Venire ad Christum, est in Christum credere. III. Nemo potest venire ad Christum, nisi qui ei est à patre datus, id est, in Christo electus, quique à Patre trahitur, hoc est, fide & conuersione donatur. Est vero is tractus Patris non violenta coactio, nec moralis tantum persuasio, sed efficax gratiæ motio, qua Pater, foris quidem per verbum, intus vero per Spiritum suum, modo ineffabili, mentes nostras cœcas illuminat, corda dura emollit, auersa conuertit, voluntates refractarias ad se inclinat, & nolentes facit volentes, vt sponte audiant & discant à Patre, & ad CHRISTVM veniant. In summa: Pater nos mortuos trahit, postquam vitam spiritualem nobis inspirauit: trahit, inquam, nos funibus amoris. Hæc doctrina, vt non excusat pertinaciam incredulorum, qui nec trahuntur, nec trahi volunt: ita medetur scandalo, ne cœcitate multitudinis offendamur, bonitatem vero Patris, nos præ alijs trahẽtis, prædicemus. IV. Qui venit ad Christũ, vereq; in eum credit, non ejicitur foras, sed ita fruitur Christo, vt nunquã esuriat.

V. Chri-

V. Christus est panis vitæ seu viuificus, tum ratione deitatis, qua descendit de cœlo, non motu locali, sed incarnationis dispensatione: tum ratione carnis, quam dedit pro mundi vita. VI. Carnem Christi edere, & sanguinem ejus bibere, non est corporaliter, more Capernaitico, ore ista participare, (quoniam caro Christi hoc modo non prodest quidquam,) sed est credere, Christum carnem suam pro nobis tradidisse, & sanguinem suum pro nobis fudisse, in remissionem peccatorum, & hac fide spiritualiter in Christo manere, Christumque in se manentem, & per eum vitam æternam habere. Ex his patet, totum salutis negotium in hoc capite, tanquam in lucidissimo speculo nobis ob oculos poni, hoc modo. Nos natura sumus *miseri*, vtpote extra Christum, famelici, sitibundi, separati à Deo. *Liberamur ex ista miseria* per Christum: non libero arbitrio ad ipsum perducti, sed gratia Patris eo tracti, non crinibus, sed funibus amoris. Postquam venimus ad Christum, vera fide manducamus illum ceu panem vitæ: & in illo manemus vsque ad finem, ita vt intra nos percipiamus gaudium ineffabile, & tum intra tum extra nos regamur ipsius Spiritu, qui facit vt feramus fructus fidei, adeoque nostram *gratitudinem* contestemur per bona opera.

Johan. 7.

Vers. 1. Pericula & insidias hostium declinare licet, cum deseritur vocatio, ne tentetur Deus: & cum non peccatur in proximum, qui vel offenditur, vel per fide deseritur.

Vers. 5. Prudentia spiritualis requirit, vt cogitemus de tempore commodo & opportuno, quo aliquid recte fieri potest.

Vers. 12. Tralatitium est in mundo, bonos judicari bonos & malos: bonos à bonis, malis à malis.

Vers. 17. Scripturæ sacræ & doctrinæ Christi diuinam authoritatem nemo potest in se cognoscere, nisi qui eam credit. Qui vero credit, fide non minus cognoscit eam esse diuinam, quam qui mel gustat, sensu percipit, illud esse dulce.

Vers. 39. Spiritus Sanctus ante glorificationem Messiæ nondum erat, metaleptice intelligendo, non de hypostasi Spiritus Sancti æterna, sed de effectis copiose super Ecclesiam effusis in Pentecoste. Quæ miraculosa & copiosa donorum Spiritus Sancti effusio, singulari Dei consilio reseruata erat manifestandæ gloriæ Messiæ in cœlis exaltati.

Johan. 8.

Vers. 8. 11. Christus adulteram non condemnauit, non quod ex lege Dei non esset condemnabilis, sed quod insidiosæ Judæorum actioni seruire

uire nollet, ipsorum vero, quos ijsdem vel grauioribus sceleribus obnoxios non ignorabat, hypocrisin perstringere vellet.

Vers.7. Magistratus, & omnes qui alijs præ sunt, debent esse ciuiliter ἀνεγκλήτους, h.e. immunes à criminibus, quæ in alijs ex officio damnant & puniunt.

Vers. 15. Christus non judicat quenquam, secundum carnem, prout judicabant Judæi: nec judicat solus, sine præuio judicio Patris. Alias Pater dedit omne judicium Filio *Joh.5.v.20.* quia per Filium gubernat totum mundum & Ecclesiam, quemadmodum & illum & hanc per filium creauit & fundauit.

Vers.36. Libertas amplissima & verissima Christianorum, est immunitas à peccato & morte, à Christo fidelibus suis parta tanquam præstantissimum κειμήλιον.

Vers.56. Abraham Christi diem, seu præsentiam in carne, cupiuit videre corporaliter, oculis corporis; vidit vero spiritualiter, oculis fidei, eaque visione saluatus est.

Joh.8.v.46 ad finem.

Exordium. Conuitia, quibus Judæi prosciderunt personam & officium Christi non solum à prophetis fuerunt prædicta, vt *Psal.69.* sed etiam in Dauide *2.Sam.15.16.* præfigurata. *Dominica Iudica.*

Propositio. Scopus totius disputationis est, quod Christus sit verus Messias: id quod quinque argumentis demonstratur.

Tractatio. I. Primum argumentum est ab innocentia Christi: *Quis ex vobis arguit me de peccato!* Christus itaque est sanctificatio nostra. II. Secundum argumentum est à veritate doctrinæ: *Si vero veritatem dico.* Christus itaque est noster doctor, cui debemus credere. III. Tertium argumentum est à missione, vocatione & officio Messiæ: *Dæmonium non habeo: Honore patrem meum: Non quæro gloriam meam, est qui quærat;* IV. Quartum argumentum est ab efficacia doctrinæ: *Si quis sermonem meum seruauerit.* V. Quintum argumentum est à deitate Messiæ: vbi explicetur, quomodo Abraham viderit diem Christi.

Conclusio. Recitetur *Psalmus 27.vel 43.*

Alia dispositio.

Christus tribus argumentis demonstrat, se verum esse Messiam. Primum est à sanctitate vitæ: secundum à veritate doctrinæ, cujus efficaciæ est *vers.51.* Finis. *v.54.* Tertium à deitate, quam Christus probat inde, quod sit Filius Dei: *v.54.* quod Abraham hoc testetur. *v.56.* quod sit æternus. *v.58.* Denique quod exiuerit è templo transiens per medium eorum. *v.59.*

Alia dispositio.

Exordium. Hic textus est speculum & commentarius illius dicti *Gen.3.*

Inimicitias ponã inter te, &c. Describitur enim immanis & atrox calũnia, qua Judæi Christum affecerũt, adeoq; inhumanum judicium de homine sanctissimo, vnde hæc Dominica habet nomenclaturam suam Judica. Hujusmodi inimicitia viguit inter pios & impios indeab origine mundi. Nam Cain Abelem occidit, Isaacum ludicatur Ismael Jacobum persequitur Esau, Joseph venditur à fratribus, populus Israel Mosen nunc lapidare cogitat, nũc rebellione contristat, Josuam conãtur Israelitæ lapidare. Quæ omnia fuerũt typus Messiæ, cujus tota vita fuit cõtinua & perpetua passio.

Propositio. Considerabimus dialogismum Christi & Judæorum, in quo sunt quatuor actus.

Tractatio. I. Christus ait, se in vita esse sanctum, in doctrina veracem. Judæi criminantur, ipsum habere dæmonium. II. Christus respondet, se non habere dæmonium, sed, &c. Judęi respondẽt nũc cognouimus, &c. III. Christus respondet, si ego glorifico, &c. Judæi regerunt *vers. 57.* IV. Christus ait, Amen dico, &c. Judæi tollunt lapides. *Vsus.* Depingitur hic natura Christi, quantum ad vitam, doctrinam & personam: natura Christianorum *v. 51.* & natura hostium Christi.

Conclusio. Hoc Euangelium non minima est pars passionum Christi. Vbi hoc est memorabile, quod Deus maledictionem impiorum conuertit in purã putam benedictionẽ, vt ex hoc textu collato cũ *Num. 22.* videre est.

Johan 9.

Vers. 2. 3. Afflictionum humanarum causa, communis quidem, est peccatum. Speciales vero sunt variæ. 1. Castigatio lapsuum, etiã in sanctis. 2. Exercitatio fidei, spei, charitatis & patientiæ piorum. 3. Martyrium. 4. Conformatio membrorum cum capite Christo. 5. Testimonium futuri judicij. 6. Gloriæ Dei manifestatio.

Vers. 27. Cœcus iste est speculum constantis confessoris Christi.

Vers. 28. Pharisæi committunt turpem elenchum oppositorum dum faciunt antithesin inter discipulos Mosis & Christi. Quemadmodum enim Moses & Christus non currunt aduersarijs frontibus, sed mutuas dextras sibi inuicem porrigunt: ita & discipuli illorum συνέχουσι.

Vers. 31. Deus non exaudit peccatores impœnitentes, exaudit vero pœnitentes.

Vers. 38. Christus homo adoratur in vnitate personæ. Atque hoc est ἐξαίρετον, soli Christo mediatori proprium.

Vers. 39. Christus aliter jurisdictionem suam exercet, quam solent falsi doctores. Nam quos illi pro cœcis habent, Christus donat luce, istos autem, qui se solos oculatissimos putant, in profundissimas ignorantiæ tenebras demergit, occulto judicio. Nam Euangelij prædicatione quosuis, tenebrarum suarum sibi conscios, vere illustrat: eos vero, qui sibi videntur oculati,

oculati, penitus excœcat, quomodo videmus solem excœcare illos, qui acumine oculorum confisi, illum intueri conantur.

Joh. 10. v. 1. 11.

Exordium. Hic textus est speculum pastorum Ecclesiæ.

Propositio. Dissremus de vocatione pastorum Ecclesiæ, benedictione hujus vocationis, & fructu boni pastoris.

De I. Vocatio est illegitima, si quis non intret per januam: vel legitima, si quis intret per januam, quæ est Christus, h. e. si vocetur ad docendum Christum, tanquam fundamentum salutis. Id enim fecerunt omnes prophetæ & Apostoli

De II. Benedictio hujus vocationis est multiplex. 1. Janitor ipsi aperit, illuminando ipsius intellectum. 2. Oues audiunt ipsius vocem. 3. Ille nominatim compellat & vocat oues suas. 4. Deducit oues in pascua Christi. 5. Oues norunt ipsius vocem.

De III. Fructus est gloria Dei, & salus hominum æterna.

Conclusio recitetur ex *Psal. 68.*

Alia dispositio.

Hic describuntur quatuor characteres pastorum animæ. 1. Introire per januam. 2. Admitti à janitore. 3. Vocare oues nominatim. 4. Præire ouibus, & illas ducere. *Alia dispositio.*

Dicemus. 1. De janua. 2. De janitore. 3. De proprietatibus boni pastoris & ouium.

De I. Christus est janua ratione doctrinæ, sacrificij, exauditionis precum, & crucis.

De II. Spiritus S. est janitor ratione fidei, regenerationis, orationis, gubernationis & donorum. Ille siquidem aperit, claudit, obsignat, custodit, & neminem peregrinum admittit.

De III. Proprietates veri pastoris sunt. 1. Intrat per januam, h. e. per Christum. 2. Vocat oues nominatim, h. e. infirmos consolatur, rudes instituit, &c. 3. Præit ouib. in doctrina sc. & vita. 4. Ducit illos ad pascua legis & Euangelij. Proprietates ouis bonæ sunt. 1. Nosse vocem pastoris sui. 2. Sequi pastorem. *Joh. 10.*

Vers. 8. Ante Christum venire, non est Christum tempore antecedere, sed authoritate, h. e. extra vel cõtra Christum sẽ doctorẽ Ecclesiæ ingerere. Nõ itaq; Prophetæ V. T. sed pseudoprophetæ & pseudoapostoli atq; seductores vtriusq; testamenti, tanquã latrones animarũ à Christo arguuntur.

Vers. 12. Mercenarij sunt, non qui mercede Ecclesiæ fideliter seruiunt: sed qui Ecclesiæ ministeria mercede æstimant, h. e. pp mercedem seruiunt.

Johan. 10. v. 11. 17.

Exordium. Hic textus est amabile prorsus & jucundum Euangelium, *Dominica Misericordias*

in quo Christus amorem suum nobis depingit sub boni pastoris imagine. Atque hoc præfiguratum est in sanctis Patriarchis & prophetis, qui fuerunt pastores: vti sunt Jacob, Moses, Dauid, &c.

Propositio. Christus tribus argumentis & beneficijs demonstrat se esse verum pastorem.

Tractatio. Primum argumentum est: *Bonus pastor ponit animam suam pro ouibus.* Describatur hic necessitas, perfectio & efficacia mortis Christi. Secundum argumentum est: Quia nouit oues suas, notitia scilicet practica, quæ consistit in cognitione, affectu amoris, & effectu curæ atque defensionis. Nimirum Christus quærit oues perditas: reducit errantes: morbidas sanat & reficit: robustas custodit: famelicas pascit: conspurcatas lauat. Tertium argumentum & beneficium est vocatio gentium: *Alias etiam oues habeo.*

Conclusio. Recitetur *Psalmus 80.*

Alia dispositio.

Exordium. Christus se nobis repræsentauit tanquam victorem & principem die primo Paschæ: tanquam doctorem & amatorem hominum secundo die Paschæ: ante octiduum tanquam regem, instituendo ministerium. Hoc die se repræsentat vt fidum pastorem. Vere itaq; hoc Euangelium est speculum amoris Christi, cujus officium pastorale præfiguratum est *Exod. 3.* vbi Moses pascens gregem soceri sui vocatur à Deo ad munus pastorale omnium augustissimum, vt nempe suo pedo oues Israelis eriperet è faucibus truculenti istius lupi Pharaonis.

Propositio. Dicemus. 1. De amabili officio Christi. 2. De notis ouicularum Christi.

De I. Officium Christi nobis exhibetur in boni pastoris imagine atq; pictura, sunt autem quatuor proprietates boni pastoris. 1. Oues errantes reuocare in viam 2. Ponere vitam pro ouibus. 3. Nosse oues omnes & singulas. 4. Notum esse ouibus.

De II. Quatuor etiam sunt proprietates ouium Christi. 1. Agnoscere suam imbecillitatem. 2. Audire vocem pastoris. 3. Nosse pastorem, notitia sc. affectiua, h. e. complecti affectu amoris. 4. Sequi pastorem suum.

Conclusio sumatur ex *Psal. 100.*

Alia dispositio.

Christus varijs imaginib. ꝓpositis nostræ infirmitati voluit succurrere; vt melius intelligeremꝰ mysteria, eaq; altius infigeremus cordi, & penitius ipsorum praxin disceremus. Huc spectat imago pastoris & ouis in hoc textu. Nos de posteriori dicemus, & septẽ proprietates atq; priuilegia ouium Christi enarrabimꝰ. 1. Oues Christi audiunt ipsiꝰ vocẽ. 2. Christus illas nouit. 3. Oues Christi sequuntur ipsum in doctrina, vita, & cruce. 4. Oues Christi

nunquam

nunquam pereunt. 5. Christus ipsis dat vitam æternam. 6. Nemo potest illas rapere de manu Christi. 7. Oues Christi student vnitati & concordiæ.

Alia dispositio.

Exordium. Deus φιλανθρωπίαν suam inter alia etiam ita testatam fecit, vt variis imaginibus illam veluti depinxerit: è quibus tres sunt illustriores. Prima est imago patris. *Psal.* 103. secunda matris *Esa. 66. & 49.* tertia pastoris.

Propositio. Dicemus 1. De magno pastore animarum nostrarum, ejusq; officio & beneficijs. 2. De veris ouibus hujus pastoris.

De I. Duo sunt beneficia hujus nostri ἀρχιποιμένος, acquirere oues, & illas curare. Nam ponit animam suam pro illis, & ipsas noscit, h. e. pro suo pec l'o agnoscit. Huc pertinet antithesis mercenarij.

De II. Proprietates ouium Christi sunt. 1. Studere simplicitati. Nam ouis est animal simplicissimum. 2. Nosse & sequi vocem pastoris. 3. Delectari pascuis & aqua verbi Dei. 4. Delectari sale, h. e. concione legis. 5. Studere mansuetudini & patientiæ. 6. In maxima varietate colere vnitatem. Varietas cernitur in eo: quod in vno eodemque grege sunt oues sanæ, ægræ, vulneratæ, delassatæ &c. 7. Fugere lupum. 8. Redire ad pastorem, si exerrauerint, & vocem ejus audierint.

Conclusio. Recitetur *Psalmus* 23.

Alia dispositio.

Explicentur quatuor istæ picturæ seu specula. 1. Bonus pastor, ejusque virtutes. 2. Mercenarius, seu malus pastor, eiusque infidelitas. 3. Lupus, ejusque crudelitas. 4. Ouis, eiusque vtilitas. *Pastor bonus* amat suas oues, quærit illas, pascit, defendit, congregat & deducit illas domum, denique separat ab hœdis. *Mercenarius* quærit suum commodum, & fugit tempore persecutionis. *Lupus* dissipat & dilaniat oues, idque partim dolo, partim vi. *Oues* sunt patientes, mansuetæ, & ditant pastorem lacte ac lana.

Johan. 10.

Vers. 16. Electi ante vocationem dicuntur oues Christi, secundum prædestinationem, fiunt vero & actualiter sunt oues Christi, post vocationē, fidem & conuersionem: licet natura sint lupi & vrsi.

Vers. 14. 27. 28. Notæ characteristicæ ouium Christi sunt fides perseuerans, & fructus fidei.

Vers. 31. 32. 33. Christus & Pater vnum sunt, non solum vnitate voluntatis seu consensus, & potentiæ, sed etiam essentiæ.

Johan. 11.

Exordium. Quoties Deus ſingulare aliquid in mundo efficere voluit, præmiſit ſigna memorabilia, quibus hominum ſocordiam excitauit. Sic ante diluuium excitauit Noachum, & juſſit magnam arcam ædificari: antequam excideret Sodomum & Gomorrham, miſit angelos: exitum ex Ægypto ſignificauit per varia miracula: promulgationem legis præceſſit tempeſtas horribilis: captiuitatem Babylonicam præceſſerunt varia prophetarum miracula: natiuitatem Chriſti præceſſit mutatio Romani imperij & natiuitas Johannis Baptiſtæ. Sic mortem & reſurrectionem Chriſti præceſſit excitatio Lazari, qua Chriſtus populum Judaicum voluit docere, ſe verum eſſe Meſſiam, & ſimul ipſis ob oculos ponere ſpeculum & imaginem reſurrectionis ſuæ, quod ſit dominus vitæ & mortis. Eſt autem hoc miraculum Chriſti vnum ex præcipuis, ac proinde dignum, quod pleniſſime explicetur.

Propoſitio. Abſoluitur autem tota hæc hiſtoria tribus partibus: videlicet præparatorijs ad miraculum, miraculo, & conſequentibus miraculi.

De I. Hic occurrunt iſta. 1. Morbus Lazari; qui eſt ſpeculum miſeriæ noſtræ. 2. Legatio ſororis Lazari ad Chriſtum; vnde diſcimus, officij noſtri eſſe, in calamitatibus confugere ad vnum Chriſtum per fidem, preces & patientiam. 3. Reſponſio Chriſti; in qua eſt conſolatio aduerſus morbum, quod nempe omnis morbus immittatur pro Dei gloria. 4. Dilatio Chriſti; ex qua diſcimus, Deum habere hoc in more poſitum, vt ſubinde differat ſuum auxilium. 5. Dialogiſmus Chriſti cum diſcipulis: vbi eſt conſolatio aduerſus mortem, quæ hoc in loco vocatur ſomnus. 6. Aduentus Chriſti: vbi obſerua, Deum ad nos venire, quando jam eſt conclamatum. 7. Dialogiſmus Chriſti cum Martha & Maria: vbi occurrit locus communis de reſurrectione mortuorum, & de beneficij Chriſti, quod ſit reſurrectio & vita. Nam quemadmodum ſol eſt gaudium & vita rerum ſublunarium: ita Chriſtus omnium credentium 8. Turbatio & lachrymæ Chriſti.

De II. Chriſtus clamauit voce magna; quo ipſo voluit nos docere 1. ſe eſſe verbum Dei, per quod omnia ſint creata. 2. verbum ſuum eſſe viuificum. 3. ſe etiam cum mortuis loqui poſſe, non aliter atque cum viuis. 4. ſe in nouiſſimo judicio poſſe excitare omnes homines voce ſua. Deinde Lazarus prodijt. Tertio Jeſus juſſit eum ſoluere.

De III. Finis miraculorum Chriſti eſt fides noſtra, vt in ipſum credamus.

Alia diſpoſitio.

Conſiderabimus perſonas in hac hiſtoria. 1. In Lazaro habemus exem-

exemplum mortalitatis noſtræ. 2. In Maria habemus exemplum charitatis & pietatis. 3. In Martha habemus exemplum fidei. 4. In Chriſto videmus. 1. Veram amicitiam etiam poſt mortem durare. 2. Ipſum ſæpe differre ſuum auxilium. 3. Ipſum delectari fide noſtra. 4. Illum eſſe reſurrectionem & vitam, hoc eſt, cauſam & fontem reſurrectionis noſtræ. 5. Illum non poſſe ferre incredulitatem. 6. Ipſum eſſe Deum omnipotentem. Tractetur hic ille locus, Quomodo Chriſtus ſit reſurrectio & vita? Nimirum hoc modo. 1. Q. Chriſtus eſt verus Deus, adeoque vera vita, quæ non poteſt mori. Hinc qui Chriſtum in ſe habet per veram fidem, is vitam habet in ſe, ac proinde non poteſt æternum mori. 2. Q. nos ſumus membra Chriſti tanquam capitis. Quare ſi caput reſurrexit & viuit, vtique membra etiam reſurgere & viuere eſt neceſſe. 3. Q. Chriſtus in electis ſuis habitat ſpiritu ſuo viuifico, qui præſeruat animas noſtras à morte non aliter atque balſamo corpora præſeruantur à putredine. 4. Q. reſurrectio Chriſti non eſt inanis. Hinc vt in Adamo primo omnes moriuntur, ſic in ſecundo omnes viuificantur. 5. Q. carne & ſanguine Chriſti cibamur ad vitam æternam. 6. Q. Chriſtus eſt rex æternus. 7. Q. veritas, juſtitia & miſericordia Dei hoc poſtulat. 8. Q. regnum gratiæ non eſt infra regnum naturæ, in quo videmus granum mortuum in terra proferre fructum pulcherrimum. Huc refer illa: In ouo latet pullus, in ſilice ignis & aqua, ex cinere fit vitrum, ex aqua & terra fit adamas & rubinus &c. Concluſionis loco recitetur ſimilitudo Cypriani: Quemadmodum piſcator vncum ſuum æs occultat vermiculo, quem ſi piſcis deglutiat, præſentiſſimam ſibi mortem conſciſcit ipſe: ita Chriſtus victurus mortem, occuluit deitatem ſuam hamo naturæ humanæ, quæ facta eſt inſtar vermiculi in paſſione, atque ita mors deglutiendo iſtum vermiculum mortua eſt ipſa. Similiter mors aggreditur noſtra corpora, in quibus latet Chriſtus & ipſius Spiritus viuificus.

Johan. 11.

Verſ. 2. Pii pariter obnoxij ſunt morbis & morti cum impijs, propter reliquias peccati.

Verſ. 4. Cum pijs peccata, ex quibus morbi & mors originem traxerunt, ſint remiſſa in Chriſto, morbi & mors eorum proprie non ſunt peccatorum pœnæ (quia non ſunt ſatisfactiones) ſed παιδεία, vt his ferulis caſtigentur, & vt in illis patefiat gloria Dei.

Verſ. 6.

Vers.6. Christus est mirabilis medicus. Nam nuntio accepto de Lazari morbo, expectat donec moriatur, vt illustrius exhibeat diuinæ suæ potentiæ authoramentum.

Vers.11. Mors piorum est somnus: quia requiescunt à laboribus suis: & tam facile ex morte, quam ex somno, à Deo suscitabimur.

Vers.24. Resurrectio mortuorum à piis in ecclesia semper fuit credita: estque fundamentum consolationis Christianæ aduersus terrificam mortis imaginem.

Vers.35.36. Luctus moderatus pro mortuis non dedecet Christianos, tanquam Christianæ dilectionis & συμπαθείας symbolum.

Johan. 12.

Vers.6. Judas fuit malus quæstor & thesaurarius, quia fur erat, & thesaurum cœlestem inferiori loco habebat quam terrestrem.

Vers.7. Opus vnctionis placuit Christo, tanquam signum dilectionis ardentissimæ, & symbolum vnctionis mysticæ, quæ prohibuit à corpore Christi putredinem in sepulchro; denique tanquam signum vnctionis illius, qua nos debemus vngere Christum lachrymis pœnitentiæ.

Vers.39. Etsi Judæi non poterant credere propter iustam Dei excœcationem: tamen culpa minime vacabant, ob voluntariam obstinatiam, quę tanta erat, vt ad credendum, nullis nec concionibus, nec miraculis Christi permoueri suopte vitio vellent aut possent.

Joh.12. v.24.25.26.

Duo hic sunt tenenda. 1. quomodo Christus sit granum tritici. 2. quomodo nos oporteat assimilari Christo, vt fiamus granum tritici, quod Deo placeat.

De I. Quemadmodum corpus mortale sustentatur pane corruptibili: sic oportet vt anima nostra sustentetur pane incorruptibili, qui est Jesus Christus. Hic obserua, quomodo Christus sit panis vitæ, & quibus. Principio Christus est granum tritici, quod non fert fructum, nisi proiiciatur in terram, h.e. nisi patiatur & sepeliatur. Deinde Christus est panis vitæ electis suis. In his enim, seu in corde ipsorum, asseruatur, ibique germinat & fructificat, ita vt fructus illi perdurent in vitam æternam.

De II. Si velimus similes fieri huic præstantissimo tritico, Jesu Christo, necesse est vt proiiciamur in agrum crucis. Ideo Christus tres regulas nobis præscribit, quę hanc ad rem faciunt. 1. Oportet vt vitam propriam odio habeamus, h.e. propriæ voluntati & affectibus prauis resistamus. Hic instituatur antithesis inter voluntatem Christi & hominis carnalis. 2. Oportet Christum sequi in doctrina, vita & cruce. 3. Oportet Christo ministrare, & præmium huius rei à Deo expectare, veram nempe gloriam, qua Deus afficit electos suos. *Joh.13.*

Iohan. 13.

Verſ.1. Dilectio Chriſti erga ſuos electos durat vſque in finem: & quia finem non habet, æterna eſt. Hinc electorum fides, perſeuerantia & ſalus, eſt in tuto, non ipſorum virtute, ſed Chriſti dilectione.

Verſ.15. Lotio pedum à Chriſto peracta fuit myſtica & paradigmatica. *Myſtica*, quoniam eo ritu ablutio peccatorum ſignificabatur. *Paradigmatica* ſiue exemplaris, quoniam iſto ritu, orientalibus tum vſitato, mutuam dilectionem & humilitatem ſuis diſcipulis commendauit & præcepit. Fruſtra igitur eſt πεδιλαία Papæ, qui quotannis die viridium, quem vocant, ſingulari pompa duodecim cardinalibus pedes abluere ſolet.

Verſ.27. Sicut Judas ſponte quidem, ſed ſimul impulſore diabolo, ita fere impij, ſua ſcelera, à diabolo ſuggeſta, exequentes, conſilium Dei, ſuis ingratijs, perficiunt, ad eccleſiæ ſalutem.

Verſ.35. Dilectio mutua eſt propria diſcipulorum Chriſti affectio & nota.

Iohan. 14. v.1.14.

Hic textus eſt pars concionis valedictoriæ, quam Chriſtus habuit ad diſcipulos. Complectitur autem quinq; argumenta & fundamenta conſolationis Chriſtianæ, hoc ordine. 1. *Ne turbetur cor veſtrum.* 2. *Creditis in Deum, & in me credite.* 3. *In domo Patris mei ſunt multæ manſiones.* 4. *Abeo vobis paraturus locum.* 5. *Iterum veniam & aſſumam vos.* Hæc conſolatio confirmatur quatuor argumentis. 1. *Ego ſum via.* 2. *Qui me videt, videt Patrem.* 3. *Qui in me credit, hæc opera faciet, & maiora his faciet.* 4. *Quidquid petieritis in nomine meo, vobis dabit.*

Alia diſpoſitio.

Deſcribitur hoc loco catena euangelica, cujus ſunt ſex annuli. 1. Ne turbator cor veſtrum: quia ego ſum Deus veſter. 2. Si mundus vobis denegat hoſpitium, in domo patris mei habebitis manſionem. 3. Has manſiones ego vobis parabo per mortem meam. 4. Etſi abeo moriturus, redibo tamen ad vos, vt vos aſſumam. 5. Ne autem incidatis in deuia, ecce ego ſum via. Ne fallamini, ecce ego ſum veritas. Ne moriamini, ecce ego ſum vita. 6. Qui me videt, videt Patrem. 7. Petite igitur libere, vt patet glorificetur per Filium.

Alia diſpoſitio.

In his verbis 1. cõtinetur ſolida conſolatio Chriſtianorum, cujus argumenta ſunt quinque. 1. Vox Chriſti, *Ne turbetur cor veſtrum.* 2. Majeſtas Chriſti, *creditis in Deum, & in me credite.* 3. *In domo Patris mei ſunt multæ manſiones.* 4. *Abeo paraturus vobis locum.* 5. *Redibo & vos aſſumam.*

II. Via ad ſalutem, quæ eſt Chriſtus: vbi occurrit ſcala ad vitam æternam, conſtans ſeptem gradibus qui ſunt verbum Dei, *Neſcimus*, ſcil. extra verbum Dei: fides, *Ego ſum via*: charitas, *ſi cognouiſſetis*, ſcil. notitia practica: confeſſio, *Dicit ei Philippus*: afflictio, *Tanto tempore vobiſcum ſum*: patientia, *Quomodo tu dicis*: ſpes, *Quod ego in Patre ſum*: gloria, *Vt Pater glorificetur*.

Johan. 14. v. 2.

Æterna felicitas ſanctorum varijs nominibus in ſcriptura depingitur: vti ſunt regnum, ciuitas, domus, & ſimilia. In his verbis confertur cū domo propter has, vt arbitror, cauſas. 1. *Paterfamilias*, qui gubernat domum ſuam monarchice, eſt Deus. 2. *Domeſtici* ſunt filij Dei, qui ſunt hæredes ab æterno ſcripti. 3. *Amplitudo & pulchritudo* hujus domus eſt longe maxima. Nam capit omnes electos, & tota eſt ex auro & lapide pretioſo. 4. *Manſiones* hic ſunt ſplendidiſſimæ. Nam triclinium, in quo cibum capimus, eſt Chriſtus: cubile, in quo ſomnum capimus, eſt omnimoda requies ſanctorum; aula, in qua omnis generis actiones exercebimus videndo, amando & laudando Deum, eſt actus ille immobilis animæ, qui nunquam deficiet. 5. *Porta*, per quam intramus in ampliſſimam illam domum, eſt anguſta, videl. Jeſus Chriſtus. Quatuor ſunt partes iſtius portæ, fides, ſpes, charitas & humilitas. Fides eſt ſuperliminare, ſpes & charitas ſunt duo latera, humilitas eſt limen. Quatuor iſtæ partes ſunt admodum anguſtæ: quia pauci ſunt, qui præditi ſunt fide, ſpe, charitate & humilitate. Nam fides captiuam ducit rationem, ſpes amorem hujus mundi, charitas odium Dei & proximi, humilitas ſuperbiam, quæ ſunt iſta idola mundi.

Johan. 14.

Verſ. 12. Qui credit in Chriſtum, poteſt illius virtute majora facere, quam ille fecit: non edendo miracula, ſed conuertendo homines. Ita videmus apoſtolos, prædicando Chriſtum, ſubegiſſe mundum, quod Chriſtus non fecit, in Judæa docens. Cur vero non fecit? Quia nondum erat tempus.

Verſ. 26. Chriſtus eſt Aduocatus, intercedendo pro nobis: Spiritus ſanctus eſt Aduocatus, conſolando nos, & docendo.

Verſ. 27. Pax Chriſti eſt faſciculus omnium bonorum ſpiritualium, ſicut pax corporalis eſt faſciculus omnium bonorum corporalium juxta illud poetæ

——Pax optima rerum,
Quas homini nouiſſe datum; pax vna triumphis
Innumeris potior——

Verſ. 28.

Vers. 28. Pater est major Christo, non essentia, potentia, vel honoris excellentia: sed tum originis ratione, quia suam hypostasin habet à Patre, & agit à Patre: tum ratione humanæ naturæ: tum denique ratione officij, quod gerit.

Johan. 14. v. 23. ad finem.

Exordium. Missio Spiritus S. est inter cardinalia Dei beneficia. Ejus festum in præsentia celebramus. *In festo Pentecostes.*

Propositio. Indicabimus, quodnam debeat esse gaudium pentecostale Christianorum.

Tractatio. Gaudium & fructus Pentecostes cernitur hic septulex. 1. Amor erga Deum: *Qui me diligit.* 2. Amor & observatio verbi Dei: *Sermonem meum servabit.* 3. Amor Dei erga nos: *Pater meus illum diliget.* 4. Visitatio & inhabitatio SS. Trinitatis in homine: *Veniemus ad illum, & mansionem faciemus in eo.* 5. Institutio profecta à Spiritu Sancto: *Spiritus S. vos docebit.* 6. Pax: *Pacem relinquo vobis.* 7. Victoria in Christo: Ecce *venit princeps huius mundi, sed in me non habet quidquam.* Ad singula membra ostendatur, quomodo sint materia & copiæ cornu gaudij vere pentecostalis.

Conclusio. Hæ sunt proprietates hujus festi; hic Lydius lapis eorum, qui habent Spiritum S.

Alia dispositio.

Exordium. Ignis ille, qui *Levit. 9.* accendit sacrificium, jussuq; Dei asservatus fuit, vt illius vlus esset in reliquis sacrificiis accendendis, fuit typus Spiritus Sancti, qui est flamma amoris, prodiens ex corde Christi, & diligentissime debet asseruari in corde nostro, quemadmodum & ipse Christus. Nam Christus est imago Patris, quam dat filiis suis, & Spiritus S. est arrha, quam dat sponsæ suæ. Imitemur itaque homines, qui effigiem principis sibi donatam, & arrham solent quam enixissime custodire.

Propositio. Dicemus. 1. De ornatu pentecostali, qui splendore suo superat adamantem. 2. De pretioso clinodio, quod pendet ab illo ornatu.

De I. Non est majus ornamentum in cœlo & in terra, quam à Deo diligi. Perfecit autem Deus hunc amorem in opere creationis, redemtionis & sanctificationis. In creatione ornatus hominis est imago Dei, in redemtione purpura sanguinis Christi tegens peccata nostra, in redemtione justitia niuea Spiritus Sancti, quæ consistit in eo, vt Deum diligamus, & ipsius verbum seruemus. Ita enim fit, vt tota SS. Trinitas ad nos veniat, & nos supra quam cogitari potest ornet.

De II. Clinodium pendens ab hoc ornatu est fides, per quam participes simus tanti ornatus: & vita æterna, quæ sequitur ornatum hujus vitæ, & est ornatus hominum consecratorum in cœlis.

Conclusio. Recitetur *Psal.* 8. & 45.

Alia dispositio.

Postquam tabernaculum erat absolutum *Exod.* 20. & omnia ornamenta ibi reposita, puta propitiatorium, mensa aurea, aureum altare & candelabrum, habitus Pontificialis, oleum, & similia: nubes operuit illud, & gloria Domini ibi habitauit. Ita postquam cœleste illud tabernaculum, Jesus Christus, fuit absolutum & consummatum per incarnationem, prædicationem, passionem, resurrectionem & ascensionem, adeoque factus est nostrum propitiatorium, nostra mensa, nostra lux, nostra vestis &c. Spiritus S. descendit primo die Pentecostes N. T. & repleuit domum, vbi apostoli fuerunt coacti. Quod est symbolum vnionis nostræ cum Deo, seu gratiosæ inhabitationis Dei, de qua videbimus, quomodo fiat, & quomodo cognoscatur.

De I. Tres sunt testes inhabitationis Dei in nobis: incarnatio Christi, missio Spiritus S. & duo sacramenta noui testamenti. Hac vice agemus de missione Spiritus S. qui ex nobis facit templa totius Trinitatis, idque per aquam & ignem, h.e. per fidem in Christum, qui est aqua vitæ, & per ignem charitatis.

De II. Tria sunt γνωρίσματα huius inhabitationis. 1. Audire & seruare verbum Dei. 2. Diligere Deum. 3. Sentire pacem conscientiæ, quam Christus nobis annuntiat & dat.

Iohan. 15.

Vers. 2. Palmitum alij vere, alij tantum apparenter Christo sunt insiti. Illi vera fide & Spiritu regenerationis Christo insiti ferunt fructum, nec vnquam excidunt: hi externa professione sunt insiti Christo non ferentes fructum bonum, & proinde abijciuntur.

Vers. 16. Hoc vno versiculo Christus conjungit electionem, vocationem, justificationem, regenerationem & perseuerantiam: & tamen requirit preces, vt illa beneficia habeamus & retineamus. Causa igitur prima non tollit media. Nec certitudo salutis ex sensu electionis per fidem in nobis enascens, reddit fideles carnaliter securos, neq; excutit, sed accendit studium precum & perseuerantiæ.

Iohan. 15. v. 17. 26.

Hic sextus complectitur consolationem & veluti panaceam aduersus odium & persecutionem mundi. Propositio hæc est: Diligite hos inuicem,

eem, neque curate odium mundi, sed omnem difficultatem charitate mea superate. Argumenta confirmantia sunt numero sex. 1. Quia mundus me quoq; odio habuit & persecutus est. Oportet igitur vt mihi fiatis conformes. 2. Q non estis de mundo, ille vos odit. Hic duæ lineæ prorsus contrariæ cernuntur, vna Christi, altera mundi. 3. Quia sumus serui Dei. Hic duum generum domini & serui proponuntur. 4. Quia persecutionem patimur propter nomen Christi, quod illum habeamus pro summo nostro bono. 5. Quia mundus neque Christum, neque Patrem ejus novit. 6. Quia odit nos immerito. Sumus enim innocentes.

Johan. 15.

Vers. 22. Ignorantia affectata, sive sit juris, sive facti, non excusat in foro soli, multo minus in foro poli.

Vers. 26. Spiritus Sanctus testatur de Christo externe, & interne. Externe per verbum & sacramenta: interne per alloquium institutionis & consolationis.

Vers. 27. Officium pastorum frugi consistit in eo, vt Christo perhibeant testimonium. Testimonij istius norma est Scriptura Sacra, quæ est testis omni exceptione major. Porro omnes & singuli electi, quisque suo loco, debent testari de Christo, propagando ipsius gloriam ἐκ τοῦ Λογου: Diligenter autem & enixe oportet allaborare, ne testimonium istud sit falsum.

Johan. 15. v. 26. 27. &c. & cap. 16. v. 1. 5.

Exordium. Cum primum Deus Messiam promisit, vniversum genus humanum in duas ciuitates est diuisum; in ciuitatem videlicet Dei & Diaboli. In illa sunt filij promissionis, in hac filij contumaciæ. Hi perpetuo illos prosequuntur odio, varijsque afficiunt injurijs. Nihilominus tamen filij promissionis superiores euadunt, idque beneficio fidei, quæ est res inuicta. Typos hujus rei habemus in V. T. plurimos, nominatim victoriam, quam reportauit Abraham de regibus illis, qui Lothum exuerant bonis suis. Abraham ex isto prælio redux confortatus fuit à Melchisedeco, qui panem & vinum ipsi obtulit. Abraham est typus Ecclesiæ militantis, Melchisedec Christi, qui est perfectus cibus animæ nostræ, quem nobis porrigit in prædicatione verbi per Spiritum S. *Dominica Exaudi.*

Propositio. Ostendemus. 1. Quam præstans donum sit Spiritus San. 2. Quam variæ sint persecutiones piorum.

De I. Spiritus Sanctus ratione personæ est verus Deus, *Quem ego mittam vobis à Patre:* Ratione officij est Aduocatus seu consolator; Spiritus siue veritatis, seu doctor, quinos docet externe & interne. Testis deniq; de Christi persona, officio, & beneficijs. O donum donorum maximum.

De II. Persecutiones piorum reuocantur ad duas classes. Nam aliæ inferuntur ab Ecclesiasticis, quæ veniunt nomine banni Ecclesiastici: aliæ inferuntur à tyrannis secularibus; quo pertinent decem illæ famosæ persecutiones sub Imperatoribus ethnicis.

Conclusio. Recitemus *Psalmum 4.* Exaudi me, &c. Quæ est nomenclatura hujus Dominicæ.

Alia dispositio.

Exordium. Christus in hoc textu nobis promittit Spiritum S. oleum illud lætitiæ, verumq; aduocatum, qui nos consolatur in omni afflictione: quod fuit præfiguratum in arca Noe per columbam, quæ attulit folium oliuæ, & hoc signo erexit Noachum.

Propositio. Dicemus. 1. De officio Spiritus Sancti. 2. De persecutionibus Ecclesiæ.

De I. Spiritus S. est vnicus & verus consolator, certissimus doctor veritatis, & testis Christi fidissimus.

De II. Tria hic sunt tenenda. 1. Christianus non debet offendi persecutionibus Ecclesiæ: quia Christus nobis illas prædixit. *v. 1. & 4.* 2. Persecutiones Christianorum sunt variæ: nominatim banni seu anathematis fulmen, & mors corporis, quo pertinent carceres, exilia, conuitia, & similia. Percurre breuiter persecutiones Ecclesiæ in V. & N. T. 3. Causæ persecutionum sunt variæ. Hic exprimitur illa, quæ est in impijs, videlicet ipsorum cæcitas. *v. 3. Et hæc facient vobis, quia non nouerunt patrem, neque me.* Hoc est, quod propheta dicit: Propter te occidimur.

Conclusio. Sumatur ex *Psal. 46. & 61.*

Iohan. 16. v. 5. 16.

Dominica Cantate.

Exordium. Exploratores terræ Canaan botrum exinde deportarunt ad filios Israel, vt facerent fidem bonitatis terræ *Num. 13.* Inter illos autem legatos princeps legationis fuit Iosua. In hac historia habemus typum Christi, cœlestis Iosuæ, qui ex terra Canaan, id est ex cœlo, nobis mittit dulcissimum botrum, id est, Spiritum Sanctum. Hic botrus crescit in ligno ipsius sanguine, & nos confortat juxta & exhilarat in æstu hujus mundi. Botrus iste portatur à duobus viris, id est à veteri & nouo Testamento. Adeo scil. magnus est hic botrus. Deinde ijdem attulerunt malogranata, quæ confortant cor, & similiter vt botrus figurant efficaciam Spiritus S. Idem judicium est de ficubus, quas attulerunt. Sicut enim ficus imposita vulneri aut vlceri, extrahit venenum, quemadmodum in historia Hiskiæ videre est: ita Spiritus S. per sanguinem Christi, vulneribus animæ nostræ impositum, extrahit venenum peccati. Magna profecto hæc sunt beneficia Dei: quorum recordatio in corde nostro excitare debet verum illud *Cantate*; quæ est nomenclatura hujus Dominicæ ex *Psal. 98.*

Propositio.

Propositio. Duæ sunt partes. 1. Quomodo Christus abitum suum ad Patrem adhibuerit loco consolationis, qui erat discipulis materia tristitiæ. 2. De officio Spiritus Sancti.

De I. Consolatio, quam haurire debemus ex abitu Christi, consistit in quatuor membris 1. Sicut crux Christi, ejusque resurrectio & ascensio est abitus ad Patrem: ita quoque per crucem nostram venimus & abimus ad Patrem. 2. Consideratio loci: *Quo vadis*: scilicet in locum glorificationis. 3. Christus novit tristitiam cordis nostri: *Tristitia impleuit cor vestrum.* 4. Vtilitas: *Congruit vobis, vt ego abeam.*

De II. Officium Spiritus S. consistit in quatuor partibus. 1. Arguit incredulitatem. 2. Prædicat justitiam Christi, confundendo totius mundi vanam gloriationem & jactantiam. 3. Annuntiat judicium, quo princeps hujus mundi accepit sententiam condemnationis. 4. Glorificat Christum, annuntiando ipsius incarnationem, passionem, resurrectionem, &c.

Conclusio. Recitetur *Psalmus 96. vel 98.*

Alia dispositio.

Exordium. Quemadmodum pius & prudens paterfamilias, dum sentit horam mortis suæ imminere, filios suos ad se accersit, illosque partim hortatur, partim solatur: ita & Christus hoc in loco facit. Quæ verba Christi majus procul dubio habent pondus, quam vltima verba Jacobi, Mosis, Eliæ ad Elisæum, & Dauidis, qui largissimam benedictionem precati sunt ijs, quos allocuti sunt.

Propositio. Duo tractabimus: videlicet officium Spiritus S. redargutium & consolatorium.

De I. Spiritus S. arguit mundum propter incredulitatem, falsam justitiam, & falsum judicium, quod cernitur in calumnijs & persecutionibus, quibus obnoxij sunt pij. Hic instituatur antithesis fidei, veræ justitiæ & veri judicij.

De II. Spiritus S. cordibus nostris instillat cœlestem consolationem instar roris: Christum, solem illum justitiæ, glorificat in cordibus nostris: denique nos introducit in omnem veritatem.

Conclusio. Homo in hac vita est templum aut Spiritus Sancti, aut Spiritus mali. Nos oremus Deum, vt simus templa Spiritus Sancti.

Alia dispositio.

Exordium. Memorabilis est historia de zelo Eliæ 2. *Reg.* 1. vtpote qui regem Ahasiam & ejus duces partim dictis, partim factis terruit. Historia ista est exemplum & speculum concionum legalium, quas dictat Spiritus S.

Propositio. Duo hic occurrunt. 1. Concio consolatoria aduersus scandalum crucis. 2. Officium Spiritus Sancti.

De I.

De I. Consolatio est quadruplex. 1. Christus est missus à Deo, vt nempe sit noster doctor, sacerdos & Rex. 2. Abit ad Patrem per passionem, resurrectionem & ascensionem. Ita & nos cum ipso abimus ad Patrem. 3. Debemus Christum interrogare & consulere in cruce nostra. 4. Nobis bonum est, quod Christus abit ad Patrem: quia nobis mittit Spiritum consolationis.

De II. Officium Spiritus S. consistit in arguendo, & consolando. Arguit enim mundum de peccato, & de justitia, & de judicio. Consolatur autem nos, docendo ea quæ ignoramus, & glorificando Christum in cordibus nostris. Ex quibus omnibus videre est, Spiritus S. vnicum officium & gaudium esse, nos veluti manuducere ad Christum. Nam in omnibus partibus officij sui ad hunc veluti scopum collimat.

Conclusio. Recitetur *Psalmus 95.*

Johan. 16. v. 16. 23.

Dominica Iubilate.

Exordium. In hoc quoque textu audimus amabilia & gratiosa labia Christi, qui tanquam arbor dulcissima tollit amarorem aquæ crucis. Confer *Exod. 15.*

Propositio. Duæ hic proponuntur conciones: vna est crucis, altera lucis seu consolationis.

De I. Concio crucis absolvitur tribus partibus. Est enim crux animæ, *Non videbitis me*: est crux corporis, *Mundus gaudebit*: est crux lachrymarum, *Vos autem plorabitis.*

De II. Consolatio est posita in duobus. 1. Crux piorum non diu durat. 2. Conuertitur in lætitiam. Differatur hic de vtilitate crucis: quod videlicet sit instauratio imaginis Dei, excitatio ad pœnitentiam, exercitio fidei & omnium virtutum, proba fidelium, character Christi picturis illustriorem reddens opem quam fert Deus in medijs flammis clauis Scripturæ, & denique incentiuum per quod accenditur desiderium vitæ æternæ.

Conclusio. Recitetur *Psalmus 126.*

Alia dispositio.

Exordium. Rahel ex vno loco proficiscens in alium, & pariens filium Benoni *Gen. 35.* est typus Ecclesiæ militantis.

Propositio. Habemus hic concionem tristem & lætam, adeoq; verum γλυκύπικρον.

De I. Quinque sunt veluti gemmæ micantes in hoc sermone. 1. *Paulisper, & non conspicietis me.* Hæc est afflictio & tentatio spiritualis. 2. *Vado ad Patrem.* Hæc est temporalis afflictio. 3. *Nescimus quid loquamur.* Si quis nó intelligat suam miseriam, maxima censetur miseria. 4. *Flebitis & plorabitis.* 5. *Mundus gaudebit.* Valde dolet, si videamus alios exultare propter nostram miseriam.

De II.

De II. Hic similiter sunt quinque flosculi. *1. Rursum paulisper, & videbitis me. 2 Vado ad Patrem.* Hic abitus discipulis videbatur maxima calamitas, cum sit maxima consolatio. 3. Christus respondet discipulis antequam illi interrogent. Ita Deus anticipat preces nostras in calamitatibus. *4. Vestra tristitia vertetur in gaudium.* Tristitia est veluti materia prima omnis gaudij. 5. Quintus flosculus consolatorius est in similitudine illa: *Mulier, cum parit, dolorem habet,* &c.

Conclusio. Recitetur *Psalmus 13. vel 66. vel 70.*

Alia dispositio.

Exordium. Quod maxima tristitia subito converti possit in maximam lætitiam, interalia docet historia *Exod. 14.* vbi Israelitæ subito liberantur à furore Pharaonis.

Propositio. Dicemus. 1. Quid mitiget crucem hominis Christiani. 2. Quomodo ille in media cruce possit & debet exaltare.

De I. Quinque sunt, quæ mitigant & leniunt nobis crucem. 1. Prædictio crucis: *Paulisper, & non videbitis me.* 2. Quia crux nostra est migratio ad Patrem. Est enim via & porta illa, per quam ad vitam æternam itur. 3. Ignorantiæ nostræ informatio. 4. Omniscientia Christi. Nouit ille corda nostra. 5. Christi placida responsio in cruce.

De II. Quinque etiam sunt argumenta gaudij: videlicet crucis breuitas, læta catastrophe, sinceritas gaudij in corde, æternitas istius gaudij, perfecta sapientia. Quæ omnia sunt in textu: *Paulisper: Tristitia vestra euadet in gaudium: Gaudebit cor vestrum: Gaudium vestrum nemo tollet à vobis: Illo die non interrogabitis quidquam.*

Conclusio. Quemadmodum Hagar *Gen. 21.* consolationem accepit à Domino, qui exaudiuit flerum Ismaelis: ita & nos, si in medio deserto hujus mundi inuocemus nomen Christi, sentiemus præsentissimum ipsius auxilium, atque ita cantabimus verum istud *Jubilate*, quæ est hujus Dominicæ nomenclatura.

Johan. 16. v. 5. 7. 16. 28.

Abitus Christi ex mundo ad Patrem fuit non tantum mors ejus & resurrectio: sed præcipua ascensio in cœlum. Etsi enim Pater immensitate essentiæ vbique est, & erat, & secundum hanc Pater in Filio, & Filius in Patre semper est & erat, ideoque vt Christus hoc modo ad Patrem veniret, pedem mouere opus non erat; tamen immensam suam gloriam, in quam Christus post passionem transire debuit & transijt, Pater non vbique, nec in his terris siue in hoc mundo, sed sursum, extra hunc mundum, in cœlo cœlorum, beatis angelis & hominibus adspectandam fruendumque exerit atque declarat.

Johan.16.v.23.31.

Dominica Vocem jucunditatis.

Exordium. Etsi multis & varijs calamitatibus in hoc mundo sumus obnoxij, nos qui Christo nomen dedimus: è contrario tamen plures sunt dotes, dignitates & priuilegia, quibus gaudemus; puta quod gestamus imaginem Dei, sumus templa Spiritus Sancti, & quotidie admittimur ad colloquium Dei per preces, & per hoc medium impetramus à Deo omnis generis bona, nominatim Spiritum intelligentiæ & sapientiæ, exemplo Salomonis. *1.Reg.3.*

Propositio. Docebimus. 1. Quid sit recte orare. 2. Quam amice Deus nos inuitet ad orandum.

De I. Recte orare est. 1. Cor, animam, cogitationes & totum hominem eleuare ad Deum. 2. Preces suas fundere in nomine Christi, hoc est, Deo in honorem, & ex vera fide. Hæc enim duo complectitur nomen Christi. Vbi memineris fidem conjunctam esse cum noua obedientia, tanquam vero fructu. Hinc patet preces fundandas esse in merito Christi, & exornandas fructibus bonorum operum, vt ita precatio nostra sit mentalis, vocalis, & vitalis.

De II. Quinque sunt causæ impulsiuæ. 1. Mandatum Dei. 2. Promissio Dei. 3. Meritum & intercessio Christi. 4. Auxilium Spiritus Sancti. 5. Vtilitas precum: *Petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.*

Conclusio. Oratio Dominica breui paraphrasi vestita recitetur.

Alia dispositio.

Exordium. Precatio inde ab initio mundi fuit arduum & sublime opus, proprium filiorum Dei, vt in Patriarchis, Dauide, Salomone, & ipso seruatore videre habemus.

Propositio. Docebimus. 1. Quam promte & benenole Deus preces nostras exaudire vel t. 2 Quomodo sancta Trinitas oretur à nobis, & orare nos faciat.

De I. Deus paratus est audire & exaudire preces nostras. 1. Quia hoc promittit iterato: *Amen, Amen dico vobis.* 2. Quia est Pater noster: *Quæcunque petieritis à Patre meo.* 3. Quia nomen Christi, in quo oramus, Deo Patri est accepissimum. Hoc est altare, in quo balsamum, thus & victimæ bonæ fragrantiæ debent offerri. Hæc est *Vox jucunditatis*, vnde hæc Dominica nomen habet: quæ etiam dicitur *Dominica Rogationum*, quia docet modum recte rogandi Deum. 4. Quia hoc modo gaudium nostrum sit plenum.

De II. Quia precatio nostra ferme est debilis & infirma, agite dispiciamus, quosnam habeamus patrastatas. Illi vero sunt optimi, potentissimi & sapientissimi: videlicet *amor Patris, Pater amat vos*: meritum Filij: *In nomine meo*: suspiria Spiritus Sancti, *Vos me amastis, & credidistis*, sc. acti

à Spi-

à Spiritu Sancto, qui etiam est Spiritus precum. Inuocemus itaque Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum, adjuti ab hoc sanctissimo collegio.

Conclusio. Tollamus impedimenta precationis, videlicet impœnitentiam, crudelitatem, implacabilitatem, ignorantiam, dubitationem, &c.

Alia dispositio.

Exordium. Hic textus est tintinnabulum seu campana precum, qua Filius Dei nos expergefacit ad precandum.

Propositio. Dicemus. 1. Quam amanter Christus nos inuitet ad precandum. 2. Quis ordo & modus in precando sit seruandus.

De I. Quadruplex est sonus siue vox hujus tintinnabuli. 1. Vox veritatis: *Amen dico vobis.* 2 Vox charitatis: *Quæcunq; petieritis a Patre.* 3. Vox fiduciæ: *In nomine meo.* 4. Vox gaudij: *Vt plenum sit vestrum gaudium.*

De II. Modus recte precandi est. 1. Vt precatio excitetur à Spiritu S. *Aperte de Patre meo renuntiabo*, scilicet per Spiritum Sanctum. 2. Vt fiat fiducialiter: *Petetis, & non dico me rogaturum Patrem pro vobis.* quasi dicas, Tanta erit vestra πληροφορία καὶ παῤῥησία, vt ipsi vltro sitis rogaturi Patrem. 3. Vt fiat ex amore: *Pater vos amat, quia me amastis.*

Conclusio. Quotidie clamemus Abba in cordibus nostris. Hic enim est clangor, hi litui, quibus Moses Amalekitas fudit *Exod. ca. 17.* quibus Josua muros Hierichuntis diruit. *Judic. 6.* quibus Josaphath hostes profligauit. *2. Paral. 20.* Vsque adeo verum est illud: *Arma Ecclesiæ sunt preces & lachrymæ.*

Johan. 17.

Vers. 3. Vita æterna consistit in cognitione Dei per Christum: quæ dicitur cognitio affectiua, hoc est, conjuncta cum affectu pietatis, & gaudij ineffabilis: estque posita in eo, vt Deum habeamus pro Patre propitio in secula propter piacularem Christi victimam.

Vers. 9. 19. Christus pro solis electis orauit, & se sanctificauit, hoc est, sanctam victimam Patri obtulit.

Johan. 17. per totum.

Vaticinium illud *Esa. 50. v. 4.* impletum est in Christo, cujus melliflua verba annotarunt Euangelistæ. Pertinet huc inprimis hoc caput, in quo describitur gemina Christi precatio, vna pro seipso, altera pro nobis.

De I. Hic notetur ista. 1. Gestus Christi precantis: *Sustulit oculos suos. vers. 1.* Hæc est spiritualis deuotio, qua fit vt gemitus cordis sursum ferantur, & Spiritus precum in cœlum subuolet 2. Quid Christus oret? Resp. vt glorificetur, scilicet per mortem, & manifestationem authoritatis illius, qua potest dare vitam æternam *vers. 1. 2. 5.* 3. Fundamentum petitionis:

vt nempe Filius glorificet Patrem. *vers.2.* nempe per victoriam suam de hostibus: & quia manifestum fecerat nomen Patris. *v.6.7.8.* adeoque impleuerat munus suum per illas partes, quæ debebant præcedere glorificationem.

De II. Hic nota 1. Exordium in quo Christus vniuersum mundum disparat in duas classes. *vers.9.10.11.* 2. Petitiones numero septem, è quibus prima spectat sanctificationem nominis Dei *v.11.* secunda aduentum regni Christi. *v.13.* tertia est. *v.15.* quarta respicit impletionem voluntatis Dei. *v.17.* quinta est. *v.20.21.* sexta. *v 23.* septima. *v.24.* 3. Conclusionem. *v.25.26.* Conferatur hæc secunda pars cum oratione Dominicæ. Coronidis loco attendatur triplex significatio vocis *Mundus* in hoc Euangelio. Sumitur enim generatim pro toto genere humano, & vniuersitate rerum *vers.5.* & speciatim, vel pro mundo saluandorum *vers.23.* vel pro mundo damnandorum *vers.25.* Huc pertinet illud Ambrosij, quod sit triplex mundus & vniuersitas, viuentium, credentium & pereuntium.

Johan.18.

Vers.9. Filius lle perditionis Judas, fuit Christo datus electione ad apostolatum, non vero electione ad vitam æternam. Secus non periisset.

Vers.23. Christus expostulat cum persecutoribus se, non ex impatientia, nec vindictæ priuatæ cupiditate, vel supplicij euitandi studio: sed causa testandi suam innocentiam, & refutandi criminis, quod fuisset Pontifici injurius.

Johan.19.

Vers.11. Potestas judiciaria erat Pilato superne data: sed non abusus illius potestatis.

Vers.24. Milites diuiserunt vestimenta Christi, vt impleretur Scriptura, non intentione ipsorum, sed consilio Dei. Idem judicium est de Judæis implentibus sermonem Christi, & Dei consilium, tradendo Christum gentibus. *cap præced. v.32.*

Johan.20.v.19.31.

Confer cum Luc. 24.

Dominica Quasimodo geniti.

Exordium. Elias singulari zelo clausit cœlum propter idololatriam Achabi, & illud postea recluſit, ita vt subsecuta sit fœcundissima pluuia. *1.Reg.17.& 18.* Habemus hic imaginem clauium cœli, quæ sunt partim resurrectio Christi, partim prædicatio verbi.

Propositio. Dicemus de fructibus resurrectionis Christi, & de institutione sacri ministerij.

De I.

De I. Fructus isti sunt. 1. Christus libenter & frequenter adest suis, nullumque impedimentum potest ipsum arcere. Videmus enim hic januas clausas non potuisse efficere, quo minus ille discipulis suis adesset. 2. Pax. 3. Intuitus vulnerum Christi, h.e fides. 4. Gaudium ortum ex illa visione.

De II. Institutio ministerij absoluitur tribus partibus: 1. Vnctione, seu vocatione: *Dominus afflat. eos.* 2. Missione: *Sicut Pater me misit.* 3. Instructione seu commissione: *Quibus remiseritis peccata.*

Conclusio petatur ex *Psal.* 32.

Alia dispositio.

Exordium. Magnificentia regni pacifici Salomonis 1. *Reg.* 4 fuit typus Christi, qui vere est princeps pacis.

Propositio. Duæ sunt partes. 1. Fructus resurrectionis Christi. 2. Institutio ministerij ecclesiastici.

De I. Duo sunt fructus, pax & gaudium. Pacis necessitas & vtilitas demonstretur: vtilitas, inquam, ratione inquietudinis internæ & externæ. Gaudium spirituale conferatur cum gaudio corporali, ejus videl. causis procreantibus & corrumpentibus, itemq; modo ipsius.

De II. Notetur ministerij authoritas, necessitas, modus & efficacia. *Authoritas* pendet ab instituente Christo, qui vtitur verbis & signis: *Sicut Pater me misit: Afflauit eos. Necessitas* inde patet, quod post resurrectionem Christi nihil ipsi fuit prius quam hunc currum parare, quo ipse per totum veluti mundum veheretur. *Modus* est in officio clauium, quarum vna est ligans & claudens, videl. lex: altera soluens & aperiens, puta euangelium. *Efficacia* cernitur in eo: *Quidquid ligaueritis in terra.*

Conclusio. Recitetur *Psal.* 6. & 30. simul.

Alia dispositio.

Exordium. Quemadmodum Josaphat. 2. *Chron.* 20. hostes suos fudit solo cantico seu hymno, absque armis externis: & sicut Gedeon *Judic.* 7. numerosissimum exercitum prostrauit sono tubarum & voce militum: ita Christus destructurus regnum diaboli inter gentes, armauit suos apostolos.

Propositio. Docebimus. 1. Quanam in re consistat consolatio & gaudium afflicti cordis. 2. Quibus in rebus consistat sacrum verbi ministerium.

De I. Consolationis argumenta & fundamenta sunt. 1. Christi præsentia in cruce. 2. Pax, quam adfert Christus. 3. Fides, quæ respicit vulnera manuum & laterum Christi. 4. Gaudium cordis, quod oritur ex visione Christi.

De II. Requiritur. 1. Vocatio, siue legatio. 2. Operatio & afflatus Spiritus sancti. 3. Mandatum de remittendis peccatis, adeoque de imitando Christo, quantum ad annuntiationem pacis. 3. Mandatum de retinendis peccatis.

Conclusio Recitetur ex *Esa.* 53. Quam speciosi sunt pedes &c. & populus excitetur ad pœnitentiæ studium exemplo prisci ritus, quo solebant in primitiua ecclesia eos, qui recens conuersi erant à gentilismo, & die Paschæ baptizati, hac Dominica admittere ad communionem S. cœnæ, ita vt induerentur vestimentis albis, quibus figurabant remissionem siue ablutionem peccatorum, regenerationem, & resurrectionem gloriosam, vnde nomenclatura hujus Dominicæ, Quasi modo geniti, &, Dominica in Albis.

Johan. 20.

Vers. 9. Magna est stupiditas nostra in oraculis & mysteriis scripturæ percipiendis. Facessat itaque Pelagianorum ἀγχίνοια, quæ vsque adeo peruasit homines, vt ad imitationem Hieronymi possimus dicere, *Totus orbis factus est Pelagianus.*

Vers. 17. Vnica Christianorum consolatio posita est in communione cum Christo, qua fit, vt Christi Pater sit noster Pater, & Christi Deus sit noster Deus.

Vers. 19. Christus januis clausis non vero per januas clausas est ingressus. Fuit autem ingressus miraculosus, quia nemine reserante creatura cessit creatori, vt sunt verba Hieronymi.

Johan. 20. *v.* 24. 30.

Jerem 18. docemur, nos omnes coram Deo esse instar vasis fictilis. Id in Thoma videre est: quemadmodum in Christo videmus, quomodo Deus sit figulus. Considerabimus itaq; duas personas in hoc textu: videl. incredulum Thomam, & misericordem Christum.

De I. A Thoma discamus hæc duo. 1. Infirmitatem nostram non esse dissimulandam sed exemplo omnium sanctorum libere & libēter agnoscendam. Ita enim fit, vt nos ipsos in illorum numero habeamus, in quibus diuitiæ misericordiæ Dei in Christo fiunt conspicuæ. 2. Non sequendum esse judicium carnis & sensuum, sed captiuandam esse rationem sub obsequium fidei & verbi Dei.

De II. Hic d scimus duo. 1. Quod Christus nobis monstret vulnera sua tanquam speculum consolationis, dilectionis, medicinæ, & imitationis. 2. Quod Christus post resurrectionem retinuerit cicatrices vulnerum tanquam signum amoris sui erga nos, tāquam memoriale passionis,

tanquam

tanquam signum victoriæ, tanquam monumentum ex quo ipsum possumus agnoscere, & deniq; tanquam incentiuum imitationis, vt non erubescamus vulnera eius, sed cum illo discamus pati animo forti.

Alia dispositio.

Bernhardus Canticum canticorum appellat librū amoris. Nos Christū appellamus librum amorum. Tota siquidē Christi vita fuit nil nisi amor. Inprimis autē vulnera Christi sunt signaculum amoris ejus. De his dicamus cum Bernhardo: *In vulneribus Christi requies mea.* Nā vulnera Christi sunt. 1. Sigillum amoris & cordis ejus. Nam latus Christi est apertum, vt cor ipsius possimus introspicere. 2. Chirographum amoris, scriptum sanguine ipsius. 3. Fons amoris, ex quo in nos manat summus ille fauor. 4. Speculum cordis paterni. 5. Testimonium condolentiæ Christi. Nam vulneratum est cor ipsius, vt possit nobis συμπάσχειν. 6. Magnes amoris nostri. Nam vulnera Christi exaltata supra cœlos vulnerant cor nostrum in terris, & sursum trahunt. Habemus hic amorem vulnerantem & vulneratū. 7. Cordis nostri mundificatiuum, quo sanantur vulnera animæ nostræ. 8. Amoris nostri incendium, vt proximum nostrum amemus, etiamsi nos vulneret. Hanc ob causam vulnera Christi appellantur visibiles literæ inuisibilis gratiæ Dei, abyssus gratiæ in corde Christi, balsimus cordis vulnerati, pectorale cœlestis Aharonis, & porta nouæ Hierosolymæ. Rogemus itaque Christum, vt nobis quotidie visenda præbeat vulnera sua, quemadmodum Thomæ fecit hanc gratiam.

Johan. 21. v. 16. 25.

Hic textus est speculum vocationis, qua vocamur quisq; ad suum officium & supplicium, h. ē. ad laborem & crucem.

De I. Petrus vocatur ad munus apostolicum constanter obeundum. Ita nos firmiter persuasos esse oportet, quod Deus nobis imposuerit munus & onus nostrum. Patienti ergo animo feramus molestias. Hoc faciāt magistratus, pastores, præceptores &c. Cogitent Christum ipsis ita loqui: *Sequimini me.*

De II. Petrus vocatur ad crucem. *v.* 19. Ita meminerimus, nos non vocari ad gaudium & splendorem mundanum, sed ad communionem crucis Christi.

Alia dispositio.

Habemus hic speculum officij & crucis omnium Christianorum.

De I. Officium omnium Christianorum est triplex. 1. Amare Christum, 2. Pascere oues, & sequi pastorem: idque in omnibus statibus vitæ humanæ. 3. Curare sua, non aliena. *v.* 22.

De II. Crucem oportet habere pro medio glorificationis nostri. *v.* 19.

Alia

Alia dispositio.

Tractatur hic de amore Christi, quo nos illum complectimur. Duo autem videbimus. 1. quod hic amor sit excellentissima virtus. 2. quæ sint hujus amoris notæ.

De I. Christus ter quærit ex Petro: *Num amas me:* vt doceat, excellētissimum opus esse, ipsum solido amore complecti. Et sane quid est vita æterna aliud, quam merus amor? Hic amor est typus amoris, quo Christus nos dilexit: & est thesaurus pretiosissimus, quem Spiritus S. in corde nostro asserant.

De II. Quinque sunt indicia hujus amoris. 1. audire verbum ipsius: *Pasce meos agnos.* 2. sequi Christum, & portare crucem ejus. 3. amare proximum. 4. non curare aliena. 5. testar. de Christo.

Johan. 21.

Vers. 1. Christus post resurrectionem multoties apparuit discipulis, vt illorum fidem plenissime confirmaret.

Vers. 6. Qui in nomine Christi, h. e. vera fide, projiciunt rete vocationis suæ, illorum labor non est inanis in Domino.

Vers 7. Salua lege charitatis Christianæ possumus amicitiam, siue specialem charitatem, cum quibusdam colere.

Vers. 15. 16. 17. Christus ter jubet Petrum pascere agnos & oues, h. e. Christianos lactantes & adultos, non committendo ipsi vniuersalem pastoratum & dominatum super omnes apostolos, episcopos, reges, principes & ecclesias, sed confirmando illius cor ter in fide, qui ter ejus negarat fidem ore.

Vers 25. Non omnia historica sunt relata in canonem, sed omnia dogmatica, non quantum ad molem & numerum dictorum, sed quantum ad substantiam & sufficientiam credendorum, sperandorum & faciendorum.

V.

CONCIONES IN ACTA.

Memoriale Actorum Apostolicorum. Cap. 28.

10 3 12 13 14
Ascendit Lingua, Sermo Petri, Lapis, Augmen,
3 38 20 4 34
Septem, Mox Stephanus, Pfij Mage, Saule, Petrus.
18 23 8 28 1.7.39
Gentibus, Herodes, Plymas, Janua, Lites,

Lydia,

14 11 9 19 28
Lydia, Scriptura, Visio, Flamma, Deus.
10 25 24 25 13
Agabus, Ciuis, Felix, Mox concio, Agrippa,
1 41 5
Narrat, Naufragium, Vipera nil nocuit.

Oeconomia Actorum Apostolicorum.

Acta Apostolorum continent historiam generalem omnium apostolorum & specialem Pauli.

I. Acta omnium apostolorum spectantur inter Judæos & gentes. Inter Judæos, & nominatim Hierosolymis, est præparatio & actio. Præparatio est actiua in eligendo Matthia, *c.*1. & passiua in accipiendo Spiritu sancto, *c.*2. Actio est circa apostolatum & diaconatum. Circa apostolatum tria occurrunt: Petri miraculum & sermo *c.*3. Petri & Johannis vincula, *cap.*4. & apostolorum persecutio, *ca.*5. Circa diaconatum occurrit ejus institutio, *cap.*6. *ad v.*8. & administratio Stephani & Philippi, *à v.*8. *c.* 6. *ad c.* 8. & Petri: cujus miraculum, *cap.*9. doctrina, *c.*10.11. conditio, *c.*12.

II. Acta Pauli sunt respectu quadruplicis peregrinationis. Prima instituitur cum Barnaba, *c.*13.14. Secunda suscipitur cum Sila, *cap.*15.16.17. Tertia instituitur propter Ephesios: vbi est terminus à quo, *c.*18. terminus per quem, *c.*19.20. & terminus ad quem, qui est Hierosolyma, *cap.* 21.22.23. & Cæsarea, vbi est actio Pauli coram Fleice, *cap.*24. Festo, *cap.*25. & Agrippa, *cap.*26. Quarta & vltima est Romam versus: vbi est abitus *cap.*27. reditus, *cap.*28.

Typicam siue tabellarem dispositionem Actorum apostolorum vide *lib.*2. *prac. theol. cap.*57. *pag.*110. Chronologiam *ibid. cap.*116. *pag.*491. *& seqq. item pag.*529. *& seqq. item supra in præliminari concione Bibliorum.* denique characterem & summariam considerationem *lib.*2. *præcog. theol. cap.*122. *pag.*634.

Actor. 1.

*Vers.*1. Historia euangelij continetur factis & dictis, seu operibus & doctrina Christi.

*Vers.*7. Curiositati non sunt frænalaxanda.

*Vers.*26. Sortium vsus est diuinatorius, vel politicus. Ille vel prophetic us, vel diabolicus: hic pertinet ad διπλῆν καὶ ἀπλῆν œconomicam, politicam, & scholasticam.

Act. 2. v. 1. 14.

Exordium. In historia illa 1. *Reg.*18, habemus tres typos festi Pentecostes, *Infesto Pentecostes.*

siue legis, tum veteris, tum nouæ, adeoq; & Spiritus S. 1. Quemadmodum Israelitæ congregati fuerunt in monte Carmel, vbi Deus se illis manifestauit per ignem & pluuiam: ita Hierosolymis omnis generis nationes fuerunt congregatæ. 2. Ignis qui decidit è cœlo, & accendit sacrificium Eliæ, est typus Spiritus S. qui accendit sacrificia labiorum & cordium, tum in apostolis, tũ in nobis, vt sursum ferantur. 3. Nubes adscendẽs è mari instar manus humanæ est typus Christi, qui in nube sublatus est in cœlũ, & inde largissimam & fœcundissimam hanc pluuiam, h. Spiritum S. demisit, vnde terra cordis fœcundatur, & fames spiritualis profligatur.

Propos. Expendemus sex circumstantias, quæ hic recitãtur. 1. Temporis jucunditas occurrit: *Cum complerentur dies Pentecostes*: qui nempe erant solemnes ex mandato Dei, & tum tempora peculiariter erant obseruandi ex promissione Christi. 2. Loci celebritas: *Erant Hierosolymis*, siue in Sione, vnde prodire debebat fulgor N. T. *Psal.* 50. *Esa.* 2. 3. Venti qualitas. *v.* 2. Instituatur hic collatio venti Spiritus S. 4. Linguarum conditio; *Fuerunt igneæ & diuisæ.* 5. Effectum Spiritus S. in discipulis. *v.* 4. 6. Diuersa judicia auditorum: vnde colligimus duo esse hominum genera in ecclesia.

Conclusio. Discimus hinc Spiritum S. esse verum Deum, & ejus dona esse illuminationem intellectus, ignem charitatis, & feruorem confessionis.

Alia dispositio.

Exordium. Singularis beneficii loco est habendum, quod Deus, cujus essentia est inuisibilis, hominibus electis se ita patefecit, vt nunc visus, nũc auditus fuerit in aliqua imagine. Nã Pater emisit vocẽ in baptismo Christi, & in monte Thabor: Filius Dei in carne humana versatus est inter homines: Spiritus S. nunc in specie columbæ, nunc in specie venti, ignis; & linguarum est conspectus, vt in hac historia legimus.

Propositio. Officium Spiritus S. describemus sub imagine venti, ignis & linguæ.

Tractatio. I. Ventus significat ministerium ecclesiasticum, & regenerationem. Nam Spiritus S. afflat nos & animat per verbum, sicut Deus inspirauit homini animam. *Gen.* 2. & nos denuo creat, sicut in prima creatione fœcundauit aquas *Gen.* 1. Sicut enim sine aere non possumus viuere: ita sine Spiritu S. non possumus viuere vitam spiritualem. II. Ignis notat illuminationem, purgationem, & ardorem charitatis; tria singularia beneficia Spiritus Sancti. III. Linguæ notant prædicationem verbi, per quam colligitur Ecclesia: precationem, & confessionem. Hæc omnia demonstrentur ex textu: quomodo scil. Spiritus S. fuerit efficax in apostolis, & quomodo hodie in nobis sit ventus, ignis & lingua pentecostalis.

Conclusio. Recitetur *Psalmus* 98.

Alia

Alia dispositio.

Exordium. Triplex est Pentecoste: vetus, vbi Deus apparuit in igne, forma terribili, in monte Sinai: noua, vbi Deus apparuit in igne, forma amabili, in monte Sion spiritualis, vbi Deus apparet in igne, forma inuisibili, in cordibus nostris.

Propositio. Etsi effecta Spiritus S. sunt innumerabilia, non aliter atque stellæ in cœlo: tamen præcipua sunt numero quatuor, illuminatio, regeneratio, inhabitatio, & constantia.

Tractatio. I. Illuminatio significatur per ignem. II. Regeneratio per ventum. *Joh.* 3. III. Inhabitatio per impletionem domus. IV. Constans gubernatio per linguas igneas, quæ notant vnam consolationem.

Conclusio. Si velimus impetrare Spiritum sanctum, sequamur consiliũ Eliæ, qui 2. *Reg.* 2. prædicit Eliseo, fore vt accipiat Spiritum S. si videat ipsũ ascendentem in cœlos. Ita nostrum est oculos à rebus hisce caducis in cœlum attollere, & quotidie à Deo petere Spiritum S. quia spiritus malus sine intermissione nobis facessit negotium. Oremus, inquam, vt vngamur hoc oleo, quod præfiguratum est *Exod.* 30. & *Leuit.* 8 per oleum illud, quo non solum sacerdotes, sed eorum vasa templi fuerunt inuncta.

Actor. 2.

Vers. 4. & 33. Effusio Spiritus sancti miraculosa super apostolos, illustre fuit testimonium Christi glorificati: & impletio promissionum Christi: denique argumentum deitatis Christi, quia nemo nisi Deus potest mittere Spiritum sanctum.

Vers. 19. Oraculum Joelis tria signa Messiæ exhibiti nouissimis tẽporibus futura prænuntiat. 1. sanguinem, i. e. bella & bellorum rumores. 2. ignẽ, h. e. persecutiones ecclesiæ & piorum. 3. vaporem fumi, h. e. obscurationẽ doctrinæ euangelij in regno Antichristi futuram. De quorum impletione jam pridem experientia testatur.

Actor. 2. *v.* 14. 42.

Petrus instar cancellarij habet orationem patheticam, cujus occurrit exordium, narratio, & effectus.

De I. Exordium est *v.* 14. 15. *De II.* Narratio est tripartita. *Primo* concionatur de officio Spiritus sancti, cujus notæ & effectus sunt tres: efficere, vt Christiani prophetent, visiones videant &c. edere miracula in cœlo sursum, & signa in terra: deniq; excitare homines ad preces, *Quicunq; inuocauerit* &c. *Deinde* concionatur de persona & officio Christi *a v.* 22. *v.* 41. vbi obserua secundam partem symboli apostolici in hoc textu contineri totam. *Tertio* concionatur de officio hominum erga Christum. *v.* 37. & *deinceps.* *De III.* Fructus concionis est *v.* 41.

Act. 2.

*Vers.*42. Vera ecclesiæ signa sunt, doctrina apostolica, charitatis officia, sacramentorum administratio, & inuocatio communis. Hic obserua fractionem panis in eucharistia, niti exemplo Christi, & praxi primitiuæ ecclesiæ.

*Vers.*43. Donum miraculorum erat extraordinarium, necessarium doctrinæ confirmandæ: quæ cum jam satis sit confirmata, cessat illud donũ.

*Vers.*44. Communio bonorum in primitiua ecclesia, non erat Platonica vel Anabaptistica confusio possessionis & dominij, sed participatio fructus seu communicatio vsus.

Actor. 3.

*Vers.*13. Apostoli ediderunt miracula in nomine Jesu ad gloriam nominis ipsius.

*Vers.*19. Vita æterna est refrigerium, quia refrigerat fessos & lassos: sicut dicitur merces, quia compensat labores & miserias hujus vitæ.

*Vers.*21. Christus corpore suo est in cœlo, requirendus fide & precibus, vt habitet etiam in corde nostro.

Actor. 4.

*Vers.*2. Falsa religio est sanguinaria, & tumultuosa.

*Vers.*11.12 Hic habemus summam euangelii de Christo, qui est lapis angularis piorum, in quo est salutis nostræ cornu copiæ.

*Vers.*16. Quanto magis lux veritatis euangelii oculis hostium irradiat, tanto magis excœcantur, & fremunt, fiuntq; αὐτοπλόγητοι.

*Vers.*27. Impii prauos suos effectus & consilia explendo, ignorantes exsequuntur consilium Dei. Non tamen ideo excusantur: quia faciunt voluntatem Dei sanctam voluntate sua non sancta.

Actor. 5.

*Vers.*29. Plus Deo quam hominibus est obtemperandum.

*Vers.*38. Sapientia mundi, etiam cornuto suo consilio, impingit.

Act. 6. & 7. Historia Stephani.

In festo Natiuitatis Christi.

Nomen Immanuel, quod soli Christo competit, merum ipsius erga nos amorem spirat, quod velit nobiscum esse in omnibus calamitatibus tanquam θεοφόρητος, qui possit & velit nos iuuare. Hoc est ἐφ' ἡμῶν θεὸς in historia Stephani, qui suo sanguine testatus est fidem suam in hunc Immanuelem. Summum hoc est testimonium & sigillum amoris nostri erga Christum, si sanguine nostro obsignemus ipsius euangelium, quemadmodum sanguis eius est summum testimonium & sigillum amoris ipsius erga nos. Quæ causa est, quod veteres ecclesiæ doctores historiam Stephani voluerint explicari vna cum historia natiuitatis Christi. Ita enim intel-

intelligimus, Jesum Christum non tantum habere testes in cœlis, Deum Patrem, Spiritum S. & angelos, sed etiam in terris Spiritum & sanguinem martyrum. Huc accedit, quod ex historia Stephani datur cognoscere, quale sit regnum Christi; videlicet spirituale. In præsentia igitur ostendemus, quomodo Christus nascatur regnet, atque vincat in cordibus suorum. Nascitur autem, regnat & vincit. 1. Per fidem: *Stephanus plenus fide.* 2. Per Spiritum veritatis & sapientiæ. *Stephanus edebat miracula.* 3. Per lætam & constantem confessionem: quæ cernitur ex Apologia Stephani. *Patres & fratres.* 4. Per Spiritum zeli: *Contumaces & circumcisi.* 5. Per efficaciam verbi: *Cum hæc audirent.* 6. Per Spiritum gloriæ: *Videbant faciem ejus tanquam angeli.* 7 Per Spiritum gratiæ: *Video cœlos apertos.* 8. Per Spiritum charitatis, qua fit vt etiam orent pro hostibus suis 9. Per Spiritum precum: *Jesu suscipe.* 10. Per Spiritum victoriæ, qua vincunt mortem: *Obdormiebat.* Ita videmus, quomodo historia Stephani sit pictura regni Christi.

Actor. 8.

Vers. 14. Ecclesiæ Hierosolymitanæ prima dissipatio, fuit imago Ecclesiæ deinceps ad finem seculi militantis: simul vero exemplum diuinæ sapientiæ, potentiæ & bonitatis, conuertentis furores hostium in gloriam suam, & Ecclesiæ salutem, & moderantis atque mitigantis mala, secundum consilium suum. Sic videmus ex dissipatione Ecclesiæ Hierosolymitanæ sparsum fuisse Euangelium in vniuersum orbem. Et Apostolis, quos Judæi grauius oderant, parcitum fuit, quia Hierosolymis tantisper hærendum eis erat, donec fundamenta Ecclesiæ satis ibi jecissent.

Vers. 13. 21. Simon magus est speculum hypocritarum, & illius vitij, quod ab illo nomenclaturam traxit, hodieque dicitur *Simonia.*

Vers. 22. Petrus, dicendo *si forte remittatur*, non ponit in dubio veniam, si vere resipiscat Simon, sed ejus resipiscentiam: quia metuit, ne vere resipiscat, veniamque consequatur.

Act. 9. v. 1. 23.

Quemadmodum Bileam *Num. 11.* prohibitus fuit maledicere populo Dei, & è contrario jussus est maledictionem, quam meditabatur, conuertere in benedictionem: ita Saulus hoc in loco odium suum, quod erga Ecclesiam Christi conceperat, non potuit effundere, sed è Saulo factus est Paulus. Describitur autem in hac historia conuersionis Pauli. 1. Hostium Christi crudelitas. 2. Capitis Ecclesiæ, id est Christi majestas, adeoque Ecclesiæ defensio. 3. Ministerij Ecclesiastici dignitas.

De I. Tres sunt notæ characteristicæ falsæ Ecclesiæ: videlicet spirare minas, resistere discipulis Christi, & illos persequi partim anathemate partim gladio.

De II. Majestas Christi cognoscitur. 1 Ex luce & fulgore, quo illustrat corda suorum, & excœcat impios. 2. Ex potentia infinita, qua mutat corda & conatus hostium. 3. Ex arctissima vnione & communione cum Ecclesia: *Saul Saul, quid me persequeris?*

De III. Ministerij dignitas consistit in eo quod institutum est à Deo, & est efficax medium, quo Deus vtitur ad conuertendum homines.

Actor. 10.

Vers. 2. 4. & seqq. Historia Cornelij neque opera præparatoria, neque operum merita confirmat: sed docet, Deum etiam inter gentes habere suos, quos arcana Spiritus Sancti virtute donet fide, ex qua proficiscuntur preces & eleemosynæ, quæ instar holocausti ad Deum ascendunt. Caterum Petrus duplici miraculo interueniente, gentium primitias Deo consecrat hoc loco.

Vers. 43. Diuinus consensus est prophetarum & Apostolorum, quod remissio peccatorum & salus, nonnisi per fidem Christi obtineatur à Deo. Hinc Christus est centrum, scopus & nucleus scripturarum.

Vers. 47. Adulti, nisi præuia fidei confessione, ad baptismum Ecclesiæ admitti non debent. Infantibus vero nasci in Ecclesia est confessionis loco Nam adulti fiunt Christiani per confessionem, infantes Christianorū fiunt Christiani per promissionem *Gen. 17. v. 7. Act. 2. v. 39.* eoque & sacramentum promissionis, puta circumcisio in V. T. & baptismus in N. ad illos pertinet. Nam qui sunt fœderis Dei participes, illi & signo debent ornari, quod pertineant ad fœdus, quomodo videmus milites cooptatos in societatem exercitus sub aliquo duce accipere insignia, siue symbolum & tesseram istius exercitus.

Actor. 11.

Vers. 2. 3. Etiam sancti habent suos errores in capitibus doctrinæ Christianæ.

Vers. 4. Petrus immerito reprehensus, non tumultuarie objicit se inimine judicandum, sed palam facti suirationem reddit. Quod exemplum debemus imitari in disputationibus.

Actor. 12.

Vers. 1. Quemadmodum omnes Antiochi, sic omnes Herodes fuerunt persecutores Ecclesiæ, & hoc ipso sunt imagines regni Antichristi, in quo quot sunt præsules, qui jactitant penes se summam rerum esse, tot sunt Ecclesiæ hostes.

Vers. 7. 23. Angeli sunt custodes piorum, & vindices impiorum.

Actor. 13.

Vers. 6. 7. & seqq. Capitalis est inimicitia inter serpentem illum antiquum, Satanam, & semen mulieris. Et diabolus quidem vtitur tribus technis

chnis & machinis, videlicet falsa doctrina, persecutionib. & voluptatibus: Christus autem nobis suppeditat totidem arma, quæ opponamus, videl. gladium Spiritus, Spiritum consolationis, & Spiritum fortitudinis in officio recte obeundo.

Vers.22. Dauid fuit vir secundum cor Dei, communiter, vt fuit in Christo Jesu, & singulariter, quatenus executus est omnem Dei voluntatem in instaurando regno, quod Saul reliquerat corruptissimum.

Vers.48. Fides est effectum & argumentum diuinæ prædestinationis: quod non donatur à Deo, nisi ordinatis seu prædestinatis ad vitam æternam. Falsi ergo sunt, qui contendunt, hominem seipsum ordinasse ad salutem.

Actor.14.

Vers.5. Diabolus Archisophista & homicida, sumit argumenta, quibus jam olim contra veritatem Euangelij disputare consueuit, non ex Scripturæ Sacræ vel dialecticorum doctrina, sed ex sophistarum sentina, & carnificum officina, puta calumnias, mendacia, lapides, gladios, &c.

Vers.15. Homines non illuminati, aut sunt palam profani aut idolatræ.

Vers.16. Deus numquam se reliquit ἀμάρτυρον hominibus, etiam gentilibus, per opera creaturæ, & beneficia naturæ.

Actor.15.

Vers.6. Habemus hic ideam concilij œcomenici.

Vers.10. Qui operibus justificari volunt, onus intolerabile, tum suis, tum aliorum ceruicibus imponunt.

Vers.11. Vna est justificationis ratio in V. & N.T.

Vers.20. Abstinentiam à suffocato & sanguine Apostoli judicarunt necessariam suo tempore, non simpliciter, & per se, sed secundum quid, & ex accidenti, ad scandalum apud Judæos in Christi fide infirmos vitandum.

Vers.36. Fideles pastores curare debent, vt Ecclesiæ non modo semel doceantur, sed etiam in doctrina & fide proficiant & perseuerent: quoniam bona facile collabuntur, cum mala sponte succrescant. Pertinet huc Senatusconsultum Romanum: *Videant Patres, ne respub. capiat detrimentum.*

Vers.39. Exacerbatio inter fideles Dei seruos diuino consilio sæpe promouet veritatem cœlestem. Ita enim videmus hoc loco per exacerbationem symmystarum optimorum diuersa in loca propagatam fuisse doctrinam Euangelij.

Actor.16.

Actor. 16.

Vers. 3. Factum Pauli circumcidentis Timothæum, non incurrit in decretum Synodicum *cap. præced. vers 10.* neque in illud *Gal. 5, vers. 2. Dico ego, omni circumcidenti se, Christum nihil prodesse:* Quoniam circumcidit eum, non opinione justitiæ, vel necessitatis ad salutem, sed gratia vitandi scandali apud infirmos Judæos, in re tunc adiaphora.

Vers. 7. Deus non omnibus dat salutis media, sed quibus salutem prædestinauit, & quando vult.

Vers. 18. Donum illud fuit extraordinarium. Proinde nihil patrocinatur exorcistis miseris in Papatu.

Actor. 17.

Vers. 2. 3. Officium doctorum Ecclesiæ est, disserere ex Scripturis, & quidem in ijs omnia referre ad vnum Christum.

Vers. 11. Cognitio, lectio, scrutatio & dijudicatio doctrinæ salutis, & sacrarum literarum, omnibus Christianis est licita, necessaria, & vtilis, ad ἀσφάλειαν fidei parandam, & ad seductionis periculum cauendum, exemplo Beroensium.

Vers. 25. 28. Diuinæ est clementiæ, quod sumus, viuimus, & mouemur: nostræ petulantiæ, quod male sumus, viuimus & mouemur.

Vers. 30. Vetus error non excusat errantes, sed Dei patientiam commendat: qui tamen futurus est justus judex contemtorum. Cæterum ex hoc versu colligitur duplex status gentium: videlicet tempus ignorantiæ & conuersionis.

Actor. 18.

Vers. 2. Ejectiones & exilia piorum fere sunt missiones diuinæ ad propagand[illegible] Euangelium.

Vers. 5. Tantus fuit Pauli ardor, vt heroico impetu sui oblitus ad prædicandum Christum ferretur. Est itaque exemplum illorum, de quibus recte vsurpari potest prouerbium. *Ex Saulo factus est Paulus.*

Vers. 24. Duo sunt insignia Dei dona, quando minister verbi est eloquens, potens in Scripturis, feruens Spiritu.

Actor. 19.

Vers. 4. Baptisma Johannis hoc differebat à baptismate Christi & Apostolorum, quod illud fiebat in fidem Jesu Christi venturi seu manifestandi, hoc fit in fidem Jesu Christi exhibiti & manifestati.

Vers. 12. Sudaria Pauli non habuerunt in se virtutem sanatricem, sed fuerunt instrumenta & symbola extraordinaria istius virtutis.

Vers. 23.

Actor. 20.

In hoc capite proponuntur nobis quinque specula. *Primum* est speculum simplicitatis ritvum in Eucharistia, quæ appellatur *vers. 7.* fractio panis. *Secundum* est speculum deitatis Spiritus Sancti: quippe qui diuina authoritate constituit pastores & Episcopos. *vers. 28. Tertium* est speculum bonorum Episcoporum, qui debent pascere gregem Domini *ibidem. Quartum* est speculum mirabilitatis Christi, qui est Deus & homo in vnitate personæ: vtpote qui est Deus, suo sanguine acquirens Ecclesiam. *ibidem. Quintum* est speculum Ecclesiæ, quæ est peculium Dei *ibid.* & quæ fit eo purgatior, quo magis exercetur à lupis, & exoneratur atque liberatur hæreticis; qui latent in ipsius corpore non aliter atque excrementa *vers. 29. 30.*

Actor. 21.

Vers. 8. Hierarchia primitiuæ Ecclesiæ constabat ex Apostolis & Euangelistis tanquam doctoribus, item ex presbyteris & diaconis, tanquam curatoribus disciplinæ & ordinis.

Vers. 24. In rebus medijs seu indifferentibus debemus nos accommodare: si mis, quantum charitas & pietas sinit, vt vitentur scandala & turbæ in Ecclesia.

Actor. 22.

Vers. 16. Baptismus est ablutio peccatorum, seu abluit peccata, non ex opere operato, sed sacramentali locutione: quia est ablutionis peccatorum per sanguinem & Spiritum CHRISTI sacramentum, hoc est, sacrum signum, fidelibus in legitimo vsu significans, obsignans & præbens Christum.

Vers. 25. Christianis licitum est vti jure politico, ac petere per viam appellationis defensionem à magistratu ordinario superiore, si magistratus inferior, vel non possit, vel non velit causam nostram bonam promouere.

Actor. 23.

Vers. 5. Ignorantia particularis, quæ dicitur facti, meretur veniam.

Vers. 6. Sadducæi hujus temporis sunt homines athei, Pharisæi omnes justiciarij.

Vers. 35. Boni judicis est obseruare vetustam illam Maximam; *Audiatur & altera pars.*

Actor. 24.

Vers. 10. Defensio legitima aduersus falsas criminationes, Christianis est licita: sæpeque propter gloriam Dei & propriam conscientiam necessaria, quoniam non debent pati tanquam latrones & fures.

Vers. 28. Martyrem facit causa, non passio.

Actor. 25.

Vers. 11. Paulus appellans Cæsarem, & nolens judicari coram Judæis, non tergiuersatur declinando forum & legitimam causæ cognitionem, sed insidias nefarias. Docet vero certitudinem salutis temporalis, de qua ipsi ex oraculo constabat, non excludere neque labefactare media legitima. Idem judicium est de certitudine salutis æternæ.

Actor. 26.

Vers. 1. Eloquentia valde commendat pastorem Ecclesiæ.

Vers. 18. Ministri Euangelij aperiunt oculos suorum auditorum, & conuertunt eos à tenebris ad lucem, non vt authores, sed vt [illegible] diuini operis. Vnde patet quanta sit dignitas & efficacia ministerij Ecclesiastici.

Actor. 27.

Vers. 30. 31. Decreta Dei, sunt illa quidem immutabilia, nec pendent à medijs mutabilibus: interim non contemtum, sed vsum mediorum legitimum includunt.

Actor. 28.

Vers. 2. Barbari sæpe seruis Dei præstant humanitatem minime barbaram.

Vers. 26. 27. Habemus hic illustre speculum justi judicij Dei, qui excæcat populum rebellem & insanabilem.

CON-

VI.
CONCIONES IN EPIST. AD ROMANOS.

Memoriale Epistolæ ad Romanos. Cap. 16.

21 14 10 3 14
Vani, Lex sibi sunt, Non justus, Credidit, Adam,
12 24 15 22.23. 17
Ne regnet, Miser ah, Abbaque, Vasa, Fides.
1 4 3 1
Abjecit, Vna hostia, Subijce, Vescere, Perna,
1
Commendat Phœben, multam dicitque salutem.

Oeconomia Epistolæ ad Romanos.

Epistolæ ad Romanos partes sunt tres, Præfatio, Tractatio & Peroratio.

I. Præfatio est, *cap. 1. ad v. 16.*

II. Tractatio est institutio Christiana de generis humani contagio & remedio, ita vt differatio instituatur de hominis miseria, liberatione & gratitudine. Miseria est respectu gentium, *cap. 1.* & Judæorum, *c. 2.* Liberatio cernitur in justificatione, *c. 3. 4. 5.* sanctificatione, *c. 6. 7. 8.* prædestinatione, *c. 9. 10. 11.* Gratitudo est in nouitate vitæ, estque generalis, *c. 12.* vel specialis ratione officij magistratus, *c. 13.* & rerum necessariarum atque adiaphorarum, *c. 14. & 15. ad v. 14.*

III. Peroratio est, *a v. 14 c. 15. & c. 16.*

Typicam siue tabellarem dispositionem Epistolæ ad Romanos vide *lib. 2. Præcog. Theol. cap. 58. pag. 1110.* Characterem *ibid. cap. 34. pag. 635.* Chronologiam *ibid. cap. 116. p. 1495. & seqq. & supra in præliminari Concione Bibliorum.*

Rom. 1.

Vers. 1. Seruus Jesu Christi est vel communiter, ratione vocationis internæ aut externæ, quæ est vocatio ad Christianismum; vel singulariter, ratione vocationis ad certum officium, vt hoc loco ad Apostolatum.

Vers. 2. Discrimen V. & N. T. non est positum in substantia, quæ vtrobique est eadem, videlicet Jesus Christus: sed in circumstantia: quia Euangelium in V. T. prædicabatur complendum in Messia, in nouo prædicatur vt completum in eodem.

Vers.16. Euangelium prædicatum est potentia Dei ad salutem omni credenti: quia per ejus auditum Dominus Spiritu suo cooperans, fidem & resipiscentiam excitat in saluandis.

Vers.17. Justitia Dei, quæ per Euangelium retegitur ex fide in fidem, non est justitia Dei essentialis, nec justitia legalis inhærens, vel infusa per charitatem, vel per opera: sed Euangelica, per fidem imputata.

Vers.19. & seqq. Vsus & abusus libri naturæ hic traditur.

Vers.24.28. Deus tradit homines in reprobum sensum, non otiosa & nuda permissione, sed justo judicio & iræ suæ immissione.

Vers.29.30. Hic occurrit descriptio vltimæ horæ hujus immundi mundi. Nam decursus seculi diuiditur in tres horas magnas. Prima est ante legem, secunda sub lege, tertia sub Euangelio.

Rom.2.

Vers.4.5. Qui benignitate Dei abutuntur ad peccandum licenter, illi colligunt sibi thesaurum iræ in diem iræ.

Vers.6. Deus reddet vnicuique secundum opera: quia opera mala sunt meritoria mortis æternæ, & opera bona sunt via ad vitam æternam, qua tanquam mercede compensantur labores nostri, non ex merito sed ex gratia.

Vers.12.14.15. Omnes homines habent legem scriptam in corde suo, licet non omnes habeant legem scriptam in tabulis Mosis. Hic explicetur vis ly Iogismi practici.

Vers.13. Non audire, sed custodire legem justificat.

Vers.25. Sacramentum extra legitimum vsum, h. e. sine fide & pœnitentia, non habet rationem sacramenti, ac proinde non prodest infidelibus.

Vers.28. In hoc versu fundata est distinctio Ecclesiæ in visibilem & invisibilem, seu vocatorum & electorum. Non est ea vera Ecclesia coram Deo, quæ in carne est & in propatulo, sed ea quæ in spiritu est & in occulto.

Rom.3.

Vers.1. & seqq. Prærogatiua hæc Judæorum præ gentibus, quod Deus illis tabulas fœderis sui commiserit, non est fundata in ipsorum mentis, sed in Dei misericordia.

Vers.8. Vniuersaliter vera est regula apostoli: *Non sunt facienda mala, vt eueniant bona.*

Vers.10. & seqq. Omnes in vniuersum homines subjacent condemnationi legis.

Vers.24. & seqq. Justificamur fide absque operibus legis, hoc est, remit-

remissionem peccatorum & reconciliationem cum Deo, non in operibus, sed in Christo per veram fidem apprehenso obtinemus. Nam Christus est placamentum, quod Deus sibi proposuit, in quo ipsi placamur per fidem.

Rom. 4.

Vers.3. Qua fide Abrahã est justificatus, eadem & nos judicamur. Hoc enim exemplum est de idea, vt loquuntur.

Vers.5.6.7.8. In justificatione euangelica considerare oportet terminum à quo, medium, & terminum ad quem. *Terminus à quo* est peccatum. Hinc dicitur Deus justificare impium, scil. antecedenter. *Medium* est fides. Hinc Deus dicitur justificare credentem. *Terminus ad quem* est sanctitas vitæ. Hinc Deus dicitur justificare sanctos qui student bonis operibus, seu pœnitentes, scil. consequenter. Cæterum fides dicitur imputari ad justitiam, non formaliter, sed metaleptice seu instrumentaliter: quia res credita, siue id, quo fides nititur in judicio Dei, h.e. obedientia seu meritum Christi, nobis pro justitia imputatur. Confer cum *c. seq. v. 19.*

Vers.11. Differentia generica, omnibus sacramentis communis, est, esse signum & signaculum, siue sigillum, justitiæ fidei, à Deo institutum.

Vers.18. Fides nostra non est absque lucta. Facit enim vt credamus sub spe contra spem.

Vers.25. Meritum Christi pendet à morte ipsius efficacia, à resurrectione. Quæ duo in hoc versu coniunguntur, ita vt sit compendium euangelij: quippe quod agit de Christo, qui est mediator merito & efficacia, quæ duo opponuntur demerito & inefficaciæ Adami.

Rom. 5.

Vers.1. & seqq. Justificatio euangelica longo agmine secum trahit omnis generis bona spiritualia: videl. pacem cum Deo, perseuerantiam, gloriam veram, tolerantiam, & similia, de quibus agit apostolus in hac climace.

Vers.6.8. Christus est mortuus pro nobis impijs, peccatoribus, & hostibus, non solum nostro bono, sed & nostro loco, vt à morte nos vindicaret. Ipse enim factus est noster sponsor.

Vers.12. Mors non est sequela naturæ, sed effectum peccati. Intellige mortem tam corporalem quam æternam.

Vers.14. Distinctio peccati in originale & actuale fundatur in hoc loco.

Vers.19.20. Adam & Christus inter sese conferuntur tanquam duo stipites, radices & patresfamilias. Adam omnibus suis ramis & hæredibus dat, quod habet, videl. mortem. Christus omnib. suis ramis & hæredibus dat, quod habet, videl. vitam. Non tamen, quia omnes homines peccato Adami sunt mortui, soli autem fideles Christi obedientia viuificantur,

ideo gratia non est abundantior peccato. Abundantia enim gratiæ non in numero eorum, quibus confertur, sed in præstantia doni, quod confertur: non in quantitate extensiua, sed intensiua, adeoque in modo, quo confertur, spectanda est.

Rom. 6.

Vers. 1. & seqq. Fundamenta vitæ Christianæ, illiusq; modus hic plene & pathetice circumscribuntur, juxta hos aphorismos. 1. Mortui sumus peccato. Non igitur conuenit, vt serpentem & vermem istū, per Christum extinctum, viuificemus. 2. Baptismus nobis est mortis & resurrectionis Christi sacramentum, tum quia mortis & resurrectionis Christi beneficia nobis obsignat, tum quia spiritualem peccati mortem, & ad nouæ vitæ resurrectionem nos obligat & excitat: Quotidie itaque recordemur baptismi, tanquam voti vniuersalis, & juramenti solēnis, quo nos addiximus in militiam Christi. 3. Coaluimus cum Christo in vnum corpus. Non itaque conuenit, vt coalescamus cum diabolo in vnum corpus. 4. Vetus noster homo crucifixus est. Ne itaq; denuo illum excitemus. 5. Sumus liberati à peccato per Christum. Ne itaq; seruiamus peccato. 6. Sumus subditi Dei. Peccatum itaque non debet regnare in nobis, quantumuis in nobis habitet. 7. Membra nostra debemus sistere Deo arma justitiæ. Ne igitur sistamus illa diabolo arma injustitiæ.

Vers. 23. Vita æterna est donum Dei prorsus gratuitum. Sed *Autoramentum peccati ipsissima mors est.*

Rom. 7.

Vers. 1. & seqq. Lex & euangelium sunt duo mariti. Qui sunt in statu matrimonij legalis, sub lege scil. carnis, sunt maledicti. Qui sunt in statu matrimonij euangelici, sub lege scil. Spiritus, sunt filii Dei. Qui sunt in priori coniugio, non possunt esse in secundo, vel contra, citra notam adulterij.

Vers. 7. Omnis concupiscentia inordinata, cum prima quam secunda, tam informis quam formata, lege prohibetur & damnatur. Proinde est peccatum mortale, tam in renatis quam non renatis.

Vers. 15. & seqq. Renati sentiunt se diuisos in carnem & spiritum, hoc est in partem non regenitam & regenitam. Vnde in iis existit luctа carnis & spiritus, certissimum electionis *[illegible]*

Rom. 8. per totum.

Apostolus tria docet in hoc capite, quod in hac epistola eminet, vt luna inter ignes minores. 1. Ostendit, cœlum nobis esse apertum. 2. Monstrat viam ad cœlum, quod nobis patet. 3. Demonstrat gloriam cœlestem eorum, qui tendunt in cœlum. *De primo.* *Vers. 1.*

Vers.1. Apostolus adfert euangelium siue lætũ nuntium in hoc capite, & ait: *Nihil ergo est damnabile in iis, qui sunt in Iesu Christo.* Nihil est in nobis damnabile, siue in primo citationis termino, siue in secũdo, siue in tertio consideremur, h. e. siue versemur in judicio Dei, quod instituit in hac vita in conscientia, siue in illo, quod instituetur sub horam mortis, siue deniq; in illo, quod habebitur in vltimo die. Cur vero à triplici ista damnatione sumus liberati? Quia sumus in Christo. Omnes in vniuersum homines sequestrantur in duos ordines. Nam alij sunt in Christo, alij extra Christum. Hæc separatio facta est ante tempora per electionẽ in decreto Dei, fit in tẽpore per vocationẽ efficacem, & fiet post tẽpora in vltimo judicio. Qui sunt in Christo, in illis nihil est damnabile. Sunt n. surculi insiti Christo per verã fidem. Contra hanc vnionem militat Satan adhibitis duob. gladijs, diffidentia & securitate. Hinc existit in nobis pugna continua. Etsi enim sumus prædiri Spiritu Christi, & liberati à lege peccati & mortis *vers.2.* manent tamen in nobis reliquiæ peccati, quæ nobis facessunt negotium. Contra istas reliquias pugnamus quotidie sancte viuẽdo, precando, & nihil non faciendo, quod dignum est ijs, qui non amplius viuunt in carne. *vers.3. & seqq. usque ad 18.* quorum summa huc redit. Christus nos liberauit à lege peccati & seruitute Satanæ, vt non amplius viuamus secundum carnem, sed patiamur nos regi à Spiritu sancto, qui nostras infirmitates subleuat, siue vitam, siue precationem, siue multiplicem infirmitatem spectemus. *De secunda.* Via ad cœlum cernitur in cruce, & aurea catena salutis. Quod attinet ad crucem, illa est medium per quod conformes reddimur Christo, sustentati à Spiritu sancto, qui docet nos artem precandi & calamitates hujus vitæ superandi. *a vers.17. ad 29.* Aurea catena salutis complectitur quatuor annulos, qui sunt indiuidui. Nam ex prædestinatione fluit vocatio, ex vocatione iustificatio, ex iustificatione glorificatio. *De tertio.* Gloria nostra cœlestis in hac vita posita est in triumpho illo, quem apostolus *à versu 31. ad finem usque capitis* describit. Triumphus iste est initium & prægustus vitæ æternæ, quem sentiunt omnes electi in hac vita. Huius triumphi modum & argumenta apostolus admodum pathetice tradit.

Rom. 8.

Vers.3.4. Lex est impossibilis homini per peccatum infirmato, non creatoris ordine, sed carnis vitio. Ius vero legis completur in renatis & fidelibus, imputatione iustitiæ, & inchoatione nouæ obedientiæ secundum omnia Dei mandata.

Vers.16. Fideles certi sunt adoptionis suæ, testimonio proprii cordis, Spiritus sancti, & fructuũ fidei, qui [illegible] opponũtur fructib. carnis.

Vers.29.

Vers.29. Præcognitio Dei (vulgo præscientia) quum apostolus prædestinationi substernit, non est præuisio fidei, bonorum operum, recti vsus liberi arbitrii, vniuersalis gratiæ, vel meritorum futurorum in prædestinandis: sed gratuita dilectio & electio prædestinandorum ex perditionis massa ad gloriam, & ad media gratiæ gloriam antegredientia.

Vers.30. Vocatio secundum propositum & justificatio (sub quibus omnia salutis media, vocatio, fides, sanctificatio & perseuerantia, ex scripturæ analogia, intelliguntur) cum prædestinatione, tanquam effectus cum causa prima inseparabiliter cohærent.

Vers.19. & seqq. Vniuersus mundus est subjectus vanitati, quomodo videmus domum & familiam illius, qui est reus læsæ majestatis, damnationi subjici.

Vers.35.38. Perseuerantiæ & certitudo salutis, respectu nostræ imbecillitatis, est sane mutabilis: sed non respectu æternæ dilectionis in Christo.

Vers.31. Totus quidem mundus est contra electos Dei: sed non ita, vt prævaleat. Itaque

Terra crepet, cœlumq; ruat, fremat orbis & orcus
Cui comes est Christus, nulla ruina nocet.

Rom.8. v.31. & seqq.

Concio funebris. Considerabimus triplicem consolationem hominis afflicti, mortem meditantis, vel jam moribundi, contra accusationem legis, peccati, & extremi judicij.

De I. Lex accusat interna & externa peccata & conscientiam affligit. Nostrum est legi opponere euangelium siue Christum, qui legem implenit *Gal.3. v.13.* & de peccato triumphauit, affigendo cruci chirographum legis. *Col.2.* & pro nobis soluit tanquam sponsor. Hanc itaq; petram cum Mose feriamus, vt inde exiliat aqua vitæ.

De II. Peccatum diuidit Deum & nos *Esa.59.* sed Christus nobis meruit remissionem peccatorum. *Joh.3.* Pertinet huc typus serpentis Num. 21. Recitentur exempla Dauidis, Manassis, Petri, Pauli &c. & ostendatur, promissiones euangelij esse vniuersales respectu credentium.

De III. Contra judicium extremum nos consolabitur gratia Dei in Christo, ex hoc loco, collato cum *Joh.3.*

Rom. 9.

Vers.1. Christianis licitum est jurare, postulante sic gloria Dei & salute proximi.

Vers.5. Christus secundum carnem est ex Patribus: secundum Spiritum est Deus supra omnia laudandus in secula.

Vers.11.

*Vers.*11. 18. Deus mera sua voluntate faciens discrimen inter homines, amans vel odio habens, miserans vel indurans, quoscunque vult, non ideo est injustus; quia nulli quidquam debet, & habet potestatem de suo agendi quod vult, & est absolutus omnium creaturarum suarum Dominus, & denique justus mundi judex, qui indurat quos vult, non ex mollibus duros efficiendo, sed vitio originali duros non emolliendo, Satanæque & affectibus suis magis indurandos tradendo, occulto, sed justo judicio.

*Vers.*19. Voluntati decreti seu beneplaciti Dei nemo resistere potest. Voluntati signi seu præcepti resistunt infideles. *Act.*7.*v.*51.

*Vers.*21.22. Si figulus habet potestatem in lutũ, vt faciat ex eadem massa, aliud quidem vas ad decus, aliud ad dedecus: quanto magis Deus habet potestatem, ex eadem massa perditionis præparandi alios vasa misericordiæ ad gloriam, alios adaptandi vasa iræ ad interitum: citra injuriam. Quemadmodum autem vasa gloriæ non habent vnde glorientur, quia accipiunt gratiam indebitam: ita vasa ignominiæ non habent cur murmurent, quia accipiunt pœnam debitam.

*Vers.*24. Vasa misericordiæ ad gloriam præparata qui sint, vt cognoscatur, non est necesse cœlos transcendere, vel secreta Dei scrutari: quia propositum Dei ex efficaci vocatione cognoscitur.

*Vers.*33. Christus est lapis offendiculi, omnibus infidelibus, qui suo vitio in illum impingunt: est lapis salutis fidelibus, qui dono Dei credunt.

Rom. 10.

*Vers.*2. Zelus est verus vel errans. *Zelus verus* est ardens Dei amor, & dolor, propter contumeliam vel contemtum Dei, & conatus suo loco hunc prohibendi, juxta mandatum Dei. *Zelus errans*, qui dicitur præposterus, & non secundum scientiam, est irasci dictis vel factis, quibus gloria Dei lædi falso putatur, seu cum putatur gloria Dei esse, quæ non est, & læsio gloriæ Dei esse, quæ non est.

*Vers.*4. Christus *est finis legis ad iustitiam omni credenti* quia est complementum & perfectio legis. Proinde justitia legis est in solo Christo, fide autem imputatur credentibus. Nam per fidem propter Christum justificamur: quia illi sumus insiti seu incorporati, & ideo tanquam membra trahimus ab ipso tanquam capite spiritum viuificum justitiæ omnibus modis perfectæ.

*Vers.*9.10. Fides in corde parit confessionem in ore: Falsi ergo sunt, qui hic faciunt diuortium.

*Vers.*14.15. Pulcherrima hic est climax causarum secundarum, quæ concurrunt sub causa prima ad constitutionem fidei saluificæ.

Rom. 11.

*Vers.*2. Deus vniuersum ecclesiæ visibilis cœtum prægnouit & elegit ad externi fœderis gratiam, sed non vniuersum, ad æternæ vitæ gloriam: seu, Deus ecclesiam particularem & visibilem elegit & vocauit ad communionem gratiæ communis, solam ecclesiam catholicam & visibilem elegit & vocauit ad communionem gratiæ singularis & gloriæ. Ideo Deus non abjicit populum suum, quem prægnouit & elegit, quantumuis multitudinem infidelium in eo abjiciat: nec perit vllus electorum ad vitam, quantumuis pereant multi vocatorum ad gratiam. Intellige gratiam, οἰκονομίας, non vero δόξας.

*Vers.*4. In medio regno antichristi Deus semper sibi seruauit ecclesiam septem millium electorum, quomodo inter paleas infinitas latent mille grana tritici. Nimirum fieri non potest, vt articulus ille excidat: *Credo sanctam ecclesiam catholicam*.

*Vers.*6. Gratia & opera, in causa electionis, vocationis, justificationis, sanctificationis & glorificationis, sunt ἀμίωος repugnantia. Facessat itaque idolum liberi arbitrij & meriti. Quæ subtilis Pelagiano-Papistica idololatria nimis quam inualuit hodie, apud illos etiam, qui fermentum antichristi Romani expurgarunt.

*Vers.*16. Liberi sanctorum sunt sancti sanctitate fœderali, quæ propagatur ex promissione illa *Gen.* 17. *v.* 7. non vero sanctitate habituali, quæ fluit ex sanctitate imputata.

*Vers.*20. Excidij pœna manet illos, qui altum sapiunt, & non sunt paruuli, vt electi, qui timent timore filiali.

*Vers.*21. Judæi fuerunt rami inserti in oleam ecclesiæ vel visibilis tantũ, vel etiam insuper inuisibilis. Illi exciderunt seu defracti sunt, hi nõ potuerunt excidere vel excidi. Illi fuerunt filij Abrahæ secundum carnem tantum, hi secundum carnem & spiritum simul.

*Vers.*24. Gẽtes ex oleastro immundi hujus mundi sunt translati inverã oleam, vocatione vel externa tantum, vel externa & interna simul.

*Vers.*25. Conuersio Judæorum est mysterium. Non itaque vel oscitanter est considerandã, vel petulanter deridenda.

*Vers.*29. Etsi vocatio externa, & multa Dei dona sunt mutabilia, ita vt auferantur ingratis, non solum personis, sed totis etiam cœtibus, vt olim Judaicæ genti, & postea plurimis ecclesiis orientalibus accidit: tamen vocatio interna, & dona inde pendentia, quæ sunt electorum propria, puta adoptio, fides, justificatio, regeneratio & perseuerantia sunt ἀμεταμέλητα.

*Vers.*32. Misericordia & electio est vniuersalis, non absolute omnium hominum ad salutem, sed omnium Judæorum & gentium fidelium, saluando:

uandorum. Nam Deus conclusit omnes (Judæos & gẽtes) in cõtumacia, vt omnium (Judęorum & gentium) misereatur. Hæc itaq; vniuersalis misericordia ex scopo totius capitis, & ex proxime præcedentium versuum sensu, non ad singula fidelium & infidelium indiuidua, sed ad omnes, tam ex gentibus quam ex Judæis, fideles extenditur juxta regulam: *Vocatio efficax pertinet ad omnes efficaciter vocatos.* Item: *Promissiones euangelij sunt vniuersales respectu credentium.*

Rom. 12.

Vers. 1. 2. Vera sanctimonia posita est in eo, vt non configuremus nos seculo huic, h.e. immundo mundo, sed transformemus nos in Christo, gratiosa operatione Spiritus sancti, per renouationem mentis nostræ, vt corpora nostra sistamus Deo hostiam viuam & acceptam, quæ sit cultus noster rationalis, h.e. spiritualis, qui sit præstantior cultu illo veteri, in quo bruta rationis expertia Deo offerebantur.

Vers. 3. Vera sapientia consistit in eo, vt nõ sapiamus supra quam oportet, sed posito supercilio discamus φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν.

Ibid. Fides est donum Dei, quod singulis ecclesiæ membris distribuit certa mensura, prout vult.

Vers. 4. 5. Similitudo sumta ab vnione & communione membrorum vnius corporis, valde illustrat communionem sanctorum, quam in symbolo licet profiteamur, non tamen satis intelligimus, vel vita sancta exprimimus.

Rom. 13.

Vers. 2. *& seqq.* Omnis potestas ciuilis siue magistratus, qua talis, Deum habet authorẽ. Acquisitio autẽ magistratus sæpe est mala, & à diabolo.

Vers. 4. Magistratus implet mensuram sui muneris, si sit custos vtriusq; tabulæ.

Vers. 7. Onera ciuilia sunt subditis ferenda in corpore, onera conscientiæ non sunt ferenda in animo. Habet enim hic locum illud ethnicorum: *Vsque ad aras.*

Vers. 10. Charitas est impletio legis, si sermo sit de idea: item de affectu, qui se in renatis extendit ad omnia præcepta. Non itaque est formalis nostra justitia coram Deo, quia perpetuo hic manet imperfecta: nec est meritoria vitæ æternæ, cum sit debita.

Rom. 14.

Vers. 1. In adiaphoris nec infirmi sunt offendendi, nec turbanda ecclesia.

Vers. 4. 15. Adiaphora sunt, quæ per se sunt media, h.e. neque bona, neq;

mala, seu lege Dei nec præcepta, nec prohibita. Ideo sunt libera in se, quoad substantiam operis. Dicunt vero bona, cum ex fide fiunt, vel mala & peccata, cum fiunt opinione necessitatis, cultus aut meriti, vel cum scandalo.

Vers. 3. 5. Delectus ciborum & dierum ecclesiasticus est nota antichristi: œconomicus, medicus, vel ciuilis est licitus.

Vers. 23. Quid quid non fit ex fide, peccatum est. Hic est Lydius lapis Christianismi, & fulmen hypocriseos.

Rom. 15.

Vers. 4. Deus scriptura vtitur ad docendum & cõsolandum. Omnibus itaque Christianis Scriptura est necessaria: quia nec satis doceri, nec satis consolando erigi possunt. Nam neque scientia nostra est perfecta, neque conscientia semper erecta vel recta.

Vers. 5. Deus orandus est, vt in conuersatione nostra nobis sit Deus tolerantiæ & consolationis.

Rom. 16.

Vers. 1. *& seqq.* Sancti etiam possunt de rebus familiaribus scribere & loqui.

Vers. 20. Pugnandum est in Satanam certa spe victoriæ: quia Deus certo conteret hunc hostem sub pedibus nostris vi primæ promissionis *Genes.* 3.

VII.

CONCIONES IN I. EPIST. AD CORINTH.

Memoriale Epistolæ 1. ad Corinthios. Cap. 16.

30 2 6 13 1
Est factus, Christum scio, Plantans, σκύβαλα, Scortans,
1 2 1 26 6
Litus, Coniugium, Scire, Ego curro, Typi.
20 1 1 2.6. 12.35.
Cœna, Et dona Dei, Dilectio, Lingua, Resurgent,
1 22
Collectas fieri vult, Maran-Athaq, profert.

Oeconomia Epistolæ prioris ad Corinthios.

In priori ad Corinthios sunt inscriptio, res epistolicæ & conclusio. Primum dicimus περὶ σκοπὸν τῆς ἐπιστολῆς: alterum τὴν ἐπιστολὴν: tertium περὶ μετὰ τὴν ἐπιστολήν.

I. Inscriptio est *cap.* 1. *ad vers.* 10.

II. Res

II. Res Epistolicæ cernuntur in institutione doctrinæ Christianæ: vbi Apostolus primo asserit dignitatem doctrinæ, *cap.1.à v.10.& c.2.* & doctorum *c.3.4.* deinde disserit de rebus primo necessarijs, dein de adiaphoris, tum rursus de necessarijs. Res necessariæ sunt, *c.5.& 6.* fuga scilicet scortationis & temerariæ litigationis. Res adiaphoræ sunt *c.7.8.9.10.* Res necessariæ respiciunt vel vitam, vt sunt cœtus spirituales, *c.11* & dona spiritualia, *c.12.13.14.* vel fidem, vt est doctrina de resurrectione carnis *c.15.*

III. Conclusio est, *c 16.*

Typicam siue tabellarem dispositionem prioris Epistolæ ad Corinthios vide *lib.2.Præcog.Theol cap.99 pag.111.* Chronologiam *ibid.cap.116.p.497. & supra in præliminari Concione Bibliorum.* Characterem denique & summariam considerationem *lib.2.Præcog Theol.cap 124 pag.638.*

1. Corinth.1.

Vers.12. Nomina schismatica inter Christianos non sunt ferenda.

Vers.16. Prædicandi & baptizandi partes licet ex ordinatione Christi sint connexæ: à diuersis tamen ministris perfici possunt, si nempe Ecclesiæ sint populosæ, vel aliquis sit occupatior ad docendum, quam vt baptizare possit. Sic hoc loco Apostolus in tradenda doctrina præcipue occupatus, auditores assentientes committebat baptizandos alijs, quorum illi erat copia.

Vers.19. Deus abolet sapientiam carnalem sapientum, hoc est, illorum, qui sibi videntur sapere, cum illorum sapientia extra Christum sit insipida, vel potius insana, ita vt de illis vsurpari possit istud poetæ:

Insipientis gens sapientiæ.

Vers.23.24. Christus crucifixus, Judæis reprobis est offendiculum, Gentibus reprobis stultitia, Judæis & Gentibus electis potentia & sapientia Dei.

Vers.30. Christus nobis est omnia. Est sapientia stultis, eos docendo: est injustis justitia, lucendo suo merito: est impuris sanctificatio, ducendo sua efficacia: est redemtio venditis, λύτρωσιν persoluendo. Atq; hæc sunt quatuor flumina paradisi. Dann Christus ist vnser Heilbrun.

1. Corinth.2.

Vers.2. Jesum Christum scire cum fide & resipiscentia vera, id vero veris Christianis ad salutem sufficit, juxta versum:

Si Christum nescis, nihil est si cætera discis:
Si Christum nescis, nihil est si cætera discis.

Vers.6. Euangelium est sapientia inter perfectos, hoc est, eos qui contendunt ad perfectionem in Jesu Christo.

Vers.7.8. & seqq. Euangelium est sapientia mystica, à solo Deo patefacta, huic seculo incognita, tractans de rebus carni & sanguini imperuijs.

Vers.14.15. Homo ψυχικὸς est, qui nihil habet eximium præter ψυχὴν, h.e. animam rationalem, & lumen naturæ. Homo πνευματικὸς est, qui supra animam habet fidem in Christum, adeoque lumen gratiæ.

1. Corinth.3.

Vers.1.2.3. In Ecclesia semper sunt duum generum homines renati, videlicet spirituales, qui habẽt αἰδητήρια γεγυμνασμένα, & carnales, hoc est, rudes & infantes. Pastoris est in vtrisque erudiendis vti methodo prudentiæ, quæ docet συγκαταβαίνειν τῷ μανθάνοντι, h.e. condescendere discenti, ita vt solidus cibus præbeatur adultis, lac infantibus.

Vers.8. Boni operarij Ecclesiæ accipient mercedem secundum laborem suum, sed non propter laborem suum. Illud est compensationis, hoc meriti.

Vers.11. & seqq. Saluo fundamento, (quod est Christus Jesus, hoc est, persona & officium ejus,) doctores aliqui fœnum vel stipulam superstruunt, h.e. errant in doctrina. Hi magna ἐπιεικείᾳ dijudicandi, & tolerandi sunt, propter Ecclesiæ pacem, & infirmorum salutem. Nam seruabuntur per ignem, non vtique purgatorij, sed partim Spiritus Dei, intus eos redarguentis, partim tribulationis temporalis. Differatur hoc loco de erroribus, qui sunt contra fundamentum, circa fundamentum & extra fundamentum salutis. Illi directe impugnant fundamentum, isti indirecte impugnant & nonnisi per consequentiam, hi plane non attingunt fundamentum.

1. Corint.4.

Vers.1. Dignitas & officium ministrorum Ecclesiæ versatur in eo, quod sint œconomi, h.e. dispensatores mysteriorum Dei. Debent itaq; se *passiue* habere in ordine ad Deum, tanquam os, lingua & manus illius: *actiue* in ordine ad auditores.

Vers.7. Cum solus Deus nos discernat, nihilque habeamus quod non acceperimus, facessat gloria & idololatria Pelagiana.

Vers.20. Regnum Dei non est situm in verbis, sed in virtute spiritus. Pauci itaq; sunt Christiani opere, multi sunt Christiani ore: pauci factis, multi dictis.

1. Corinth.5.

Vers.5. Palam facinorosi, præsertim contumaces, non sunt tolerandi in Ecclesia, sed Ecclesiastica censura Satanæ tradendi, h.e. excõmunicandi, ad interitum carnis, & excitationem Spiritus, item alijs ad exemplum: maxime si magistratus Christianus non habeatur, vel conniueat; cujus officium est, non ferre scandala in Ecclesia & repub. *Vers.6.*

Vers.6.7.& seqq. Est triplex Pascha, externum, æternum & internum. Illud est ceremoniale, idque partim typicum V.T. partim ordinis Ecclesiastici seu canonicũ in N.T. istud est Christus: hoc est fidei & vitæ Christianę.

1. Corin. 6.

Vers.1.& seqq. Christiani sic debent viuere, vt non opus sit litigijs. Si vero omnino opus sit, ex sinu Ecclesiæ debent deligere arbitros, si non habeant magistratum Christianum.

Vers.9.10. Peccatoribus impœnitentibus clausum est regnum cœlorum, pœnitentibus patet.

Vers.12. Omnia adiaphora licent, sed non omnia conducunt. Teneatur hic regula: *Qui res adiaphoras vrget vt necessarias, laqueum injicit conscientiæ tum suæ, tum alterius.*

Vers.19. Corpora nostra sunt templa Spiritus Sancti. Hic differatur de hospite actiuo & passiuo, & de hospitio, quomodo illud ædificetur, conseruetur, amplificetur, destruatur & reparetur.

1. Corinth. 7.

Casus & controuersiæ matrimoniales hic decidũtur.

Vers.2. Christianis conjugibus cohabitare mutuo, atque debitam beneuolentiam reddere, licitum est, & necessarium vitandæ fornicationis causa. Nimirum vnus conjux est vsufructuarius corporis alterius.

Vers.8. Secundæ nuptiæ viduis sunt concessæ.

Vers.7.8.9. Qui habent donum continentiæ specialis, recte abstinent à conjugio. Cœlibatus enim est bonum βέλτιον, conjugium bonũ καλὸν πρᾶγμα.

Vers.13. Diuortium non est faciendum à conjuge infideli, consentiente ad cohabitandum.

Vers.14. Liberi ex vno vel vtroque Christiano parente nati, sunt sancti, h.e. Christiani.

1. Corinth. 8.

Tria in hoc capita sunt documenta. 1. Vt ab impuris gentilium epulis abstineant. 2. Vt recte vtantur libertate Christiana. 3. Vt scientiam frænent charitate.

1 Cor. 9. v. 24.

Confer cum Phil. 3. v. 14.

Brauium cœleste non potest non omni ex parte esse splendidissimum, siue consideres Deum, principem illum infinitæ potentiæ & magnificentiæ, qui brauium proponit: siue cogites athletas, quibus proponitur, qui sunt filij ipsius & fratres Christi: siue denique magnitudinem gaudij & gloriæ. Deinde oportet currere ad hoc brauium, hoc est, seruare mandata Dei! Nam lex Dei est stadium, in quo oportet currere *Ps. 119.*

Ergo

Ergo qui per viam mandatorum Dei currunt, illi in stadio ad brauium currunt. Porro ars & modus ita currendi, vt brauium apprehendamus, tria documenta complectitur. Primum illud est, vt à stadio non recedamus deflectendo à lege dilectionis Dei & proximi: deinde vt curramus velociter, h.e. ardenti voluntate mandata custodiamus: tertio vt perseueranter curramus, ne fatigemur currendo, aut currere cessemus. Oportet autem hæc omnia facere in Christo, ita vt simus præditi vera fide. Absque hac sit, frustra curremus.

1. Corinth. 9.

Vers. 2. Auditores frugi sunt sigillum ministerij Ecclesiastici, h.e. confirmant illud esse legitimum.

Vers. 9. Præcones Euangelij ex Euangelio viuere, est juris diuini & gentium.

Vers. 19. Christianus etsi est dominus fide in Christum, tamen debet esse seruus omnium, affectu & effectu charitatis, quæsitit & promouet omnium salutem.

Vers. 27. Omnes frugi Christiani exemplo Apostoli debent contundere corpus suum, ne fiant reprobi: non quod metuere debeant electioni & saluti suæ, sed gloriæ Dei & scandalo proximi. Reprobus itaque hic opponitur non electo, sed probato: ita vt reprobus hoc loco dicatur is, quem experientia ostendit non talem esse qualem esse oportebat.

1. Cor. 9. v. 25.

Confer cum 2. Tim. 4. v. 8.

Coronæ nomine significatur æterna felicitas, quia datur victoribus in certamine, & est res honorificentissima & altissima. Tanto autem illustrior erit hæc corona, quanto paucioribus illa dabitur, & quanto grauior est pugna, & quanto glorioſior est victoria. Nam hæc corona non datur omnib. hominibus, neque etiam omnibus vocatis, sed solis electis: qui pugnant cum hostibus plurimis & infensissimis, nempe cum diabolo, mundo & carne sua. Non est hic ludicra pugna: neque certamen cum hominibus; sed cum principe hujus seculi & potestatibus aeris. Victoria reportatur hoc modo. Quemadmodum athletæ, vt corruptibilem coronam accipiant, ab ijs omnibus se abstinent, quæ corpus debilitare & ineptum ad pugnam reddere possunt, puta à nimio cibo & potu, à congressu cum vxoribus, à negotijs domesticis: ita nostrum est abstinere ab omnibus, quæ animam debilitant, vt sunt comessationes, ebrietas, luxuria, otium, & similia quæ nobis coronam incorruptibilem eripiunt.

1. Corinth. 10.

Vers. 3. Patres manducantes manna, & bibentes de Petra in deserto, omnes

omnes eandem inter se & nobiscum escam spiritualem manducarunt, & eundem potum spiritualem biberunt, sacramentaliter: quia manna & Petra sacramentaliter erant Christus, significando Christum.

Vers.12. Multi, qui videntur stare in fide, cadunt: non vero illi, qui reuera stant.

Vers. 16. Poculum benedictionis, est communio sanguinis Christi: Panis fractus, est communio corporis Christi sacramentaliter: quia sunt sacramenta spiritualis communionis sanguinis & corporis Christi, h.e. signa practica, quæ significant, obsignant, exhibent denique rem significatam & obsignatam, in legitimo vsu.

1. Corinth. 11.

Vers.4.5. In Ecclesia probari debet honestas ciuilis.

Vers.19. Hæreses sunt necessariæ, ex hypothesi definitionis diuinæ, & probationis electorum.

Vers.26. Vsus Sacræ Cœnæ est commemorare mortem Domini, non historice, sed practice, id quod fit credendo, gratias agendo, consolando, & pie viuendo.

Vers.27.29. Hypocritæ fiunt rei corporis Domini, non accepti, (accipitur enim fide, & acceptum non potest non prodesse,) sed rejecti, & irreuerenter, absque discretione fidei, vsurpati: quomodo sceptrum vel diploma principis irreuerenter tractatur à subdito, qui pedibus conculcando vel lacerando sceptrum & diploma regis, dicitur conculcare & lacerare majestatem regis, adeoque fit reus læsæ majestatis.

Vers.28. Probatio sui ipsius consistit in examine scientiæ & conscientiæ, doctrinæ & vitæ seu fidei, spei & charitatis. Qui hoc modo seipsum non probat, fit reus corporis Christi.

Vers.32. Finis afflictionum est παιδεία, h.e. paterna castigatio, ne cum mundo p[illegible]eamus.

1. Cor. 12.

Dona spiritualia sunt varia, quæ dantur ab vno Spiritu, vni corpori, ad vnitatem illius conseruandam: quomodo videmus membra corporis ab vno Spiritu & capite regi, ad conseruationem istius corporis.

1. Corint. 13.

Vers.1. & seqq. Gratia gratis data, siue habitualis, nihil prodest sine gratia gratum faciente, h.e. Dona Spiritus S. siue sint ordinaria, siue extraordinaria, puta fides historica & miraculosa, dona linguarum & Prophetiæ, &c. sine charitate habentib. nihil prosunt ad salutem, licet prosint alijs, quorum salus per ista procuratur, quomodo arca Noe extruebatur ab ijs, qui non saluabantur per eam.]

Vers.5.9.& seqq. Cognitio in statu viæ est vmbratilis, ænigmatica & speecularis: in statu patriæ est euidens, perfecta & exemplaris.

Vers.13. Charitas est major fide, tum historica, tum justificante: non quod magis justificet, quam fides, legaliter vel Euangelice; sed tum quia nunc habet effecta magis conspicua, quam fides, tum quia olim in altera vita, cessante fide, etiam durata est. Cessabit autem fides, non ratione fiduciæ, sed ratione spei, quam hic habet indiuiduum comitem.

1.Cor.14.

Hoc caput est agenda Ecclesiastica, vt vocant, ein Kirchen-Ordnung.

1.Corint.15.

Simson redux ex bello *Judic.14.* conuiuis suis nuptialibus dono dedit vestes splendidas. Eundem in modum Christus post reportatam victoriam de hostibus suis in vltimo judicio donabit nos in nuptijs suis lætissimis veste immortalitatis. Vestem istam describit hoc loco Apostolus, & docet. 1. Quod sit futura resurrectio. 2. Quomodo sit futura.

De I. Quemadmodum bonus architectus jacit bonum fundamentum: ita Apostolus extructurus ædificium, cujus altitudinem non assequitur ratio nostra, ponit firmissimum fundamentum, puta resurrectionem Christi, & demonstrat Christum vere à mortuis resurrexisse, quod Scriptura hoc prædixerit, & innumeri testes idem viderint. Hinc jam infert nos quoque resurrecturos. Christus enim est caput nostrum, & primitiæ omnium electorum, quemadmodum primus Adam est caput omnium hominum, qui in illo moriuntur; & quomodo *Exod.23.34.* & *Levit.23.* in primitijs frugum sanctificabantur reliquæ fruges & tota messis.

De II. Apostolus duo docet. 1. Quomodo corpora nostra sint resurrectura. 2. Qualis sit futura immutatio illorum, quos viuos deprehendet vltimus ille dies. *Ad 1.* Apostolus hic nos deducit in scholam naturæ, & primo nobis ob oculos ponit granum tritici, deinde varietatem animalium, tertio claritatem stellarum, quarto collationem corporis mortalis & immortalis. *Ad 2.* Immutatio illa fiet in momento, & vi tubæ Dei seu vocis Christi. Nam quemadmodum per Christum facta est mutatio prima in creatione, qua flores & gemmæ pulcherrimæ, metalla, & res similes ex terra sunt productæ: ita per eundem fiet vltima tuutatio in reproductione corporum nostrorum. Summa hujus capitis huc redit. Fides resurrectionis Christi, certissimis comprobata testimonijs, fidem suscitationis corporum ex morte, & immortalitatis animarum, totusque adeo religionis Christianæ, ceu fundamentum solidissimum sustinet atque confirmat: atheismum contra & epicureismum, de animarum cum corporibus perpetuo interitu, falsitatis redarguit.

1.Cor.15.

1. Corinth. 15. v. 12. & seqq.

Confer cum Johan. 19. v. 25.

Ex articulo de resurrectione carnis & vita æterna sumuntur efficacissima argumenta consolatoria aduersus mortem. Jam de priori illo loco Christianæ consolationis agemus, & docebimus quod sit certo futura resurrectio carnis, & quomodo sit futura. *Concio funebris.*

De I. Resurrectio probatur ex *Job. 19. vers. 25. Esa. 26. vers. 19. Dan. 12. vers. 2. Johan. 5. vers. 28. 1. Thess. 4. vers. 13. Apocal. 20. vers. 12.* item ab omnipotentia, justitia, omniscientia & veritate Dei: item ex symbolo, administratione sacramentorum, & natura fœderis gratuiti. Huc commemoretur vigor herbarum, qui non emoritur tempore hyberno: item satio grani, confectio vitri, separatio massæ mineralis per ignem.

De II. Modus resurrectionis consideratur in genere & in specie. In genere, quantum ad numerum, qualitates & finem resurgentium. Nam resurgent omnes homines *Johan. 5. Dan. 12.* resurget caro eadem, & quidem spiritualis, id est, non animalis, sed prædita qualitatibus immortalem vitam decentibus: denique resurgent omnes ad judicium. In specie resurrectio aliorum erit ad judicium absolutionis, aliorum ad judicium condemnationis: Huc pertinet exemplum Israelitarum & Pharaonis, qui vtrique ingressi sunt mare, sed dispari euentu. Ita videmus violas & rosas in odorem, spinas ad ignem nasci.

1. Corint. 15.

Vers. 22. Omnes in Adamo moriuntur, & omnes in Christo viuificantur: quia in mortem nemo incidit, nisi per Adamum: & in vitam nemo redit, nisi per Christum, vt scite interpretatur Augustinus.

Vers. 24. 28. Christus in fine seculi, abolitis omnibus hostibus, tradet regnum Deo Patri, non conferendo Patri, quod non habuit, nec priuando se regno, ne habeat, (regni enim ejus non erit finis), sed deponendo regnum œconomicum, hoc est, partes mediatoris, & mediatum regni statum mutando in immediatum. Deinde Filius subjicietur Patri, non subjectione seruili, sed tali, qua legatus, expedita & deposita legatione, se subjicit leganti, vt ab illo accipiat testimonium obitæ cum laude legationis.

1. Corinth. 15. v. 42.

Magnificentia & pompa sepulturæ nostræ non consistit in splendida funeris deductione, & sepulchri pulchra præparatione, & monumentorum atque orationum funebrium celebritate, sed in permutatione illa gloriosissima, quæ hic describitur. Expendantur autem ista duo: quale corpus humetur, & quale corpus resurgat. Nimirum humatur corpus exanime & fœdum, & in terra corrumpitur: sed resurgit corpus glorioſum. Quo per- *Concio funebris.*

tinet ſimilitudo grani, quod ſeritur: domus leproſi in V.T. quæ diruebatur: vaſis, quod figulus diffringit, vt præſtantiorem formam inducat: veſtis laceræ, quæ deponitur, vt induatur noua: denique metallorum, quæ igni imponuntur vt purgentur. Hoc ig. vere eſt χρύσια χαλκείων, aurea pro æneis recipere, cum ruinoſæ ædes in ſplendidas, & veteres atque ſordidæ veſtes in nouas, eaſque purpureas & aureas conuertentur. *2. Cor. 5. v. 1.*

1. Corint. 15.

Verſ. 36. & ſeqq. Satio agricolarum, intuitus agrorum, & conſideratio ſtellarum, debent nobis inter alia eſſe ſpecula glorioſæ reſurrectionis. Sed nos ferme hæc & ſimilia intuemur, vt vacca nouam portam.

Verſ. 44. Corpus ſpirituale non opponitur viſibili, ſed animali. Nimirum oculi, aures, ventriculus, hepar, & ſimilia corporis membra, non habebunt in altera vita vſum vel officium vitæ animalis, ſed ſpiritualis.

Verſ. 50. Caro & ſanguis, h. e. homo corruptus, non poteſt conſequi hæreditatem regni Dei, quod eſt ſpirituale, & proinde nonniſi ad ſpirituales pertinet.

1. Cor. 15. v. 54.

Concio funebris. Conſiderabimus potiſſimam cauſam, cujus meditatio mortis metum nobis eximere aut minuere vel inprimis debet. Ea vero eſt mors Chriſti, qua mors noſtra eſt abſorpta in victoriam. Nam Chriſtus moriendo pro nobis, vicit mortem, efficiendo vt ſit ſerpens ſine veneno, crabro ſine aculeo, adeoque ſomnus, expiratio, lucrum, via & janua in patriam, liberatio ex carcere, depoſitio tabernaculi, iter ad nuptias agni. Quare ſi te vel in morbo, vel in animi languore aliquo, vel in agone mortis verſantem mortis imago & facies horrenda terret, auene oculos & mentem à ſpectro illo, & larua, & fide intuere Chriſtum. Porro Chriſtus non ſolum eſt protagoniſta, qui inſtar Simſonis diſcerpſit hunc leonem, ſed etiam paraſtates, qui tibi eſt ad latus, cum de vita tua agitur, *Eſa. 43. v. 2. Pſal 23.*

1. Corint. 16.

Verſ. 2. Semper debemus eſſe miſericordes & benefici, erga quoſuis egenos: maxime vero & præcipue ſabbato, erga domeſticos fidei. Hæc enim non eſt proſopolepſia illicita, quæ conſiderat qualitates externas, hoc eſt, illas, quæ ſunt extra meritum cauſæ: ſed licita & neceſſaria, quæ attendit ad qualitates internas, hoc eſt illas, quæ pertinent ad arcem cauſæ vt ſunt fidelitas & infidelitas, cognatio Chriſtiana ſeu ſpiritualis, naturalis & ciuilis, &c.

Verſ. 22. Si quis non amat Jeſum Chriſtum, eſto anathema *Maranatha*, h. e. reſtruator ſecundo aduentui Chriſti, poſtquam nos nihil fecimus reliqui ad eum monendum & inſtituendum.

CON-

VIII.

CONCIONES IN II. EPIST. AD CORINTH.

Memoriale 2. ad Corinthios. Cap. 12.

20 16 15 6 1
Christus Amen, Mortis, Velamen, Splenduit, Ædes,
14 9 9 8 4
Belial, Rite dolent, Pauper, Aperta, Valent.
14 9 5
Transformat, Tibi sufficiat, Vos rite probate.

Oeconomia Epistolæ posterioris ad Corinthios.

Epistolæ posterioris ad Corinthios trés sunt partes.

I. Exordium, *cap. 1. ad vers. 8.*

II. Institutio; eaque gemina apologetica, scil. & parænetica. Apologia continet defensionem Pauli quoad vitam, *cap. 1. 2. 3.* & doctrinam, *ca. p. 4. 5.* Paræneſis est triplex. Primo apostolus hortatur ad piam vitam, patientiam in afflictionibus & fugam impiorum, *cap. 6.* Secundo ad omittenda de se siniſtra iudicia, & ad liberalitatem, *c. 7. 8. 9.* Tertio ad ipsum amandum, *c. 10. 11. 12.*

III. Concluſio est *cap. 13.*

Typicam siue tabellarem disposition em posterioris epistolæ ad Corinthios vide *lib. 2. præcog. theol. c. 60 pag.* 111. chronologiam *ibid. cap. 116. pag. 497 & supra in præliminari concione Bibliorum.* Characterem denique & summariam consideration em *lib. 2. prec. theol. c. 124. pag. 638.*

2. *Cor.* 1.

Vers. 6. Fideles pastores & doctores affliguntur & patiuntur pro ecclesiæ consolatione & salute, non redimenda vel acquirenda, sicut Christus: sed promouenda & confirmanda.

Vers. 8 9. 10. 11. Deus suos quandoque graui er & supra vires affligi & premi sinit. 1. ne in seipsis confidant. 2. vt in solo Patre cœlesti fiduciam ponant. 3. Vt liberati spem bonam in futuram concipiant. 4. Vt preces & gratiarum actiones publicæ & priuatæ pro ipsis excitatiores fiant.

Vers. 20. Omnes Dei promissiones in solo Christo sunt fundatæ & ratę: quia in eo solo Deus nobis vult esse propitius.

Vers. 21. 22. Deus nos confirmat, vngit & obsignat ad salutem.

Vers. 23. Jusiurandum necessarium est species precationis, pertinens ad tertium decalogi præceptum.

tinet ſimilitudo grani, quod ſeritur: domus leproſi in V.T. quæ diruebatur: vaſis, quod figulus diffringit, vt præſtantiorem formam inducat: veſtis laceræ, quæ deponitur, vt induatur noua: denique metallorum, quæ igni imponuntur vt purgentur. Hoc ig. vere eſt χρύσια χαλκείων, aurea pro æneis recipere, cum ruinoſæ ædes in ſplendidas, & veteres atque ſordidæ veſtes in nouas, eaſque purpureas & aureas conuertentur. *2. Cor. 5. v. 1.*

1. Corint. 15.

Verſ. 36. & ſeqq. Satio agricolarum, intuitus agrorum, & conſideratio ſtellarum, debent nobis inter alia eſſe ſpecula glorioſæ reſurrectionis. Sed nos ferme hæc & ſimilia intuemur, vt vacca nouam portam.

Verſ. 44. Corpus ſpirituale non opponitur viſibili, ſed animali. Nimirum oculi, aures, ventriculus, hepar, & ſimilia corporis membra, non habebunt in altera vita vſum vel officium vitæ animalis, ſed ſpiritualis.

Verſ. 50. Caro & ſanguis, h. e. homo corruptus, non poteſt conſequi hæreditatem regni Dei, quod eſt ſpirituale, & proinde nonniſi ad ſpirituales pertinet.

1. Cor. 15. v. 54.

Concio funebris. Conſiderabimus potiſſimam cauſam, cujus meditatio mortis metum nobis eximere aut minuere vel inprimis debet. Ea vero eſt mors Chriſti, qua mors noſtra eſt abſorpta in victoriam. Nam Chriſtus moriendo pro nobis, vicit mortem, efficiendo vt ſit ſerpens ſine veneno, crabro ſine aculeo, adeoque ſomnus, expiratio, lucrum, via & janua in patriam, liberatio ex carcere, depoſitio tabernaculi, iter ad nuptias agni. Quare ſi te vel in morbo, vel in animi languore aliquo, vel in agone mortis verſantem mortis imago & facies horrenda terret, auene oculos & mentem à ſpectro illo, & larua, & fide intuere Chriſtum. Porro Chriſtus non ſolum eſt protagoniſta, qui inſtar Simſonis diſcerpſit hunc leonem, ſed etiam paraſtates, qui tibi eſt ad latus, cum de vita tua agitur, *Eſa. 43. v. 2. Pſal 23.*

1. Corint. 16.

Verſ. 2. Semper debemus eſſe miſericordes & benefici, erga quoſuis egenos: maxime vero & præcipue ſabbato, erga domeſticos fidei. Hæc enim non eſt poſopolepſia illicita, quæ conſiderat qualitates externas, hoc eſt, illas, quæ ſunt extra meritum cauſæ: ſed licita & neceſſaria, quæ attendit ad qualitates internas, hoc eſt illas, quæ pertinent ad arcem cauſæ vt ſunt fidelitas & infidelitas, cognatio Chriſtiana ſeu ſpiritualis, naturalis & ciuilis, &c.

Verſ. 22. Si quis non amat Jeſum Chriſtum, eſto anathema *Maranatha*, h. e. reſtruator ſecundo aduentui Chriſti, poſtquam nos nihil fecimus reliqui ad eum monendum & inſtituendum.

CON-

VIII.

CONCIONES IN II. EPIST. AD CORINTH.

Memoriale 2. ad Corinthios. Cap. 12.

20 16 15 6 1
Christus Amen, Mortis, Velamen, Splenduit, Ædes,
14 9 9 8 4
Belial, Rite dolent, Pauper, Aperta, Valent.
14 9 5
Transformat, Tibi sufficiat, Vos rite probate.

Oeconomia Epistolæ posterioris ad Corinthios.

Epistolæ posterioris ad Corinthios trés sunt partes.

I. Exordium, *cap. 1. ad vers. 8.*

II. Institutio; eaque gemina apologetica, scil. & parænetica. Apologia continet defensionem Pauli quoad vitam, *cap. 1. 2. 3.* & doctrinam, *ca. p. 4. 5.* Paræneſis est triplex. Primo apostolus hortatur ad piam vitam, patientiam in afflictionibus & fugam impiorum, *cap. 6.* Secundo ad omittenda de se siniſtra iudicia, & ad liberalitatem, *c. 7. 8. 9.* Tertio ad ipsum amandum, *c. 10. 11. 12.*

III. Conclusio est *cap. 13.*

Typicam siue tabellarem dispositionem posterioris epistolæ ad Corinthios vide *lib. 2. præcog. theol. c. 60 pag.* 111. chronologiam *ibid. cap. 116. pag. 497 & supra in præliminari concione Bibliorum.* Characterem denique & summariam considerationem *lib. 2. prec. theol. c. 124. pag. 638.*

2. Cor. 1.

Vers. 6. Fideles pastores & doctores affliguntur & patiuntur pro ecclesiæ consolatione & salute, non redimenda vel acquirenda, sicut Christus: sed promouenda & confirmanda.

Vers. 8 9. 10. 11. Deus suos quandoque grauiter & supra vires affligi & premi sinit. 1. ne in seipsis confidant. 2. vt in solo Patre cœlesti fiduciam ponant. 3. Vt liberati spem bonam in futuram concipiant. 4. Vt preces & gratiarum actiones publicæ & priuatæ pro ipsis excitatiores fiant.

Vers. 20. Omnes Dei promissiones in solo Christo sunt fundatæ & ratę: quia in eo solo Deus nobis vult esse propitius.

Vers. 21. 22. Deus nos confirmat, vngit & obsignat ad salutem.

Vers. 23. Jusiurandum necessarium est species precationis, pertinens ad tertium decalogi præceptum.

2. *Cor.* 2.

Vers. 7. Agentes pœnitentiam post excommunicationem, sunt absoluendi, & recipiendi in gremium ecclesiæ, ne desperatione absorbeantur.

Vers. 15. 16. Prædicatio euangelij est εὐωδία *gradus odor*, Deo, non solum in electis, qui credunt & saluantur: sed etiam in reprobis, qui non credunt & pereunt: quoniam illorum salute manifestatur misericordia Dei eligentis, istorum perditione justitia ejusdem non eligentis.

2. *Cor.* 3.

Vers. 6. *Lex* est litera occidens, quia ex lege est agnitio peccati & reatus, quæ duo nos occidunt, litera legis hoc indicante: *euangelium* est spiritus viuificans, quia est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Vers. 13. Allegoria velaminis Mosis hæc est. Velamen illud erat symbolum obscuritatis & imbecillitatis hominum, qui legis fulgore hebetarentur potius, quam illustrarentur, quomodo oculi caligantes hebetantur solis lumine, robusti delectantur & recreantur. Hoc velamen sublatum est aduentu Christi, corda illustantis & ad Deum conuertentis: ita vt à cœcitatis seruitute in lucis libertatem per Christum & Spiritus ejus virtutem asseramur.

2. *Cor.* 4.

Vers. 3. 4. Euangelium non est obscurum, nisi reprobis à Satana excœcatis: quomodo sol est obscurus cœcis.

Vers. 6. Sicut Deus in prima creatione jussit lucem è tenebris splendescere, omniaque creauit solo nutu & jussu: ita etiam in regeneratione, tanquam secunda creatione, nos refringit.

Vers. 17. Afflictiones piorum operantur gloriam, non meritorie (neq; enim condignæ sunt passiones præsentes ad gloriam filiorum Dei in nobis retegendam *Rom.* 8. *v.* 18.) sed organice, quia carnem domant, precesque & studia salutis excitant atque promouent.

2. *Cor.* 5.

Vers. 1. 2. *& seqq.* Qui in domicilio corporis constituti, sunt induti Christo, & præditi arrhabone Spiritus sancti, transferentur in domicilium cœleste, vbi Deus est omnia in omnibus.

Vers. 15. Christus pro ijs est mortuus, qui cum ipso sunt mortui, & resurgunt, h. e. non sibi, sed Christo viuunt.

Vers. 17. Homo Christianus est noua creatura in Christo. Conferatur hic creatio noua cum prima.

2. *Cor.* 6.

Vers. 2. Tempus noui testamenti est tempus acceptum, & dies salutis, quo

quo Deus gratuitam ſuam beneuolentiam pleniſſime effudit in Chriſto.

*Verſ.*14.15. Cum alienis à fide Chriſti, licet quidem colloqui, conuerſari, & contrahere: ſed non oportet aliquid committere, quod repugnet euangelio, vel ſcandalum ponat infidelibus, aut Chriſtianis infirmis.

2. Cor. 7.

*Verſ.*5. Fideles Dei miniſtros grauius afficiunt interna eccleſiæ vitia & ſcandala, quam externa mala crucis.

*Verſ.*9.10. Dolor ſecundum Deum, pœnitentiam ſalutarem, virtute fidei, ex qua manat.

*Verſ.*14. Gloriatio bonæ conſcientiæ in Domino & recte adminiſtrato officio eſt licita.

2. Cor. 8.

*Verſ.*2. Diluuium afflictionum non extinguit feruorem fidei & charitatis, ſed accendit, quomodo oleum nutrit flammam.

*Verſ.*9. Chriſtus diues æterna deitate & ſanctitate, factus eſt pauper aſſumtione formæ ſeruilis, & carnis humanæ, quæ facta erat non ſancta, vt nos ejus paupertate ditaremur, facti conſortes diuinæ & ſanctæ naturæ. Differatur hic de duplici paupertate & opulentia, corporali & ſpirituali.

2. Cor. 9.

*Verſ.*6 Beneficentia erga pauperes facit, vt ſeramus copioſe, & copioſius metamus.

*Verſ.*10. Eleemoſyna eſt γέννημα τῆς δικαιοσύνης, *fructus juſtitiæ*, h.e. juſtitia quædam diſtributiua: quia pars quædam facultatum noſtrarum, & benedictionis diuinæ, debetur pauperibus, jure diuino & naturali.

2. Cor. 10.

*Verſ.*4.5. Vita hominis Chriſtiani eſt minime delicata, ſed militia laborioſiſſima: cujus arma non ſunt carnalia, ſed ſpiritualia, & diuinitus valida, ad demolitionem munitionum rationis humanæ, ſiue in doctrina falſa, ſiue in vita mala.

2. Cor. 11.

*Verſ.*1. Fidi doctoris eſt, cum pueris repueraſcere, atque veluti deſipientem fieri per condeſcenſum ſiue accommodationem.

*Verſ.*2. Duplex eſt Zelotypia: vna, quæ ab amore noſtri proficiſcitur, vitioſa & peruerſa: altera, quam ſuſcipimus pro gloria Dei, & eccleſia, ſponſa illa Chriſti, ſecundum Dei verbum.

2. *Cor.* 12. *v.* 7. 8. 9.

Tria hic docemur. 1. Sanctos humiliari per colaphos Satanæ. 2. Cõsilio Dei euenire tentationes. 3. In hujusmodi tentationibus nobis dari à Deo gratiam sufficientem. Notentur hic duæ regulæ. 1. Satan colaphizat electos, non vt prosternantur, sed vt confirmentur, & excitatiori odio ferantur aduersus colaphizantem hostem. 2. Deus preces sanctorum pro bonis temporalibus semper exaudit, quoad finem precum, qui est gloria Dei & salus sanctorum: sed non semper, quoad modum & intentionem precantium: quia in vtroque isto non raro errant etiam sanctissimi.

2. *Cor.* 13.

Vers. 4. Christus est crucifixus ex infirmitate carnis sponte susceptra, h. e. quod attinet ad infirmam illam serui formam, quam sponte suscepit, semetipsum exinaniendo, & nostras infirmitates, vi sponsionis, suas faciendo, Christus est mortuus pro nobis, vt ne nobis esset moriendum.

Vers. 5. Rejectanei seu reprobi hypocritæ, perseueranter dubitant, an sint in fide, an sint membra Christi, & an Christum in se manentem habeant. Ex his efficitur, electos præditos esse vera & viua fide, quæ in corde sentitur, & non dubia opinione, vel morali conjectura, sed stabili constantique certitudine in gratia Dei per Christum acquiescit. Facessat itaque ἀποχὴ sophistarum, & illud emblema quorundam: *Fides est supra opinionem, sed infra scientiam.* Cæterum dubitatio partialis, particularis, & illa quæ est ad tempus, electis est vtilis, & non euertit fidem, sed illustriorem & firmiorem reddit.

IX.

CONCIONES IN EPIST. AD GALATAS.

Memoriale Epistolæ ad Galatas. Cap. 6.

7 19 13 5 22

Turbant, Per legem, Maledictio, Adoptio, Fructus,

7

Non irridetur Maximus ille Deus.

Oeconomia Epistolæ ad Galatas.

Epistolæ ad Galatas partes sunt numero tres.

I. Exordium apostolicum, *cap. 1. ad v. 6.*

II. Contenta Epistolæ: vbi est tractatio personalis, videl. reprehensio, *à v. 6. c. 1. & c. 2.* itemque realis de justitia fidei, *c. 3 4.* & justificationis fructibus,

ctibus, puta bonis operibus: vbi est adhortatio generalis, *c.5.* & specialis *cap.6. ad v.*18.

III. Conclusio *à v.*18 *c.6.*

Typicam siue tabellarem dispositionem epistolæ ad Galatas vide *libr.* 2 *præcog. theol. c.61 pag.*111. chronologiam *ibid. cap.*116. *p.*497 *item supra in præliminari concione Bibliorum.* characterem deniq; & summariam considerationem *lib.*2 *præc. theol. c.*124 *p.*639.

Gal. 1.

*Vers.*6. Galatæ sunt speculum inconstantiæ humanæ in rebus fidei.

*Vers.*7. Huma commenta & traditiones euangelio Christi admixtę circa fundamentum salutis, id totum adulterant, fidemq; & conscientias perturbant. Quod attinet ad traditiones ecclesiasticas & rituales, illæ regi debent legibus prudentiæ & libertatis Christianæ.

*Vers.*8. Non solum illi, qui contra, sed etiam hi, qui præter euangelium tradunt salutis vitam, euangelium inuertunt, & anathema sunt.

*Vers.*9. Sacrarum scripturarum authoritas diuina tanta est, vt ne angeli quidem de cœlo, nedum homines, quantælibet dignitatis sint, habeant potestatem, eam in dubium vocandi aut conuellendi.

*Vers.*10. Qui hominibus placere studeant, non sunt serui Christi. Nam mundus & Christus sunt duo domini διὰ παντὸς contrarij.

*Vers.*15. Deus separat homines ab vtero ad certa munia.

*Vers.*23. Ex lupis vastantibus ecclesiam quandoque fiunt oues.

Gal. 2.

*Vers.*11. Etiam apostoli errarunt, non quatenus amanuenses Dei & publici atq; jurati notarij, sed vt priuati homines.

*Vers.*16.17. Neq; operibus solis, ex fide, vel sine fide factis, neq; operib. & fide simul, sed sola fide (quę per charitatem est efficax) promissionem euangelij sibi applicante, seu Christi obedientiam & meritum applicante, homo justificatur. Sicut enim inobedientia primi Adami hominem detrudit ad infernum: sic obedientia secundi Adami eundem euehit in cœlum, si eam sibi applicet vera fide.

*Vers.*20. Fides saluifica ex thesi facit hypothesin, dicendo cum apostolo: *Filius Dei dilexit* ME, *& tradidit semetipsum pro* ME. Quæ verba apostolus pronuntiat, non ex speciali reuelatione, sed ex fiducia promissionis euangelij, quæ est vniuersalis respectu omnium credentium. Atque hæc est πληροφορία & applicatio specialissima, quæ in actu justificationis omnibus fidelibus est communis.

Gal. 3.

*Vers.*1. Partes ministri verbi decet, Christum clarissime depingere ob oculos, omnibus & singulis auditoribus suis, in verbo & sacramentis.

Vers.6. Fides justificans est eadem in V.& N.T.

Vers.13. Quando illud legis fulmen, *Maledictus omnis qui non permanet in iis, quæ scripta sunt in libro legis vt ea faciat*: nos terret, oculos conuertamus in Christum, qui pro nobis factus est maledictio.

Vers.22. Promissio euangelij datur solis credentibus. Nam promissio & fides se habent relatiue.

Vers.24. Lex est pœdagogus ad Christum.

Vers.27. Omnes qui in Christum baptizantur, Christum induunt, vel vsque ad sacramenti perceptionem, vel vsque ad vitæ sanctificationem. Prius illud bonis & malis potest esse commune: hoc posterius est proprium bonorum & piorum.

Gal.4.v.21.26.

Concio typica.

I. Sensus huius loci est: quod inde ab initio promissionis illius *Gen.3.* fuerint duum generum populi videl. populus legis, & populus euangelij. Populus Israelis figuratur per Ismaelem, qui ob primogenituram voluit dominari in domo patris sui. Eundem in modum populus legis jactauit externum splendorem, & propter carnalem natiuitatem voluit censeri in vera ecclesia. Deinde quemadmodum Ismael fuit natus ex ancilla: ita filij legis, qui nituntur suis meritis, habent seruilem spiritum. Denique sicut Ismael non erat legitimus hæres, sed fuit ejectus è domo, instructus pane & aqua; quam ipsius sortem Hagar defleuit: sic populus legis non est hæres Dei, sed eiicitur ex domo, & dimittitur vna cum aquosa sua sanctitate: quo fit vt Ismael animã agat, & Hagar hanc sortem filii sui deploret. Si vero resipiscat hic populus, Deique misericordiam imploret, Christus adest & monstrat fontem salutis, vnde sitim suam potest restinguere, quemadmodum angelus Hagaræ monstrauit fontem aquæ. Porro populus euangelij, seu fidei figuratur per Isaacum, qui non erat filius secundum carnem, sed secundum promissionem genitus, adeoq; filius gratiæ, natus ex libera, & hæres Abrahami. Tales sunt filij Dei in Christo.

II Vsus Ne jactemus merita nostra, sed per veram fidem apprehendamus promissionem.

Gal. 4.

Vers.1. Quemadmodum lex, id est tota legalis œconomia, fuit pœdagogus & custos: ita etiam fuit instar tutoris siue curatoris. Nam sicut pœdagogus, custos & tutor ad certum tempus dantur tantisper, dum finita pœdagogia, custoria & tutela fiamus nostri juris, & satis robusti atque docti: sic & œconomia legalis durare debuit vsque ad Christi aduentum, qui finem imposuit alphabetariæ institutioni legis.

Vers.4. Deus Filium suum, factum ex muliere, fecit legi obnoxium,

tum

tum quoad obedientiam vitæ, tum quoad maledictionem seu obedientiam mortis, vt nos à maledictione & rigida legis exactione liberaret.

Gal. 5.

Vers.17. Omnes renati in hac vita manent ex parte caro, ex parte spiritus: vnde perpetuam experiuntur in se luctam carnis & spiritus, quæ eos non terrere, sed excitare debet. Differt autem hæc lucta ab illa lucta, quæ cernitur in nobilioribus ethnicorum inter τὸ ἡγεμονικὸν siue λογικὸν & τὸ ἄλογον, puta θυμικὸν καὶ ἐπιθυμητικόν. Nam in sanctis habitat Christus per fidem & spiritum regenerationis: in ethnicis, & omnino hominibus non renatis, lumen naturæ ad superiorem gradum euehitur.

Vers.19. & seqq. Hic proponitur Apellea tabula hominum regenitorum & non regenitorum, dum vtrorumque opera oculis subjiciuntur quam clarissime.

Gal. 6.

Vers.1. Omnes homines sunt fratres jure creationis: omnes vocati, sunt fratres communione gratiæ externæ: omnes electi, sunt fratres, communione gratiæ internæ & gloriæ, seu jure redemtionis: pastores verbi sunt fratres jure speciali dispensationis mysteriorum Dei, vnde & symmystæ dicuntur.

Vers.2. Qui diligit fratrem, ita vt ipsius onera portet, complet legem Christi, non extensiue vel intensiue, sed affectu sinceritatis & integritatis.

Vers.6. Æquum est, magistros pro facultatum ratione à discipulis ali.

Vers.8. In mundo sunt duûm generum homines. Alij seminant carni, alij spiritui.

Vers.14. Gloria Christianorum est crux Christi: quippe hujus nostri ducis trophæum.

Vers.15. Noua creatio in Christo, non transmutat substantiam animæ vel carnis: sed nos ex hypostasi infirmitatis transfert in hypostasin firmitatis Christi.

Vers.16. Scriptura prophetica & apostolica est canon seu regula fidei, vitæ & vocationis, ad quam omnes, qui à via salutis aberrare nolunt, incedere oportet.

Vers.17. Stigmata Christi ferunt omnes Christiani communiter, quatenus illius crucem suam crucem statuunt per fidem, & ipsi conformes fiunt per suam crucem, patienter illam ferendo: martyres ferunt singulariter, quatenus pro Christo sanguinem suum fundunt.

X.

CONCIONES IN EPIST. AD EPHESIOS.

Memoriale Epistolæ ad Ephesios. Cap. 6.

4 11 6 10 13
Elegit Gentes, Consortes, Omnia, Membra,
13
Armatura Dei, quam timet ille malus.

Oeconomia Epistolæ ad Ephesios.

Epistolæ ad Ephesios partes sunt tres.

I. Πρόλογος seu præfatio apostolica, *c.*1 *v.* 1.2.

II. Λόγος seu institutio de beneficijs Dei, & officijs fidelium. Illa est didascalica, hæc protreptica. Beneficia Dei sunt tria: prædestinatio. *c* 1. redẽtio per Christum, *c.*2. & donatio cœlestis hæreditatis, *c.* 3. Officia fidelium præscribuntur in genere, *c.* 4. *&* 5. *ad v.*21. & in specie, *à v.*21. *cap.* 5. *&* *cap.*6. *ad vers.* 10.

III. Ἐπίλογος; continens salutationem apostolicam, *à v.* 10. *c.*6.

Typicam siue tabellarem dispositionem epistolæ ad Ephesios vide *lib.* 2. *præcog. theol cap.*62. *pag.*111. chronologiam *ibid cap.*116. *pag.* 497. *& supra in præliminari concione Bibliorum.* deniq; characterem & summariam considerationem *lib.*2. *præc. theol. c.*124. *p.*639.

Ephes. 1.

*Vers.*3. Aliter homines benedicunt Deo: aliter Deus benedicit hominibus. Illi prædicando, hic donando: Nam homines extollunt Deum dignis laud bus: Deus hominibus benedicit, dona gratiæ suæ gratis impertiendo, non secundum merita eorum, sed secundum diuitias misericordiæ suæ.

Ibid. Benedictio spiritualis, fides & conuersio ad Christum, ordine non antecedit æternam dilectionem & electionem in Christo, vt causa vel conditio, sed sequitur vt effectus & fructus. Ideo enim Deus in Christo nobis benedicit in tempore, quia in eo nos elegit ab æterno.

Vers. 10. Anacephalæosis seu recapitulatio, facta in Christo, pertinet communiter ad totum mundum, partim singulariter ad ecclesiam. Vt enim mundus per Christum est factus: ita & refectus. Nam ne ad momẽtum quidem consisteret hic mundus propter peccatum hominis, nisi propter Christum conseruaretur.

*Vers.*13. Electi obsignantur spiritu promissionis ad salutem.

*Vers.*22.

Verſ.22.23. Eccleſia eſt corpus Chriſti, qui ſolus eſt ipſius caput, ratione influxus & directionis.

Epheſ.2.

Verſ.1.2. Omnes homines ex naturæ corruptione, ſunt mortui in peccatis, & filij iræ Dei. Nulla igitur eſt liberi arbitrij ad bonum facultas, vel ad gratiam præparatio & applicatio.

Verſ.8.9. Omne hominis bonum, ab initio fidei, vſque ad perſeuerantiæ conſummationem, eſt diuinum donum & opus: ne quis glorietur cum Pelagio, cujus idolum hoc caput vna cum anteced. penitus euertit.

Verſ.14. Chriſtus ſoluit intergerinum parietem, tum inter Deum & peccatores, tum inter Judæos & gentes.

Verſ.19. Extra Chriſtum ſumus hoſpites & inquilini, in Chriſto ſumus conciues ſanctorum & domeſtici Dei.

Verſ.20.& ſeqq. Eccleſia eſt ædificium, ſuperſtructa ſuper Chriſtum, qui eſt fundamentum à prophetis & Apoſtolis annuntiatum.

Epheſ.3.

Verſ.5.6. Doctrina de vocatione gentium, eſt myſterium vltimis temporibus reuelatum.

Verſ.9. Miniſtri Euangelij illuminant auditores, doctrinam lucis ſonando foris, & Chriſtum, lucem veram monſtrando: Spiritus Sanctus illuminat mentes intus, creando ibi lumen fidei, ſpei & charitatis.

Verſ.12. Fides juſtificans accedit ad Deum cum fiducia actuali, quia ipſa eſt fiducia habitualis: ſicut Sol & calorem actualem, quia potentialem habet natura, tanquam fons caloris.

Verſ.18. Radicamur in charitate Dei non paſſiua, qua Deus à nobis diligitur, ſed actiua, qua Deus nos diligit.

Epheſ.4.v.8.17.

Hic locus ſumtus eſt ex *Pſal.68.* & conſtat duabus partibus, quarum prima eſt de captiuitate animæ hominis, altera de donis ſeu ornamentis ſpiritualibus animæ.

De I. Quadruplex eſt captiuitas hominis. 1. Amor creaturarum extra nos. 2. Amor noſtri ipſorum: vbi eſt ſtudium proprij commodi & honoris. 3. Ratio cœca, dominium ſibi vendicans in rebus ſpiritualibus dijudicandis. 4. Propria voluntas. Hic eſt infernus, in quo omnes homines detinentur à diabolo, mundo & propria carne. Ex hoc inferno qui non liberantur, ij præcipitantur in gehennam, ſeu carcerem mortis æternæ.

Qui vero per Christum sunt liberati, illi possunt dicere: Christus captiuam duxit captiuitatem. Nam præfectus carceris istius quadruplicis est victus, puta diabolus; quatuor isti carceres sunt effracti; vincula sunt soluta; patet via & janua cœli.

De II. Dona, quæ Christus distribuit, sunt ratione politiæ Ecclesiæ. *v.11.* & ratione vitæ spiritualis corporis hujus mystici. *vers.12. & seqq.* vbi explicetur similitudo ista, ita vt doceatur. 1. De bonis, quæ Christus influit in hoc corpus. 2. De officio Ecclesiæ, quod est adolescere in eum, qui est caput, puta Christus.

Ephes. 4.

Vers.10.22. Christus ascendit supra omnes cœlos, vt impleret omnia, non loca, sua carne: sed corda fidelium, sua virtute & gratia.

Vers.11. Hic continetur hierarchia primitiuæ & Apostolicæ Ecclesiæ, quæ nostra debet esse norma & forma.

Vers. 15.16. Christiani debent quotidie adolescere & augescere in Christo.

Vers.30. Tristitia afficiunt Spiritum Sanctum, qui ipsum abigunt. Nam Spiritus Sanctus dicitur ἀνθρωποπαθῶς tristari, quando facit, quod homines tristantes faciunt. Illi autem quid faciunt, nisi quod fugiunt conuersationem.

Ephes.5.

Vers.1. Christianismus non consistit in cognitione, sed in imitatione Dei.

Vers. 8. Translati sumus è regno tenebrarum in regnum lucis per Christum.

Vers.23. Christus est seruator sui corporis, merito & efficacia: est Seruator omnium vocatorum, communicatione gratiæ externæ: est Seruator omnium hominum, rectione generali seu prouidentia.

Vers 24. & seqq. Hic est idea mariti & vxoris bonæ.

Vers.32. Non carnale connubium mariti & vxoris, sed spirituale conjugium Christ & Ecclesiæ est magnum mysterium.

Ephes.6.vers.11. & seqq.

Concio funebris. Homo afflictus & moribundus moriendus est consolatione multiplici contra accusationem legis, peccati, extremi judicij, desiderij mundi, & Satanæ. De postremo consolationis genere jam dicemus, consideratui difficultatem & facilitatem victoriæ nostræ aduersus Satanam.

De I. Difficultas est maxima, si instituamus collationem nostræ & Satanæ; quippe qui est hostis astutissimus, insidians interne & externe: potentissimus, quia Spiritus, & princeps aeris: malitiosissimus, quia pugnat desuper, sicut accipiter in columbas: ingeniosissimus, quia Spiritus magnæ

magnæ experientiæ: occultus, quia est inuisibilis, & pugnat in tenebris, hoc est, obtenebrat intellectum eorum, quos vincere cogitat.

De II. Facilitas est à Christo, qui diabolum vicit, & nos instruit armatura præstanti, quippe quæ est Dei: & sufficienti, vtpote quæ conflat armis munitorijs & propulsatorijs. Ibi est veritas, justitia, præparatio Euangelij pacis & galea salutis: hic sunt, scutum fidei in sinistra, quæ fortiter tenet, & gladius verbi Dei in dextra, quæ celeriter vibrat.

Ephes. 6.

Vers. 2. Præceptum de honore parentum, est primum secundæ tabulæ, habens promissionem specialem longæuitatis; quæ per se est benedictio, ex accidenti quandoque cedit in grauamen & pœnam, propter peccata hominum.

Vers. 5. In his versibus & seqq. est idea boni heri & serui: quemadmodum sub initium hujus capitis est idea bonorum parentum & liberorum frugi, & sub finem cap. præced. speculum boni conjugij. Ex quibus confici potest tabula Appellea œconomica, ein rechte Haußtafel.

XI.

CONCIONES IN EPIST. AD PHILIPP.

Memoriale Epistolæ ad Philippenses. Cap. 4.

21 8 19. 4
Lucrum, Submisit, Venter Deus, Exultate.

Oeconomia Epistolæ ad Philippenses.

Epistolæ ad Philippenses tria sunt membra.

I. Præfatio Apostolica, *cap. 1. v. 1. 2.*

II. Tractatio; complexa quatuor conciones, è quibus prima est *à v. 3. cap. 1.* Secunda, *c. 2.* Tertia, *c. 3.* Quarta, *c. 4. ad v. 21.*

III. Conclusio, constans εὐλογίᾳ salutatione & valedictione, *à v. 21. cap. 4.*

Typicam siue tabellarem dispositionem Epistolæ ad Philippenses vide *lib. 2. Præcog. Theol. cap 63. pag. 112.* Chronologiam *ibid. cap. 116. pag. 497. & supra in præliminari Concione Bibliorum.* Denique characterem & summariam considerationem *lib. 2. Præcog. Theolog. cap. 124. pag. 641.*

Philip. 1.

Vers.1. Nomen *Episcopi* in Apostolica Ecclesia, omnibus pastoribus, seu presbyteris verbi, commune fuit, nomen videlicet officij pastoralis, quod positum est in inspectione ouium. Ambitio vero humana deinceps Episcopatum presbyterio majorem fecit.

Vers.6. Qui veræ fidei initia sentiunt in corde, de incrementis & perseuerantia certo sperare, Deumque inuocare debent: quia Deus opus manuum suarum non deserit, sed quod in nobis cœpit bonum, certo perficiet vsque in diem Jesu Christi.

Vers.15. Malitia ministrorum non derogat veritati doctrinæ, & efficaciæ ministerij. Quo pertinet distinctio inter virtutem viri & officij.

Vers.15 16.17.18. Bonus pastor vere annuntiat Christum; malus, in speciem, h.e. speciosam causam, videlicet Christum, prætexit ambitioni & inuidiæ suæ.

Vers.20. Veri martyres hanc habent spem, & intentam expectationem, quod nulla in re pudefiant, sed quod Christus magnificabitur in corpore ipsorum, seu per vitam, seu per mortem.

Phil 1.v.21 22.23.

Concio funebris. Tria hic proponuntur, quæ mortis metum nobis adimere debent. 1. Victoria Christi, qui vicit mortem, & est vita nostra spiritualis. 2. Vtilitas mortis, quæ est lucrum. 3. Facilitas mortis, quæ est solutio ex bigis, siue migratio. Quo pertinent illa, quod mors dicitur esse somnus *Actor.cap.7. Luc.cap.23.* expiratio *Luc.cap.23.vers.46.* vehiculum in pace *Luc.2. Esa.57.vers.1. Psal.49.* janua ad cœlestem patriam *Johan.5.vers.24.* depositio tabernaculi *2. Corinth.5.v.1.* liberatio ex carcere. *Psal.142.v.1.* & iter ad nuptias. *Apoc.20.v.4.* Sed penitius introspiciamus vtilitates mortis. Illa nos liberat à peccatis, cum quibus in hac vita est dimicandum: à peccatoribus & praua societate: à miserijs hujus vitæ, morbis innumeris, affectibus plurimis & molestissimis, ab instabilitate rerum humanarum, quæ est maxima in singulis statibus: denique promouet nos ad cœlestem felicitatem, quæ longo interuallo superat felicitatem terrenam.

Phil.1.v.23.24.

His verbis continetur ars moriendi, quæ consistit in legitima præparatione ad mortem, cujus duæ sunt partes. *Prima* est meditatio seria futuræ gloriæ, quæ est tanquam portus, ad quem debemus appellere, ita vt recte soluamus instar nautarum, ne forte faciamus naufragium. Hæc enim est vis verbi Græci. *Secunda* est examen rerum domesticarum, vt bene disponamus domui nostræ, ne peccemus in legem charitatis, etiam post mortem nostram.

Alia

Alia dispositio.

Dicemus de præparatione ad mortem. Est autem illa duplex; generalis, & specialis.

De I. Præparatio ad mortem in genere consistit in pœnitentia, cujus partes sunt contritio, fides & noua obedientia. De contritione vide *Psal.6.38.& 88.* de fide *Psal.51. Esa.53. Matth.11.vers.28. cap.18.v.28. Johan.3. v.16.1.Timoth.1.vers.15.* de noua obedientia *Marc.1.cap.15. Roman.cap.6.7. & 8.*

De II. Singuli in officio suo ita se præparabunt ad mortem, vt instituant examen vitæ & vocationis suæ: magistratus juxta *Psalm.2. vers.10.* Pastor juxta 1.*Timoth.4.vers.12.* juuenes juxta *Psal.119.vers.9.* & sic deinceps. Nominatim omnes curæ domesticæ & temporales ante agonem sunt deponendæ. Quo pertinet ratio condendi testamentum, in quo bona legitimis hæredibus sunt addicenda, & aliquid etiam ad pios vsus est legandum.

Phil.2.

Vers.5. Christi actio sit nostra institutio, non in miraculis & opere redemtionis, (hæc enim sunt ἀμίμητα, sed in dilectione Dei & proximi, quæ Christi actio est συμμίμητα carni & sanguini, μίμητα homini regenito per gratiam Spiritus Sancti.

Vers.6. Forma Dei & serui sunt duæ in Christo naturæ, diuina & humana. Differatur itaque hic de persona Christi, & ejus officio, quantum ad statum exinanitionis & exaltationis.

Vers.13. Quoniam Deus operatur in nobis velle & perficere, nihil relinquitur libero arbitrio, & meritis humanis in negotio salutis, cujus principium, medium & finis est pura pura gratia.

Vers.12. Cum timore & tremore operari salutem suam, non est, operibus salutem mereri, nec est, salutis suæ incertum esse, aut de ea hæsitare vel formidare: sed est sine arrogantia, vel fiducia donorum, & securitate carnali, in timore Domini, cauere lapsus, & sancta solicitudine fideliter inquirere, ac diligenter curare, à Deo petere & expectare ea, quæ ad salutem nostram pertinent. Oportet itaque hic distinguere timorem filialem à seruili, spiritualem à carnali.

Phil.3.

Vers.2. Mali pastores sunt canes inuidi, muti & impudici.

Vers.7.8. Merita operum, quæ homines habent pro lucro, reuera sunt damnum, quia gratiam Christi obscurant, & ideo tanquam σκύβαλα abijci debent. Idem est judicium de diuitijs hujus mundi.

Vers.12.& seqq. Perfectio piorum consistit in agnitione imperfectionis, & studio perfectionis.

Vers.20. Nostrum πολίτευμα est in cœlis. Non itaque debemus nos gerere vt municipes hujus mundi, sed vt municipes cœlorum. Anima ergo deuota quotidie seipsum alloquatur hoc versu:

Θυμὲ βλέψον ἄνω, χθονίων ἐπιλήθεο πάντων.

Phil.4.

Vers.3. Dicitur Deus per anthropopathiam habere librum, in quo electorum suorum nomina de scripserit, quibus vitam æternam sit daturus. Eum Ezechiel vocat scripturam domus Israel, & arcanum Domini *cap.13.v.9.*

Vers.4.& seqq. Lugentes de peccatis & miseriis, tum nostris, tum alienis, gaudere simul debemus in Domino, de re conciliatione cum Deo, & liberatione per Christum.

XII.

CONCIONES IN EPIST. AD COLOSSEN.

Memoriale Epistolæ ad Colossenses. Cap.4.

16 14 1 2

Per Christum, Qui chirographum, Cœlestia, Vota.

Oeconomia Epistolæ ad Colossenses.

Epistolæ ad Colossenses tria membra sic habent.

I. Præloquium, *cap.1.ad v.12.*

II. Institutio de Christ ana doctrina & vita. Illius tractatio est, *cap.1.& 2.* hujus tractatio est partim generalis, partim specialis, *cap. 3. 4. ad vers.7.*

III. Conclusio est *à v.7. ad finem c.4.*

Typicam siue tabellarem dispositionem Epistolæ ad Colossenses vide *lib.2.Præcogn.Theol.cap.64 pag.112.* Chronologiam *ibid. cap.116. pag.497. & supra in præliminari Concione Bibliorum.* Characterem denique & summariam considerationem *lib.2.Præcog.Theol.cap.124 pag.641.*

Colos.1.

Vers.6.23. Prædicatio Euangelij dicitur peruenisse in totum mundum, quadam synechdoche: non quod vbique locorum totus orbis simul insonuerit, sed quod extra pomœria Iudææ, nullo populorum discrimine, vbi vis gentiũ, quos quidem Deus eadem dignari voluit, fuerit propagata.

Vers.15. Christus est *imago* Dei *inconspicui*, tum ratione deitatis, qua Patri

Patri est per omnia æqualis, adeoque imago illius essentialis, non vero accidentalis, vti homo dicitur esse imago Dei: tum ratione doctrinæ & operum diuinorum, quibus omnipotentiam, misericordiam, justitiam, & voluntatem Patris nobis in carne pleniſſime repræsentauit.

Vers.16. Per Christum omnia sunt condita, tum prima creatione in mundo, tum secunda creatione seu reparatione in Ecclesia. Illa creatio facta est per Christum, tanquam verum Deum, hæc per eundem, tanquam θεάνθρωπον.

Vers.18. Christus est caput Ecclesiæ, tum perfectione personæ, quia est θεάνθρωπος; tum dignitate officij, quia est seruator hujus corporis merito & efficacia. Meritum consistit in λύτρῳ sufficientissimo, efficacia cernitur parti... in influxu, partim in regimine, quia viuificat, regit & seruat omnia Ecclesiæ membra.

Vers.20. Deus recapitulauit omnia in cœlo & in terra per Christum. 1. Non perdendo mundum, qui vanitati est obnoxius per & propter peccatum primi hominis. 2. Sanctos angelos sibi vniendo in æternum, tanquam ministros sui Filij futuros in Ecclesia. 3. Omnes credentes sibi reconciliando, & sanctis angelis associando.

Vers.23. Perseuerantia fidei sic cohæret cum præsente gratia, vt de hac nemo possit esse certus, qui de illa dubitet.

Vers.24. Paulus dicit se pati pro Ecclesia, hoc est, pro Ecclesiæ ædificatione, non vero pro illius redemtione: seque explere reliquias passionum Christi in carne sua, non quod meritum Christi sit imperfectum in sese, & requirat supplementum ab hominibus: sed quia Christus singulis membris, præcipueque suis ministris in Euangelio, afflictionum suarum certum dispensauit demensum. Afflictiones autem Ecclesiæ dicuntur afflictiones Christi propter arctissimam illam vnionem & communionem capitis cum suo corpore mystico.

Colos. 2.

Vers.3.9. In Christo habitat omnis plenitudo deitatis corporaliter, quia tota perfectaque deitas est in Carne assumta, non solum per essentialem præsentiam & potentiam, quomodo est in omnibus creaturis; nec solum per gratiam, quomodo specialiter est in sanctis: sed etiam per vnionem hypostaticam cum persona verbi, & per gratiarum siue donorum plenitudinem.

Vers.8. Tria sunt impedimenta Christianismi. 1. Philosophiæ deprædatrix, gentilis, sophistica & ebria. 2. Traditiones hominum. 3. Elementa mundi, hoc est, rudimenta ceremoniarum V.T. Confer cum *vers.20.*

Vers.11.12. Circumcisio & baptismus sub diuersis signis eadem Christi beneficia obsignarunt: purgationem à peccatis, & sanctificationem,

necnon adoptionem & cooptationem in fœdus Dei & Ecclesiam. Cæterum circumcisio, quæ fit sine manibus, ad nos æque pertinet atque ad Judæos, licet nobis non significetur per circumcisionem externam, quæ adhuc duret.

Vers.17. Ceremoniæ legales fuerunt vmbræ rerum futurarum, quarum corpus seu complementum in Christo possidemus. Ceremoniæ inquam V. T. in nouo sunt mortuæ & mortiferæ.

Vers.23. Traditiones humanæ, quantumuis speciosæ & inueteratæ stabilientes ἰθελοθρησκίαν, ipso genere sunt damnatæ.

Coloss.3.

Vers.1.2. Christus non est quærendus in terra, aut terrenis locis, vel rebus, sed sursum ad dextram Patris. Quærendus, inquam, est fide: quippe quæ vnit cœlum & cor nostrum, facitque vt Christus erigat sibi sedem & veluti cœlum in corde nostro. Fides autem illa est efficax in vniuersa nostra vita, facitque vt vitam Christi nobis proponamus exemplar & regulam omni exceptione majorem. Qua de re Apostolus in toto hoc capite præcipit, tum in genere, tum in specie.

Vers.24. Qui fideliter seruiunt Christo, retributionem hæreditatis recipient, non ex merito, vel debito, sed ex gratia. Non enim nascimur, sed scribimur hæredes cœlorum.

Coloss.4.

Vers.3. Sancti debent pro se inuicem orare, & his suis precibus se juuare apud Dominum.

Vers.15.16. Euangelium non inducit auctoritatem Stoicam, vel barbariem anabaptisticam, sed requirit gratiositatem in dictis & factis.

XIII.

CONCIONES IN I. EPIST. AD THESSALONIC.

Memoriale Epistolæ I. ad Thessalonicenses. Cap.1.

3 4 12 17 8

Spes, Euangelium, Dilectio, Inaera, Thorax.

Oeconomia Epistolæ prioris ad Thessalonicenses.

Epistolæ prioris ad Thessalonicenses partes ita habent.

I. Proœmium, *cap.1.v.1.*

II. Institutio de doctrina fidei, *c.1.2.3.* & vitæ, vbi est hortatio & consolatio, *c.4.& 5.ad v.23.*

III. Conclusio est *a v.23.c.5.*

Typicam

Typicam siue tabellarem dispositionem prioris epistolæ ad Thessalonicenses vide *lib.2.pracog.theol.cap.65.pag.*113.chronologiam *ibid. cap.*116. *pag.*496. *& supra in præliminari concione Bibliorum.* denique characterem & summariam considerationem *lib.*2.*pracog.theol.cap.*124.*p.*642.

1. *Thes.*1. *v.*3.

*Vers.*3.4. Apostolus hic proponit artem orandi, quid scil. indesinenter à Deo petere debeamus, vera nempe Christianismi & electionis τεκμήρια, efficacem fidem, laboriosam charitatem, & tolerantem spem: quibus virtutibus theologicis, vt vocant, ceu tribus columnis innititur Christianismus.

*Vers.*5. Ministerium euangelii non consistit in locutione duntaxat, sed etiam in virtute & efficacia spiritus.

1. *Thess.* 2.

Hoc caput est speculum boni pastoris & auditoris in ecclesia. *Boni pastoris* est, non moueri afflictionibus, παρρησιάζεσθαι ἐν τῷ θεῷ; non quærere sua commoda, sed Christi gloriam, & ecclesiæ salutem; ita viuere, vt vita respondeat doctrinæ; non solum publice, sed etiam priuatim docere. *Boni auditoris* est, recipere sermonem, & illum obsignare patientia in perferendis afflictionibus.

1. *Thess.* 3.

*Vers.*3. Pij positi sunt ad crucem & afflictiones, non tanquam ad finem (non enim posuit nos Deus ad iram 1.*Thess.*5.) sed tanquam ad media salutis. *Rom.*8.

*Vers.*5. Diaboli vnica ars est tentare homines ad malum.

1. *Thess.*4.

*Vers.*3. Voluntas Dei est sanctificatio nostri, ratione animæ & corporis.

*Vers.*13. Luctus Christianus & ethnicus de mortuis, discrepare debet, *tum in causa*, ne putemus mortuos perijsse, vt ethnici; *tum in modo*, ne fremamus aduersus Deum, quasi priuatione mortuorum nos afficiat injuria, vt ethnici. Luctus itaque noster debet esse temperatus spe & fiducia futuræ resurrectionis, & cogitatione voluntatis Dei.

1. *Thess.*5.

*Vers.*1.2.3. Quoniam reditus Domini ad judicium est certus, tẽpus vero incertum & repentinum: ideo dies ille neq; curiose scrutandus, neque secure negligendus: sed vigilanter & sobrie orandus est & expectandus.

*Vers.*21. Examen seu probatio doctrinarum dubiarum ad normam verbi Dei omnibus Christianis præcipitur.

XIV.

CONCIONES IN II. EPIST. AD THESSALON.

Memoriale 2. ad Theſſalonicenſes Cap. 3.

8 4 13

Igne Dei, Falſus Deus, Haud ſegneſcite fratres.

Oeconomía Epiſtolæ poſterioris ad Theſſalonicenſes.

Epiſtolæ poſterioris ad Theſſalonicenſes diſpoſitio hæc eſt.

I. Exordium apoſtolicum, *c.* 1. *v.* 1.

II. Inſtitutio triplex: conſolatoria contra perſecutiones, *c.* 1. monitoria & prophetica, *c.* 2. hortatoria, *c.* 3. *ad v.* 16.

III. Concluſio *à verſ.* 16. *cap.* 2.

Typicam ſiue tabellarem diſpoſitionem poſterioris epiſtolæ ad Theſſalonicenſes vide *lib.* 2. *præcog. theol. cap.* 67. *pag.* 113. chronologiam *ibid. cap.* 116 *pag.* 496. *& ſupra in præliminari concione Bibliorum* denique characterem & ſummariam conſiderationem *lib.* 2. *præcog. theol. cap.* 124. *p.* 641.

2. *Theſſ.* 1.

Verſ. 5. 6. Eccleſia patitur afflictiones. Ergo erit judicium, quo liberabitur. Et, Impij affligunt pios. Ergo erit judicium, quo punientur. Valet vtrúque à juſtitia Dei. Nam ex juſtitia veritatis liberabit pios, & puniet impios ex juſtitia æqualitatis ſeu commutatiua.

Verſ. 7, 8. *& ſeqq.* Hic agitur de illuſtri magnificentia vltimi judicij, & recta præparatione ad illud.

Verſ. 11. Dignitas piorum non pendet ex illorum meritis, ſed ex Dei vocantis gratia.

2. *Theſſ.* 2.

Hoc caput vſque ad *verſ.* 15. agit de ortu, progreſſu, reuelatione & interitu antichriſti, hoc modo. 1. Defectio ſiue apoſtaſia eccleſiæ, authore antichriſto incidit in tempora Bonifacij III. à quo tempore, filius ille perditionis cum omni fraude injuſtitiæ, prodigiis mendacibus, & Satanæ efficacia ſedet in templo Dei, tanquam Deus, efferens ſe ſupra omne, quod dicitur Deus. 2. Tempore Pauli, & deinceps primis ſexcentis à Chriſto annis, duo fuerunt obſtacula antichriſti aduentum impedientia: vnum fuit *eccleſiaſticum*, puritas doctrinæ: alterum *politicum*, quod nondum tunc ex vrbe Roma remotum erat imperium Romanum, neque dum in Romani

manI Pontificis poteſtatem illud erat redactum. 3. Deus reprobis antichriſti ſectatoribus immittit efficaciam erroris, non nude permittendo, vel errores infundendo, vel recte ſentientes ſeducendo: ſed vltro cœcutientibus ſubducendo lumen veritatis, & illos relinquendo ſuis deſiderijs & vanis ſpeculationibus, occulto ſuo judicio. 4. Poſtremis hiſce temporibus euidenter retectus eſt antichriſtus.

Verſ.13.& ſeqq. Hic proponuntur κεφάλαια electionis: videl. vocatio per euangelium, fides habita veritati, ſanctificatio ſpiritus, conſolatio æterna &c.

2. Theſſ. 3.

Verſ.3. Fidelis eſt Dominus, qui ſtabilit ſalutem noſtram.

Verſ.14.15 Hic docemur, quomodo conuerſari debeamus cum iis, qui excommunicati ſunt.

XV.

CONCIONES IN I. EPIST. AD TIMOTHEVM.

Memoriale Epiſtolæ 1. ad Timotheum. Cap. 6.

18 6 9 8 23
Militiam, Pretium, Myſterium, Ad omnia, Vino,
6
Eſt quæſtus magnus, pia mens, contenta q3 paruo.

Oeconomia Epiſtolæ prioris ad Timotheum.

Epiſtolæ pioris ad Timotheum diſpoſitio hæc eſt.

I. Proœmium apoſtolicum, *c.1. v.1 2.*

II. Inſtitutio triplex. Prima de munere prędicationis *c.1.* & precationis, *c.2.* Secunda de perſonis eccleſiaſticis promouendis, *c.3.* & de remouendis, *c.4.* Tertia de perſonis quę debent parere ſuis paſtoribus *c.5.6. ad v.20.*

III. Concluſio apoſtolica, repetens principalem propoſitionem, *c.6. à verſ. 20.*

Typicam ſiue tabellarem diſpoſitionem prioris epiſtolæ ad Timotheum vide *lib.2 præcog.theol.cap.68 p.113.* chronologiam *ibid.c.116 p.496.* *& ſupra in præliminari concione Bibliorum.* denique characterem & ſummariam conſideration *lib.2.præcog.theol.cap.124 pag.643.*

1. Tim. 1.

Verſ.3.4. In eccleſia oportet ſeruare puritatem doctrinæ, & vitare vanitatem & curioſitatem quæſtionariam.

Verſ.5.

Vers.5. Summa Christianismi hic proponitur.

Vers.6. Lex est bona, si quis ea legitime vtatur, h. e. habeat pro speculo miseriæ, & pœdagogo ad Christum, & septo disciplinæ, & denique norma gratitudinis, non vero confundat cum euangelio: quod fit, quando justificatio & salus vel omnino meritis operum tribuitur, vel inter fidem & opera diuiditur.

Vers.9. Lex non est posita justo, quantum ad pœnam, sed quantum ad obedientiam: non quantum ad damnationem, sed quantum ad obseruationem.

Vers.13. Qui ex ignorantia non affectata blasphemant, & prosequuntur euangelij doctrinam, licet non excusentur, aut veniã & misericordiam mereantur: tamen facilius eam consequuntur, quia leuius peccant, quam illi, qui destinata malitia agnitam veritatem blasphemant & persequuntur: quoniam hi peccant in Spiritum S. adeoque irremissibiliter.

Vers.15.16. Habemus hic speculum consolationis & applicationis euangelicæ.

Vers.18.19. Christiani sunt milites, quorum militia consistit in eo, vt retineant fidem & bonam conscientiam: quæ duo diabolus ipsis eripere conatur.

Vers.19. Veræ fidei, qua creditur, nunquam fit naufragium: fidei, quæ creditur, i.e. doctrinæ, potest fieri naufragium.

1. *Tim. 2.*

Vers.4. Deus vult omnes homines saluos fieri: quia omnes, qui salui fiunt, nisi ipso volente, non fiunt, vt Augustinus explicat: vel, vt Thomas Aquinas, Deus vult omnes homines saluos fieri *antecedenter*, quod non est simpliciter velle, sed secundum quid: non autem *consequenter* quod est simpliciter velle. Denique, Deus vult omnes homines saluos fieri, h.e. omnis generis, ordinis, conditionis & sexus homines.

Vers.5. Christus solus est mediator tam intercessionis quam redemtionis, alias mediationis partes qua Deus, alias qua homo, omnes qua & quia θεάνθρωπος perficiens.

Vers.6. Christus dedit semetipsum ἀντίλυτρον pro omnibus, quomodo Deus vult omnes saluos fieri: videl. pro omnibus saluandis, & pro omnis generis hominibus.

Vers.15. Mulier seruatur perinde vt vir, si fe in conjugalibus oneribus cum fide & charitate modestam & sanctam præbuerit.

1. *Tim. 3.*

Vers.1. & seqq. Occurrit hoc loco *Pastorale Paulinum*, h.e. speculum boni pastoris.

Vers.15. Ecclesia est columna & stabilimentum veritatis, quatenus ea depos-

depositaria,adeoq; conseruat præclarum illud depositum, sacram scripturam,instar fidi tabellionis.

*Vers.*16.Secunda pars symboli apostolici compendiose hic traditur,de persona scil.Christi & ejus officio in statu exinanitionis & exaltationis.

1. *Tim.* 4.

*Vers.*1.*&seqq.*Est descriptio nouissimi hujus temporis, quod plenum est seductiouis & hypocriseos.

*Vers.*8.Est antithesis inter spiritualem exercitationem,& pietatem.Illa posita est in vitæ austeritate, & similibus exercitijs: hæc in cognitione & cultu Dei.Illa non prosunt per se,sed per accidens, quatenus sunt media, quibus promouetur pietas:hæc prodest sua natura, idq; tum in hac, tum post hanc vitam.

*Vers.*10.Deus est Seruator omnium hominum prouidentia & beneficentia generali:fidelium,prædestinatione & benedictone speciali.

*Vers.*12.Pastor debet esse exemplar gregis.

*Vers.*16.Ministri dicũtur seruare,tum seipsos tum alios, quatenus Deus in ijs posuit sermonem reconciliationis, ex cujus prædicatione est auditus,ex auditu fides.Seruant itaq; ὀργανικῶς;Deus seruat εὐεργητικῶς.

1. *Tim.* 5.

*Vers.*4.*&seqq.*Proponitur idea & speculum piæ viduæ,allatis in medium ex canonibus.

*Vers.*8.Neglectus domesticorum est abnegatio naturæ, ac multo magis fidei.Merito itaque apostolus eum,qui suis non bene præest, infideli deteriorem pronuntiat.

*Vers.*23.Vini vsus non tantum est exhilarare cor, sed etiam confortare ventriculum.

*Vers.*24. Dichotomia peccatorum valde necessaria hic traditur.

1.*Tim.6.v.6.*20.

Propositio apostoli est:Magnus quæstus est pietas sorte sua contenta, non vero cumulus diuitiarum. Hanc propositionem confirmat octo argumentis.1. Veræ diuitiæ sunt, quas ex hoc mundo efferimus, vt est pietas:non autem illæ, quas non intulimus in mundum, neque inde efferemus. 2. Nullus est quæstus diuitiarum temporalium, quia per illas incidimus in tentationem & laqueum. 3. Non sunt diuitiæ putandæ, quæ hominem præcipitant in exitium. 4. Auaritia est radix omnium malorum, sicut è contrario fides est radix omnium bonorum. 5. Diuitiæ temporales creant omnis generis dolores & angores. 6. Homo Dei quærit iustitiam Dei. 7. Diuitiæ sunt incertæ. 8. Veræ diui-

tiæ sunt thesauri illi, qui in cœlis reponuntur. Hæc est velut scala, constans octo gradus, per quos descenditur in infernum, hoc modo. Ab incredulitate descenditur ad auaritiam, ex auaritia ad solicitudinem quæ nos cruciat, ab anguſtia solicitudinis in varias concupiscentias futiles & stolidas, à concupiscentijs in tentationes & laqueos, ex tentatione in desperationem, ex desperatione in barathrum damnationis.

1. *Tim. 6.*

Vers. 11.12. Officium hominis Christiani circumscribitur suis terminis.

Vers. 15.16. Hæc continetur descriptio Dei magnifica.

Vers. 17.18.19. Officium diuitum positum est in his quinque. 1. ne efferantur animo. 2. ne spem ponant in diuitiis incertis, sed in solo Deo. 3. vt alijs benefaciant. 4. vt sint diuites bonis operibus. 5. vt sint facilis communicus. Hi sunt quinque gradus, qui constituunt fundamentum, quo fultantur diuites, certo apprehendent vitam æternam.

Vers. 20. Homo Christianus seruare debet depositum, partim scripturæ, partim donorum, vt sunt fides, spes &c.

XVI.

CONCIONES IN II. EPIST. AD TIMOTH.

Memoriale 2. ad Timotheum. Cap. 4.

9 19 1 7

Seruauit Dominus nouit, Mala tempora, Cursum.

Oeconomia Epistolæ posterioris ad Timotheum.

Epistolæ posterioris ad Timotheum partes ita habent.

I. Præfatio apostolica, *c. 1. ad v. 6.*

II. Institutio duplex. Prima est hortatoria ad perseuerantiam in officio, *c.* 1. & in militia Christiana, *c.* 2. altera est prophetico protreptica, *cap. 3. & 4. ad v. 9.*

III. Conclusio apostolica, *à v. 9. c. 4.*

Typicam siue tabellarem dispositionem prioris epistolæ ad Timotheū vide *lib 2 præcog theol. c. 69. p.* 114. chronologiam *ibid. c.* 116. *p.* 499. *& supra in præliminari concione Bibliorum.* denique characterem & summariam considerationem *lib. 2. præcog. theol. c.* 124. *p.* 644.

2. *Tim.* 1.

Vers. 3. Apostolus gratiam habet Deo, cui seruisse se dicit inde à majoribus cum pura conscientia, non quod probet Pharisaismum, sed quod simpli-

ſimplicitatem ſuam in cultu majorum tuendo tum tẽporis præ ſe tulerit.

*Verſ.*5. Religio maiorum non quæuis, ſed ea demum laudabilis eſt, quæ non eſt ſimulata.

Verſ 6.7. Dona Dei in nobis exſuſcitare, eſt ea *tum* ſtudio, meditatione & precibus augere & conſeruare, ne ignauia noſtra minuantur, vel torpore pereant: *tum* ad vſum Deo glorioſum, eccleſiæ, nobis & proximo ſalutarem conferre: *tum* denique idipſum non timide vel frigide, ſed intrepide & fortiter agere.

*Verſ.*9. Principium, medium & finis ſalutis noſtræ eſt puta Dei gratia.

*Verſ.*12. Qui credit non ignorat ſe credere: ſed fidem ſuam nouit, eamque videt in corde ſuo, certiſſima ſcientia, clamanteque conſcientia, vt ſunt verba Auguſtini.

*Verſ.*13. ὑποτύπωσις ὑγιαινόντων λόγων cum omittitur, veritas in ſcholis & eccleſiis amittitur.

*Verſ.*14. Quanto magis perſuaſum habemus, Deum poſſe & velle nobis depoſitum fidei in finem vſq; ſeruare, tãto magis ſtudere debemus, & ipſi, depoſitum illud ſeruare per Spiritum ſanctum: quoniam non ſine noſtro ſtudio, ſed per hoc Deus vult illud ſeruare. Certitudo igitur ſalutis non minuit, ſed excitat & auget perſeuerandi ſtudium.

2. *Tim.* 2.

*Verſ.*3. Bonus paſtor meminerit ſe eſſe militem Chriſti.

*Verſ.*8. Chriſtus crucifixus tenendus eſt mente, animo, corde.

*Verſ.*19. Liber vitæ duo habet ſigilla. Primum eſt à priori: *Nouit Dominus eos, qui ſunt ſui.* Alterum eſt à poſteriori: *Abſcedat ab iniuſtitia* &c. Nos non poſſumus legere hunc librum à priori: quia hoc eſt ſolius Dei. Legamus itaque illum à poſteriori, & hæc duo κεφάλαια electionis habeamus pro infallibilibus, *Abſcedere ab iniuſtitia*, & *Inuocare nomen Chriſti.*

*Verſ.*20.21. Exhortationes non ſunt teſtes noſtri operis, ſtudij aut virium, quaſi noſtri arbitrji ſit, vt fiamus vaſa ad decus: ſed ſunt formæ, ſecundum quas nos formare debemus.

2. *Tim.* 3.

Verſ 1. *&ſeqq.* Eſt deſcriptio nouiſſimi temporis.

*Verſ.*9. 13. Improbi homines non proficiunt ad ſubuerſionem bonorum, tametſi proficiant ad impletionem menſuræ peccatorum ſuorum.

*Verſ.*15.16.17. Eſt encomium ſcripturæ, & inſtitutio de fructuoſa illius lectione. Nam in ſingulis prope verſibus oportet reſpicere quadruplicem ſcripturæ vſum, quem apoſtolus hoc loco tradit.

2. Tim. 4.

Vers.2. Pastor ecclesiæ debet prædicare sermonem ἐυκαίρως καὶ ἀκαίρως, non tamen imprudenter. Tempestiue enim prædicare est dicere, quando commodum & gratum est auditoribus: intempestiue, quando ipsis incommodum & ingratum est, sed tamen necessarium & vtile.

Vers.7.8. Disseritur hic de officio militis Christiani, & illius brauio, quod est corona justitiæ, quam reddet Deus certantibus, non vt meritis illorum debitam, sed vt fidei & obedientiæ ipsorum gratis promissam, tanquam compensationem laborum.

XVII.

CONCIONES IN EPIST. AD TITVM.

Memoriale Epistolæ ad Titum. Cap. 3.

12 12 5

Cretensis mendax, Juste, Renouatio Flatus.

Oeconomia Epistolæ ad Titum.

Epistolæ ad Titum dispositio hæc est.

I. Exordium apostolicum, *c.1 v.1.*

II. Institutio de officio Ecclesiæ Cretensis, quantum ad pastores, *c.1.* & auditores, *c.2. & 3. ad v.11.*

III. Conclusio apostolica, de rebus priuatis, *à v.12. c.3.*

Typicam siue tabellarem dispositionem epistolæ ad Titum vide *lib.2. præcog.theol.cap.70.pag.114.* chronologiam *ibid.cap.116.pag.497. & supra præliminari concione Bibliorum.* denique characterem & summariam considerationem *lib.2.præcog.theol.c.124.pag.644.*

Tit. 1.

Vers.1. Agnitio veritatis, quæ est secundum pietatem, non est theorica, sed practica.

Vers.6.7. & seqq. Prosopographia Paulina presbyterorum & episcoporum, est cynosura & lydius lapis pastorum verbi, redarguens pseudo presbyteros & pseudoepiscopos, quorum hoc seculum est feraciſſimum.

Vers.15. Differatur de puritate & pollutione duplici, corporali & spirituali.

Tit. 2.

Hoc caput *à v.1. ad 11.* complectitur Ethicam specialem de officiis senum, adolescentum &c. & deinceps proponit Ethicam generalem.

Vers.11.

Vers.11. Gratia Dei salutifera in Euangelio illuxit omnibus hominibus, quoad verbi prædicationem, solis vero credentibus & resipiscentibus, quoad salutis fruitionem.

Tit.2.v.11.12.13.14.

In his verbis describitur initium, medium & finis salutis nostræ.

De I. Principium salutis est ibi: *Illuxit gratia illa Dei salutifera.* Nimirum gratia Dei est fons & fundamentum omnium donorum salutarium.

De II. Medium salutis est. 1. Institutio diuina: *Erudiens nos.* 2. Fuga peccati: *Vt, ab negata impietate,* &c. 3. Fides, spes & charitas: quæ tria ordine inuerso per ὑστεροπρότερον proponuntur, hoc modo. Fides ibi: *Magni illius Dei ac seruatoris,* &c. Quibus verbis continetur descriptio personæ & officij Christi: item descriptio Ecclesiæ, ibi: *Populum peculiarem, accensum studio bonorum operum, &c.* Spes ibi: *Expectantes beatam illam spem.* Charitas ibi: *Temperanter, & juste, & pie viuamus*: quibus verbis continetur Ethica Paulina, adeoque compendium Decalogi. Oportet enim viuere *pie* erga Deum, studio amplius eum cognoscendi, humilitate, adoratione, fiducia, inuocatione, gratiarum actione, fuga idololatriæ, reuerenti vsurpatione nominis ejus, & sanctificatione sabbati, juxta primam tabulam: *juste* erga proximum, parentes & superiores honorando, vitam, castitatem, bona & existimationem aliorum tuendo, denique contra fas nihil appetendo, juxta secundam tabulam: *temperanter* erga seipsum, rursus juxta secundam tabulam. Oportet autem in his perseuerare, donec absoluta hujus vitæ peregrinatione, beate moriamur.

De III. Finis & complementum salutis est ibi. *Expectantes beatam illam spem, & illustrem illum aduentum gloriæ magni illius Dei.*

Tit.3.

Vers.3.4. Describitur hoc loco status miseriæ & gratiæ.

Vers.5. Deus per baptismum nos adoptat hæredes, justificat, regenerat, seruat: non ex opere operato, sed sacramentaliter, hoc est, quia baptismum tantorum beneficiorum nobis dat & confert sacramentum.

XVIII.

CONCIONES IN EPIST. AD PHILEMONEM.

Memoriale Epistolæ ad Philomonem.

5

Sit sincera fides, nec simulatus amor.

Oeconomia Epistolæ ad Philemonem.

Epistola ad Philemonem continetur vnico duntaxat capite. Proœmium est *v.1.2.3.* Contenta sunt duo, videlicet de æquitate Christiana, & commendatio Onesimi, *à v.3. ad 21.* Conclusio est *à v.21. ad finem.*

Typicam siue tabellarem dispositionem Epistolæ ad Philemonem vide *lib.2. Præcogn. Theol. cap.71. pag.114.* Chronologiam *ibid. cap.116. pag.497. & supra in præliminari Concione Bibliorum.* Characterem denique & summariam considerationem *lib.2. Præcog. Theol. cap.124. pag.645.*

Archetypi Concionum.

Vers.2. Cœtus piorum recte inuocantium Deum per Christum etiam exiguas, & latens in angulo, recte vocatur Ecclesia. Hinc Ecclesia Catholica tempore persecutionum conseruatur in familijs & cryptis.

Vers.4. Præcipua charitatis Christianæ pars vertitur in eo, vt pro nobis inuicem oremus.

Vers.9. Gloria martyrum est, quod pro Christo patiuntur.

Vers.10.11.12. Viles & parui in Ecclesia non sunt contemnendi, sed fraterne suscipiendi, & juuandi, propter virtutem.

Vers.10. Discipuli sunt filij præceptorum, ab ipsis geniti parturiendo, hoc est, inter docendum vari is molestias perferendo. Vnde labores parturientium, in scholis docentium, & in acie stantium dicuntur maximi.

Vers.14. Euangelium non conuellit leges ciuiles. Ideo nec seruos sub prætextu pietatis à dominis inuitis auellit.

Vers.18. Etiam pessimis, qui nos læserunt, modo resipiscant, cum à Deo venia donentur, Christianum est, fraterne ignoscere.

CON-

XIX.

CONCIONES IN EPIST. AD HEBRÆOS.

Memoriale Epistolæ ad Hebræos. Cap. 13.

3 17 15 12 6
Est splendor, Similis, Si vocem, Sermo, Sacerdos,
13 2 6 14 9
Jurans, Melchisedek, Pactio, Sanguis, Agam.
1 6 8
Dia fides, Dominus castigat, Christus in anum.

Oeconomia Epistolæ ad Hebræos.

Epistola ad Hebræos habet tres partes, hoc ordine.

I. Proœmium, *cap. 1. v. 1.*

II. Corpus doctrinæ Christianæ, de Christo & Christianis. Christi proponitur persona & officium. Persona respectu naturæ diuinæ, *c. 1.* & humanæ, *c. 2.* officium propheticum est, *c. 3. 4.* sacerdotale consideratur ratione ordinis Melchisedeci, *cap. 5. 6. 7.* ratione objecti. *c. 8. 9.* & effecti, *c. 10.* Christianorum officium cernitur in fide, *ca. 11.* spe, *c. 12.* & charitate, *c. 13. ad v. 20.*

III. Conclusio constans voto Apostolico, *c. 13. à v. 20.*

Typicam siue tabellarem dispositionem Epistolæ ad Hebræos vide *lib. 2. Præcog. Theol. cap. 72. pag. 1145.* Chronologiam *supra in præliminari Concione Bibliorum.* Denique characterem & summariam considerationem *lib. 2. Præcog. Theolog. cap. 124. pag. 645.*

Hebr. 1.

Vers. 1. Continua serie Deus locutus est in V. T. partim sacrosanctum os suum viua voce referando, partim angelos & prophetas mittendo, partim in somnijs apparendo, partim conuersando, partim sacrificia & typos exhibendo: in plenitudine autem temporis locutus est nobis in Filio.

Vers. 1. & seqq. Hoc capite occurrit vera Theologia, hoc est, dissertatio περὶ τοῦ λόγου, vel potius θεανθρωπολογία, id est, dissertatio de Christo θεάνθρωπῳ. Asseritur enim ejus tum deitas, tum humanitas. *Deitas* his argumentis: quod sit Filius Dei. *vers. 1.* quod Pater per illum condiderit secula. *vers. 2.* quod sit effulgentia siue splendor gloriæ, & character personæ illius. *vers. 3.* quod sustineat omnia verbo suo potente, &c. *ibidem* quod sit genitus à Patre *vers. quinto.* quod adoretur ab angelis. *vers. sexto,*

quod

quod sit Deus, insistens throno æterno. *vers.8.* quod sit Deus, vnctus oleo lætitiæ. *v.9.* quod initio terram fundauerit. *ver.10.* quod sit æternus, & immutabilis. *vers.12.* Hinc patet, non esse illustriorem locum in toto N. Test. vbi plura deitatis Christi argumenta recitantur. Humana natura asseritur *vers.1.2.3.4.13.* Nam Deus nobis loquutus est in Filio, scilicet patefacto in carne. Ille est hæres omnium, tanquam mediator, qui purgauit peccata nostra per seipsum, & præstantior factus est angelis per vnionem personalem, denique sedet ad dextram Patris, ad quem ascendit suo corpore.

Vers.14. Præcipuum angelorum officium est, ministrare Deo & filijs ejus, capessando illius jussa, & horum salutem promouendo.

Hebr.2.

Vers.6. & seqq. Mystica & allegorica Psalmi octaui expositio hic traditur. Vide supra in concionibus super Psalmos.

Vers.9. Christus mortem gustauit pro omnibus fidelibus, qui fiducia mortis Christi vitam quærunt & consequuntur. Horum enim loco & bono Christus est mortuus.

Vers.14. & seqq. Mediator Dei & hominum, Deus & homo verus esse debuit, vt pro nobis mori posset, mortisque suæ virtute nos à morte liberaret.

Hebr.3.

Vers.1.4. Duobus superioribus capitibus asseruit Apostolus vtramque Christi naturam: deinceps explicat triplex ipsius munus, & primo quidem propheticum, quando Christum vocat *Apostolum*, i.e. legatum, quomodo *Rom.11.* appellatur minister circumcisionis: deinde sacerdotale, quando ipsum appellat *Pontificem professionis nostræ*, h.e. doctrinæ Euangelicæ, quã profitemur: denique regium, quando ipsum vocat *architectum* totius domus, h.e. tum mundi, tum Ecclesiæ, tum Mosis: vbi per domum Mosis intelligitur tabernaculum.

Vers.6. Allaborare debemus, vt simus domus Christi per fiduciam & spem perseuerantem.

Vers.14. Qui retinent principium illud, quo sustentantur, firmum ad finem vsque illi facti sunt participes Christi. Principium inquam fiduciæ. Principium autem Apostolus Hebræorum more vocat, quod est præcipuum.

Hebr.4.

Vers.2. Euangelium auditum est simile potui. Non enim prodest, nisi temperetur fide: quomodo videmus potum, non temperatum, sed peccantem in excessu vel defectu, nihil prodesse.

Vers.3. & seqq. Differatur hic de requie corporali, de requie typica terræ Canaan, de requie mystica Dei, creatoris, deniq; de requie spirituali tum gratiæ in hac vita, tum gloriæ in futura.

Vers.

Vers.12. Verbum Dei in timore Domini lectum, auditum, prædicatū, ruminatum, non est litera mortua & inefficax: sed viua, efficax, illuminās & conuincens mentes, dijudicans cogitationes & conceptus cordis.

Vers.13. Deus totus est oculus, i.e. ipsa omniscientia.

Vers.14. Solus Christus est Pontifex magnus Ecclesiæ. Papa igitur est magnus ille Antichristus, quando se jactat Pontificem Maximum, efferendo se supra Christum Pontificem Magnum. Cæterum Christus penetrauit cœlos, non penetratione dimensionum, sed penetratione efficaci diffidente cœlos virtute sua, quomodo corpus Enochi penetrauit cœlos virtute Dei.

Vers.15. Christus est Pontifex nobis συμπάσχων.

Vers.16. A throno justitiæ Dei confugiamus ad thronum gratiæ, qui est Christus.

Hebr.5.

Vers.1.& seqq. Officium Christi sacerdotale admodum magnifice hic describitur.

Vers.4. Sine vocatione legitima nemo debet sese intrudere in ea, quæ sunt ministerij Ecclesiastici.

Vers.6.10. Instituatur collatio inter Christum & Melchisedecum ratione nominis, personæ & officij.

Vers.7.8.9. In officio Christi sacerdotali consideratur modus, & fructus. Modus consistit in passione & intercessione. Passio adeo magna fuit, vt Christus in agone constitutus, pro sui etiam sustentatione & liberatione supplicauerit Patri cum clamore & lachrymis. Intercessio fuit fundata in merito passionis. Fructus est partim salus nostra, partim sympathia & obedientia Christi.

Vers.11. Mysterium de sacerdotio Christi est difficile segni nostræ carni.

Vers.12. Christiani sæpenumero non ita proficiunt, vti debent.

Vers.12.13.14. Duum generum auditores sunt in Ecclesia: infantes, lacte pascendi, & adulti, qui opus habent cibo solido.

Hebr.6.

Vers.1.2. Christiani boni debent tendere ad perfectionem, tum in doctrina, tum in vita.

Vers.4.5. Qui peccant in Spiritum Sanctum, h.e. veritatem agnitam malitiose abijciunt & persequuntur, non possunt resipiscere, tum ex defectu mediorum resipiscentiæ, quæ repellunt, tum ex occulto Dei judicio, percutientis tales apostatas finali cœcitate.

Hebr.6.v.1. ad finem.

Duo in hoc capite tractantur. 1. Quousque Spiritus Sanctus progredia-

tur in hypocritis. 2. Quousque progrediatur idem Spiritus in renatis. Qua occasione etiam dicemus, quousque progrediatur Satanas in seducendis electis, siue in lapsibus eorum. Quæ antithesis nobis ob oculos ponit profunda Dei, & profunda Satanæ, adeoque exponit rationem fluuij, quem draco euomit in corda fidelium. Porro ex hac antithesi elucescit, quæ sit differentia inter fidem τῶν ἀθυναίων & electorum, & quis sit status filiorum Dei in lapsibus.

De I. Sicut est triplex ordo & conditio hominum in vniuerso mundo: ita est triplex Christi influxus Quæ res nobis adumbrata fuit per templum Salomonis, in quo fuit atrium, sanctum, & sanctum sanctorum. *Per atrium* figuratur primus ordo hominum, qui est ciuilis. Hic Christus influit in omnes homines, quatenus sunt homines: quia illuminat omnẽ hominem venientem in hunc mundum, & est caput omnis viri. Influit autem ista dona, quæ veniunt nomine luminis naturæ & dictaminis conscientiæ, quæque adeo pertinent ad ciuilem hanc & animalem vitam. *Per sanctum* figuratur secundus ordo, qui est Ecclesiasticus seu religiosus. In hunc Christus influit Spiritum illum, de quo *1. Corinth. 12.* Hic Spiritus communis est hypocritis & electis, & complectitur tres partes, videlicet illuminationem intellectus affectionem cordis, & fiduciam seu refluxum ad Deum. In hoc ordine sunt omnes, qui nobis judicantur fideles. *Per sanctum sanctorum* figuratur tertius ordo, qui est mysticus, eorum qui sunt viua Christi membra. Quo pertinet similitudo *Ephes. cap. 2.* de σωμαφῆ corporis Christi. De secundo ordine, in quo sunt hypocritæ, nobis jam est sermo. De his Apostolus pronuntiat, quod illuminentur, quod gustent donum cœleste, quod participes fiant Spiritus Sancti, quod gustent bonum Dei verbum, & virtutes futuri seculi: quæ omnia sunt admodum magnifica. Sed qualis sequitur catastrophe? Sane tragica. Illi enim prolabuntur, rursum crucifigunt Filium Dei, &c. Confer cum *Hebr cap. 10.* Nimirum sicut Ismael & Isaac erant ambo simul in domo Abrahæ ad tempus, Ismael autem tandem ejiciebatur: ita in domo Dei est homo conscientiæ seruæ, & simul homo conscientiæ liberæ. Hic semper manet, ille tandem ejicitur. Rursus sicut multa sunt in corpore, quæ tametsi non sunt apta ad aliquod officium, non tamen statim computrescunt, vt strumæ, vomicæ, verucæ: sic hypocritæ in corpore Ecclesiæ sunt veluti strumæ, quæ non sunt aptæ ad officium aliquod spirituale, quod Deo placeat ad salutem. Hypocritæ sunt stellæ cadentes, quæ si in firmamento hæsissent, vtique non decidissent. Hi sunt ficus illa à Christo maledicta, & lacus ille salsus, in quem licet effundantur aquæ Ezechielis, non tamen sanatur, non purgatur à sua salledine. Hi sunt veluti herba solstitialis, quæ occidit sole occidente: hi sunt herba tecto-

tectorum : quæ ſuccum & radicem non habet. Hi ſunt veluti cu'ices, qui circa candelam luſitando ſe exurunt. Hypocritis iſtis affunditur lumen, quod non reflectitur ad ſuum fontem, ſed in carcere ſquallido extinguitur. Hypocritæ hi ſunt herbæ, quæ vel non habent radicem, vel habent aliquid radici ſimile. Proinde non poſſunt ferre tempeſtates, non menſes calidiores, quibus fruges ad maturitatem perducuntur, vt in horreum cogantur. Ideo hypocritæ ad ignem, non ad meſſem præparantur, vt ſcite ait Bernhardus. Hypocritæ ſiquidem habent verbum προφητικὸν, & precarium, quod ipſis eſt veluti cymbalum tinniens : ſed non habent verbum ἔμφυτον καὶ ἐνδιάθετον; Hi detinent veritatem capiuam in cogitationibus ſpurcis, velo hypocriſeos tectis. Habent ſemen in petroſa terra, quod obnoxium eſt ereptioni vel conculcationi. Non habent veſtem nuptialem : ſunt nubes ſine aqua : ſunt arbores infrugiferæ. In ſumma : intellectus hypocritarum habet lumen, ſed debile : in corde eſt pulſatio & impreſſio aliqua, quæ non fit in fundo cordis aut fibris ejus, ſed circa cor vel in ſuperficie ejus. Hinc illi guſtant gratiam & fauorem Dei non eo modo, quo nos ſaccarum guſtamus, quod in ventriculum traijcimus, & in ſanguinem atque ſuccum conuertimus, ſed iſto pacto, quo guſtamus ſaccarum, quod lingua contingimus. Ex his efficitur, hypocritas eſſe embryones & ligna alienis neruis mobilia. Neque enim ſuſtentantur in hypoſtaſi Filij Dei, ſed nituntur ficulneo fundamento laruatæ fidei & pietatis. Non itaque ſunt generoſi in fide, ſed ſunt ſpectra habentia colorem & ſpeciem donorum ampliſſimorum.

De II. Quemadmodum diſſertatio de hypocritis eſt horribilis : ita diſputatio de electis labentibus eſt lamentabilis. Vtraque multum negotij faceſſit anxijs ſcrutatoribus, quos Bernhardus vocat effractores nocturnos qui eo vſque progrediuntur, vt apoſtaſiam ſanctis tribuant. Verum eſt : Electi ſæpenumero adeo exercentur, vt conquerantur ſe à Deo deſeri, vt vnicum Dauidis exemplum ſatis ſuperque docet. Sed & hoc verum eſt : Electi ſemper manent ſub ſtatu Euangelij, & nunquam redeunt ad ſtatum legis, vt vt horribiliter labantur. Hæc eſt prima labes, ait Lutherus, quod neſcimus diſtinguere inter legem & Euangelium : inter ſubſiſtentiam hominis in ſeipſo, & ſubſiſtentiam in hypoſtaſi Chriſti. Homo regenitus eſt homo prodigioſus, conſtans duobus principijs contrarijs valde actuoſis, & duob. veluti bellatoribus. Eſt inſtar Rebeccæ, quæ duos geſtat populus in vtero. Populi iſti ſunt caro & Spiritus. Caro facit, vt Spiritus magis efferueſcat, nõ vero vt extinguatur. Etſi enim homo regenitus agit ſecundum vtrumq; principium : tamen miſericordia Dei ſemper eſt præſto, tanquam fons ſine intermiſſione ſuppeditans riuulos fluentes per deſertum. Hæc eſt aqua, quæ fluit ex petra percuſſa, quæ eſt

Christus, cujus membra non possu: t fieri membra meretricis. Cæterum homo non potest labi ab ijs, quæ sunt extra ipsum, vt est vocatio efficax & justificatio. Quod vero attinet ad ea, quæ sunt intra hominem, illa sæpe turbantur, conuelluntur, & miscentur confusione Babylonica: qualia sunt donum Spiritus, vita doni Spiritus, sensus vitalis, fructus vitæ, gustus & sapor istius fructus. Quamuis autem dona ista plurimis sint obnoxia paroxysmis: nunquam tamen intereunt. Nam Christus membra sua sauciata tandem sanat. Habet enim folia ad medelam gentium. Hæc est arbor vitæ & vitis, cui palmites sunt insiti, & adeo insiti, vt non possint exscindi, vt vt etiam tempestatibus sæuis & varijs hinc inde jactentur. In Deo non fit μεταβολὴ, licet fiat in nobis. Perit enim quandoque nobis sapor fructuum spiritualium, vsque adeo vt vt videamur nobis gustare venenum aspidum. Porro sæpe in nobis cessant etiam ipsi fructus: tempore scilicet hyberno, cum niue & glacie omnia rigent. Perdimus etiam hoc tempore sensum vitæ. Manet interim donum Spiritus, manet vita Spiritus, licet nobis non cognita: manet semen, manet radix: manet anima, sed sicut in paroxysmo, ecstasi vel lethargo vsuuenire videmus. Sumus filij prodigi, qui effundimus & dilapidamus dona & patrimonium nostrum. Sed tandem recolligimus nos, & dicimus: Redibimus ad Patrem nostrum. Clamamus & reclamamus *Abba*: quæ vox est breuissima, sed efficacissima, quippe cœlum diffindens, & infernum claudens. Sumus sæpenumero linum fumigans, sed non extinctum: arbores viduatæ foliis & fructibus, sed non mortuæ: manemus oues, licet simus morbidæ. Conclusionis loco teneantur duæ regulæ: 1. Electi & hypocritæ non habent eadem bona communia, si spectentur media salutis immediata, cum quibus salus immediate & necessario cohæret, vt sunt vocatio interna & justificatio. 2. Ijdem habent eadem bona communia, si spectentur media salutis mediata, vt sunt prædicatio verbi, administratio sacramentorum, illuminatio, gustus gratiæ communis, & gaudium temporale.

Hebr. 6.

Vers. 10. Deus non obliuiscitur operis nostri, & laboriosæ nostræ charitatis.

Vers. 12. Honor & cultus conueniens sanctis in cœlo, est potius imitatione ipsorum, non vero in ijs, quæ à Papistis proficiscuntur. Illi sanctis ponunt imagines & statuas, templa & ferias consecrant, sacrificia & preces offerunt, cereos accendunt, vota nuncupant: quæ vel soli Deo debentur, vel suo genere sunt illicita.

Vers. 16. Christiani per solius Dei nomen jurare debent, hoc fine, vt veritatem confirment, & controuersias definiant. Quod attinet ad jura-

juramenta facta per creaturas, vel deos alienos, etsi verbo Dei sunt prohibita, obligant tamen jurantes, & violata perjurium inducunt ex accidenti, quia ex fine juramenti violatio in ipsius Dei redundat contumeliam.

Vers. 18, 19. Fides & spes electorum cum duabus rebus immutabilibus, promissione & jurejurando Dei, nitantur, ambæ sunt infallibiles.

Vers. 19. Quemadmodum anchora in profundum maris projecta totã nauim firmat: ita spes in ipsa cœlorum adyta penetrat.

Hebr. 7.

Vers. 1. *& seqq.* Typus Melchisedeci hoc loco plenissime explicatur. Cõfer cũ anteced. *c.* 5. *& Gen.* 14. Capita cõparationis hæc sunt. 1. Melchisedec fuit sacerdos & rex: talis est Christus reuera. 2. Melchisedec fuit rex pacis & justitiæ: ita quoq; Christus. 3. Melchisedec in scriptura proponitur spectãdus, vt principio & fine carens, cum nec pater, nec mater, nec majores, nec mors ejus describantur. Talis reuera est vnus Christus. 4. Melchisedec fuit Abrahamo superior, vtpote quem decimauit, & cui benedixit. Sic Christus est nobis omnibus superior, vtpote à quo pendet nostrum omnium sanctificatio, & quem omnes venerari debemus.

Vers. 9. 10. Sicut leui fuit in lumbis Abrahami, & in illo fuit decimatus: ita nos fuimus in lumbis Adæ & Euæ & in illis peccauimus.

Vers. 21. Christus est sacerdos, non secundum ordinem Leui, sed secundum ordinẽ Melchisedeci. Nã sacerdotiũ Leuiticum erat tẽporarium, & sacerdotes erant mortales, qui opus habebant successore, & simul peccatores, qui opus habebant sacrificare non tantum pro populo, sed etiam pro se. Quorum nihil est in ordine Melchisedeci.

Hebr. 8.

Vers. 4. Christus post ascensũ in cœlos, corpore suo nõ est in terra. Secus Põtifex nõ esset. Igitur corpore suo nõ delitescit sub specieb. panis & vini.

Vers. 6. Christus est mediator noui testamenti, tum quia est internuntius nouus post Mosen inter Deum, & homines: tum quia est sponsor noster factus, offerendo se victimam Deo pro peccatis nostris in ara crucis.

Vers. 6. *& seqq.* Hic occurrit doctrina de fœdere gratuito, quod est vetus & nouum. *Vetus* fuit temporarium, cujus sponsores fuerunt Leuitici sacerdotes. *Nouum* est æternum, cujus sponsor est Christus. Hoc itaque non solũm est præstantius illo, sed etiam illud per hoc est abrogatum. Intellige, non substantiam, quæ in vtroque fœdere fuit eadem, sed circumstantiam & œconomiam.

Vers. 11. In nouo testamento cessat instituendi ratio operosa & onerosa, non vero quæuis, vt volunt enthusiastæ.

Vers 12. Deus remittit peccata, quando illorum non amplius recordatur.

Heb. 9. v. 1. & seqq.

Cultus ceremonialis sub lege, totus erat typicus, pædagogiam habens ad Christum.

Heb. 9. v. 27.

Concio funebris. Primaria causa, quæ timorem mortis nobis adimere debet, est victoria Christi, qua ipse de morte nostra triumphauit. Præter hanc sunt aliæ quoque causæ, quæ huc conducunt: videlicet necessitas, vtilitas, & facilitas mortis. Jam dicemus de necessitate ineuitabili: quæ demonstratur ex scriptura, decreto Dei, & experientia vniuersali inde ab initio mundi vsque ad finem seculi. Colligantur hic dicta & exempla scripturæ, ethnicorum scriptorum & propriæ experientiæ: & differatur de immutabili decreto Dei, quod est *Genes.* 2. & 3.

Hebr. 9.

Vers. 9. 10. Typica sanctificatio carnis per sanguinem victimarum adumbrabat veram conscientiarum purgationem, per sanguinem Christi futuram, eamq; confirmabat fidelibus.

Vers. 14. Sanguis Jesu Christi purgat conscientias nostras dupliciter. 1. quia est αἰτίλυτρον apud Deum, pro peccatis nostris, ad justificationem. 2. efficacia: quia merito mortis Christi, in justificatis fide Spiritus Dei mortificat veterem, & viuificat nouum hominem ad sanctificationem.

Vers. 16. Explicetur similitudo testamenti, in quo consideratur testator, hæres, bonum hæreditarium, & mors testatoris, quæ vltimam ipsius voluntatem confirmat.

Vers. 22. Cum absque sanguinis effusione non fiat remissio peccatorum, frustra est factificium Missæ incruentum.

Vers 24. Christus in cœlo comparat faciei Dei pro nobis, h. e. pro nobis intercedit, non supplicando humiliter, sed præsentando suum sacrificium glorioſe.

Vers. 25. *& seqq.* Totus hic contextus instar fulminis prosternit Missam: in qua sacrificij Papales, sæpius Christum offerendo, oblationem Christi semel factam abnegant, vel Christum flagitioſe toties trucidant.

Hebr. 10.

Vers. 1. Eadem sunt bona vtriusq; testamenti: sed quæ olim erant futura, nunc sunt præsentia in Christo exhibito. Olim in doctrina & sacramétis, ὡς ἐν σκιᾷ, quasi adumbratione quadam obscure delineabantur: nunc ὡς ἐν εἰκόνι, quasi in clara imagine clare depicta habentur.

Vers. 4.

Vers.4. Sanguis taurorum & hircorum non poterat auferre peccata, proprie: poterat sacramentaliter, vt colligitur ex *Leuit. 16. v. 17.*

Vers.10.14.18. Cum oblatio nos in perpetuum sanctificans, semel sit facta, falsum est vtiq;, sæpius in Missa iterandam esse: sacrilegium vero, sæpius iterare, h.e. Filium Dei iterum crucifigere.

Vers.19. Cœlum nobis clausum extra Christum, patet in Christo. Confer cum 1. *Tim. 6. v. 16.*

Vers.20 Caro Christi vocatur velum metonymice, pro re, quam velum tabernaculi significauit: quoniam sicut post velum latebat arca, & sacratij gloria: ita sub carne Christi, quasi sub velo, latuit majestas deitatis.

Vers.22. Fides, qua ad Deum per Christum accedimus, non est moralis, vel coniecturalis, vel opinabilis tantum fidentia de gratia: sed πληροφορία, i.e. certa & immota cordis persuasio.

Vers.26.27 & seqq. Non quibus vis voluntarie peccantibus, aut deficientibus, sed ita deficientibus à fide Christi, vt fiant ἐναντίοι, *iurati hostes Christi* & euangelij persecutores, negatur venia peccatorum.

Vers.35. Etsi fideles non possunt penitus abjicere suam fiduciam, quippe qui virtute Dei custodiuntur: non frustraneæ tamen sunt hortationes, ne fiduciam suam abjiciant: quia vt non abjiciant, hortationum stimulis opus habent.

Hebr. 11.

Vers.1. Fides est *hypostasis* siue subsistentia eorum, quæ sperantur, h.e. fiducia, faciens res speratas in mentibus & cordibus quasi præsentes fiducialiter subsistere per Christum & Spiritum ejus: est ἔλεγχος eorum, quæ non videntur, quia conuincit mentes ad certum assensum, & corda ad firmam fiduciam bonorum, quæ sensu non percipiuntur.

Vers.2. Non aliter Patres seruati sunt, aliter nos seruamur: sed sola fide, & illi placuerunt Deo, & nos placemus atq; justificamur in Christo.

Vers.6. Sine fide, vt medio salutis vnico, impossibile est Deo placere ad salutem. Sine fide, inquam, non præuisa, sed gratis danda.

Vers.17. Tentatio probationis Deo adscribitur, quia est bona & electis salutaris: tentatio vero deceptionis, est opus diaboli solicitantis homines ad peccandum secure, & desperandum timide.

Hebr. 12.

Vers.1. & seqq. Admodum magnifice hoc loco tractatur locus communis de tolerantia crucis. Argumenta præcipua sunt, exemplum Christi; cõparatio imparium; meritum peccati; adhortatio Dei Patris alloquentis filios, illosque castigantis, ipsorum bono; exempla sanctorum; breuitas crucis, illiusque vtilitas.

Vers.15.

*Vers.*15. Hortationes, ne deficiamus à gratia, faciunt ad solicitudinẽ officij, non ad solicitudinem diffidentiæ.

*Vers.*16.17. Esau lachrymis suis quærens benedictionem à patre, non potuit efficere, vt patrem benedictionis Jacobo collatæ pœniteret. Alias si serio resipuisset, inuenisset veniam apud Deum.

*Vers.*23. Ecclesia primogenitorum est ecclesia Catholica, vniuersitas illa prædestinatorum ante legem, sub lege, & sub gratia.

Hebr. 13.

*Vers.*4. Conjugium est honorabile inter quosuis, scortatio detestabilis inter quosuis.

*Vers.*8. Jesus Christus heri, & hodie, & in secula est idẽ: *tum* quia est æternus cum Patre Deus, *tum* quia est inuariabile salutis fundamentum.

*Vers.*11. *& seqq.* Sicut corpora animalium, quorum sanguis inferebatur sacrario, comburebantur extra castra: ita Christus est passus extra vrbem: & ita nos, tanquam Christi sectatores, debemus è mundo migrare, portantes ipsius crucem. Sic typus inclusam habet anagogen.

XXI.

CONCIONES IN EPIST. JACOBI.

Memoriale Epistolæ Jacobi. Cap. 5.

17 19 6 10 16

Omne bonum, Credis, Linguæ, Submittite, Votum.

Oeconomia Epistolæ Jacobi.

Epistola Jacobi duas habet partes; inscriptionem, *c.*1. *v.*1. & scriptionẽ ipsam de officio hominis justificati, de quo sunt quinq; cõciones pro numero capitum. Prima corrigit impatientiam, blasphemiam & hypocrisin, *c.*1. Secunda corrigit prosopolepsiam & jactantiam fidei, *c.*2. Tertia corrigit arrogantiam, inuidiam & rixas, *c.*3. Quarta corrigit securitatem carnis & obtrectationes, *c.*4. Quinta corrigit auaritiam, luxum & oppressionem aliorum, *c.*5.

Typicam siue tabellarem dispositionem epistolæ Jacobi vide *lib.*1. *pracog. theol. c.*73. *pa.*115. chronologiam, *supra in præliminari concione Bibliorum.* denique characterem & summariam considerationem *libr.*2. *pracog theol. cap.*124. *pag.*646.

Iacob. 1.

*Vers.*2. Non jubemur lætari tentationibus ipsis quas Domino jubente depre-

deprecamur, sed tentationum salutaribus effectis, probatione, patientia, spe & similibus.

Vers.5.6. Fides est anima precum, fidei basis est verbum Dei, cujus nucleus est Christus.

Vers.6. Omnis hæsitatio, dubitatio, anxietas, & deceptionis formido διὰ πιστῶν pugnat cum natura fidei, eamq; euertit.

Vers.13. Deus nos tentat duobus modis : *immittendo tentationem probationis*, qua probat fidem, patientiam & obedientiam nostram, per afflictiones & præceptiones carni graues : *& permittendo tentationem seductionis & deceptionis*, quæ authorem habet diabolum, vnde & ille ὁ πειράζων dicitur *Matth.* 4. Hoc modo negat Jacobus, Deum nos tentare.

Vers.15. Omnis concupiscentia inordinata, tum primo quam secundo motu, est peccatum, lege Dei vetitum, sub pœna maledictionis & mortis, eoque morale. Porro cõcupiscentia ista concipit & parit peccatum actuale, quod hoc loco κατ' ἐξοχὴν dicitur peccatum.

Vers.17. Omne bonum donum, tum naturæ, tum gratiæ, est à Deo, qui est & summe, & immutabiliter bonus, ideoque nullius peccati author vel approbator.

Vers.21.22. Christianismus consistit in expurgatione sordium, & auditione atq; præstatione sermonis insititij, h.e. verbi diuini, quod gratiosa insitione & implantatione accessit ad naturam nostram regignendam.

Vers.27 Religiosus est, non qui habet religionem in ore, vel ordinem religiosum comminiscitur, sed qui præditus est charitate.

Jacob. 1.

Vers.1. & seqq. Apostolus non inducit confusionem ciuilis honestatis & discriminis in vestitu vel officijs, sed damnat prosopolepsian.

Vers.5. Differatur de duplici paupertate & affluentia opum.

Vers.8. Lex illa, *Dilige Deum & proximum*, est regia, h.e. instar viæ regiæ, quæ est plana & sine omnibus diuerticulis.

Vers.10. Contemtus Dei in vno præcepto, est omnium præceptorum seu totius legis violatio. Nulla igitur est gloriatio justitiariorum.

Vers.13 Faciens misericordiam proximo, experietur misericordiam à Deo, non ex merito, sed ex gratia : contra, non faciens misericordiam proximo ex debito, experietur damnationem absque misericordia Dei ex merito.

Vers.14. & seqq. Plene hic tractatur locus communis de fide, juxta hos aphorismos. Fides operibus charitatis destituta, non est vera aut viua fides, sed mortua. 2. Fides historica etiam diabolo competit. 3. Fides sola justificat, à priori, in foro conscientiæ, coram Deo : opera justificant, à poste-

riori, in foro humano, coram hominibus. Sic cum Abraham dicitur justificatus ex operibus, offerendo filium suum Isaac, hic est sensus, quod opere illo fidei sit justus declaratus coram hominibus. Atque hæc est propria explicatio: cum qua concidit illa metonymica, Abraham justificatus est ex operibus, h.e. ex fide ostensa operibus, vt ita effectum ponatur pro causa. 4. Fides cooperatur operib. quatenus illa producit. 5. Fides perficitur per opera, h.e. perfectionem suam exerit per illa, atq; adeo perfecta esse ostenditur: quæ in scholis dicitur perfectio secũda, cui opponitur perfectio prima, quæ est forma rei. Vnde facile est intelligere, quo sensu fides dicatur mortua sine operibus. Nimirum vt animal cognoscitur esse mortuum, cum exspirauit, & arbor sine fructibus est mortua: sic & fides sine operibus.

Iacob. 3.

Vers. 1. Multos doctores vetat esse apostolus, quatenus illi diuersa vel aduersa docent, vel quilibet sibi arrogat jus doctrinæ, imo & censuræ.

Vers. 2. Si in multis labimur omnes, vtiq; Pelagiana perfectio nulla est. Deinde si in multis labimur omnes, non debemus esse præcipites in alijs judicandis, nec nobis sumere censuras sine vocatione, neq; in vocatione & officio judicandi alios sequi affectus nostros, sed verbum Dei.

Vers. 2. *& seqq.* Hic tractatur locus communis de lingua, qua vix alia pars corporis difficilius coercetur, & non coercita plus damni dat hominibus. Pertinent huc istæ virtutes: veracitas, constantia in confessione, docilitas, taciturnitas, & vrbanitas.

Vers. 14. *& seqq.* Proponitur hic velut in tabula ingenium & indoles sapientiæ, tum veræ & cœlestis, tum terrenæ & dæmoniacæ. Illa est conjuncta cum mansuetudine, studio pacis, beneficentia, misericordia & candore: hæc est inuida, contentiosa, tumultuosa & mendax.

Iacob. 4.

Vers. 3. Quod multorum preces à Deo non exaudiuntur, causa est, quia non recte precantur, errantes, vel in objecto vero, quod est Deus: vel in modo, qui consistit in vera fide, seu fiducia Christi mediatoris: vel in rebus petendis: vel denique in fine.

Vers. 4. Amicus mundi, h.e. mundanarum cupiditatum, auaritiæ, superbiæ, lasciuiæ, inuidiæ &c. est inimicus Dei.

Vers. 8. Cum appropinquamus ad Deum, ille ad nos appropinquat: non quod principium conuersionis sit ex nobis, vel quod nos prius appropinquemus Deo: sed quia nos jam conuersi, appropinquamus Deo, & impetramus incrementum donorum Dei. Quod attinet ad non conuersos, in illis excitatur virtute Dei ista appropinquatio per hujusmodi adhortationes, *Appropinquate, Conuertimini* &c. sicut in conuersis per eadem media excitatur studium pietatis & perseuerantiæ.

Vers. 11.

*Vers.*11.12. Obtrectatores fratrum, ipsius legis & Dei judices ac reformatores sese constituunt.

*Vers.*14. In negotiis suscipiendis fugienda est profana confidentia virium nostrarum: tum quia vita nostra est fragilis, tum quia eventus incerti, nec in manibus nostris, sed Dei sunt positi: Cujus proinde providentia semper consideranda, benedictio imploranda, & sancta voluntas pro consiliorum & actionum norma vnice est spectanda & adoranda.

*Vers.*17. Grauius peccat, qui non recte facit, quod scit, quam qui male facit, quod nescit.

Jacob. 5.

*Vers.*1 *& seqq.* Hic tractatur locus communis de diuitiis, quæ per se non damnant, nec damnantur. Damnantur vero diuites, qui diuitias injuste acquirunt, vel etiam juste quæsitis ad luxum, fastum & oppressionem pauperum abutuntur.

*Vers.*7.8. Christiani debent patienter expectare tempus gloriosæ messis, instar agricolarum.

*Vers.*12. Non juramenta legitima, per nomen Dei facta, à Deo præcepta vel permissa, damnantur: sed illicita per creaturas, itemque temeraria.

*Vers.*14. Vnctio apostolica nitebatur Christi promissione & mandato *Marc.6. v.13.* & fiebat pro restitutione sanitatis, quæ perpetuo sequebatur: quia apostoli vngebant ægrotos cum fiducia miraculosæ sanationis. Hoc itaque symbolum extraordinarium & singulare, nihil facit ad stabiliendam extremam vnctionem Papistarum, quæ est mera, inanis & ridicula κακοζηλία.

*Vers.*16. Confessio peccati, quæ fit Deo, animo sincero, est bona: similiter illa, quæ fit hominibus, vel in publico ecclesiæ cœtu, vel priuatim, citra opinionem necessitatis, cultus vel meriti, quæ triplex abominatio cernitur in confessione auriculari Papistarum.

*Vers.*17.18. Precatio est clauis cœli, ipsum claudens & aperiens.

*Vers.*20. Qui alium conuertit ab errore & peccato, ad veritatem & pietatem, obtegit multitudinem peccatorum ejus, non solum remittendo ipsi peccatum ex charitate, sed etiam efficiendo per hoc suum ministerium, vt frater resipiscens, à Deo consequatur remissionem peccatorum.

XXII.

CONCIONES IN EPIST. PETRI.

Memoriale 1. Epistolæ Petri Cap. 5.

19 9 18 8

Sanguine, Regale, Ex lege, Sit ipsius, Ob. mat.

Oeconomia Epistolæ prioris Petri.

Prioris epistolæ Petri partes sunt tres.

I. Præfatio apostolica, *c.1.v.1.2.*

II. Institutio: eaque partim de beneficiis Dei: *à v.3.c.1.ad 14.* partim de officiis nostris *à v.14.c.1.ad v.10.c.5.*

III. Conclusio, constans δξολογίᾳ, recapitulatione & salutatione, *cap.5. à vers.10.*

Typicam siue tabellarem dispositionem prioris epistolæ Petri vide *lib.2 præcog.theol.c.74 p.*115. chronologiam, *supra in præliminari concione Bibliorum*, characterem & summariam considerationem *lib.1. præcogn. theol.cap.124.pag.647.*

1. *Petr.* 1.

*Vers.*1 Electio nostri non potest à nobis cognosci à priori, sed potest à posteriori, quatenus quisque fidelis de sua electione certior redditur, partim testimonio Spiritus sancti intus contestantis spiritui nostro, partim fructibus electionis, vt sunt fides & studium nouæ obedientiæ. Quodattinet ad fratrum electionem, illa canone charitatis æstimanda est à vocatione, & externa conuersatione respondente isti vocationi.

*Vers.*2. Præcognitio Dei, secundum quam facta fuit electio, non fuit præuisio fidei aut meritorum, sed *δοσις* Dei, h.e. gratuitum ejus beneplacitum, quo certa electione discreuit seruandos in Christo, à damnandis in massa peccati.

*Vers.*3. Sicut Deus in V.T. se vocando *Deum Abrahami*, item *Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi*: hac nota discerni voluit à dijs fictitijs: ita in N.T. se vocando *Deum & Patrem Domini nostri Jesu Christi*, hac nota se discernit à diis gentium, & à conceptu illo Judæorum & Turcarum, qui eo ipso, dum concipiant nudam Dei majestatem extra Christum, idolum habent loco Dei: quoniam Deus non vult aliter cognosci, coli, & inuocari, quam in Christo.

Vers. 3. Regeneratio nostra in spem vitæ, est supernaturale Dei effectum, qui nobis inprimit in hac noua creatione formam

ſupernaturalem, ſicut in prima impreſſit naturalem, abolita forma præter naturali, quam diabolus nobis impreſſerat.

Verſ.4. Hæreditas cœleſtis magnifice hic deſcribitur.

Verſ.5. Ex nobis ſumus infirmi, ſed virtute Dei cuſtodimur, per fidem, ad vitam.

Verſ.6. Afflictiones contriſtant pios, ſecundum carnem, quam non poſſunt plane exurere: ſpirituale tamen gaudium in Chriſto augent.

Verſ.7. Sicut aurum bifariam probatur igne: primo cum repurgatur à ſcoria, deinde cum exploratur & manifeſtatur ejus probitas: ſic fides bifariam probatur afflictionibus. Nam primo purgatur *intus* à diffidentiæ fæcibus: deinde declaratur *foris*, quod ſit vera, non ficta.

Verſ.9. Salus animarum eſt merces & finis fidei, quia vltimo tempore dabitur poſt labores multiplices, à nobis in hac vita exantlatos.

Verſ.10. Doctrina Euangelij de gratuita ſalute per Chriſtum, non eſt heri nata, ſed omnium antiquiſſima, procedens ex paradiſo.

Verſ.12. Prophetæ, non ſibi, ſed nobis adminiſtrarunt gratiam Dei, non quoad fidem implendorum, ſed quoad fidem implerorum. Nam fides implendorum ad illos pertinuit, atque ita ſibi etiam adminiſtrarunt gratiam Dei, quantum ad fructum prophetiarum promiſſum.

Verſ.12. Angeli lætantur impletione vaticiniorum per Chriſtum.

Verſ.18.19. Sanguis Chriſti eſt pretium pretiorum.

Verſ.21. Deus in Chriſto nobis propitius, eſt objectum verbi Dei. Pertinet huc iſta ſimilitudo: Chriſtus eſt centrum Scripturæ, reliqui loci communes pertinent ad circumferentiam, à qua lineæ ductæ ad centrum fiunt æquales.

Verſ.23. Sicut naſcimur ex ſemine mortali mortales: ita renaſcimur ex ſemine immortali immortales.

1. Petr. 2.

Verſ.2. Qui ſunt regeniti, opus habent nutrimento, quod eſt lac ſincerum verbo Dei. Memineris hic, Paulum *Hebr. 5. verſ 12.* intelligere lac elementaris doctrinæ, Petrum hoc loco lac verbi diuini, tanquam nutrimentum ſpiritualis hominis, quod eſt ſincerum, candidum ſuaue & vtile.

Verſ.4. ad 10. Hic continetur magnifica deſcriptio Chriſti & Chriſtianorum, ab attributis & effectis.

Verſ.11. Differatur de triplici militia: corporali, ſpirituali, carnali. Illa eſt inter hoſtes mundanos: iſta eſt, qua militamus Deo contra carnem: hæc eſt, qua caro militat aduerſus animam.

Verſ.13. ad 19. Proponitur hoc loco tabula officiorum in varijs ſtatibus vitæ humanæ.

Vers.21.& seqq. Passio Christi debet considerari vt exemplar & ἀντίτυπος siue meritum.

Vers.25. Status hominis extra Christum, est status ouis errantis & destitutæ pastore: status hominis in Christo, est status oris reuocatæ & curatæ à pastore. Ibi homo sustentatur in hypostasi diaboli, hic in hypostasi Christi.

1. Petr.2.v.24.

Breuis hæc sententia complectitur longitudinem, latitudinem, altitudinem & profunditatem crucis Christi, dum nobis ob oculos ponit quatuor specula. Nam passio Christi est. 1. Speculum peccati: *Qui peccata nostra.* 2. Speculum amoris: *Sursum tulit in corpore suo super lignum.* 3. Speculum gratiæ: *Cujus vibicibus sanati estis.* 4. Speculum vitæ & virtutum: *Vt peccatis mortui, justitiæ viueremus.*

1. Petr.3.

Vers.1. ad 8. Hic continetur speculum & idea bonæ vxoris & boni mariti.

Vers.7. Honor tribuitur superioribus, vt signum subjectionis: æqualibus vel inferioribus, vt signum dilectionis.

Vers.15. Confessio fidei nostræ, non debet esse intempestiua, vtpote quæ nocet *Matth.7.v.6.* Non itaque apud quosuis temere est prodenda. Apud omnes vero eos, qui vel ex officio, vel discendi studio à nobis postulant, libere est edenda idque cum omni lenitate & reuerentia.

Vers.18. Christus est mortificatus carne, hoc est, infirmitate humanitatis, & viuificatus spiritu, h.e. potentia deitatis.

Vers.19. Christus tempore Noæ spiritibus immorigeris prædicauit spiritu deitatis.

Vers.21. Baptismus est antitypus diluuij, & nos seruat sacramentaliter, quia est nobis sacramentalis testificatio & obsignatio salutis, Christi sanguine & resurrectione partæ, adeoque stipulatio bonæ conscientiæ in Christo.

1 Petr.4.

Vers.1.& seqq. Meditatio passionis Christi est efficacissimus stimulus nouæ vitæ.

Vers.8. Charitas operit multitudinem peccatorum, non justificando hominem coram Deo: sed ignoscendo & tegendo peccata coram hominibus.

Vers.11. Prædicatio verbi Dei, tum publica, tum priuata, debet fieri cum debita reuerentia, affectu & grauitate, cumprimis cogitatione illius, cujus nomine loquimur, cujus verbum loquimur, cujus populum alloquimur.

Vers.

Vers.17. Deus judicia sua in hoc seculo fere sic temperat, vt reprobos saginet vsque ad diem mactationis, multa ipsorum scelera quasi conniuendo præteriens: contra filios suos, quorum curam habet, simulatque lapsi sunt, acerbis plerumque correctionibus in viam reuocat: sapientissimo & optimo consilio ac fine.

1. Petr. 5.

Vers.1. Petrus fuit sympresbyter, non vero dominus Apostolorum. Nimirum omnes pastores sunt pares, munere & officio, licet sint impares donis.

Vers.2. Presbyteri & episcopi sunt ijdem, jure diuino.

Vers.3. Totus Ecclesiæ cœtus est clerus Domini, non vero illi solum, qui vulgo appellantur clerici.

1. Petr. 5. v. 8.

Dicemus, quomodo nos debeamus præparare ad mortem, & quare. *Concio funebris.*

De I. Duo hic requiruntur, sobrietas & vigilantia. Confer cum *Matt. 24. vers. 37. 42.*

De II. Furor & tyrannis diaboli, crudeliter in humano genere grassantis, & nihil non molientis vt nos seducat, nobis excutere debet veternum societatis. Profligatæ socordiæ & impietatis est, non velle animaduertere, quanta sit potentia diaboli, quanta rabies, qui furores, quam sit ille hostis inquietus & immanis, quam humani sanguinis sitiens, quam astutus & sæuus depeculator animarum nostrarum: quid omnibus seculis infensissimus ille latro stragis dederit.

1. Petr. 1.

Vers.1. & seqq. Describitur hoc loco officium bonorum pastorum.

Vers.4. Christus est princeps pastorum, qui nobis aliquando imponet amarantinam illam coronam vitæ æternæ.

XXIII.

CONCIONES IN EPIST. II. PETRI.

Memoriale Epistolæ 2. Petri. Cap. 3.

17 5 7 11

Filius ille meus, Noe, Loth, Cuncta peribunt.

Oeconomia Epistolæ posterioris Petri.

Posterior Epistola Petri tres habet partes.

I. Exordium, *c. 1. v. 1. 2.*

II. Con-

II. Contenta Epistolæ: vbi est adhortatio, *cap.1.2.* & vaticinium, *cap.3. ad v.17.*

III. Τὰ μεῖζω τὴν ἐπιστολὴν, *c.3.à v.17.*

Typicam siue tabellarem dispositionem posterioris Epistolæ Petri vide *lib.2.Præcogn.Theol cap.75 pag.116.* Characterem & summariam considerationem *ibid. cap.124.pag.648.* Chronologiam, *supra in præliminari Concione Bibliorum.*

2.Petr.1.

Vers.1. Fides omnibus saluandis datur à Deo ἰσότιμος, *æque pretiosa*, eundem in omnibus Christum cum sua tota justitia, eandemque salutem apprehendens: licet in omnibus non sit æque valida & fructuosa. Est itaque æqualis, quantum ad formam, inæqualis, quantum ad gradum & mensuram.

Vers.4. Deus nos facit consortes diuinæ naturæ, transformatione, sed reformatione naturæ nostræ, adeoque participatione donorum: quorum climax & aurea catena recitatur *v.5.6.7.*

Vers.10. Electionem & vocationem nostram efficimus firmam studio bonorum operum, non Dei, sed nostri, & fratrum respectu.

Vers.19. Sermo propheticus est firmior Apostolico, quatenus hic ad illum examinatur. Nam V.T. est basis noui, & nouum est declaratio & complementum veteris.

Vers.19.20.21. Encomium Scripturæ, & modus illam interpretandi hoc loco traditur. Nimirum Scriptura est diuinitus inspirata, & est lucerna splendidissima. Ipsius itaque interpretatio diuinitus impetratur, & ex ipsa sumitur.

2.Petr.2.

Vers.1. Christus suas tantum oues, hoc est, electos, mercatus est suo sanguine, ad communionem gratiæ salutaris & gloriæ: Pseudoprophetas & apostatas mercatus est ratione externæ vocationis, ad communionem gratiæ communis, & ratione professionis, denique quoad judicium charitatis.

Vers 4.& seqq. Vsus historiæ sacræ hic monstratur. Ille autem continetur hoc versu:

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Vers 10. Non oportet majestates regum & principum blasphemare propter aliqua vitia, sed honorare illas conuenit propter officium, quod diuinitus gerunt.

Vers.12.& seqq. Vltimum hoc & ferreum seculum graphice hic describitur, à nefarijs artibus & horrendo interitu hominum perditorum.

Vers.

Verſ.18.22. Apoſtatæ nunquam fuerunt vere conuerſi, ſed cum foris viderentur probe purgati & loti, intus manſerunt canes & porci. Non itaque oues Chriſti ſeducuntur, ſed illi, qui canone charitatis habiti fuerunt oues Chriſti.

Verſ.21. Qui poſt illuminationem à profeſſione Chriſtianæ fidei deficiunt grauius puniuntur quam illi, qui nunquam cognouerunt, vel receperunt.

2.Petr.3.

Verſ.3.4. Satan petit jugulum Eccleſiæ & ſalutis noſtræ, quando fidem reditus Chriſti ad judicium per irriſores conuellere conatur.

Verſ.10.& ſeqq. Mundus aſpectabilis renouabitur per ignem, quomodo videmus vaſa argentea contaminata vel corrupta reſtitui per ignem. Mutationi autem iſti nec cœlum beatorum, nec infernus damnatorum participabit.

Verſ.9. Mora reditus ad judicium nulla eſt, ſi tempus ab aſcenſu Chriſti elapſum, conferatur ad æternitatem, vel etiam ad mundi ætatem.

Verſ.11.14. Aduentus Domini, & renouatio mundi, debet nos aduerſus præſentis vitæ ærumnas conſolari, & ad ſtudium nouæ vitæ excitare.

Verſ.16. Scriptura non eſt obſcura & difficilis in ſe, ſed reſpectu cœcitatis & petulantiæ ingenij humani.

XXIV. XXV. XXVI.

CONCIONES IN I. II. ET III. EPIST. JOHANNIS.

Memoriale Epiſtolæ I. Johannis. Cap.5.

Purgat, Ne mundum, Non verbis, Nos prior, Vnum.

Memoriale II. Johannis. Cap.1.

5

Ah alij alios ſancte & conſtanter amemus.

Memoriale III. Johannis. Cap.1.

6

Commendata tua eſt, Gai, dilectio multis.

Oeconomia trium Epiſtolarum Johannis.

In prima Epiſtola Johannis eſt primo paræneſis ad fidem, *cap.1.* & charitatem, *c.2.3.* deinde didaſcalia de fugiendo Antichriſto, *c.4.* & retinenda fide & charitate, *c.5.*

In ſecunda Epiſtola eſt exordium, *v.1.2.3.* inſtitutio, *à v.4. ad 12.* & concluſio *à v.12.*

Tertiæ Epiſtolæ exordium eſt, *v.1.2.* tractatio *à v.3. ad 13.* concluſio *à v. 13 ad finem.*

Typicam ſiue tabellarem diſpoſitionem Epiſtolarum Johannis vide *lib.2.Præcog.Theol.cap.77 78.79 pag.116.* Characterem & ſummariam conſiderationem, *ib.cap.124.pag.648.649.* Chronologiam, *ſupra in præliminari Concione Bibliorum.*

1.Johan.1.

Verſ.1. Deus erudit, nos per duos nobiliſſimos ſenſus, viſum & auditum.

Verſ.2.3. Vita æterna conſiſtit in ſpirituali communione noſtra cum Deo. Communio autem iſta habetur per Spiritum Sanctum, qui nos Chriſto tanquam capiti membra inſerit, & per fidem, quæ omnia Chriſti beneficia participat.

Verſ.5. Deus eſt lux, *tum* quia eſt natura lucidiſſimus, inhabitans lucem inacceſſam & puriſſimam, *tum* quia creat ex ſe lumen naturæ, gratiæ & gloriæ. Diabolus contra eſt princeps tenebrarum, quia ipſe eſt tenebroſus & ſordidus, ac tenebris ſordibuſque mundum obruit.

Verſ.6.7. Communionis cum Chriſto effectum & argumentum verum habent illi, qui in luce ambulant, h. e. vitam ſanctam & inculpatam coram Deo & hominibus tranſigere ſtudent.

1.Joh.1.v.7.

Quemadmodum nobiliſſima arbor balſamus emittit oleum, ſi vulneretur: ita Chriſtus, arbor illa vitæ, emiſit ſanguinem ſuum pretioſiſſimum, omni balſamo præſtantiorem, quando in ara crucis fuit vulneratus. Hujus ſanguinis præſtantiam & efficaciam jam conſiderabimus.

De I. Præſtantia cernitur in eo, quod eſt ſanguis Filij Dei, qui ſimul fuit homo ſanctus. Hujuſmodi ſanguis requirebatur: quia non poterat aliud medium & remedium inueniri in cœlo & in terra.

De II. Efficacia cernitur in tribus. *1. Purgat*, hoc eſt, tollit maculas animæ, adeoque eſt efficacior quam peccatum. 2. Purgat *nos*, qui ſcilicet credimus in Chriſtum. 3. Purgat nos ab *omni peccato*, tum originali, tum actuali, eoque maximo, medioximo, & minimo. Hoc ſymbolo omnium Chriſtianorum utamur tanquam fundamento doctrinæ & fidei, incentiuo ſanctæ vitæ, & clypeo omnium tentationum. Potes etiam hoc modo explicare hoc dictum Sanguis Jeſu Chriſti emundat nos ab omni peccato dupliciter. *1. Ratione expiationis*, quia Filius Dei ſanguinem ſuum effudit λύτρον pro peccatis noſtris. *2. Spiritus efficacia*, quia idem Filius Dei, virtute meriti ſui, dat nobis ſpiritum emundantem ſeu mortificantem in nobis omne peccatum, ducendo nos è virtute in virtutem.

Verſ.8.

Vers.8. Mendax est Pelagius, qui perfectionem justitiæ inhærentis crepat.

Vers.9. Deus & sanguis Christi purgant nos ab injustitia subordinate: ille vt causa prima efficiens, hic vt causa meritoria.

Vers.9. Deus fidelibus confitentibus peccata, dicitur justus, non justitia æqualitatis, sed veritatis, hoc est, non quod pro confessione debeat, sed quia confitentibus promisit gratis remittere peccata propter sanguinem Christi.

1. Johan. 2.

Vers.1. Effectus doctrinæ de gratuita purgatione peccatorum per Christi sanguinem, non est licentia & securitas carnis, sed studium sanctitatis & gratitudinis pro tanto beneficio, & contra infirmitates naturæ solida consolatio.

Vers.2. Sicut totus mundus est in maligno positus, propter Zizania: quæ sunt per totum mundum sparsa: sic Christus est propitiatio pro peccatis totius mundi, propter triticum, quod est per totum mundum *inter Judæos & gentes* disseminatum, vt ait Augustinus.

Vers.3. & seqq. Vera Dei cognitio probatur sanctimonia vitæ: quia hæc duo indiuiduo nexu cohærent, & in vno animæ fidelis contubernio cohabitant.

Vers.18. Multi sunt Antichristi, & vnus est Antichristus. Multi sunt parui Antichristi, qui seducunt à Christo: vnus est magnus Antichristus, qui seducit à Christo, seductione totali & vniuersali.

Ibid. In Ecclesia vocatorum semper sunt multi hypocritæ, multi etiam aduersarij veræ doctrinæ, vel aperti, vel tecti: quia Satan non cessat Zizania adspergere tritico. Sed hinc neque veritati doctrinæ, neque puritati Ecclesiæ Catholicæ aliquid decedit.

Vers.27. Fieri non potest, vt excidamus gratia Dei: quia vnctio manet in nobis, hoc est, Spiritus Sanctus, qui nos vngit oleo lætitiæ secundum Christum. Hæc vnctio nos confortat, & bonam fragrantiam nobis conciliat coram Deo, angelis, hominibus sanctis, & nobis ipsis: facit denique, vt simus prophetæ, sacerdotes & reges, ad exemplar Christi.

1. Johan. 3.

Vers.1. Quod filij Dei sumus, non nostro debetur arbitrio vel merito, sed solius Dei charitati, quæ recte dicitur charitas charitatiua, hoc est, nos sibi charos efficiens.

Vers.6.9. Renati ex Deo, non peccant, nec peccare possunt, in quantum sunt renati ex Deo, cujus semen manet in illis: possunt vero peccare, & peccant, quatenus sunt caro. Deinde non peccant malitiose, neque ad mortem, aut ita vt non resurgant.

Vers.15. Odium proximi, est ipsius homicidium.

Vers.16. Christus ponendo animam suam pro nobis, reliquit nobis exemplum, vt nos etiam pro fratribus nostris ponamus, quoties opus est; non vt pro illis λύτρον soluamus, sed vt charitatem ostendamus: qui est geminus finis mortis Christi.

Vers.21. Fides seu fiducia erga Deum requirit bonam conscientiam non legaliter, sed Euangelice talem.

1. Johan. 4.

Vers.1. Probare Spiritus conuenit omnibus filijs Dei, non tantum Ecclesiasticis. Probationis norma est verbum Dei.

Vers.2.3. Pseudoprophetæ in primis deprauant doctrinam de persona & officio Christi.

Vers.4. Deus, qui in nobis habitat, est potentior omnibus nostris hostibus. Certa igitur & facilis est victoria.

Vers.8. Deus est charitas, seu purus amor, qui infinite nos diligit, & tanquam magnes nos ad se trahit.

Vers.10. Charitas Dei actiua qua nos diligit, est causa charitatis passiuæ, quæ à nobis diligitur.

Vers.18. Soror fidei est charitas, quæ æque excludit metum atque fides.

1. Johan. 4.

Vers.1. Spiritus, qui doctrinam verbo Dei cõsentaneam adferunt, sunt ex Deo. Qui secus docent non sunt ex Deo, sed ex mundo, h.e. ex diabolo.

Vers.3. Antichristus tempore Johannis venire cœpit, quia iam tum Spiritus Antichristi in hæreticis erat in mundo. Hoc est, quod Paulus ait *2 Thess.2.* Satanam tum moliri cœpisse mysterium iniquitatis. Vnde constat, Antichristum non esse hominem solitarium, sed esse hominem, qui tanquam embryo fuerit conceptus in vtero Ecclesiæ visibilis, & paulatim vires sumserit.

1 Johan. 5.

Vers.2. Veræ dilectionis proximi causa & κριτήριον est dilectio Dei, habens studium obediendi Deo, secundum omnia ejus mandata.

Vers.3. Mandata Dei non sunt grauia, sed onus leue filijs Dei regenitis, imputatione & inchoatione. Eadem sunt onus & jugum importabile *Act. 15.v 9. Rom.8.v.3.* operarijs seu justitiarijs, qui volunt justificari justificatione legali.

Vers.4.

*Vers.*4. Fides vincit mundum *metaleptice*, sicut justificat: quia apprehēdit Christum, sicut cum sua justitia, ita cum suo victoria. Deinde *proprie*, quia mundanas cupiditates in nobis mortificat.

*Vers.*6. *& seqq.* Præstantia Christi, in quo vno omnia nobis donantur, sex testibus comprobatur, tribus cœlestibus, & totidem terrenis, penitus inter se consentientibus. Cœlestes sunt, Pater, sermo ipse & Spiritus sanctus, qui tres vnum sunt essentia deitatis, & voluntate siue consensu testimonij, quia sunt vnus Deus, tres personæ in cœlo testantes de Christo in terra. Terreni testes sunt aqua baptismi, significans nostri sanctificationem; sanguis Christi in S. cœna, significans nostri justificationem; denique Spiritus, id est, testimonium Spiritus sancti, seu verbum Dei internum, accensum in corde per verbum externum.

*Vers.*10. Testimonium Dei est partim internum in corde, partim externum in scriptura. Vtrique est credendum, ne Deum faciamus mendacem.

*Vers.*11.12. Vita æterna in solo Christo est reposita. Proinde in illo solo quærenda & inuenienda.

*Vers.*14. Fides est fiducia gratiæ Dei in Christo, & fiduciam ex se gignit, sicut sol est lux, & lucem ex se spargit.

*Vers.*14.15. Preces fidelium semper exaudiuntur à Deo, modo juxta voluntatem Dei fiant. Est autem voluntas Dei, vt fiducia promissionis Dei spiritualia quidem in specie & categorice sine conditione, temporalia vero in genere absolute, in specie cum conditione voluntatis Dei & nostræ salutis ab ipso solo petamus.

*Vers.*16. Eo vsque valent apud Deum fidelium preces, vt etiam fratribus resipiscentiam & remissionem peccatorum impetrent, sicque eos à morte eripiant.

*Vers.*18. Peccatum ad mortem, non est peccatum mortale (quia omne peccatum sua natura est mortale) sed peccatum in Spiritum sanctum, quod est totalis apostasia, seu defectio à Deo ad diabolum. Qui hoc peccato se obstringunt, irremissibiliter peccant. Proinde pro illis non debemus orare, quia preces istæ forent irritæ. Interim tamen charitas de illis etiam ad bene sperandum, quam ad judicium mortis æternæ temere ferendum, procliuior esse debet.

2. *Johan.*

*Vers.*1. Inscriptio huius epistolæ facta fœminæ, quæ commendatur ab apostolo, facit ad amplificationem honoris hujus sexus.

*Vers.*2.3.4. Cum vere fidelibus veritas manet, & manebit in æternum:

num: vnde certi sunt suæ perseuerantiæ & salutis. Nihilominus mediis, ad alendam fidem destinatis, auditu & meditatione verbi, vsu sacramentorum, studio cauendi lapsus, diligendique Deum & proximum diligenter incumbere debent: quia Deus decreuit nobis dare finem fidei per media, ad finem istum ordinata.

Vers. 5. Mandatum de dilectione est vetus & nouum. *Vetus*: quia inde à prima creatione, & instauratione fœderis est datum. *Nouum*: quia in euangelio est repetitum.

Vers. 6. Charitas Dei, qua ipsum diligimus, perficitur amore, more, ore & re.

Vers. 7. Spiritus antichristi cœpit tempore Johannis.

Vers. 8 Hortationes non pugnant cum promissione perseuerantiæ, sed sunt media ad illam conducentia.

Vers. 10. Commercia non necessaria cum impostoribus, sanæ doctrinæ aduersariis, vitanda sunt.

3. *Johan.*

Vers. 2. Curandum nobis est, vt bene valeamus non tantum corpore, sed etiam anima. Ideo nobis

Orandum est, vt sit mens sana in corpore sano.

Vers. 3. Sinceritas est sal actionum nostrarum.

Vers. 6. Duplex est contumelia Dei: *prima*, si filij Dei male tractentur: altera, si ij, qui volunt haberi filij Dei, male afficiant fratres suos. Contrarium vtriusque est, ex charitate fideles prosequi ἀξίως τοῦ θεοῦ, vt dignum est Deo.

Vers. 8. Christiani debent esse συνεργοὶ, *cooperarii*, veritati, h.e. organa, per quæ veritas doctrinæ cœlestis propagetur ad plures.

Vers. 9. 10. Diotrephes φιλοπρωτεύων, est imago antichristi Romani: quia vterque est superbus corruptor disciplinæ ecclesiasticæ.

Vers. 11. Aliquis est ex Deo, vel naturali generatione, vt Christus; vel creatione; vel adoptione; vel regeneratione, vel officio, vti beneficii testantur se ex Deo esse.

Vers. 12. Boni bonorum testimoniis sunt ornandi: vt & ipsi fructum probitatis suæ percipiant, & improborum impostura inter bonos caueantur.

CON-

XXVI.

CONCIONES IN EPIST. IVDÆ.

Memoriale Epistolæ Judæ. Cap. 1.

14

Ecce Venit Dominus sanctis cum millibus vltor.

Oeconomia Epistolæ Judæ.

Epistola Judæ vnico absoluitur capite. Exordium apostolicum est *v.* 1. 2. Institutio complectitur propositionem de constantia in fide, *v.* 3. 4. & expositionem *à v.* 5. *ad* 24. Conclusio est *v.* 24. 25.

Typicam siue tabellarem dispositionem epistolæ Judæ vide *lib.* 2. *præcog. theol. cap.* 80. *pag.* 116. characterem, *ibid. cap.* 124. *pag.* 650. chronologiam, *supra in præliminari concione Bibliorum.*

Archetypi concionum.

Vers. 1. Fides sanctis semel datur: quotidianis vero indiget augmentis & adminiculis, quia sic datur, vt ex colatur.

Vers. 4. Deus ab æterno electos à reprobis, saluandos à damnandis secreuit.

Ibid. Christus abnegatur duobus modis: primo verbis, deinde vita scelerata, in qua culmen impietatis attigisse putandi sunt, qui gratiam Dei transferunt ad lasciuiam carnis, & sub prætextu misericordiæ Dei licentiam peccandi vel ipsi captant, vel aliis præbent. Quo certe hominum genere nullum est pestilentius, quod quidem apertiora reprobationis signa de se edere possit.

Vers. 6. Dæmones non sunt creati mali, sed sponte sua reliquerunt originalem præstantiam, & se præcipitarunt in carcerem infernalem.

Vers. 8. Christianorum est, magistratus suos habere in honore, tanquam ministros Dei, nutritios ecclesiæ, custodes denique vtriusque tabulæ. Quod si tales non sint magistratus nostri, non tamen ideo blasphemare licet majestates.

Vers. 9. Diabolus vnice delectatur idololatria, tanquam cõtumelia Dei.

Vers. 10. Quicunq; doctrinam religionis Christianæ non cognitam damnant, grauiter peccant.

Vers. 11. Vsus historiæ, & exemplorum in illa, est emendatio vitæ.

Vers. 12. Conuiuari Christianis non est illicitum, modo caueatur luxus, & pauperum habeatur ratio: ad quos eleemosynis refocillandos veteres Christiani suas agapas celebrabant.

Vers. 14.

Vers.14. Doctrina de reditu Christi ad extremum judicium, est antiquissima: quippe ab Enocho tradita. Cujus vaticinium per Judam apostolum accepit canonicam authoritatem, quemadmodum & historia illa de corpore Mosis *vers.9.*

Vers.18. Irrisoribus religionis Christianæ non debemus infirmari, sed confirmari in fide. Ita enim futurum extremis temporibus prædixerunt Christus & apostoli.

Ver.19. Irrisores religionis sunt homines animales, h.e. vitam animalem habent pro summo bono.

Vers.20. & seqq. Fides nostra superstructa est gratiæ Dei: nostrum vero est fides superstruere spem & charitatem: quæ tres virtutes sunt bases omnium actionum Christianarum.

XXVII.

CONCIONES IN APOCALYPSIN.

Memoriale Apocalypseos. Cap. 22.

8.11. 17 20 8 9
Alpha, Novum nomen, Pulso, Ter sanctus, Apertus,
11 16 13 20 3
Albæ, Non sitient, Væ simulacra, Tonat.
3 1 18 12 6
Testes, Fœmina adest, Tria sex, Tolerantia, Plagæ,
1 1 2 9 8
Effundunt, Meretrix, Babyla, Cœna, Magog.
12 6
Mœnia cœlestis Solymæ, Obsignatio libri.

Oeconomia Apocalypsis Johannis.

Apocalypsis Johannis habet προλογον, λογον & ἐπιλογον.

I. Προλογος est *c.1. v.1. ad 19.*

II. Λογος habet propositionem & expositionem. Propositio est divisio argumenti in ea quæ sunt & quæ futura sunt, *v.19. c.1* Expositio cõplectitur septem visiones, è quibus prima est historico-didascalica, reliquæ septẽ sunt propheticæ. Visio prima est de statu septem Ecclesiarum, vbi sunt totidem epistolæ. Prima secunda, tertia & quarta sunt *c.2.* quinta, sexta & septima *c.3.* visiones propheticæ sunt de statu Ecclesiæ militantis & triumphantis. De statu ecclesiæ militantis est visio secunda septem sigillorum, quæ significant persecutiones Ecclesiæ primitiuæ, vsque ad Constantinum,

num, *cap.4.5.6.7.* item visio tertia septem tubarum, quæ significant hæreses post tempora Constantini, *c.8.9 10. 11.* tum visio quarta certaminis inter mulierem & Draconem, & inter bestiam & agnum, *cap.12.13.14.* dehinc visio quinta septem phialarum, *c.15.16.* tum visio sexta pœnarum quæ manebunt meretricem, & ipsius cultores, *c.17.18.19.20.* De statu Ecclesiæ triumphantis est visio septima, *c.21.22. ad v.20.*

III. Ἐπίλογος seu conclusio est *à v.20. c.22.*

Typicam siue tabellarem dispositionē apocalypsis Johannis vide *li.2. præc. theol. c.81. p.117.118. & c.116 p.507.508.* characterem & summariam cōsiderationem *ibid. cap.125 pag.651.* chronologiam *ibid. cap.116. p.533. & supra in præliminari concione Bibliorum.*

Apocal. I.

Deitas Christi in hoc capite multis argumentis astruitur: vt *v.1.* quod Johanne reuelauit apocalypsin de rebus futuris, quæ non potuerunt præuideri in causis secundis, vtpote quæ pendent à libertate voluntatis Dei, diaboli & hominis. *v.1.* quod omnes fideles, præsertim ecclesiæ doctores, vocantur serui Jesu Christi, qui correlatiue est dominus ecclesiæ, ac proinde verus Deus. *ibid.* quod appellatur rex regum & dominus dominantium. *v.5.* quod appellatur Jehoua transfixus, quem omnes videbunt. *v.7.* quod dicitur ἀρχὴ καὶ τέλος, principium & finis, Qui est, & qui erat, & qui venturus est, ille, inquam, omnipotens. *v.8.*

Vers.1. Præsagia futurarum calamitatum ecclesiæ, fideles non dejicere, sed ad constantiam animare debent: quia tela præuisa etsi terrent, minus tamen feriunt, præsertim quando scimus, Deum illa definiuisse sapienti consilio.

Vers.4. Spiritus sancti persona insigni periphrasi prophetica describitur sub imagine septem spirituum, qui notant septuplicia dona Spiritus sancti, quæ sunt septem spiritus Messiæ. Confer *Esa.11.*

Vers.5. Christus ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς dicitur *martyr testis fidelis*, tum quia primus testimonium cœlitus protulit: tum quia primus & solus sanguinē pro testimonio suo profudit, cum alij martyres non pro testimonio suo, sed pro testimonio ipsius mortem opperierint.

Ibid. Christus dicitur *primogenitus ex mortuis*, quantumuis non pauci ante eum ex morte legantur suscitati: *tum* quia primus vi sua resurrexit, alij non sua, sed ipsius virtute: *tum* quia primus resurrexit ad vitam immortalem, alij ad terrenam iterum morituri.

Ibid. Quia Christus est princeps regum terræ, rex regum & dominus dominantium, habet in sua manu corda regum & dominantium, vt tam mala quam bona fidelibus, nonnisi ad salutem eorum inferre

possint. Sed, inquis, cur Satan appellatur princeps mundi, *Iohan.* 16. v. 11. Resp. Non de jure, sed de facto: quia Christo indulgente, principatum mundi ad tempus inuasit, vt in filijs contumaciæ sit efficax, ad iustum illorum interitum.

Ibid. Christus abluit nos à peccatis nostris per sanguinem suum duplici modo: *primum*, merito, quia sanguinis sui fusione reatum nostrum expiando justificationem à peccatis nostris meruit in Dei judicio: *deinde*, efficacia, quoniam vi meriti sui etiam dat Spiritum sanctum, qui nos regenerat ad nouam vitam, vt peccatis mortui, justitiæ viuamus. Ad meritum pertinet vestis purpurea, qua induimur: ad efficaciam vestis niuea, qua candicamus.

Vers. 5. 6. Doctrina de Christo & populo Christi, seu de persona, officio & beneficiis Christi, admodum magnifice hic proponitur.

Vers. 10. Dies dominicus est traditio apostolica. Nimirum est juris ecclesiastici, de feriis & ceremonijs ad ordinem vel decorum spectantibus disponere: non vero articulos fidei condere.

Vers. 12. 13. Ecclesiæ debent esse candelabra, quibus imposita sit scripturæ ouibus Christi præluceat.

Vers. 14. *& seqq.* Hæc visio describit Christi majestatem, & sanctitatem.

Vers. 20. Occurrunt hic exempla metonymiæ valde illustris. Vide infra *cap.* 17. *v.* 9. 10. 18.

Apoc. 2.

Vers. 1. Pastores sunt angeli ecclesiarum, h. e. legati Dei.

Vers. 4. Auaritia impedit charitatem.

Vers. 5. Sancti, si suis viribus æstimentur, facile possunt excidere fide & charitate: non possunt, si ex immutabili Dei consilio, promissionibus, custodia & intercessione Christi censeantur.

Vers. 9. Ex paradoxis Christianæ religionis est, quod pauperes spiritu in mundo, sint diuites gloria in cœlo.

Ibid. Nihil est gloriari de titulis, vbi res degenerauit.

Vers. 17. Describitur hic officium militis Christiani. *Officium* est vincere, adeoq; pugnare. Nam

Certandum est: nulli veniunt sine Marte triumphi:
Et nisi certanti nulla corona datur.

Præmium est triplex. 1. manna absconditum. Differatur hic de manna corporali & spirituali, & hoc tum gratiæ, tum gloriæ. 2. calculus albus, qualis scil. olim athletis dabatur, & qualis erat indicium absolutionis, de quo ritu Ouidius:

Mos erat antiquis, albis atrisq; lapillis,
His damnare reos, illis absoluere culpa.

3. nouum nomen quod est, filius gloriæ.

*Vers.*20. Magistratus & pastores conniuentes ad scandala falsæ doctrinæ vel scelerum, grassantia in ecclesia vel rep. grauem teatum & iram Dei tum in se, tum in totum cœtum concitant.

*Vers.*21.22.23. Differatur de scortationis spiritualis & corporalis fœditate, & pœnæ atrocitate.

*Vers.*23. Judicia Dei sunt speculum potentiæ & justitiæ ejus.

*Vers.*24. Traditiones humanæ sunt profunditates Satanæ, h.e. præ se ferunt copiosam scientiam & profundam subtilitatem, cum reuera sint Satanicæ.

*Vers.*26. *& seqq.* Hic occurrit descriptio gloriæ cœlestis sanctorum.

Apoc. 3.

*Vers.*1 Hypocritæ viuunt nomine, sed reuera sunt mortui. Viuunt foris coram hominibus, quibus fuco pietatis imponunt, vt fideles & sancti habeantur: sed mortui sunt intus coram Deo.

*Vers.*4. Sancti sunt digni incedere cum Christo in albis, non operum suorum dignitate, sed gratuita Dei dignatione. Impij, quidem sunt digni æterno supplicio, dignitate meriti: pij vero sunt digni gloria cœlesti, dignitate gratiæ.

*Vers.*5. Nemo superinduetur vestimentis albis gloriæ in cœlis, nisi qui fuerit indutus vestimentis albis gratiæ in terris, h.e. fide, resipiscentia, & perseuerantia.

Ibid. Electi dicuntur scripti in libro vitæ, nec vnquã inde deleri, quia salus eorum in tuto est apud Deum, vt perire nequeant: reprobi contra dicuntur non scripti in libro vitæ, & tamen inde deleri, quia nobis videntur aliquando esse inscripti, sed inscripti non fuisse tandem declarabuntur.

*Vers.*7. 8. Christo diuina sua potentia, per vocem euangelij ecclesiæ ostium aperiente, nemo hostium, ne Satan quidem cum tyrannis, claudere potest: sed & Christo, propter hominum ingratitudinem, ostium claudente, nemo aperire potest. Ergo nos habentes ostium apertum, simus Christo grati: & ne vnquam claudat, vel claudi permittat, supplices oremus.

*Vers.*9 Multi dicunt, se Christianos esse, sed mentiuntur. Differatur itaque de veris & falsis Christianis, Von den Kornchristen / vnnd Maulchristen.

Ibid. De hostium salute non est desperandum, sed semper orandum, vt Deus conuertat conuertendos: quia facile est Christo, ex lupis oues, ex hostibus amicos facere.

*Vers.*10. Quoties scriptura argumentatur à nostra obedientia ad Dei beneficia, non est argumentatio mercenaria & seruilis, à causa meritoria ad mercedem debitam: sed paterna & filialis, à conditione debita, ad remunerationem indebitam.

*Vers.*11. Est corona gloriæ, & martyrij. Illa imponitur omnib. electis, hæc nonnisi iis, quorũ virtus præ aliis est illustrior. Quod attinet ad coronam gloriæ, nemo in hac vita tam prouectæ est virtutis, quin ea priuari possit, si sibi relictus non præstet constantiam & perseuerantiam. Verum ab ista conditione, ne in eis ponatur, Deus virtute sua custodit electos.

*Vers.*15.16. Tria sunt hominum genera in mundo feruidi, frigidi & tepidi in religione, h. e. boni Christiani, professi hostes Christianorum, & hypocritæ. Frigidi præoptantur tepidis, non absolute, sed quatenus videntur magis corrigibiles, & facilius caueri possunt. Cæterum tepidi dicuntur esse in ore Christi, quia sunt in ecclesia externa professione. Hinc Christus illis minatur euomitionem ex ore suo.

*Vers.*17.18. Fides hypocritica non facit ad opes spirituales parandos, sed justifica. Cæterum solus Christus est ἐμπορος *mercator* ille, qui merces salutis cœlitus nobis protulit venales, atq; offert in euangelio, non pretio & meritis emendas, sed precibus & fide gratis accipiendas. Quod Christi monopolium in ecclesia solum est honestum & salutare: quia extra Christum non est salus. Falluntur ergo, qui salutem pretio emere, fallunt, qui merita Christi, sanctorum & sua, vendere solent.

*Vers.*20. Christus pulsat ostium cordis nostri foris & intus. *Foris* 1. prædicatione legis, minantis iram Dei nisi aperiatur. 2. prædicatione euangelij, promittentis gratiam si aperiatur. 3. immissione crucis, si non aperiatur. *Intus*, gratia illuminante cœcas mentes, & viuificante corda ad bonum emortua, vt hospitem pulsantem agnoscamus & admittamus. Etsi vero nos Christo pulsanti, nisi claue spiritus sui ipse aperiat, ostium cordis nostri aperire ex nobis non valemus: tamen Christus nec frustra pulsat, nec frustra promittit aperientibus ingressum ad nos: quoniam vtrũque hoc medium, pulsationis & promissionis, diuinitus est ordinatum, ad nos ex veterno, vel potius morte peccati excitandos, & ad apertionem in nobis efficiendam.

*Apoc.*4. & 5.

Caput quartum describit gloriam Dei Patris, quatenus illa in se est magna, & magna celebratur à quatuor animalibus & viginti quatuor senioribus. *Ostium in cœlo apertum*, notat res cœlestes reserari: *tuba* excitat apostolum & ad rerum futurarum comprehensionem aduocat: *thronus in cœlo positus*, notat Dei super omnia imperium atq; judicium: *insidens*

throno

throno est Deus Pater, cujus gloria radiat instar Jaspidis Sardij & Smaragdi. Jaspis erat lapis Benjaminis, in quo templum fuit ædificatum: Sardius erat lapis Rubenis, constituti contra hostes: Smaragdus erat lapis Leui, qui doctrina sua λαμπρύνειν, *splendere*, debebat. Ille igitur notat Dei misericordiam, iste potentiam, hic sanctitatem ipsius. *Viginti quatuor seniores* sunt XII. tribus, adeoque prophetæ ex illis oriundi, & XII. Apostoli: è quibus illi sunt Patriarchæ Ecclesiæ V.T. hi sunt Patriarchæ Ecclesiæ N.T. Confer cum *Matth. 19. v. 28.* Sunt *amicti vestibus albis*, hoc est, sanctitate gloriosa: *& habent impositas capitibus suis coronas aureas*, hoc est, potentia regia sunt præditi. *Ex throno prodibant fulgura & tonitrua & voces*, quibus significatur vox legis & Euangelij, qua prosternitur & subigitur vniuersus mundus. *Septem lampades ante thronum sunt septem Spiritus Dei*, hoc est, septuplicia dona Spiritus Sancti *Esa. 11.* *Mare vitreum ante thronum, simile Cryst allo*, est vastus, tumultuosus & fragilis hic mundus, illustratus splendore Euangelij. *Quatuor animalia*, sunt quatuor angeli, qui tanquam principes in quatuor angulis siue cardinibus mundi, (vide infra *cap. 7. vers. 1.*) repræsentant reliquos sanctos angelos. *Primum animal erat simile leoni*, quo notatur fortitudo: *secundum vitulo* siue boui, qui est hieroglyphicum roboris: *tertium homini*, quo hieroglyphice notatur intellgentia: *Quartum aquilæ volanti*, quæ est hieroglyphicum fidei volantis in cœlum. *Singula animalia habebant senas alas*, quæ in vniuersum sunt numero viginti quatuor, quibus totidem seniores, qui repræsentant totam Ecclesiam, teguntur & reguntur à Deo per angelos. Animalia *intus erant plena oculis*, quia Deus per angelos regit mundum & Ecclesiam sapientissimo consilio. *Sine intermissione dicunt, Sanctus, Sanctus, Sanctus*, (quod τρισάγιον innuit tres personas sacrosanctæ Trinitatis.) *Dominus Deus illi omnipotens, Erat, Est, & Venturus est:* quæ tria significant æternitatem Dei ante creationem & Ecclesiæ plantationem in mundo, decursum seculi & Ecclesiæ, & æternitatem Dei post finem seculi. *Cum animalia illa tribuebant Deo gloriam*, hoc est, celebrabant pia prædicatione quod ipsius proprium erat, *Viginti quatuor seniores procidebant ante illum insidebant throno, & adorabant illum viuentem in secula seculorum, & abijciebant coronas suas ante thronum*, quia certaminum suorum victorias non sibi, sed authori tribuunt, vt ad illum referant gloriam laudis, à quo sciunt se vires accepisse certaminis: *Dicentes, Dignus es Domine, &c.* Quem hymnum adijciunt hymno angelico. Atque hæc est visio, quæ describit statum Ecclesiæ triumphantis, & militantis, partim à majestate Dei partim ab officio filiorum Dei. Describitur autem Ecclesia triumphans hoc loco principaliter, tanquam exemplar & archetypum Ecclesiæ militantis. *Caput quintum* describit gloriam Filij, & est analogum capiti præcedenti, hoc est, eodem modo cõmemorat

gloriam Filij, vt commemorata fuit gloria Patris, quatenus in se est magna & magna celebratur à quatuor animalibus & viginti quatuor senioribus hoc modo. *Liber clausus & obsignatus septem sigillis* est arcana Dei prouidentia, septies h.e. bene munita. *Hunc librum nemo in cœlo, vel in terra, vel subter terram aperire potest*, h.e. nulla creatura potest penetrare decreta & secreta Dei. *Leo ex tribu Juda*, h.e. Christus, princeps ille fortissimus & spectatissimus, hic, inquam, leo *vicit vt aperiat librum, & soluat septem ejus sigilla.* Hic ipse leo simul *est agnus mactatus*; quia patientissima sua passione nos fecit oues Dei. *Agnus iste habet septem cornua, & oculos septem*, hoc est, septem Spiritus emissos in omnem terram, quibus ceu cornibus prosternitur omnis humana superbia, & tanquam oculis reguntur electi. *Septem isti Spiritus*, sunt dona Spiritus Sancti. *Quatuor animalia & viginti quatuor seniores procidunt coram agno, habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas suffituum*, è quibus illæ notant gratiarum actionem, hæ deuotam inuocationem. Deinceps describitur hymnus. Atque hæc est descriptio Ecclesiæ triumphantis. Accommodemus nunc ista ad statum Ecclesiæ militantis. Describitur in hac visione liber septem sigillis obsignatus, & canticum Olympicum.

De I. Liber, qui hic describitur, est Scriptura. Liber iste *est scriptus intus & à tergo*: id est habet sensum mysticum & historicum, vt docentem, quæ de Christo sunt prædicta, & typis adumbrata. Liber iste est *obsignatus septem sigillis, quæ nemo in cœlo vel in terra potuit aperire nisi leo de tribu Juda*, hoc est, Christus, princeps ille fortissimus. Sigilla ista sunt septem mysteria, quæ in solo Christo potuerunt impleri, & ipso facto impleta sunt. Sunt autem ista. 1. Incarnatio, seu inhumanatio. 2. Passio. 3. Resurrectio. 4. Ascensio. 5. Sessio ad dextram Patris. 6. Missio Spiritus S. 7. Reditus ad judicium, adeoque resurrectio carnis. Septem hæc sigilla aperuit agnus ille mactatus, qui septem suos Spiritus emittit in omnem terram. De septem istis spiritibus Messiæ vide *Esa. 11.*

De II. Canticum Olympicum seu Musica cœlestis absoluitur triplici choro. *Primus* est viginti quatuor seniorum, h.e. 12. tribuum & Apostolorum & quatuor animalium, i.e. Euangelistarum. *Secundus* est angelorum. *Tertius* iterum est viginti quatuor seniorum, & quatuor animalium.

Apocal. 6.

Vers. 1. Agnus aperit ordine septem sigilla libri decretorum & secretorum Dei.

Vers. 2. 4. 5. 8. Quatuor equi diuersicoloris, albus, rufus, niger, pallidus, cum suis sessoribus, ex quatuor primis sigillis prodeuntes, designant eosdem

dem diuersas Ecclesiæ facies siue status, inde vsque ad Antichristi magni & Catholici seu vniuersalis exortum. *Equus albus* designat Ecclesiam Apostolicam & subsequentem aliquamdiu candidam puritate doctrinæ & cultus: *Equus rufus* Ecclesiam rubentem sanguine martyrum, sub tyrannis Romanis, inprimis authoribus decem famosissimorum persecutionum: *Equus niger* Ecclesiam atris hæresibus paulatim denigratam: *equus* deniq; *pallidus* Ecclesiam tandem pallore lethali ad mortem vsque ægrotam, sub exortum Antichristi, in Bonifacio III. Pontifice Romano, anno 606.

Vers. 9. & seqq. Sigillum quintum denotat statum martyrum mactatorum. *Illorum animæ stant sub altari*, quod est Jesus Christus, suscipiens ac protegens animas fidelium post mortem. Animæ istæ *clamant pro vindicta sanguinis sui.* Clamor iste est efficax. Nam *dantur eis stolæ albæ*, quales gestabantur à sacerdotibus & regibus, & *dicitur eis, vt requiescant adhuc paululum temporis, vsquequo compleantur etiam conserui eorum & fratres eorum, qui trucidandi sunt, sicut & ipsi*, hoc est, vsque dum compleatur numerus martyrum.

Vers. 12. & seqq. Sigillum sextum denotat statum imperij Antichristiani, quantum ad malum culpæ & pœnæ. Malum culpæ est, quod Antichristus horrendo terræmotu concitato in Christianismo, Ecclesiam tenebris plus quam Cimmerijs & Ægyptiacis inuoluet atque opprimet, inde ab anno Christi 606. continuis mille annis. Horrore istarum tenebrarum, tum in doctrina, tum in vita occurrentium, terra, cœlum, & quæ in ijs sunt, percelluntur: vt & horrore pœnarum. Nam hostes Antichristiani Ecclesiæ tandem ad judicium Dei & Agni trepidantes, horrendo vlulatu exclamabunt: *Montes cadite super nos.* Atque hoc est malum pœnæ, dignum patella operculum.

Apocal. 7.

Vers. 1. Deus in exequendis suis judicijs per totum orbem vtitur quatuor angelis, in quatuor angulis siue cardinibus mundi.

Vers. 2. & seqq. Deus in medijs tenebris regni Antichristiani seruat suam Ecclesiam, cujus status in hac vita, & post hanc vitam hoc loco describitur partim à custodia seu protectione, partim à gloria seu coronatione. *Custodia* describitur à custode seu protectore, modo custodiæ, & numero custoditorum. *Custos* est Jesus Christus, *Angelus* ille *ascendens ab ortu solis, qui voce magna acclamat quatuor illis angelis, quibus datum est lædere terram & mare, dicens, Ne lædite terram, neque mare, neque arbores, quousq; obsignauerimus seruos Dei nostri in frontibus suis:* quibus postremis verbis *modus custodiæ* exprimitur. Nimirum martyres & confessores obsignãtur in frontibus suis, h. e. in vera fide cõfirmentur, eamq; profitẽtur: quo charactere &

discer-

discernuntur ab infidelibus & hypocritis, & dignoscuntur tum ab angelis, tũ ab alijs sanctis. *Numerus obsignatorũ* est innumerus, conflatus ex Judæis Gentibus. Judæi obsignati ex duodecim tribubus, sunt Judæi conuertendi ad Christum, antequam veniat magnus ille dies Domini. Gentes obsignatæ sunt Christiani, inde ab initio confusionis antichristianæ. *Gloria* siue coronatio obsignatorum Judæorum & Gentium est posita in hisce. *1. Stant ante thronum. 2. In conspectu agni. 3. Amicti stolis albis*, tanquam sacerdotes & reges. *4. Palmæ sunt in manib. eorum*, tanquam signa victoriæ. *5. Clamant voce magna, Salus à Deo nostro.* 6. Habent angelos sibi continentes, & viginti quatuor seniores, item quatuor animalia, siue angelos principes & veluti cardinales. 7 Commutatio afflictionum cum æterna gloria est admirabilis in his sanctis martyribus, confessoribus, & omnino electis obsignatis. Nam quia *dealbarunt vestimenta sua in sanguine agni*, h.e. justitiam & salutem non in suis, vel sanctorum meritis, sed in solius Christi merito, quæsiuerunt, *& venerunt ex afflictione magna*, pressuris videlicet Antichristi plusquam Ægyptiacis & Babylonicis, *Ideo sunt ante thronum Dei*, &c. Vide *vers. 15. 16. 17.* quibus gloria & gaudium illorum plene describitur.

Apocal. 8.

Vers. 1. Sigillum septimum est præ significatio plenæ executionis Dei per septem angelos, clangentes totidem tubis.

Vers. 2. 3. 4. Deus judicia sua ita exequitur, vt semper habeat rationem Ecclesiæ suæ. Nam Christus, magnus ille *Angelus* fœderis, fidelis pontifex Ecclesiæ *stat ante aram*, h.e. perpetuo apparet in conspectu Dei, *habens aureum thumbulum*, hoc est, æterno oblationis suæ vigore interpellans pro nobis, *& offerens suffitus*, hoc est, tam sanctorum cœlitum celebrationes, quam nostras deprecationes *super altare aureum quod est ante thronum*, h.e. super sacrificium mortis suæ, per quod preces sanctorum triumphantium & militantium fiunt Deo acceptabiles: Ita enim fit, *vt ascendat fumus suffituum è manu angeli ad conspectum Dei.* Porro Christus *hoc suum thuribulum implet ex igne altaris, abijcitque in terram*, hoc est, sacrificium & mysterium crucis suæ per Spiritum suum accendit, & per prædicationem Euangelij propagat. Quid vero fit? *Tonitrua, & voces, & fulgura, & terræmotus fiunt*, hoc est, impij commouentur per tonitrua, voces & fulgura verbi Dei, & opponunt sua tonitrua, voces & fulgura, ijsque commouent tertam, sparsis varijs erroribus, & excitatis persecutionum incendijs.

Vers. 7. Primo angelo clangens tempore Bonifacij. *III. Facta est grando & ignis mista sanguine, projectaque sunt in terram*, h.e. doctrina Euangelij fuit corrupta grandine & igne errorum, qui permisti fuerunt sanguine siue crudelitate Phocæ: *& tertia pars arborum*, id est, electorum, qui sunt arbores

arbores justitiæ, *exusta est*, hoc est, sancti illi sublati sunt & erepti ex mundo: *& omne gramen viride exustum est*, hoc est, pascua viridia verbi Dei sunt infecta.

Vers.8. Secundo angelo clangente, *mons magnus igne ardens projectus est in mare*, hoc est, primatus Papæ magis magisque fuit stabilitus, & oppressit mare imperij Romani, in quod fuit projectus: *factaque est tertia pars maris sanguis*, hoc est, Pontifices tyrannide & cædibus grassati sunt: *& mortua est tertia pars creaturarum, &c.* h.e. potentia Romani imperij fuit diminuta.

Vers.10. Tertio angelo clangente, *cecidit è cœlo stella magna*, h.e. pastores degenerare cœperunt vna cum Pontifice, & sparserunt *absinthium*, h.e. decreta Pontificis Romani, quibus aquæ dulces scripturarum, factæ sunt amaræ.

Vers.12. Quarto angelo clangente, *tertia pars solis, luna & stellarum obscurata est*, hoc est, illi, qui aliquid lucis habuerunt reliquum, siue aliquid Christi & scripturæ, retinuerant, erroribus & tenebris Antichristi fuerunt implicati.

Apocal.9.

Vers.1. & seqq. Quinto angelo clangente, *stella decidit è cœlo in terram, & data est ei clavis putei abyssi, quo aperto ascendit fumus, & obscuratus est Sol & aer à fumo putei*, hoc est, Papa Romanus plane excidit ex Ecclesia cœlesti, acceptisque clauibus abyssi, emisit inde fumum densissimum hæresium, quo obscurata est omnis Scripturæ perspicuitas & splẽdor. *Ex fumo autem exierunt locustæ in terram*, hoc est, clerus Romanus, qui magno agmine fruges consumere natus & terræ inutile pondus, depopulatus est Ecclesiam. & *scorpionum* instar *cauda* sua venenata sanam doctrinam infecit.

Vers.7. & seqq. Clerus Romanus graphice depingitur. Confertur cum *equis ad prælium paratis*, propter crudelitatem sanguinariam. Quo pertinent *alæ currum, dentes leonini, & lorica ferreæ. Coronæ similes aureis* notant invasiones magistratuum: *facies hominum*, significant hypocrisin: *capilli mulierum*, notant mollitiem, & turbam virginum Vestalium, quas sibi adjungunt, ne sint soli.

Vers.11. Angelus malus, qui præest regno Antichristi ad plenam potentiam evecto, dicitur *Abaddon* siue *Apollyon*, quia nil nisi perdere nouit, doctrinam scilicet & vitam.

Vers.12. & seqq. Clangente sexto angelo circa tempus reuelationis Antichristi, soluti sunt angeli quatuor, qui Babylonem mysticam & ipsius fideles ministros armarunt in gregem sanctorum, & hoc tempore armant, justo judicio.

Apocal. 10.

Vers. 1. & seqq. Interea temporis, dum sextus angelus clangit, & Antichristus fremit, Christus, *angelus* ille *robustus descendit de cœlo*, h.e. suis opitulatur: *est amictus nube*, per quam videtur tanquam Sol: *supra caput ejus est iris*, id est, vexillum diuersicoloris crucis: *facies ejus est vt Sol*, illuminans & fouens electos in confusione errorum & charitatis frigore: *pedes ipsius sunt vt columnæ ignea*, quæ ob stabilitatem & jacula flammarum non possunt attingi, nedum euerti. Porro Christus *habet librum apertum in manu sua*, qui est Scriptura Sacra: & *ponit pedem dextrum suum super mare, sinistrum autem super terram*, hoc est, vbique exerit potentiam suam. *Clamat voce magna, sicut leo rugit*, hoc est, reformatores excitat, *cui loquuntur ceu septem tonitrua voces suas*, hoc est, sunt numero septem, & efficaciter exequuntur voluntatem Dei. Porro Christus *tollit manum suam ad cœlum*, qui est gestus jurantis *& jurat per Deum, tempus non fore amplius*, postquam scilicet clanxerit septimus angelus.

Vers. 7. Septimo Angelo clangente *consummabitur mysterium Dei, sicut annuntiauit seruis suis prophetis*, hoc est, finis imponetur reformationi & conuersioni Judæorum: quæ sunt duo colophonia mysteria, prædicta à Prophetis.

Vers. 8. & seqq. Prædones verbi debent *librum* salutis *apertum*, h.e. doctrinam & interpretationem ejus, non ex hominum, sed *ex Christi manu accipere, & deuorare*, h.e. auide cognoscere, meditari, scrutari, quasique familiarem cibum in sanguinem & succum conuertere. Hoc verbum comestum *dulce est in ore*, quia cordibus lætitiam & conscientijs pacem affert: *amarum vero est in ventre*, quia odia mundi, persecutiones & crucem trahit.

Apocal. 11.

Vers. 1. Mandatum de mensurando templo à gentibus profanato, est prophetia de reformanda Ecclesia ab Antichristianis oppressa, deque repurganda doctrina & disciplina Ecclesiastica, per calamum seu regulam verbi Dei. Hujus reformationis initium viderunt nostra tempora.

Vers. 2. Atrium extra templum Apostolus prohibetur metiri, quia datum est gentibus, h.e. Antichristianis, qui calcarunt sanctam ciuitatem, hoc est, oppresserunt Ecclesiam. Dicuntur autem gentes, quia sub nomine Christi gentiliter docent & viuunt.

Ibid. Calcant ciuitatem sanctam mensibus quadraginta duobus, h.e. annis 1260. mense pro 30. diebus, die pro anno computatis. Initium horum annorum statuimus sub *Syluestro*, in quo recte figitur defectio sedis Romæ;

Romanæ initialis, quando Constantinus Magnus Roma transtulit *sedem* imperij Constantinopolin. Totalis autem siue vniuersalis apostasia sedis Romanæ facta est in Bonifacio, tempore Phocæ.

Vers. 3. 4. 5. Duo testes, aduersus Antichristum prophetantes, sunt Moses & Elias, qui Christo adfuerunt in monte Thabor. Moses enim & Elias in Spiritu, toto Antichristi regno durante nunquam defuerunt, sed semper ardenti zelo corripuerunt idololatriam Israeliticam & Baalaticam, quæ fuit typus idololatriæ Antichristianæ. Cæterum elogia duorum testium non ad literam, sed spirituali quadam similitudine sunt intelligenda de vi & efficacia præconij & testimonij ipsorum.

Vers. 7 8. 9 10. 11. Cum duo illi testes finierint testimonium suum, reuelando scilicet Antichristum, *bestia illa ascendens ex abysso geret aduersus eos bellum, & vincet eos*, edendo vltimum suum conatum. *Et cadauera eorum jacebunt in plateis vrbis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma*, (ob Sodomiticam impietatem & injustitiam,) *& Ægyptus*, (ob persecutionem sanctorum, & nominatim decem illas persecutiones Imperatorum gentilium, quæ in persecutione Antichristi, tanquam in epitome concurrunt,) *vbi & Dominus noster crucifixus est*, impia videlicet doctrina Missæ, satisfactionum, indulgentiarum, & impura vita. Quæ omnia non possunt nisi Romæ competere. Huc accedit, quod Christus crucifixus est authoritate vrbis Romæ. Porro *cadauera istorum duorum prophetarum per tres dies & dimidium*, hoc est, tot annos, *jacebunt in sepultis: & incolæ terræ gaudebunt super illis, quoniam hi duo prophetæ cruciarint incolas terræ*, testimonio scilicet suo molestantes ipsorum impietatem. *Sed post tres dies & dimidium*, resurgent isti duo Prophetæ, non in persona, sed in Spiritu, h.e. efficacia ministerij sui, quæ quidem tanta erit, vt *decima vrbis pars cadat*, hoc est, superstitio Romanensis decrescat, *& capita hominum septies occidantur in terræmotu*, hoc est, brachio Dei, *& reliqui territi dent gloriam Deo cœli vers. 12. 13.* Quæ omnia jam instant.

Vers. 15. & seqq. Septimus Angelus clanget post reformationem illam Catholicam, & tum incipiet regnum gloriæ Christi, quam viginti quatuor seniores hic adorant & celebrant.

Apocal. 12.

Vers. 1. Hæc visio sacrilege refertur ad Mariam, recte ad Ecclesiam No. Testam. cujus primordia & sors futura in mundo, annis primis vsque ad exortum Antichristi describuntur typo ex historia Mariæ parientis masculum, id est, Christum, desumto. *Mulier* ista *est amicta sole*, hoc est, fide in Christum: *sub pedibus suis habet Lunam*, hoc est, mundum, qui multiplices habet vicissitudines: *in capite ejus est corona stellarum duodecim*, hoc est, doctrina 12. Apostolorum. Hunc cultum quamdiu retinuit,

manſit illibata ſponſa Chriſti. Poſtquam vero pro ſole purpuram & coronam induit, ſub lunaria ſiue terrena pedibus calcare deſijt, & ſtellas coronæ ſuæ, auro, margaritis, & lapidibus pretioſis commutauit, beſtiamque conſcendit, facta eſt meretrix illa fornicationum, de qua c. 17.

Verſ. 2. Mulieris dolorosa parturitio ſignificat Eccleſiæ Chriſtianæ primam propagationem per varias moleſtias, dolores, lachrymas, perſecutiones & martyria.

Verſ. 3. 4. 5. Hoſtes Eccleſiæ ſunt *draco*, id eſt, diabolus, & ipſius organa, quæ figurantur per *ſeptem capita*, *decem cornua*, *& ſeptem diademata*, hoc eſt, reges & principes tyrannos, qui cornibus edictorum & perſecutionum feriunt electos. *Cauda draconis tertiam partem ſtellarum de cœlo trahens*, notat ſæuitiam & diuturnitatem perſecutionum Romanarum, qua infiniti Chriſtiani cum Epiſcopis à fide deficientes ſuccubuerunt.

Verſ. 7. 8. 9. Prælium & victoria *Michaelis* contra draconem, adumbrat tum Chriſti ipſius cum Satana in infanticidio Herodis, deſerto & morte congreſſum, inque reſurrectione & aſcenſione victoriam: tum Eccleſiæ Chriſtianæ ſub tyrannis Romanis conſtantiam, & in Conſtantino Magno victoriam.

Verſ. 7. 13. 14. 15. Nouus draconis in mulierem perſecutio poſt Conſtantini tempora tũ fuit hæreſium tetterrimarũ illuuies, tum epiſcoporum orientalium & occidentalium ambitioſus de primatu conflictus, perdita luxuries, dominandi inſana libido, & apoſtaſia. Fugit autem mulier in ſolitudinem aquilinis alis, & annis 1260. paſta fuit in deſerto, inde à Syluestro.

Apocal. 12. v. 1. 7.

Illuſtris imago Eccleſiæ militantis hoc loco deſcribitur. 1. Eccleſia eſt mulier: quia eſt fœcunda mater. 2. Hæc mulier: amicta eſt ſole; puta juſtitia Chriſti, vera illa luce. Vnde in vita æterna lucebit inſtar ſolis. 3. Luna eſt ſub ejs pedibus, hoc eſt res mundanæ, quæ ſunt inſtabiles veluti Luna. 4. Corona eſt in capite ejus, inſignita duodecim ſtellis. Corona eſt Chriſtus. Stellæ duodecim ſunt beneficia ejus gratuita: videlicet ejus conceptio, natiuitas doctrina, miracula, paſſio, deſcenſus ad inferos, reſurrectio, aſcenſio, miſſio Spir. S. ſeſſio ad dextram Patris, reditus ad judicium, glorificatio electorum. O ſtellas amabiles & mirabiles! 5. Mulier iſta eſt grauida, & parturit: Nimirum crux eſt ſemen, è quo Eccleſia concipit ſuos liberos. 6. Draco ſepticeps & decem cornis eſt diabolus, qui conatur infantẽ, quẽ Eccleſia parit, deuorare per varias perſecutiones. 7. Infans, quem parit Eccleſia, paſcit omnes gentes ſceptro ſuo. Hæc eſt fides in Chriſtum ejuſq; ſincera & intrepida confeſſio. 8. Infans aſſumtus eſt à Deo, hoc eſt, electi in Chri-

in Christo defenduntur & proteguntur in cœlo, vbi sunt scripta ipsorum nomina. 9. Mulier fugit in solitudinem, h.e. ecclesia est in exilio.

Alia explicatio.

1. Mulier amicta sole est ecclesia, quæ amicta est sole justitiæ. 2. Luna est sub pedibus hujus mulieris, id est, ecclesia est superior omnibus rebus caducis & sublunaribus. 3. Corona 12. stellarum est doctrina apostolorum, duodecim virorum reip. Christianæ. 4. Mulier parturiens notat crucem, in qua nascuntur electi Dei filij. 5 Draco notat Romanũ imperium vna cum decem regnis ipsi subditis. Hoc siquidem tertiam partem stellarum attraxit, h.e. plurimos seduxit, & se stitit coram muliere, h.e. variis persecutionibus molestiam creauit ecclesiæ. 6. Infans à Deo subducitur, h.e. electi liberantur diuinitus. 7. Aquilinæ alæ, quæ datæ sunt mulieri, notant præsentissimum & certissimum Dei auxilium, beneficio V. & N. T. præstitum, tanquam gladio ancipiti. 8. Draco euomit fluuium aquæ, quem absorbet terra, h.e. diabolus excitat tyrannos, quos terra tandem absorbet. 9. Draco excandescit, & pugnat in reliquias seminis hujus mulieris h.e. diabolus bellum indicit electis, qui nascuntur huic mulieri per semen fidei.

Apoc. 12. v. 7. 13.

Quemadmodum *Dan* 10. recitatur angelomachia seu pugna angelorũ inter se: ita hoc loco describitur prælium principis angelorum, id est, Christi, illiusque angelorum, vna cum dracone & ipsius angelis. Quatuor autem sunt obseruanda in hoc prælio. 1. Exercitus duo, qui confligunt. 2. Locus & tempus pugnæ. 3. Victoria Christi & credentium. 4. Epinicium.

De I. Ducum magnanimitas & militum multitudo atq; vigilantia occurrit. Et ex vna quidem parte est Jehoua exercituum, cui militant angeli, pastores, & omnes electi, siue sint in statu œconomico, siue ecclesiastico, siue politico. Ex altera parte est Satan, in cujus exercitu militant mali dæmones, hæretici, tyranni, & vno verbo omnes homines infideles & reprobi.

De II. In loco spectatur sanctitas, in tempore diuturnitas. Hoc enim prælium geritur in cœlo, id est in ecclesia: & geritur indeab initio mundi ad hunc vsq; diem, idq; sine vlla intermissione, sine vllis induciis.

De III. Victoriæ felicitas est in eo, quod Christus vincit tum in se, tum in membris suis, & quidem moriendo. In hac siquidem morte, tum Christi, tum Christianorum, victoriam reportat charitas.

De IV. Epinicij jucunditas cernitur in δοξολογίᾳ, excitatione, & commination e. Illa dirigitur ad Christum, ista ad electos, hæc ad reprobos.

Alia dispositio.

Dicemus de triplici pugna diaboli, & triplici victoria filiorum Dei.

De I. primam pugnam diabolus incepit in cœlo, vnde est deturbatus.

De II. Secundum prælium incepit cum Christo, qui ipsum vicit moriendo & resurgendo.

De III. Tertium prælium incipit & continuat in filiis Dei, quos aggreditur in statu ecclesiastico politico & œconomico: Da dann ist der Kirchenteuffel/ Hofteuffel vnd Haußteuffel. Sed filij Dei animose resistunt, & tandem victoriam reportant.

Apoc. 13.

Antichristus Romanus hoc loco adumbratur duabus bestiis: vna quidem marina, vt rex politicus, altera vero terrena, vt impostor ecclesiasticus. Est enim antichristus biformis, non corpore, sed regno & potestate: & ideo recte appellatur *Bibestia*. Nimirum imperatores ethnici constituunt bestiam marinam, quæ constat septem capitibus, h.e. septem dignitatibus & formis regiminis tanquam septem montibus, & decem cornibus, i.e. imperatoribus cornutis. Hãc bestiam secuta est vniuersa terra *v.* 3. donec altera bestia illi successit *v.* 11. quæ habet *duo cornua*, h.e. geminam potestatem seu gladium: *similia agni*, h.e. vtramq; sub nomine Agni seu Christi exercet: sed *loquitur vt draco*, h.e. seducit homines, suamq; potestatem stabilit & exercet more draconis, per falsam doctrinam, signa magna & mendacia, veneration em imaginum, & violentiam externam. *v.* 12. 13. 14. 15, quibus quinto loco accedit character, cum priuilegiis emendi & vendendi, in fronte & dextra, h.e. professione communi, & jurejurando peculiari. *v.* 16. 17.

Vers. 18. Numerus vtriusq; bestiæ est numerus hominis, vtrique communis: quem *Irenæus lib.* 5 *c.* 25. exprimit, nempe λατεῖνος.

Apoc. 14.

Capite præcedenti commemorauit apostolus potestatem & vim bestiæ: hoc loco jam commemorat potestatem & vim *agni*, qui 1. *stat supra montem Sion*, h.e. in ecclesia. 2. penes se habet *centum quadraginta quatuor millia habentia nomen Patris eius scriptum in frontibus suis, qui sunt emti de terra, nec cum mulieribus sunt coinquinati &c. v.* 2. 3. 4. h.e. electi homines, qui non scortati sunt cum bestia Sodomitica. 3. laudatur magnifica & sonora voce *v.* 2 3. 4. mittit tres angelos præconiantes euangelium æternum contra antichristum & Babylonem. *v.* 6 8. 9. h.e. tribus distinctis temporibus excitat ministros euangelij per angelos suos, vt se opponant antichristo. 5. finito præconio trium angelorum mittit tres alios angelos ad perficiendam messem *v.* 15. 17. 18. Nimirum in hoc seculo est tempus sementis, in fine seculi erit tempus messis.

Apoc. 14. v. 12.

Hic docemus artem beate moriendi: quomodo videl. felix & salutaris clauſula vitæ ſit imponenda. Hanc ad rem tria requiruntur. 1. Meditatio fundamenti & ſcopi; qui eſt Jeſus Chriſtus. Hunc nulla mundi ludibria, vel mortis ſpectra nobis eripere ſinamus. In hoc moriamur per fidem & conſtantiam. Quemadmodum enim ſagittarius ſcopum reſpicit oculo irretorto, & ſolertiſſime prouidet, ne manus trepident, ſed immotæ maneant: ita neceſſe eſt, vt hunc ſcopum intentis oculis, & conſtanti corde aſpiciamus. 2. Meditatio futuræ beatitudinis, quæ in eo eſt, quod requieſcimus à laboribus noſtris. Huc igitur vnice anhelemus. 3. Conſideratio viæ, per quam peruenitur in vitam æternam. Hæc via eſt poſita in bonis operibus, juxta regulam in ſcriptura fundatam: *Bona opera ſunt via, non cauſa regnandi.* *Concio funebris.*

Apoc. 15.

Eccleſia nouĩ teſtamenti habet quatuor periodos. *Prima* eſt ſub Imperatoribus Romanis vſque ad Conſtantinum. *Secunda* ſub Impp. Chriſtianis vſque ad Phocam. *Tertia* ſub antichriſto vniuerſali in vigore, à Bonifacio III. vſque ad Leonem X. ſub quo cœpit inclinatio per doctrinam euangelij. *Quarta* ſub antichriſto vniuerſali in inclinatione, per prædicationem euangelij. Ad hanc poſtremam periodum referendæ ſunt plagæ ſeptem phialarum: quippe quæ dicuntur nouiſſimæ.

Verſ. 1. Deinde ſeptem angeli dicuntur prodire è templo aperto *verſ.* 5. 6. in quo ſancti victores canunt Deo canticum. *verſ.* 3. Vnde colligere eſt, phialas illas effundi tempore reuelationis antichriſti.

Verſ. 2. Etiamſi beſtia, i. e. antichriſtus, tyrannide ſua vincit ſanctos, victoria corporali: tamen ſancti conſtantia fidei ſuæ vincunt beſtiam victoria ſpirituali.

Verſ. 2. 3. 4. Victores beſtiæ ſtant ſuper mari vitreo igni mixto: quia mundum cum ſuis deliciis & pompis deſpiciendo, pedibus calcant: nec ſunt de mundo: neque tribulationum igne de ſtatione turbantur, ſed fide & ſpe ſua vſque ad finem conſtantes perſiſtunt, & canunt canticum Moſis & agni, hoc eſt, epinicion, quo celebrant victoriam agni de beſtia, *verſ.* 3. quemadmodum Moſes celebrauit victoriam reportatam de Pharaone. *Exod.* 15. Cæterum canticum Agni abſoluitur tribus partibus. *Prima* eſt confeſſio majeſtatis, mirabilitatis juſtitiæ, & veri-

& veritatis Dei in omnibus viis ſuis. *Secunda* eſt excitatio ad timorem & glorificationem Dei, h.e. ad ſubmiſſionem & celebrationem ex vera fide profectam. *Tertia* eſt ætiologia: *Nam omnes gentes venient & adorabunt coram te* &c.

Verſ. 5. 6. 7. 8. Templum tabernaculi teſtimonii in cœlo eſt apertum, h.e. euangelium eſt clare in mundo annuntiatum, ad reuelandum antichriſtum. *Ex templo iſto prodierunt ſeptem illi angeli, habentes ſeptem plagas*, hoc eſt, ab illo tempore antichriſti reuelati. Angeli iſti fuerunt *induti lino puro & ſplendido*, ſymbolo illo ſanctitatis, *& præcincti* (quod eſt ſymbolum diligentiæ) *circa pectora zonis aureis*, quod eſt ſymbolum fidei, conſtantiæ & potentiæ in capeſſendis & exequendis mandatis Dei. *Et vnum ex quatuor animalibus*, i. e. præcipuis illis angelis, de quibus ſupra, *dedit ſeptem angelis phialas aureas plenas iræ Dei*, hoc eſt, totidem plagas, quæ ſunt Deo gratæ, quippe juſta executio judiciorum ejus. *Et impletum eſt templum fumo*, hoc eſt, tempus reuelationis antichriſti multiplicibus pœnis fuit repletum. *Nec quisquam poterat ingredi in templum, donec explerentur ſeptem plagæ ſeptem angelorum*, h. e. eccleſia ſub hoc tempus eſt in maxima anguſtia.

Apoc. 16.

Hoc capite commemorantur ſeptem phialæ excandeſcentiæ Dei, effuſæ in terram.

Prima phiala effudit ſuper terram, i.e. Germaniam & vicinas prouincias, *vlcus malum & noxium*: prædicatione euangelij excitando peſſima animorum vlcera, iram, odium, liuorem furorem, in antichriſti miniſtris, aduerſus euangelium, ejuſque confeſſores, qui variis vlceribus h.e. plagis fuerunt affecti ob ſuam conſtantem confeſſionem. *v.* 2.

Secunda phiala effudit ſuper mare, i. e. colluuiem concilij Tridentini, decreta tabifica & lethalia animabus in hoc mari nauigantibus. *verſ.* 3. Atque hæ ſunt duæ phialæ jam effuſæ: quatuor ſequentes adhuc reſtant effundendæ.

Tertia phiala effundet in flumina & in fontes aquarum, h.e. ſuper primipilares antichriſtianæ tyrannidis miniſtros, puta Inquiſitores, & illorum mancipia, ſanguinem, vt juſto judicio potentur ſanguine, pro eo, quod ſanguinem ſanctorum fuderunt. *v.* 4. 5 6.

Quarta phiala effundet in ſolem, h.e. euangelium Chriſti, clariorem lucē, & fœditatis ant chriſtianæ apertiorem detectionem, qua clerus Romanus adeo non reſipiſcet ad dandam Deo gloriam, vt majores etiam blaſphemias in Deum & euangelium effuſuri, majoique furoris æſtu ſeditiones ſint concitaturi *verſ.* 8. 9.

Quinta phiala effundet ſuper thronum beſtiæ, h. e. regnum antichriſtianum,

ſtianum, *tenebras*, non ex lucido tenebroſum efficiendo (ſemper enim fuit tenebroſum ex fumo abyſſi ſemel immiſſo) ſed clariſſima euangelij luce abominationes ejus mundi oculis clariſſime retegendo: vnde glor a beſtiæ maxime obſcurabitur; quia plurimi ab ea deficient. Vaſalli tamen & cultores ejus, præſertim vlceroſi clerici, à rabie & blaſphemiis nondum reſipiſcent. *v.* 10. 11.

Sexta phiala exſiccabit aquas Euphratis, vt deficiat & capiatur antichriſtiana Babylon occidentis, à regibus orientis, euangelij Chriſti defenſoribus: quomodo Cyrus exſiccato Euphrate, h. e. nervis regni Babylonici inciſis, cepit Babylonē orientis. *v.* 12. *& ſeqq.* Hoc tēpore tres illi impuri ſpiritus, qui exeunt ex ore beſtiæ, h. e. *legati à latere* ad reges terræ, pro negotiis Babylonis; *epiſcopi* directores, aularum illi ſectatores; deniq; *monachi*, & reliqui clerici: hi, inquam, ſpiritus congregabuntur in locum *Armageddon*, h. e. excidij. Confer cum 2. *Reg* 23. *v.* 29. *&* 2. *Chron.* 35. *v.* 10. 22.

Septima phiala effundetur in aerem, commune omnium viuentium receptaculum: tuncq; acta erit mundi fabula, exciſa funditus magna illa Babylone. *v.* 17. *ad finem cap.*

Apoc. 17.

Verſ 1. *Meretrix magna* eſt eccleſia defectrix, quæ mutauit habitum virgineum, de quo ſupra *c.* 12. *v.* 14. *Sedet ſuper aquas multas*, h. e. ſuper multos populos.

Verſ. 2. *Scortatio regum terræ cum magna meretrice, & inebriatio incolarum terræ ex vino ſcortationis eius*, eſt horribilis idololatriæ & falſæ doctrinæ Papiſticæ, à regibus & populis orbis Chriſtiani cum ſummo zelo facta approbatio.

Verſ 3. *Deſertum*, in quo degit iſta mulier, eſt eccleſiæ vaſtitas & fundamentalis corruptio. *Beſtia geſtans illā mulierē*, eſt antichriſtus occidētalis.

Verſ 4. Hæc ipſa mulier eſt *purpurata, equitans ſuper beſtia ſubiugali*, h. e. exuuiis imperij ſecularis armata, & habenas tenens. Hinc vt ſeſſor cum jumento eſt vnus eques: ſic mulier cum ſua beſtia eſt vnus antichriſtus.

Verſ. 9. 10. *& ſeqq. Beſtia, quæ fuit, & non eſt*, eſt Romanum imperium. *Septem capita, ſeptem montes ſunt, ſuper quos ſedet mulier*: q montes occurrūt in Roma, vrbe illa ſepticolli. Item capita iſta *ſunt totidem reges*, h. e. totidē formæ Romani regiminis. *Beſtia quæ erat, & non eſt, is octauus eſt, & è ſeptem illis eſt*, hæc, inquam, beſtia eſt Romanus Pontifex, qui octauam regiminis formam introduxit Romanum imperium, videl. καισαρες παπιαν. *Eſt è ſeptem illis*, h. e. imperij Romani exuuiis indutus: *& in exitium vadit*, exortu euangelij & aduentu Chriſti abolendus. Porro *decem cornua* hujus beſtiæ ſunt totidem regna, quæ poteſtatem ſuam beſtiæ tradiderunt, puta Hiſpania, Hungaria, Anglia, Dania, Polonia, Dalmatia,

Croatia, Portugallia, Bohemia, Svevia. Hæc regna, illorumque reges & subditi pugnant cum Agno, sed *Agnus*, i.e. Christus, *vincit eos*: atq; ita vincet, vt illorum corda illustret cognitione veritatis cœlestis, atque conuertat in bestiam, *vt illam odio prosequantur, & desertam reddant, & carnes eius comedant, & ipsam igne exurant*.

Apoc. 18.

Describitur hoc capite horrendum Babylonis nouæ seu Pontificiæ excidium, plene commemoratis causis & modo interitus.

Apoc. 19.

Hoc capite differitur de ruina regni Papalis, & vita æterna, qua fruentur fideles cum Christo.

Apoc. 20.

Hoc capite continentur tres prophetiæ speciales, de tribus rebus maximi momenti, quę inter ruinam Papatus, & judicium vniuersale intercedunt. *Prima* est de singulari quadam felicitate fidelium, qui post ruinã Papatus in terra victuri sunt. Felicitas ista est securitas ab hostili incursu impiorum per mille annos *v.3*. *Secunda* est de singulari felicitate martyrum Christi, qui ante illud tẽpus & vsq; ad illud fuerunt supplicio capitis affecti. Felicitas ista est resurrectio ante vniuersalem resurrectionem futura, & regnatio cum Christo in cœlo per mille annos ante resurrectionem reliquorum. *Tertia* est deliberatione miraculosa piorum à persecutione gentium vltima, siue à bello *Gog & Magog*, quibus duobus nominibus significantur omnes hostes ecclesiæ, quorum typi fuerunt Gog & Magog, h.e. gentes, quæ bellum gesserũt contra populum Judaicũ. *Ezech.* 38 & 39.

Apoc. 21.

In hac visione describitur æterna felicitas sanctorũ. Summa huc redit. Ecclesia triumphans est sancta ciuitas, noua Hierosolyma, descendens à Deo è cœlo, vt sponsa ornata viro suo, à cujus oculis Deus absterfit omnem lachrymam, & à qua mortem, luctum, clamorem & dolorem omnem depulit. Fundamenta ipsius sunt duodecim, in quibus inscripta sunt nomina 12. apostolorum, h. e. vnicum illius fundamentum, Jesus Christus, ab vnoquoque apostolorum in solidum fuit positum, vt sint fundamenta duodecim, quasi fundamentum vnum duodecies seu à duodecim apostolis fundatum. Portis duodecim inscripta sunt nomina 12. tribuum Israel, quarum fidem habeat necesse est, qui hanc vrbem velit ingredi. Ciuitas est quadrata, habens ciues τετραγώνους. Forum eius est purum au-

rum:

rum: quia ibi habitat iustitia perfectissima. Templum ejus est Agnus, ita vt templum materiale ibi non sit opus. In templo isto Agni septem spiritus Messiæ, qui vocantur, nos plane occupabunt: videl. *spiritus prudentiæ, sapientiæ, consilii, fortitudinis, cognitionis, intelligentiæ, & timoris Iehouæ.*

Apoc. 21. v. 4.

Articulus de vita æterna est colophon reliquorum articulorum. Itaq; colophon consolationis aduersus mortem inde sumitur. Hic ostendatur, quomodo ex singulis articulis depromatur consolatio aduersus mortem, & nominatim vltimis hic articulus apponatur vltimo nostro hosti, qui est mors. Differatur autem de his tribus. I. Quod sit vita æterna. Hoc confirmant testimonia Scripturæ, natura Dei, præstantia fœderis gratuiti, & œconomia seu administratio fœderis, quæ cernitur in promissione & præceptione verbi, tum legis, tum euangelij, & in celebratione sacramentorum. II. Quomodo peruenimus ad vitam æternam. Principio Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus illam dant: dant solis & omnibus electis, credentibus, inuocantibus, & nouam obedientiam præstantibus: dant per ministerium verbi, in quo efficax est Spiritus Sanctus: dant ita, vt hic inchoetur, post resurrectionem consumetur, adeoque hic sentiatur. Nam ex principio possumus esse certi de consummatione. Principium autem illud est electio. De hoc principio sumus certi ex fide, pace conscientiæ, instauratione pœnitentiæ, & testimonio Spiritus S. III. Qua in re consistat vita æterna: nimirum in gloria & gaudio ineffabili. Nam in hac vita captiuus erit liber, æger sanus, pauper diues, cœcus videns, mœstus hilaris, senex iuuenis, peccator sanctus. Ad quam felicitatem omnes mundanæ opes si conferantur, mera sunt mendicitas; omnes terreni splendores ad istam lucem cœlestem collati, meræ sunt tenebræ; omnes voluptates nauseæ; omnis vita terrena nil nisi mors. In summa: Sicut gutta ad Oceanum, & calculus ad arenam maris nihil rationis habent: sic temporalia cum æternis comparari nequeunt. Co bi

Alia dispositio.

In hoc capite tria describuntur: architectus nouæ Hierosolymæ, ipsius incolæ (qui describuntur κατ' ἄρσιν καὶ θέσιν) denique ipsius magnificentia.

Apoc. 21. v. 10. & seqq.

Regnum cœlorum cõfertur cũ ciuitate vndecim ob causas, hoc modo. *1. Pulchritudo* huius ciuitatis est maxima: quia tantum ista ciuitas cœlestis

præstat terrenæ, quantum aurum præstat luto, & margaritæ saxis, & stellæ lychnis, & sol faculæ, & cœlum terræ, & mortalibus architectis immortalis opifex Deus. Hoc autem prorsus est mirabile, quod tota regio cœlestis est hjusmodi ædificatus, nullis syluis, montibus & similibus rebus variegata. Perpende, anima mea, quanta pulchritudo Judææ fuisset, si tota regio fuisset ornatissima illa ciuitas Jerusalem. *II. Concordia & pax* hic est summa, tum inter personas SS Trinitatis, tum inter angelos, tum inter homines, tum inter hos omnes. *III. Libertas* hic est perfecta & omnimoda. Est enim libertas à seruitute peccati, à seruitute mortis, à necessitate vitæ animalis, à lege & præceptis operose inculcandis & obseruandis. *IV. Situs* est altissimus & amœnissimus, ita vt transcendat omnia, quæ pacem & quietem ciuitatis perturbare possunt. *V. Forma* est quadrata, h.e. admirabilis perfectissimaque justitia ibi viget, ita vt ibi nihil sit iniquum, nihil dissonum, nihil distortum, ita vt latitudo non excedat longitudinem, neq; longitudo latitudinem. *V. Fundamentum* est Christus annuntiatus in mundo per os duodecim apostolorum: vnde hæc ciuitas vnicum habet fundamentum 1. *Cor.* 3. & duodecim fundamenta *Eph.* 2. *VI. Portæ* sunt pretiosæ & candidæ, vtpote ex margaritis. Semper patent, quia datur singulis momentis aditus per Christum. Sunt numero duodecim, quia monstratæ sunt & apertæ per 12. apostolos. Tres sunt à singulis mundi partibus: quia omnes illi à quatuor mundi partibus intrant, qui in nomine trium personarum SS. Trinitatis baptizati, fidem, spem & charitatem in finem vsque tenuerunt. Nam in his portis scripta sunt nomina 12. filiorum Israel, h.e. filiorum promissionis, qui soli habent jus hæreditatis: quod qui non habet, prohibetur ingredi à duodecim angelis, qui sunt istarum portarum custodes. *VII. Murus* est diuina custodia, quæ vna sufficit absque aliis vigilibus, vel armis, vel turribus ciuitatem illam custodire. *VIII. Platea* est tota aurum mundum, hoc est, charitas ignita & lucida, quæ omnes continet, facitque esse cor vnum, repletum gaudio & pace. *IX. Templum* est ipse Deus omnipotens & agnus, quia in hoc fundimus & fundamus cœleste nostrum *Halelujah*. Quod autem dicitur, templum non esse in ea, hoc intelligendum est de vsu templorum in ecclesia militante. *X. Cibus & potus* sunt lignum vitæ & aqua vitæ, hoc est ipse Deus, qui erit omnia in omnibus. *XI. Lapides mystici* sunt soli electi: qui sunt 1. lapides, non ligna, fœnum aut stipula, sed graues & constantes in fide. 2. lapides viui, h.e. pleni charitate & spiritu vitæ 3. lapides politi, non rudes & informes. 4. lapides quadrati, h.e. pulchri & firmi.

Apoc. 22. *v.* 2.

Arbor vitæ, ferens fructus duodecim, est symbolum Christi, & verbi Dei.

Dei. Quod attinet ad Christum, ille fert fructus duodecim pro numero duodecim tribuum, de quibus *Apoc. 21.* Quorum in sententiam vide concionem natalitiam *Luc. 2* Verbum Dei fert duodecim fructus hoc modo: 1. Cibat & satiat animam. 2. Expurgat animam ab infidelitate. 3. Fœcundat animam, vt ferat fructum charitatis, humilitatis, patientiæ &c. 4. Sanat animam. 5. Viuificat. 6. Conjungit nos Deo. 7. Accendit in nobis dilectionem Dei. 8. Emollit corda, & excitat flumina lachrymarum. 9. Illuminat 10. Exhilarat. 11. Armat. 12. Regenerat.

Vers. 11. Conciones piorum pastorum constare debent duabus partibus: videlicet primo *permissione*, qua impijs desperatis permittatur ipsorum impietas, *Qui nocet, noceat adhuc: & qui sordidus est, sordescat adhuc:* deinde *celeusmate* seu excitatione, qua admoneantur peccatores resipiscentes & Christiani jam justificati, *Qui justus est, justificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc.*

Vers. 12. Boni operis bona merces erit gratuita: mali vero operis merces mala erit debita.

Vers. 14, 15. Hic docemur, quinam jus habeant in arborem vitæ, id est, Jesum Christum & simul jus in illa: & è contrario, qui neque jus in illam, neque in illâ arbore habeant.

Vers. 16. Hic continetur illustris descriptio personæ & officij Christi.

Vers. 17. 20. Inter preces jaculatorias, quas vocant, etiam referri debet illud, *Veni, Veni, Veni Domine Jesu.*

TABVLA MNEMONICA SVPER Uniuersa Biblia.

NON ineleganti parodia Christianus Poëta de Sacra Scriptura sic canit,

Biblia lecta placent, decies repetita placebunt.

Quod quidem verum est de lectione & repetitione, quæ in timore Dei, certa ratione suscipitur, ita nimirum, vt scripturam fideliter imprimamus memoriæ, solideque intellectam ipsa vita exprimamus. Ad quem scopum hactenus collineare studui. Jam colophonis loco addam tabulam mnemonicam, in qua singulis capitibus appendi summaria emphatica, quorum geminus esse potest vsus. *Primo* ex singulis summarijs confici potest concio: *Deinde* si hæc tabula quotidie percurratur dici non potest quam familiaris nobis sit futura Scriptura Sacra. Itaque ecce, huic tradamus istam tabulam.

Summaria Geneseos.

CAP. 1. *Cosmopœia, seu κοσμοποιΐα, seu Hexaemeron creationis.*
2. *Topographia paradisi.*
3. *Proteuangelium.*
4. *Fratricidium Caini.*
5. *Enoch candidatus æternitatis.*
6. *Diluuium prædictum.*
7. *Diluuium immissum.*
8. *Diluuium remissum.*
9. *Iris signum fœderis.*
10. *Tres ethnarchæ mundi.*
11. *Turris Babylonica.*
12. *Abraham migrat in Ægyptum.*

13. *Promissio seminis innumerabilis.*
14. *Melchisedec ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ.*
15. *Fœdus Dei cum Abrahamo.*
16. *Hagar superba & humiliata.*
17. *Circumcisio.*
18. *Abraham supplex Deo.*
19. *Sodomæ excidium.*
20. *Sara soror Abrahæ.*
21. *Natiuitas Isaaci.*
22. *Isaacus immolandus.*
23. *Sara moritur.*
24. *Isaacus vxorem ducit.*
25. *Esau & Iacob nascuntur.*
26. *Isaaco confirmatur promissio.*
27. *Iacob præcipit Esauo benedictionem.*
28. *Scala cœli.*
29. *Iacob digamus.*
30. *Iacob Physicus & œconomus bonus.*
31. *Prima idolomachia.*
32. *Iacob luctatur cum angelo.*
33. *Esau & Iacob reconciliantur.*
34. *Raptus Dinæ.*
35. *Rahel moritur.*
36. *Genealogia Edomæorum.*
37. *Ioseph venditus.*
38. *Onan Sodomita.*
39. *Castitas Iosephi.*
40. *Ioseph interpretatur somnia.*
41. *Ioseph prorex Ægypti.*
42. *Ioseph fratres examinando exanimat.*
43. *Fratres Iosephi ad ipsum redeunt.*
44. *Ioseph cum fratribus astute agit.*
5. *Ioseph fratribus innotescit.*
46. *Iacob venit ad Iosephum.*
47. *Pharao comiter excipit Iacobum.*
48. *Iacob benedicit filijs Iosephi.*
49. *Cantio cygnea Iacobi.*
50. *Ioseph moritur.*

Summa-

Summaria Exodi.

CAP. 1. *Pharao imperat infanticidium.*
2. *Regia educatio Mosis.*
3. *Rubus ardens.*
4. *Moses vocationem suscipit, & fit Cancellarius Dei.*
5. *Pharao multiplicat pressuram.*
6. *Nomen* Jehoua *manifestatur ipso facto.*
7. *Prima plaga Ægypti.*
8. *Secunda, tertia, & quarta plaga Ægypti.*
9. *Quinta, sexta, septima plaga Ægypti.*
10. *Octaua & nona plaga Ægypti.*
11. *Decima plaga Ægypti.*
12. *Pascha instituitur.*
13. *Primogenita consecrantur.*
14. *Pharao submergitur.*
15. *Epinicium Mosis & Mariæ.*
16. *Manna datur.*
17. *Petra fundit aquas.*
18. *Jethro dat prudens consilium.*
19. *Deus apparet in monte Sinai.*
20. *Promulgatio Decalogi.*
21. *Jus Domini in seruum.*
22. *Pœna furti.*
23. *Solennitas festorum.*
24. *Quadragesimale jejunium Mosis.*
25. *Spontanea oblatio ad structuram tabernaculi diuinitus imperatur.*
26. *Sciagraphia tabernaculi.*
27. *Sciagraphia altaris.*
28. *Ornatus sacerdotum præscribitur.*
29. *Sanctificatio seu consecratio sacerdotum.*
30. *Capitatio Israelitarum.*
31. *Bezaleel princeps architectus.*
32. *Vitulus aureus.*
33. *Resipiscentia Israelitarum.*
34. *Dua tabulæ nouæ.*
35. *Spontanea oblatio diuinitus imperata perficitur.*
36. 37. 38. *Architectura tabernaculi perficitur.*
39. *Habitus Pontificalis perficitur.*
40. *Tabernaculum erigitur.*

Summaria Leuitici.

CAP. 1. *Holocaustum voluntarium.*
2. *Munus voluntarium.*
3. *Sacrificium Eucharisticum.*
4. *Sacrificium pro peccato per errorem commisso.*
5. *Leges variæ.*
6. *Ritus sacrificiorum.*
7. *Tria genera sacrificij Eucharistici.*
8. *Consecratio rerum & personarum Ecclesiasticarum.*
9. *Ministerium Ecclesiasticum cœlitus approbatur.*
10. *Ignis peregrinus accersit pœnam ignis.*
11. *Animalia munda.*
12. *Impuritas mulieris puerperæ.*
13. *Lepra horribilis.*
14. *Lex leprosi.*
15. *Immundities seminis & sanguinis menstrui.*
16. *Anniuersario expiatio.*
17. *Sanguis non comedendus.*
18. *Omnis impuritas contra septimum præceptum prohibetur.*
19. *Explicatio decalogi diuinissima.*
20. *Sanctio decalogi per pœnas.*
21. *Pictura boni sacerdotis.*
22. *Qualitates rerum sacrificandarum.*
23. *Leges festales.*
24. *Leges miscellaneæ.*
25. *Sabbatis musanuorum.*
26. *Prognosticon sacrum.*
27. *Æstimatio personarum & rerum.*

Summaria libri Numerorum.

CAP 1. *Recensio populi.*
2. *Ordo castrorum.*
3. 4. *Leuitarum ministerium.*
5. *Zelotypia.*
6. *Nazaræatus.*
7. *Principum Israelis oblationes.*
8. *Consecratio Leuitarum.*
9. *Paschæ celebratio.*

10. *Duæ formulæ precandi.*
11. *Septuaginta-viri constituuntur.*
12. *Maria percutitur lepra.*
13. *Exploratores mittuntur in terram Canaan.*
14. *Murmur populi.*
15. *Leges miscellaneæ.*
16. *Seditio Core, Dathan & Abiram.*
17. *Virga florens Aharonis.*
18. *Officia & alimenta Leuitarum.*
19. *Rufa juuenca.*
20. *Petra fundit aquas.*
21. *Serpens aneus.*
22. *Asina loquitur.*
23. *Bileam conatur maledicere Israeli.*
24. *Bileam maledictionem vertit in benedictionem.*
25. *Zelus Pinhasi.*
26. *Recensio populi.*
27. *Josua designatus successor Mosis.*
28.29.30. *Leges Miscellaneæ.*
31. *Spolia ex Midianitis.*
32. *Terra Canaan incipit possideri.*
33. *Mansiones Israelitarum in deserto recensentur.*
34. *Geodæsia terræ Canaan.*
35. *Quadraginta octo ciuitates Leuitarum.*
36. *Filia hares.*

Summaria Deuteronomij.

CAP. 1. *Decretum Dei contra infidelos.*
2. *Bellum contra Sihonem.*
3. *Moses fert repulsam precum.*
4. *Commendatio Decalogi.*
5. *Repetitio Decalogi.*
6 7. 8. *Explicatio & sanctio Decalogi.*
9. *Gratiæ Dei in solidum omnia bona accepta sunt ferendæ.*
10. *Nouæ tabulæ.*
11. *Commentarius ad primum præceptum.*
12. *Commentarius ad secundum præceptum.*
13. *Author apostasiæ quomodo plectendus?*

14 Le.

14. *Leges miſcellaneæ.*
15. *Sabbathiſmus annorum.*
16. *Leges feſtales.*
17. *Jus regis.*
18. *Magnus Propheta promiſſus.*
19. *Lex aſyli.*
20. *Leges militares.*
21.22.23.24.25.26. *Leges miſcellaneæ.*
27. *Decalogus inſcribitur lapidibus.*
28. *Prognoſticon ſacrum.*
29. *Prærogatiua populi Dei.*
30. *Legis obſeruatio facilis & vtilis.*
31. *Lex ſeptimo quoque anno publice legenda.*
32. *Canticum Moſis.*
33. *Teſtamentum Moſis.*
34. *Moſes mortuus, a Deo ſepelitur.*

Summaria libri Joſuæ.

CAP. 1. *Diuina vocatio Joſuæ.*
2. *Rahab bene meretur de exploratoribus.*
3. *Jordanis diuiſio.*
4. *Monumentum beneficij Dei.*
5. *Circumciſionis inſtauratio.*
6. *Princeps militiæ Jehouæ apparet Joſuæ.*
7. *Scelus Achanis punitur.*
8. *Decalogus lapidibus inſculpitur.*
9. *Aſtus Gibeonitarum.*
10. *Statio Solis & Lunæ.*
11. *Bellis imponitur finis.*
12. *Catalogus victoriarum Joſuæ.*
13.14.15.16.17.18.19.20.21. *Terra Canaan diuiditur.*
22. *Altare ſymbolum communionis ſit pomum Eridos.*
23.24. *Cantio cygnea Joſuæ.*

Summaria libri Judicum.

CAP. 1. *Adonibezek mutilatur.*
2. *Frequens Iſraelitarum perfidia.*

3. *Triplex populi defectio, oppressio & liberatio.*
4. *Noua defectio, oppressio & liberatio.*
5. *Epinicium Deboræ.*
6. *Noua defectio, oppressio & liberatio.*
7. *Strategema Gideonis.*
8. *Monumentum victoriæ fit munimentum idololatriæ.*
9. *Apologus arborum creantium regem.*
10. *Idololatria populi punitur.*
11. *Votum Iephthe.*
12. Siboleth *vox cruenta.*
13. *Simson promittitur & mittitur.*
14. *Simson leonem discerpit.*
15. *Vulpeculæ Simsonis.*
16. *Simson viuens & moriens nocet Philisthæis.*
17. *Non est Rex in Israele.*
18. *Danitica tribus polluit se idololatria.*
19. *Scortatio Benjaminitarum horribilis.*
20. *Benjaminitæ bis victores vincuntur.*
21. *Benjaminitis consulitur.*

Summaria libri Ruth.

CAP. 1. *Necessitudo Ruthæ cum socru.*
2. *Spicilegium Ruthæ.*
3. *Solicitatio Boasi ad conjugium cum Rutha.*
4. *Conjugium Boasi cum Rutha.*

Summaria primi libri Samuelis.

CAP. 1. *Sterilitas Annæ commutatur cum fœcunditate.*
2. *Canticum Annæ.*
3. *Samueli conciliatur authoritas.*
4. *Arca amittitur in prælio.*
5. *Dagon, Deus Philistæorum, comminuitur.*
6. *Philistæi arcam remittunt.*
7. *Concio Samuelis, & ejus fructus.*
8. *Jus regis.*
9. *Saul quærens asinas accipit regnum.*
10. *Saul inauguratur Rex.*
11. *Victoria Saulis.*

12. *Comi-*

12. *Comitia Saulis.*
13. *Saulis* πολυπραγμοσύνη.
14. *Victoria Saulis.*
15. *Inobedientia Saulis.*
16. *Dauid rex designatus.*
17 *Goliath vincitur.*
18. *Dauid Saulis citharœdus.*
19. *Saulis odium erga Dauidem.*
20. *Amicitia Ionathanis & Dauidis.*
21. *Dauid simulat amentiam.*
22. *Saulis crudelitas.*
23. *Dauid liberatur diuinitus.*
24. *Dauid in spelunca.*
25. *Nabal & Abigail par coniugii impar.*
26. *Dauid expostulat cum Saule.*
27. *Dauid Ludificatur Achischum.*
28. *Saul consulit Pythonissam.*
29. *Philistæi Dauidem abdicant.*
30. *Dauid victor.*
31. *Saul* αὐτόχειρ.

Summaria libri secundi Samuelis.

CAP. 1. *Epicedium Saulis & Ionathanis.*
2. *Dauid rex eligitur.*
3. *Abner trucidatur.*
4. *Dauid plectit interfectores Isbosethi.*
5. *Dauid indies augescit.*
6. *In deportatione arcæ peccatur.*
7. *Oratio Dauidis ad Deum.*
8. *Dauid victoriosus.*
9. *Dauid curatores reip & ecclesiæ ordinat.*
10. *Ammonitæ afficiunt legatos Dauidis iniuria.*
11. *Dauid se polluit adulterio & homicidio.*
12. *Legalis & parabolica concio Nathanis.*
13. *Amnon incestuosus.*
14. *Absolom reuocatur per Ioabum.*
15. *Absolom restitutus est author seditionis.*
16. *Simei est iniurius in Dauidem.*
17. *Consilium &* αὐτοφονία *Achitophelis.*
18. *Absolom interficitur.*

19. *Dauid luget Abſalomum, & luctum deponit.*
20. *Iſraelitæ deficiunt à Dauide.*
21. *Fames triennalis.*
22. *Epinicium Dauidis.*
23. *Cygnea cantio Dauidis.*
24. *Dauid numerat populum.*

Summaria libri primi Regum.

CAP. 1. *Inauguratio Salomonis.*
2. *Vltima voluntas Dauidis.*
3. *Salomon petit a Deo ſapientiam.*
4. *Politia à Salomone inſtituta.*
5. *Fœdus Salomonis cum Hiramo.*
6. *Templum Salomonis.*
7. *Ornamenta templi.*
8. *Conſecratio templi.*
9. *Deus apparet Salomoni.*
10. *Regina Sabæ venit ad Salomonem.*
11. *Polygamia & idololatria Salomonis.*
12. *Diuiſio regni.*
13. *Ieroboami manus exareſcit.*
14. *Roboam affligitur à rege Ægypti.*
15. *Aſa religioſus.*
16. *Schiſma in regno Iſrael.*
17. *Elias excitat mortuum.*
18. *Elias jugulat Baalitas.*
19. *Elias fugit à furore Ieſabelis.*
20. *Achab & Benhadad bellum gerunt.*
21. *Achabi in Nabothum impietas.*
22. *Achabi mors, & hiſtoria Ioſaphathi.*

Summaria libri ſecundi Regum.

CAP. 1. *Elias adhuc claret.*
2. *Eliæ currus triumphalis.*
3. *Eliſæus incipit florere.*
4. *Quatuor inſignia miracula Eliſæi.*
5. *Nathani lepra curata.*
6. *Tria Eliſæi miracula.*

7. *Syri*

7. *Syri fugantur.*
8. *Duo vaticinia Eliſæi.*
9.10. *Iehu flagellum Dei aduerſus familiam Achabi.*
11. *Inſtauratio cultus Dei per Ioiadam.*
12. *Ioas degenerat.*
13. *Syri ter vincuntur.*
14. *Ieroboam ſecundus amplificat regnum Iſraelis.*
15. *Azarias πολυπεδύγμων fit leproſus.*
16. *Achaz impius parens pii filii Hiskiæ.*
17. *Regnum Iſraelis deficit in Hoſea.*
18. *Hiskias reformator in regno Iudæ.*
19. *Eſaias conſolatur Hiskiam, & angelus cædit Aſſyrios.*
20. *Hiskias grauiter decumbens ſanatur, ſanatus peccat.*
21. *Manaſſe pii Hiskiæ impius filius.*
22.23. *Ioſias reformator.*
24. *Preludium captiuitatis Babylonicæ.*
25. *Captiuitas Babylonica.*

Summaria primi libri Chronicorum.

CAP. 1.2.3.4.5.6.7.8.9. *Genealogia inde ab Adamo vſq; ad reditum è captiuitate Babylonica.*
10. *Mors Saulis cruenta.*
11. *Inauguratio Dauidis.*
12. *Copiæ Dauidis inſtructiſſimæ.*
13. *Infelix deportatio arcæ.*
14. *Amicitia Dauidis & Hirami.*
15. *Felix deportatio arcæ.*
16. *Muſica ſacra in deportatione arcæ.*
17. *Dauid cum Deo deſcendit in colloquium.*
18. *Dauid clarus ſago & toga.*
19. *Dauid vlciſcitur iniuriam ſibi illatam ab Ammonitis.*
20. *Dauid cædit gigantes Philiſtæorum.*
21. *Dauid numerans populum punitur diuinitus.*
22. *Dauidis λόγος βασιλικὸς hoc eſt, inſtructio filii Salomonis.*
23.24.25.26. *Politia eccleſiaſtica Dauidis.*
27. *Politia regia Dauidis.*
28.29. *Concio Dauidis.*

Summa-

Summaria ſecundi libri Chronicorum.

CAP. 1. *Salomon diuinitus donatur ſapientia, diuitiis & honore.*
2. *Præparatio ad ſtructuram templi.*
3. *Structura templi.*
4. *Ornamenta templi.*
5. *Deus ſanctificat templum.*
6.7. *Salomon & populus ſanctificant templum.*
8. *Politia & œconomia Salomonis.*
9. *Regina Sabæ inuiſit Salomonem.*
10. *Roboam tyrannus, Ieroboam ſchiſmaticus.*
11. *Politia Roboami.*
12. *Roboam & Iuda peccant & reſipiſcunt.*
13. *Abia Deo confiſus feliciter pugnat.*
14.15. *Aſa reformator.*
16. *Aſa peccator.*
17. *Ioſaphath reformat regnum & eccleſiam.*
18. *Ioſaphath improbe ſe coniungit Achabo.*
19. *Ioſaphath reſipiſcit.*
20. *Vallis benedictionis ſeu vallis Ioſaphati.*
21. *Ioram ſanguinarius oecumbit morbo fœdiſſimo.*
22. *Athalia ſanguinaria.*
23. *Iojada eſt idea boni ſacerdotis.*
24. *Ioas viuente Iojada bonus, ipſo defuncto degenerat.*
25. *Amazia primo bonus, fit peſſimus.*
26. *Vſias πολυπρόγμων, cætera bonus*
27. *Iotham pius, felix.*
28. *Achaz ſpeculum mali principis*
29.30.31. *Hiskias reformat.*
32. *Hiskias ægrotat, ſanatur, peccat, reſipiſcit.*
33. *Manaſſe ſpeculum peccatoris magni & ſerio reſipiſcentis.*
34.35. *Ioſias idea boni principis.*
36. *Quadriga impiorum regum, & exsidium vrbis.*

Summaria libri Eſdræ.

CAP. 1. *Cyrus typus Chriſti, & idea nutritii eccleſiæ.*
2. *Populus Dei redux ſponte offert ad templi inſtaurationem.*
3. *Populus redux inſtaurat cultum Dei.*

4. Stru-

4. *Structura templi impeditur.*
5. *Haggæus & Zacharias duæ tubæ populi.*
6. *Auspiciis Darii Nothi templum absoluitur.*
7.8.9.10. *Esdras reformator.*

Summaria libri Nehemiæ.

CAP. 1. *Ieiunium Nehemiæ.*
2. *Zelus Nehemiæ.*
3. *Instauratio vrbis.*
4. *Instauratio mirifit armata manu.*
5. Σεισάχθεια *Nehemiæ.*
6. *Impedimenta obiecta Nehemiæ ab hostibus, Pseudoprophetis & falsis fratribus.*
7.8. *Agenda ecclesiastica Nehemiæ.*
9. *Speculum pœnitentiæ.*
10. *Solennis obligatio populi.*
11. *Geodæsia terræ sanctæ.*
12. *Encænia vrbis.*
13. *Nehemiæ reformatio in politia, ecclesia & œconomia.*

Summaria libri Estheræ.

CAP. 1. *Vasthi, speculum superbæ vxoris.*
2. *Esthera speculum humilitatis gloriosæ.*
3. *Haman superbus & sanguinarius.*
4. *Ieiunium Iudæorum.*
5. *Estheræ intercessio.*
6. *Haman consternatus.*
7. *Hamanis tragica catastrophe.*
8. *Euangelium Iudæis allatum.*
9. *Festum* Purim.
10. *Dignitas Mardochæi maxima.*

Summaria libri Iobi.

CAP. 1.2. *Iobi patientia victrix.*
3. *Iobi patientia victa.*

4. *Homo, reus coram Deo.*
5. *Omnipotentia Dei.*
6. *Sagittæ omnipotentis.*
7. *Vita est militia.*
8. *Deus justus.*
9. *Speculum omnipotentiæ Dei.*
10. *Speculum miseriæ humanæ.*
11. *Via ad salutem, resipiscentia.*
12. *Schola naturæ.*
13. *Experientia Jobi.*
14. *Vanitas vitæ nostræ.*
15. *Felicitas improborum infelix.*
16. *Schola crucis.*
17. *Meditatio mortis.*
18. *Lux improborum extinguitur tragica catastrophe.*
19. *Articulus de resurrectione carnis.*
20. *Lætitia improborum momentanea.*
21. *Vita impiorum γλυκύπικρος, videl. venenum melle litum.*
22. *Deus iustus & potens.*
23. *Justitia causæ.*
24. *Providentia Dei circa impios facit ut illorum status sit instar comico-tragœdiæ.*
25. *Dei maiestas & hominis vilitas.*
26. *Regnum potentiæ divinæ.*
27. *Antithesis pii & hypocritæ.*
28. *Sapientia veræ encomium*
29. *Piorum status florens.*
30. *Piorum status defloreſcens.*
31. *Justitia conscientiæ seu facti.*
32. *Prosopolepsia & rhetoricatio dedecet pios.*
33. *Deus justus, homo iniustus.*
34. *Speculum providentiæ Dei.*
35. *Schola humilitatis.*
36.37.38.39. *Physica sacra.*
40. *Soli Deo gloria.*
41. *Balena est speculum maiestatis Dei.*
42. *Peccatoris resipiscentis gloria.*

Summa-

Summaria libri Pſalmorum.

PSAL. 1. *Beatitudo vera.*
2. *Meſſias rex æternus.*
3. *Dormi ſecure.*
4. *Sacrificia juſtitiæ.*
5. *Jehova odit malum.*
6. *Duo legati mittendi ſunt ad Deum iratum, precatio & pœnitentia.*
7. *Deus judicat causam juſti.*
8. *Deus mirabilis in regno potentiæ & gratiæ.*
9. *Aſylum pauperum.*
10. *Impius inſolens.*
11. *Jehova ſtat à parte piorum.*
12. *Mundus ſpelunca latronum.*
13. *Deſertio gratiæ.*
14. *Speculum atheiſmi.*
15. *Ciuis cœli.*
16. *Chriſtus triumphans.*
17. *Prouocatio ad juſtum judicem.*
18. *Deus petra.*
19. *Schola naturæ & gratiæ.*
20. *Votum Chriſtianum pro regibus.*
21. *Corona gratiæ & gloriæ.*
22. *Paſſionale propheticum.*
23. *Deus paſtor.*
24. *Deus rex gloriæ.*
25. *Si vis fugere, fuge ad Deum.*
26. *Innocentia juſti.*
27. *Vnum neceſſarium.*
28. *Retributio impiorum.*
29. *Vox tonans.*
30. *Triſtitia verſa in gaudium.*
31. *Spes non confundit.*
32. *Remiſſio peccatorum, ſummum bonum hominis.*
33. *Lætitia ſpiritualis.*
34. *Timentes Deum ſunt in tuto.*
35. *Deus pugnat pro ſuis.*
36. *Regnum potentiæ & gratiæ.*

37. *Non iraſcendum propter felicitatem impiorum.*
38. *Nulla calamitas ſola.*
39. *Ars moriendi.*
40. *Fiducia in ſolo Deo collocanda.*
41. *Beneficus in pauperes experitur Deum beneficum.*
42. *Ceruus glocitans.*
43. *Deus vindex.*
44. *Hiſtoria eſt ſpeculum prouidentiæ Dei.*
45. *Epithalamium Chriſti, cœleſtis Salomonis*
46. *Deus bellator opt. max.*
47. *Chriſtus dux gentium.*
48. *Ciuitas Dei glorioſa.*
49. *Vanitas mundi.*
50. *Verus Dei cultus.*
51. *Per miſerere mei tollitur ira Dei.*
52. *Speculum vitæ aulicæ.*
53. *Speculum atheiſmi.*
54. *Pius afflictus experitur opem Dei.*
55. *Pii affliguntur ab amicis & inimicis.*
56. *Deus in Calendario ſcribit lachrymas piorum.*
57. *Pius inter leones.*
58. *Manipulus impiorum.*
59. *Deo vindicta.*
60. *Dei ira momentanea.*
61. *Deus turris robuſta.*
62. *In Deo quies.*
63. *Sitis animæ.*
64. *Impii iaculantur mala in pios.*
65. *Corona anni.*
66. *Fornax probationis.*
67. *Benedictio Dei ditat & exhilarat.*
68. *Iehoua triumphat.*
69. *Vita Chriſti & Chriſtiani mera paſſio.*
70. *Confuſio impiorum.*
71. *Juſtus ſub cruce vt palma.*
72. *Rex iuſtus.*
73. *Conſolatio Iſrael.*
74. *Eccleſia querulans.*
75. *Juſtus iudex.*
76. *Deus bellator.*

77. *Amarum*

77. *Amarum dulce.*
78. *Liber antiquitatum.*
79. *Insolentia hostium veritatis.*
80. *Vinea deuastata.*
81. *Ingratus populus.*
82. *Magistratus negligens.*
83. *Confœderatio impiorum.*
84. *Ecclesia.*
85. *Iræ deprecatio.*
86. *Confusionis deprecatio.*
87. *Generatio nouæ.*
88. *Tentatio desertionis.*
89. *Gratia & veritas sub cruce.*
90. *Disce mori.*
91. *Adjutorium Altissimi.*
92. *Justus florens.*
93. *Regnum firmum.*
94. *Vltor Dominus.*
95. *Gratitudo debita.*
96. *Dominus exaltans.*
97. *Dominus terribilis.*
98. *Victor Dominus.*
99. *Sanctus Dominus.*
100. *Cultus sacer.*
101. *Tabula aulica, seu Princeps bonus.*
102. *Anima angustata.*
103. *Anima exultans.*
104. *Schola naturæ: seu, speculum prouidentiæ.*
105.106.107. *Chronicon Israeliticum.*
108. *Cor paratum.*
109. *Perfidia Judæorum & Judæ proditoris.*
110. *Christus in medio inimicorum.*
111. *Carmen paschale.*
112. *Beatitudo fidelium.*
113. *Exaltatio inopis.*
114. *Exitus ex Ægypto.*
115. *Vanitas idolorum.*
116. *Calix salutis.*
117. *Veritas Dei æterna.*
118. *Misericordia Dei in seculum.*

119. *Alphabetum Christianorum.*
120. *Lingua falsa.*
121. *Custos perpetuus.*
122. *Felicitas Ierusalem.*
123. *Oculus sperans.*
124. *Sauitia hostium.*
125. *Mons æternus.*
126. *Tristia in gaudium: seu, Amarum dulce.*
127. *Oeconomia bona.*
128. *Conjugium felix.*
129. *Crux victrix.*
130. *Clamans de profundis.*
131. *Altiora te ne quæsieris.*
132. *Locus Dei electus.*
133. *Concordia.*
134. *Officium ministrorum.*
135. *Collatio Dei & idolorum.*
136. *Magnalia Dei.*
137. *Captiuitas Babylonica.*
138. *Gratulatio redemtorum.*
139. *Prouidentia Dei.*
140. *Hypocritæ cruenti.*
141. *Sacrificium Deo gratum.*
142. *Ejulatus afflicti.*
143. *Desiderium liberationis.*
144. *Dominus bellator.*
145. *Dominus glorioſus.*
146. *Opera Dei magnifica.*
147. *Ædificator Ierusalem.*
148. *Creaturæ laudantes Deum.*
149. *Exultatio Ecclesiæ.*
150. *Instrumenta laudis.*

Summaria Prouerbiorum Salomonis.

CAP. 1. *Timor Dei.*
2. *Sapientia* χριστὸς καὶ χριστός.
3. *Obseruatio legis.*
4. *Occasio peccati vitanda.*
5. *Castitatis studium.*

6. Spe-

6. *Speculum pigritiæ.*
7. *Amor sapientiæ.*
8. *Sapientiæ pictura.*
9. *Concio sapientiæ.*
10. *Memor justi cum laudibus.*
11. *Statera dolosa.*
12. *Diligens disciplinam.*
13. *Filius sapiens.*
14. *Mulier sapiens.*
15. *Lingua sapientis.*
16. *Deus ponderator spirituum.*
17. *Deus probat corda.*
18. *Labia stulti.*
19. *Testis falsus.*
20. *Ebrietas mala.*
21. *Thesaurus desiderabilis.*
22. *Nomen bonum.*
23. *Termini antiqui.*
24. *Sapientiæ prærogativa.*
25. *Prunæ congreganda super caput inimici.*
26. *Bibens iniquitatem.*
27. *Cor bonum & malum.*
28. *Impius fugit.*
29. *Superbus & humilis diversam habent catastrophen sui status.*
30. *Duo quotidie à Deo petenda.*
31. *Speculum bonæ conjugis.*

Summaria Ecclesiastis.

CAP. 1. 2. *Vanitas vanitatum.*
3. *Omnia habent suum tempus.*
4. *Optimum non nasci.*
5. *Vanitas divitiarum.*
6. *Avarus miseret inops.*
7. *Laus viri boni.*
8. *Opera Dei sunt abyssus.*
9. *Sapientia παιδαμάτων.*
10. 11. *Variæ regulæ vitæ.*
12. *Allegorica descriptio debilis senij.*

Summa-

Summaria Cantici Canticorum.

CAP. 1. *Pulchra es amica mea.*
2. *Lilium inter spinas.*
3. *Quæsiui dilectum meum, & non inueni.*
4. *Surge Aquilo.*
5. *Oculi dormiunt, cor vigilat.*
6. *Sexaginta reginæ.*
7. *Noua & vetera.*
8. *Signaculum super cor.*

Summaria Esaiæ.

CAP. 1. *Summa legis & Euangelij; seu, Concio pœnitentialis.*
2. *Vocatio gentium.*
3. *Pœna superbiæ & luxus.*
4. *Germen Domini in magnificentia.*
5. *Ecclesia vinea.*
6. *Τρισάγιον Seraphicum.*
7. *Virgo pariet.*
8. *Populus relinquens Deum.*
9. *Puer natus est nobis.*
10. *Iniquitas magnatum.*
11. *Virga de radice Iesse.*
12. *Hymnus Ecclesiæ.*
13. *Onus Babylonis.*
14. *Misericordia Dei prope est.*
15. 16. *Onus Moab.*
17. *Onus Damasci.*
18. 19. 20. *Onus Ægypti & Æthiopiæ.*
21. *Onus Babylonis, Idumææ & Arabiæ.*
22. *Sennacherib obsidet Hierosolymam.*
23. *Onus Tyri.*
24. *Regnum Christi.*
25. *Hymnus Christo decantatus.*
26. *Canticum Sionis.*
27. *Leuiathan judicandus.*
28. *Lapis angularis in Sion.*
29. 30. 31. *Triplex væ Iudæorum.*

32. *Regnum Christi.*
33. *Væ prædonis Assyrij.*
34. *Ira Dei super hostes Ecclesiæ.*
35. *Vocatio gentium & aduentus Christi.*
36. *Sennacherib obsidet Hierosolymam.*
37. *Sennacherib cæditur ab angelo.*
38. *Ezechias sanitati restitutus laudat Deum.*
39. *Ezechias offendit Deum.*
40. *Aduentus Messiæ, & ejus prodromus Iohannes.*
41. *Ingratitudo populi Dei.*
42. *Aduentus Christi majestaticus.*
43. *Vocatio gentium.*
44.45. *Captiuitas Babylonica soluenda per Cyrum.*
46. *Vanitas idolorum.*
47. *Excidium Babylonis.*
48. *Liberatio ex captiuitate Babylonica.*
49. *Num mater potest obliuisci filij sui?*
50. *Liber repudij datus Synagogæ seu Ecclesiæ Iudaicæ.*
51. *Dominus consolator Sionis in perpetuum.*
52. *Christi humilitas & gloria.*
53. *Passionale propheticum: seu compendium Euangelij.*
54. *Ecclesia sponsa Christi.*
55. *Emendum sine argento.*
56. *Beati qui Deum colunt.*
57. *Iustus perit.*
58. *Idea boni concionatoris.*
59. *Dei manus non est abbreuiata.*
60. *Lumen Hierosolymæ Christus.*
61. *Spiritus Domini super Christo.*
62. *Splendor Sionis.*
63. *Christus veniens ex Edom.*
64. *Magnalia regni Christi.*
65. *Iudæorum rejectio gentium euectio.*
66. *Tabula cultus veri & hypocritici.*

Summaria Jeremiæ.

CAP. 1. *Vocatio Jeremiæ.*
2. *Ingratitudo Iudæorum.*
3.4. *Concio pœnitentialis.*

5. *Omnes ex æquo mali.*
6. *Calamitates populi ingrati.*
7. *Templum Domini, templum Domini templum Domini.*
8.9. *Catalogus scelerum populi Iudaici.*
10. *Idololatria fugienda.*
11. *Fœdus Dei cum populo suo.*
12. *Disceptatio carnis & sanguinis cum Deo super statu prospero impiorum, & statu aspero piorum.*
13. *Concio Pœnitentialis.*
14. *Penuria annonæ.*
15. *Deus non miseretur eorum, qui obstinate peccant.*
16. *Reiectio Iudæorum.*
17. *Maledictus, qui confidit in homine.*
18. *Homo in manu Dei est, sicut lutum in manu figuli.*
19. *Excidium Hierosolymæ.*
20. *Ieremias incarceratus.*
21. *Vrbs obsidetur.*
22. *Concio pœnitentialis.*
23. *Christus germen Dauidis & princeps pastorum.*
24. *Duo calathi pleni ficubus.*
25. *Captiuitas Babylonica prædicitur.*
26. *Ieremias* πυρπολέω *capitur.*
27. *Captiuitatis Babylonicæ prædictio repetitur.*
28. *Hananias Pseudopropheta frustra se opponit Ieremiæ propheta.*
29. *Epistola Ieremiæ ad captiuos.*
30. *Liberatio populi prædicta.*
31. *Vocatio gentium.*
32. *Ieremias incarceratus concionatur de fœdere Dei.*
33. *Regnum Christi.*
34. *Violatio fœderis punita.*
35. *Rechabitæ speculum pœnitentiæ.*
36. *Rex comburit librum Ieremiæ.*
37. *Ieremias detinetur in carcere.*
38. *Ieremias liberatur è carcere.*
39. *Ierusalem capta & deuastata.*
40. *Ieremias abductus in captiuitatem.*
41. *Ismahelis conatus impeditus.*
42. *Principes consulunt Ieremiam.*
43. *Iohanan abducit reliquias populi in Ægyptum.*
44. *Concio Ieremiæ ad Iudæos in Ægypto.*

45. Con-

45. *Concio Ieremiæ consolatoria ad Baruchum.*
46. 47. 48. 49. 50. 51. *Propheta gentibus, quæ ecclesiam, afflixerant, prædicit interitum.*
52. *Catalogus abductorum Babylonem.*

Summaria Threnorum Ieremiæ.

CAP. 1. *Solitudo ciuitatis populosæ.*
2. *Filia Sion proiecta de cœlo in terram.*
3. *Dominus respicit de cœlis.*
4. *Iniquitas filiæ Sionis completa.*
5. *Oratio Ieremiæ ad Deum.*

Summaria Ezechielis.

CAP. 1. *Visio de majestate Christi regnantis.*
2. *Commissio Ezechielis.*
3. *Officium Prophetæ.*
4. *Pœna imminens Hierosolymæ.*
5. 6. 7. *Excidium Iudæorum.*
8. *Populus Iudaicus est euersus Decalogus.*
9. *Conseruatio piorum in media clade.*
10. *Repetitio visionis capitis primi.*
11. *Excidium populi.*
12. *Calamitas populi sub Sedekia.*
13. *Pseudoprophetæ confutati.*
14. *Deus immittit Spiritum Pseudoprophetiæ.*
15. *Populus Dei similis viti infrugiferæ.*
16. *Ingratitudo populi aduersus Deum.*
17. *Regnum Christi prædicitur.*
18. *Prouidentia Dei iusta.*
19. *Clades principum impiorum.*
20. *Increpationi legali admiscetur consolatio Euangelica.*
21. *Excidium Iudæorum.*
22. *Vita scelerata Prophetarum & principum.*
23. *Populus Dei fit meretrix.*
24. *Parabolica prædictio calamitatum populi.*
25. *Clades prædicitur Moabitis, Idumæis & Philisthæis.*

26.27. *Excidium Tyri.*
28. *Excidium Tyri & Sidonis.*
29.30.31.32. *Excidium Ægypti.*
33. *Salus nostra non ab operibus nostris, sed à gratia Dei pendet in solidum.*
34. *Christus est princeps pastor.*
35. *Idumæi hostes Judæorum.*
36. *Liberatio Israeli promissa.*
37. *Præludium resurrectionis mortuorum.*
38.39. *Gog & Magog premit & premitur.*
40. *Isagoge dimensio urbis.*
41. *Porta templi.*
42. *Cœnacula & habitus sacerdotum.*
43. *Majestas novi templi.*
44. *Porta versus ortum soli Deo & principi patet.*
45. *Geodæsia & nomothesia sacra.*
46. *Ratio adeundi templum.*
47. *Status novi Testamenti.*
48. *Geodæsia terræ sanctæ.*

Summaria Danielis.

CAP. 1. *Institutio regia Danielis.*
2. *Quatuor monarchiæ abolitæ per quintam.*
3. *Fornax Babylonica.*
4. *Magistratus debet esse arbor patula.*
5. *Balsasar voluptarius.*
6. *Daniel inter leones.*
7. *Quatuor bestiæ figurantes totidem monarchias.*
8. *Vicissitudo regnorum.*
9. *Septuaginta septimanæ.*
10. *Daniel videt majestatem Dei.*
11. *Typus Antichristi.*
12. *Resurrectio mortuorum.*

Summaria Hoseæ.

CAP. 1. *Rejectio Judæorum electio gentium.*
2. *Connexio causæ primæ cum secundis.*
3.4. *Populus Dei deficit à Domino suo.*

5. Capi-

5. *Capita virorum corrumpuntur.*
6. *Regnum Christi.*
7. *Populus insanabilis.*
8. *Idololatria populi Dei.*
9. *Pœna peccati certissima.*
10. *Ingratitudo populi Dei.*
11. *Deus nutritius populi sui.*
12. *Inuitatio ad resipiscentiam.*
13. *Abominationes Israelis.*
14. *Conuersi ad Deum nunquam euersi.*

Summaria Joelis.

CAP. 1. *Concio pœnitentialis.*
2.3. *Prædictio regni Christi tum gratiæ, tum gloriæ.*

Summaria Amosi.

CAP. 1. *Plaga Dei incumbens Israeli & gentibus.*
2. *Tria scelera Moabi.*
3. *Deus non punit, quin præmoneat.*
4. *Inuectiua in scelera principum & populi.*
5. *Casus Israelis.*
6. *Corrupti mores totius reip.*
7.8.9. *Calamitates variæ.*

Summarium Abdiæ.

Prophetia hæc directa est contra Edomitas, qui afflictis Israelitis multum molestiæ creabant.

Summaria Jonæ.

CAP. 1. *Ionas fugiens in mare proicitur.*
2. *Iona precatio in ventre ceti.*
3. *Niniuitæ resipiscunt.*
4. *Ionas irascens corripitur à Domino.*

Summaria Micheæ.

CAP. 1. 2.3. *Concio legalis.*

4.5. *Concio euangelica.*
6. *Sacrificia Deo placentia.*
7. *Pauci boni*

Summaria Nahumi.

CAP. 1. *Magna Dei maiestas.*
2. *Clades imminens Nineuitis.*
3. *Scelera Nineuitarum.*

Summaria Habacuci.

CAP. 1. *Malitia populi per Babylonios coercenda.*
2. *Vaticinium de Messia.*
3. *Oratio Habacuci.*

Summaria Sophoniæ.

CAP. 1. *Clades imminens Iudææ.*
2. *Clades imminens gentibus.*
3. *Vocatio gentium.*

Summaria Haggæi.

CAP. 1. *Iudæi segnes in instauratione templi.*
2. *Magnificentia templi secundi.*

Summaria Zachariæ.

CAP. 1. *Zelus Dei super Ierusalem.*
2. *Vocatio gentium.*
3. *Sacerditi Christi.*
4. *Zorobabel & Iesus sunt imago concordiæ inter magistratum & ministros verbi, sicut Moses & Aharon.*
5. *Imago falsæ doctrinæ.*
6. *Angeli boni defensores ecclesiæ.*
7. *Ieiunium Deo acceptum.*
8. *Ira Dei placabilis.*
9. *Vocatio gentium.*
10. *Progressus euangelii.*

11. *Christus*

11. *Christus pastor.*
12. *Ecclesia sub pressuris inuicta.*
13. *Passio Christi.*
14. *Vocatio gentium.*

Summaria Malachiæ.

CAP. 1. *Ingratitudo populi Dei.*
2. *Peccata sacerdotum.*
3.4. *Aduentus Christi, & eius præcursor Iohannes.*

Summaria libri Iudithæ.

CAP. 1. *Incrementum regni Nebucadnezaris.*
2. *Insatiabilis dominandi libido Nebucadnezaris.*
3. *Holofernes tyrannus administer Nebucadnezaris tyranni.*
4. *Preces & ieiunium Israelitarum.*
5. *Holofernis ira aduersus Iudæos.*
6. *Iudæi pendent a Deo contra minas Holofernis.*
7. *Holofernes obsidet Bethuliam.*
8. *Iuditha heroina consulit in rem Iudæorum.*
9. *Oratio Iuditha.*
10. *Iuditha prodit in castra Holofernis.*
11. *Iuditha descendit in colloquium cum Holoferne.*
12. *Holofernes inebriatur.*
13. *Holofernes trucidatur.*
14. *Caput Holofernis de muro suspenditur.*
15. *Assyrii dedunt se fugæ.*
16. *Epinicion Iuditha.*

Summaria libri Sapientiæ.

CAP. 1. *Studium sapientiæ.*
2. *Studium & vita impiorum.*
3. *Piorum felicitas.*
4. *Studium virtutis.*
5. *Beatitudo iustorum, & sera pœnitentia impiorum.*
6. *Studium iustitiæ & sapientiæ.*
7. *Sapiens præstat aliis hominibus.*

8. *Sapien-*

8. *Sapientia hominem commendat Deo & hominibus.*
9. *Oratio pro sapientia obtinenda.*
10. *Commoda sapientiæ.*
11. *Sapientia piis est dux.*
12. *Deus longanimis.*
13. *Vanitas est magnificere creaturas, præterito creatore.*
14. *Idololatræ futiles.*
15. *Fidelium & infidelium dispar conditio.*
16. *Qualis sit Deus erga pios & impios?*
17. *Judicium Dei expectat impios.*
18. *Compendium Exodi.*
19. *Fatum impiorum & piorum.*

Summaria libri Tobiæ.

CAP. 1. *Prosopographia Tobiæ.*
2. *Tobias excœcatur.*
3. *Tobias gemens & orans.*
4. *Tobias senior domesticus præceptor filii.*
5. *Angelus comes junioris Tobiæ.*
6. *Tobias iunior fit medicus docente angelo.*
7. *Tobias iunior ducit vxorem.*
8. *Castitas Tobiæ iunioris.*
9. *Conuiuium nuptiale Tobiæ.*
10. *Tobias iunior cum vxore dimittitur.*
11. *Tobias cum vxore redit ad suos.*
12. *Tobias agnoscit angelum comitem.*
13. *Canticum Tobiæ senioris.*
14. *Cygnea cantio Tobiæ senioris.*

Memoriale Ecclesiastici.

CAP. 1. *Sapientia datur à solo Deo.*
2. *Quæ deceant eum, qui volet placere Deo.*
3. *Explicatio quinti præcepti.*
4. *Non auertendus oculus à paupere.*
5. *Opibus non fidendum.*
6. *Amicitia sincera & fucata.*
7. *Variæ regulæ vitæ.*
8. *Lites, calumniæ, sponsiones, & temeraria conuersatio fugienda.*

9. Mu-

9. *Mulieres malæ fugiendæ.*
10. *Idea judicis & boni magistratus.*
11. *Variæ regulæ vitæ.*
12. *In quos beneficia collocanda.*
13. *Diuitum & potentum conuersatio fugienda.*
14. *Institutio auari.*
15. *Timor Dei vtilis.*
16. *Præstat habere vnicam filium bonum, quam multos malos.*
17. *Prærogatiua hominis creati, & Israelis electi.*
18. *Opera Dei imperscrutabilia.*
19. *Regulæ vitæ.*
20. *Ars loquendi & tacendi.*
21. *Occasio peccati vitanda.*
22. *Candide agendum cum proximo.*
23. *Adulterium res scelesta.*
24. *Encomium sapientiæ.*
25.26. *Vxor bona magnum bonum, vxor mala magnum malum.*
27. *Regulæ vitæ.*
28. *Ignoscendum proximo.*
29. *Opera misericordiæ.*
30. *Verus amor liberorum.*
31. *Disciplina mensæ.*
32. *Officium magistratus.*
33. *Quomodo Dei opera contemplanda.*
34. *Spes impiorum vana, piorum certa.*
35. *Victima Deo gratæ.*
36. *Oratio supplex ad Deum.*
37. *Vera & falsa amicitia.*
38. *Excellentia medicinæ.*
39. *Ars laudandi Deum.*
40. *Miseria hominis post lapsum.*
41. *Mors herba amara.*
42. *Institutio miscellanea.*
43. *Schola naturæ angustissima.*
44.45.46.47.48.49.50. *Viri illustres seu vitæ piorum, illorumq; commendatio & imitatio.*
51. *Oratio Iesu Sirachi.*

Summaria Baruchi.

CAP. 1. *Liber Baruchi legitur à Iudæis.*
2. *Capti Iudæi speculum pœnitentiæ.*
3. *Oratio supplex ad Deum.*
4. *Consolatio populi captiui.*
5. *Vocatio gentium.*
6. *Idolorum vanitas.*

Summaria libri primi Maccabæorum.

CAP. 1. *Potentia Alexandri Magni fracta.*
2. *Mathathiæ & filiorum eius zelus.*
3. *Iudas Maccabæus pugnat in Antiochum.*
4. *Iudas expurgat templum, & instaurat encenia.*
5. *Iudas feliciter pugnat in gentes.*
6. *Antiocho seniori succedit iunior.*
7. *Iudæi vincunt Nicanorem.*
8. *Iudas init fœdus cum Romanis.*
9. *Iudæ succedit Ionathas.*
10. *Iudæi iungunt se partibus Alexandri.*
11. *Ptolomæus in generum crudelis.*
12. *Ionathas renouat fœdus cum Spartiatis & Romanis.*
13. *Simon succedit fratri Ionathæ.*
14. *Halcyonia Iudæorum sub Simone.*
15. *Romani nuntiant regibus societatem Iudæorum.*
16. *Simon dolo occumbit.*

Summaria libri secundi Maccabæorum.

CAP. 1. *Ignis in puteo seruatus.*
2. *Annales Iudæorum.*
3. *Veneratio templi Hierosolymitani.*
4. *Calumniæ & cædes in ordine sacerdotali.*
5. *Antiochus spoliat templum.*
6. *Antiochus sæuit in Iudæos.*
7. *Constantia septem fratrum & matris eorum.*
8. *Gesta Iudæ Maccabæi.*
9. *Antiochi fastus deprimitur.*

10. *Iudas recuperat vrbem sanctam.*
11. *Epistola ad Iudaeos missa.*
12. *Iudas plectit perfidiam fœderatorum.*
13. *Iudæ conflictus cum Antiocho & Lysia.*
14. *Demetrius agit contra pactum.*
15. *Nicanoris mors.*

Summaria Matthæi.

CAP. 1. *Genealogia Christi.*
2. *Magi, primitiæ gentium: Herodes, patriarcha persecutorum N.T.*
3. *Christus baptizatur.*
4. *Christus tentatur à diabolo.*
5. *Octo beatitudines: Vera explicatio legis.*
6. *Oratio Dominica: Solicitudo ethnica.*
7. *Pseudopropheta cauendi.*
8. *Tempestas sedatur.*
9. *Matthæus vocatur.*
10. *Collegium δωδεκαπόλεως.*
11. *Christus ad se vocat omnes laborantes.*
12. *Quinam sint mater & fratres Christi.*
13. *Variæ parabolæ de regno gratiæ.*
14. *Iohannes decollatur.*
15. *Traditiones hominum vanæ.*
16. *Fermentum Pharisæorum vitandum.*
17. *Transfiguratio Christi.*
18. *Disciplina ecclesiastica.*
19. *Ius diuortii.*
20. *Ecclesia vinea.*
21. *Christus asina vectus excipitur læto* Hosianna.
22. *Nuptiæ gratiæ.*
23. *Vita & doctrina Pharisæorum depicta.*
24. *Excidium Hierosolymorum.*
25. *Vltimum iudicium.*
26. *Cœna Dominica.*
27. *Christi mors.*
28. *Institutio baptismi.*

Summaria Marci.

CAP. 1. *Iohannis ministerium.*
2. *Christus comedit cum publicanis.*
3. *Peccatum in Spiritum sanctum.*
4. *Variæ parabolæ.*
5. *Iairi filia mortua excitatur.*
6. *Iohannes decollatur.*
7. *Præpostera Phariſæorum religio.*
8. *Fermentum Phariſæorum.*
9. *Chriſti transfiguratio.*
10. *Ius diuortii.*
11. *Chriſtus quæſtionem quæſtione dilnit.*
12. *Mandatum magnum quod?*
13. *Conſummatio mundi.*
14.15. *Chriſtus patiens.*
16. *Chriſtus reſurgens.*

Summaria Lucæ.

CAP. 1. *Natiuitas Baptiſtæ.*
2. *Natiuitas Chriſti.*
3. *Chriſti baptiſmus & genealogia.*
4. *Ieiunium quadrageſimale Chriſti.*
5. *Chriſtus conuiuatur cum publicanis.*
6. *Collegium δωδεκαπόστολον.*
7. *Chriſtus vngitur a muliere peccatrice.*
8. *Mater & fratres Chriſti quinam?*
9. *Transfiguratio Chriſti.*
10. *Septuaginta duo diſcipuli Chriſti.*
11. *Ars precandi.*
12. *Fermentum Phariſæorum.*
13. *Luctus ſuper Ieruſalem.*
14. *Inuitati ad cœnam magnam.*
15. *Ouis & drachma perdita, & filius prodigus.*
16. *Diſpenſator iniquus, & diues epulo.*
17. *Scandalum vitandum.*
18. *Aſſidue orandum.*
19. *Chriſtus flet ſuper Ieruſalem.*

20. Sad-

20. *Sadducæis os obstruitur.*
21. *Excidium Hierosolyma & mundi.*
22. *Judas proditor.*
23. *Christus crucifigitur.*
24. *Colloquium Emauuticum.*

Summaria Johannis.

CAP. 1. *Verbum caro factum.*
2. *Nuptiæ in Cana Galilææ.*
3. *Summa Euangelij.*
4. *Colloquium Christi cum Samaritana.*
5. *Piscina probatica.*
6. *Concio de pane vitæ.*
7. *Jesus venit ad festum Scenopegiæ.*
8. *Judæi conantur Christum lapidare.*
9. *Cæcus à Christo sanatus.*
10. *Christus pastor bonus.*
11. *Lazarus mortuus resuscitatur.*
12. *Vox de cœlo auditur.*
13. *Christus lauat pedes discipulis.*
14. *Paracletus promissus.*
15. *Christus vitis vera.*
16. *Christus docet artem precandi.*
17. *Ardens Christi precatio pro suis electis.*
18. 19. *Passio Christi.*
20. *Resurrectio Christi.*
21. *Commissio Apostolorum.*

Summaria Actorum Apostolorum.

CAP. 1. *Christus ascendit in cœlos.*
2. *Prima pentecostes noui Testamenti.*
3. *Concio pœnitentialis Petri.*
4. *Incunabula prima Ecclesiæ.*
5. *Apostoli cæduntur virgis.*
6. *Diaconi eliguntur.*
7. *Concio & lapidatio Stephani.*
8. *Saul persequitur Ecclesiam.*
9. *Ex Saulo fit Paulus.*

10. Petrus ecstaticus.
11. Nomenclatura Christianorum.
12. Herodes Agrippa perit misere.
13. Paulus Apostolus gentium.
14. Judæi incitant gentes aduersus Christianos.
15. Synodus Hierosolymitana, idea conciliorum.
16. Profectio & persecutio Pauli multiplex.
17. Athenis Christus prædicatur.
18. Christus prædicatur Corinthijs.
19. Paulus baptizat duodecim Ephesios.
20. Paulus excitat Eutychum mortuum.
21. Paulus Hierosolymis capitur.
22. Paulus ciuis Romanus.
23. Paulus deducitur Cæsaream.
24. Paulus agit causam suam coram Felice.
25. Paulus agit causam suam coram Festo.
26. Paulus disserit coram Agrippa.
27. Nauigatio Pauli.
28. Paulus uenit Romam.

Summaria Epistolæ ad Romanos.

CAP. 1. Lumen gratiæ & naturæ.
2. Judæi & gentes sunt peccatores.
3. Vera justitia vnde!
4. Justificatio Euangelica ex fide.
5. Collatio Adami primi & secundi.
6. Neq; peccato, neq; legi jus est in fideles.
7. Luctæ peccatoris resipiscentis.
8. Aurea catena salutis, & Triumphus electorum.
9 10. 11. Prædestinationis negotium plene tractatum.
12. Hostia Deo placens.
13. Magistratus authoritas.
14. Scandala cauenda.
15. Christus minister circumcisionis.
16. Pseudo-Euangelistæ vitandi.

Summaria prioris ad Corinthios.

CAP. 1. Christus crucifixus, Judæis scandalum, gentibus stultitia fidelibus sapientia.

2. Deus

1. *Deus solus revelat mysteria salutis.*
3. *Paulus plantat, Apollo rigat, Deus dat incrementum.*
4. *Pastores sunt dispensatores mysteriorum Dei.*
5. *Commercia impiorum vitanda.*
6. *Pruritus litigandi in foro vitandus.*
7. *Conjugij conditio & cultus.*
8. *Scandalum vitandum.*
9. *Pastorale verum.*
10. *Cultus Dei externus & internus.*
11. *Agenda cœnæ Dominicæ.*
12. *Varietas donorum Dei.*
13. *Speculum charitatis.*
14. *Politia Ecclesiæ.*
15. *Resurrectio mortuorum.*
16. *Eleemosyna conferenda.*

Summaria posteriotis ad Corinthios.

CAP. 1. *Concio consolatoria.*
2. *Peccator resipiscens quomodo tractandus?*
3. *Litera occidit, Spiritus vivificat.*
4. *Pericula comitantur Euangelium.*
5. *Legati Christi qui?*
6. *Arma justitiæ dextra & sinistra.*
7. *Tristitia secundum Deum.*
8. 9. *Liberalitas eleemosynaria.*
10. *Arma Christianorum.*
11. *Ecclesia virgo.*
12. *Sufficit tibi gratia mea.*
13. *Nos ipsos debemus tentare.*

Summaria Epistolæ ad Galatas.

CAP. 1. *Galatæ mutabiles.*
2. *Contentio Pauli cum Petro.*
3. *Justitia nostra ex fide.*
4. *Lex tendit in Christum.*
5. *Opera carnis & Spiritus.*
6. *Dilectio mutua character filiorum Dei.*

Summa-

Summaria epistolæ ad Ephesios.

CAP. 1. *Immensa Dei gratia in Christo.*
2. *Status hominis extra Christum & in Christo.*
3. *Vocatio gentium.*
4. *Hierarchia ecclesiastica.*
5. *Coniugium Christi & ecclesia.*
6. *Panoplia sacra.*

Summaria epistolæ ad Philippenses.

CAP. 1. *Vita mihi Christus, mors lucrum, cætera ludus.*
2. *Christi exinanitio & exaltatio.*
3. *Nostrum πολίτευμα in cœlis.*
4. *Semper gaudendum in Domino.*

Summaria epistolæ ad Colosse[illegible]

CAP. 1. *Recapitulatio omnium, in Christo facta.*
2. *Philosophia deceptrix.*
3. *Compendium Oeconomicæ Christianæ.*
4. *Orandum & vigilandum.*

Summaria prioris ad Thessaloni[illegible]

CAP. 1. *Thessalonicenses idea bonorum Christianorum.*
2. *Pii auditores gloria & gaudium doctorum.*
3. *Perfer perpetrendæ paritpatientia palmam.*
4. *Tuba Dei excitabit mortuos.*
5. *Præparatio ad nouissimum diem.*

Summaria posterioris ad Thessalonicens[illegible]

CAP. 1. *Deus compensabit afflictiones fidelium.*
2. *Pictura antichristi.*
3. *Otiosi sunt adigendi ad opus.*

Summa-

Summaria prioris ad Timotheum.

CAP. 1. *Summa legis & Euangelij.*
2. *Ars orandi.*
3. *Idea boni Pastoris Ecclesiæ.*
4. *Nouissimi temporis descriptio: &, pietas ad omnia utilis.*
5. *Regula vitæ.*
6. *Magnus quæstus, pietas sua sorte contenta.*

Summaria posterioris ad Timotheum.

CAP. 1. *Hypotyposis sanorum verborum.*
2. *Sigillum electionis.*
3. *Ars legendi Scripturam Sacram.*
4. *Bonum certamen.*

Summaria Epistolæ ad Titum.

CAP. 1. *Verum pastorale.*
2. *Regula vitæ, adeoque Ethica Christiana.*
3. *Stultæ quæstiones vitandæ.*

Summarium Epistolæ ad Philemonem.

Herum oportet studere æquitati erga seruos exorbitantes.

Summaria Epistolæ ad Hebræos.

CA. 1. *Christus imago Patris.*
2. *Christus verus homo.*
3. *Christus Apostolus & Pontifex confessionis nostræ.*
4. *Per Christum datur accessus ad Patrem.*
5. *Collatio sacerdotij Christi cum sacerdotio Aharonis.*
6. *Promissionibus Dei constanter fidendum.*
7. *Melchisedec typus Christi.*
8. *Ceremoniæ V. T. abrogatæ.*
9. *Duplex tabernaculum, vetus & nouum.*
10. *Sacrificium Christi præcellit sacrificia V. T.*
11. *Quid fides, & ejus energia.*
12. *Schola crucis, schola lucis.*
13. *Regula vitæ.*

Summaria Epistolæ Jacobi.

CAP. 1. *Probatio fidei.*
2. *Lex regia.*
3. *Nobile lingua bonum, nobile lingua malum.*
4. *Concupiscentia carnis vitanda.*
5. *Orationis vis magna.*

Summaria primæ Petri.

CAP. 1. *Sumus emti pretio.*
2. *Lapis in Sion angularis.*
3. *Officia conjugum.*
4. *Exercitium patientiæ, prudentiæ & charitatis.*
5. *Officia pastorum & auditorum.*

Summaria secundæ Petri.

CAP. 1. *Sumus participes naturæ Dei.*
2. *Pseudoprophetæ nunquam defuturi.*
3. *Adventus Christi ad judicium.*

Summaria primæ Johannis.

CAP. 1. *Christus est lux.*
2. *Christus propitiatio pro peccatis totius mundi.*
3. *Charitas est Alpha & Omega legis.*
4. *Spiritus sunt probandi.*
5. *Character charitatis non fucatæ.*

Summarium secundæ Johannis.

Charitati in vita, & sinceritati in doctrina studendum.

Summarium tertiæ Johannis.

Beneficentia, virtus egregia.

Summarium Epistolæ Judæ.

Hostes Euangelij contaminant doctrinam & vitam.

Summa-

Summaria Apocalypseos.

CAP. 1. *Christus* Alpha & Omega.
2. *Nouum nomen.*
3. *Tepidus Christianus quis?*
4. *Τετράγωνα quatuor animalium.*
5. *Leo de tribu Iuda.*
6. *Sex sigilla aperta.*
7. *Signatura seruorum Dei.*
8. *Septimum sigillum apertum.*
9. *Fumus putei abyssi.*
10. *Septem tonitrua.*
11. *Duo testes veritatis in Ecclesia.*
12. *Mulier amicta sole.*
13. *Bestia Romana, ejusque numerus.*
14. *Cecidit, cecidit Babylon.*
15. *Epinicion Deo decantatum.*
16. *Septem phiala iræ Dei.*
17. *Babylon magna, ejusque dominatus & ruina.*
18. *Babylonis excidium.*
19. Aleluja *cœleste.*
20. *Resurrectio prima.*
21. *Noua Ierusalem.*
22. *Veni, Veni, Veni Domine Iesu.*

SVMMA SINGVLORVM LIBRORVM BIBLICORVM BREVISSIMIS ELOGIIS comprehensa.

LIBRI VETERIS TESTAMENTI.

1. *Geneseos*, liber sacrarum originum, & clauis mundi.
2. *Exodus*, schola crucis & lucis.
3. *Leuiticus*, pictura sacerdotij Christi.
4. *Numeri*, speculum politiæ.
5. *Deuteronomium*, commentarius ad legem.
6. *Liber Iosuæ*, speculum veritatis Dei, itemque sacra Polemica.
7. *Liber Iudicum*, Speculum heroici magistratus.
8. *Liber Ruthæ*, Speculum prouidentiæ Dei circa conjugium.
9. 10. 11. *Libri Samuelis, Regum & Chronicorum*, Politica Sacra.
11. *Liber Esdræ*, Speculum prouidentiæ Dei, & reformationis Ecclesiæ.
12. *Liber Nehemiæ*, Speculum reformationis Ecclesiæ.
13. *Liber Esthere*, Tragico-comœdia Sacra.
14. *Liber Iobi*, Speculum patientiæ.
15. *Liber Psalmorum*, Paradisus animæ, & anatome conscientiæ.
16. *Prouerbia Salomonis*, Sacra Ethica.
17. *Ecclesiastes*, Homilia de vanitate mundi.
18. *Canticum Canticorum*, Epithalamium Sacrum.
19. *Esaias*, Euangelista & clauiger inter Prophetas.
20. *Jeremias*, Accusator idololatrici & consolator seu paracletus captiui populi.
21. *Ezechiel*, Doctor captiuus minime captiuus.
22. *Daniel*, Doctor Apocalypticus.
23. *Hoseas*, Propheta fulminans aduersus regnum Juda.
24. *Joel*, Geminus Hoseæ.
25. *Amos*, Propheta fulminans aduersus regnum Israel.
26. *Obadias*, Fulmen Edomæorum.
27. *Jonas*, Speculum infirmitatis humanæ.
28. *Micha*, Fulmen & paracletus regni Juda & Israel.
29. *Nahum*, Tonitru Nineues.
30. *Habacuc*, Concionator legalis.
31. *Haggæus*, instaurator politiæ sacræ.
32. *Zacharias*, Sol inter Prophetas minores.
33. *Malachias*, Terminus Veteris Testamenti.

LIBRI

LIBRI APOCRYPHI.

1. *Liber Iuditha*, est speculum heroinæ, itemque misericordiæ atque potentiæ Dei.
2. *Liber Sapientiæ*, est thesaurus Ethicus & Physicus.
3. *Liber Tobiæ*, est pictura bonæ œconomiæ.
4. *Liber Sirachi*, est commentarius ad Decalogum adeoque compendium Ethices, Oeconomices & Politices.
6. *Liber Baruchi*, est speculum pœnitentiæ.
7. *Libri Maccabæorum*, sunt tragico-comœdia ecclesiæ militantis.
8. *Adiectiones Esthera*, sunt speculum prouidentiæ Dei.
9. *Adiectiones ad Danielem*, sunt speculum vanitatis idololatricæ.
10. *Oratio Manassis*, est speculum peccatoris resipiscentis.

LIBRI NOVI TESTAMENTI.

1. *Matthæus*, clauiger inter euangelistas.
2. *Marcus*, epitomator euangelij.
3. *Lucas*, plenus commentator euangelij.
4. *Iohannes*, aquila & cygnus euangelistarum.
5. *Acta apostolorum*, historia ecclesiastica.
6. *Epistola ad Romanos*, clauis scripturæ.
7. *Prior ad Corinthios*, est magistra sapientiæ & prudentiæ Christianæ: *posterior*, est speculum apologiæ necessariæ.
8. *Epistola ad Galatas*, est epitome epistolæ ad Romanos.
9. *Epistola ad Ephesios*, similiter est compendium epistolæ ad Romanos.
10. *Epistola ad Philippenses*, est idea boni Christiani ratione διανοίας καὶ ἕξεως, adeoque complectitur artem bene viuendi & moriendi.
11. *Epistola ad Colossenses*, est pictura triplicis officij Christi.
12. *Epistola ad Thessalonicenses, prior*, continet artem moriendi: *posterior*, est speculum antichristi.
13. *Epistola ad Timotheum, prior*, est pastorale sacrum: *Posterior*, est speculum militis Christiani.
14. *Epistola ad Titum*, est compendium prioris ad Timotheum.
15. *Epistola ad Philemonem*, est speculum æquitatis Christianæ heri erga seruum.
16. *Epistola ad Hebræos*, est commentarius ad Leuiticum, adeoque pictura officij Christi sacerdotalis.
17. *Epistola Iacobi*, est regula vitæ, seu aureum alphabetum hominis Christiani.

18. *Epistola Petri, prior*, est compendium Christianissimi, de fide & vita: *posterior*, est corona hominis Christiani, pugnantis in hac vita & expectantis glorioſum Christi agonothetæ aduentum.

19. *Epistola Johannis, prima*, est speculum charitatis: *secunda*, est speculum piæ matronæ: *tertia*, est speculum hoſpitalitatis.

20. *Epistola Judæ*, est idea pseudoprophetæ.

21. *Apocalypsis Johannis*, est prophetia noui testamenti Catholica, adeoque vnicum Ecclesiæ κανόνιον.

SCIAGRA-

SCIAGRAPHIA
RHETORICÆ ECCLESIASTICÆ.

PERORATIO RHETORICÆ ECCLESIASTICÆ.

SED *finis sit Rhetoricæ ecclesiasticæ, quam nobis claudant illa Chrysostomi. Sunt multi sacerdotes, & pauci sacerdotes. Multi nomine, & pauci opere. Videte ergo quomodo sedeatis super cathedram Mosis: quia cathedra non facit sacerdotem sed sacerdos cathedram: non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Non omnis sacerdos sanctus est, sed omnis sanctus sacerdos est. Qui bene sederit super cathedram, honorem accipit ab illa: qui male sederit, iniuriam facit cathedræ. Ideoque malus sacerdos de suo sacerdotio crimen acquirit, non dignitatem. In iudicio enim sedes. Si quidem bene vixeris, & bene docueris, omnium iudex es. Si autem bene docueris, & male vixeris, tui solius condemnator es. Nam bene viuendo, & bene docendo, populum instruis quomodo debeat viuere: bene autem docendo, & male viuendo, Deum instruis, quomodo debeat te condemnare. Proinde nocentissima Ecclesiæ pestis est malus pastor. Malus autem est, qui male docet & male viuit, qui bene docet, sed male viuit; qui male docet, sed bene videtur viuere. Contra autem solus is audit bonus pastor, qui vt recte docet, ita & sancte viuit. Is enim vtraq; manu cœlestem Ierusalem ædificat. Doctrina enim, quid, exemplo, quomodo agendum sit, docet.*

THEO-

THEOLOGIÆ PROPHETICÆ PARS SECVNDA,

EXHIBENS POLITIAM ECCLESIASTICAM.

CAP. 1.

De fine Politiæ ecclesiasticæ.

PRÆCEPTA.

POlitia ecclesiastica tradit modum constituendi ordinem externum in ecclesia.

Estque generalis, vel specialis.

Politia ecclesiastica generalis tradit modum ordinis ecclesiastici in genere.

Eius partes sunt tres: prima de fine, secunda de subiecto, tertia de mediis ad illum finem perducentibus.

Finis politiæ ecclesiasticæ est internus vel externus.

Finis internus est tradere modum bene constituendi ordinem externum in ecclesia.

Finis externus est constitutio & propagatio regni Christi in his terris per ordinem externum in ecclesia visibili.

REGVLÆ.

Vox politia ecclesiastica explicata.

I. Politia vocabulum hoc loco significat externum regimen ciuitatis Dei, quæ est ecclesia.

Politia apud Græcos scriptores significat hæc tria. Primo est administratio seu regimen reip. & ciuitatis. Hinc ab Aristotele πολιτεία dicitur τοῦ τῆς πόλεως τάγματος καὶ τῶν πολιτῶν. Deinde politia est idem quod respublica seu reip. status. Quo sensu Aristoteles in politicis tradit τρίτην εἶδη τῶν πολι-

τείας, videl. monarchiam, aristocratiam, & democratiam. Sic & alibi cũ apud eum, tum apud alios pro republica sumitur: veluti cum Plutarchus dicit Δημοκρατίαν τὴν πολιτείαν. Et Fabius πολιτείας vertit rerumpublicarum species, scribens tres esse; quæ populi, quæ paucorum, quæ vnius imperio & potestate regantur. Deniq; ab illa nominis significatione, qua dicitur de administratione reip. est πολιτεία significans institutum vitę & rationē: vt ἡ μὲν πολιτεία, ἡ ἐξ τὸ Δυγκλίτου πολιτεία apud Basilium: & ἀπροσωπόληπτος πολιτεία apud Suidam. Ex his efficitur, politiā ecclesiasticā esse administrationē ecclesiæ, quatenus oculis vsurpatur; itē quatenus fit juxta canones ecclesiasticos.

Finis internus politiæ ecclesiasticæ.

II. Finis internus politiæ ecclesiasticæ est, hoc agere vt in ecclesia omnia fiant εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν, h. e. ordine & decenter, juxta præscriptum.

Finis internus est, qui in potestate artificis continetur: externus est, qui est supra vires artificis. Ita finis internus piscatoris est artē suam recte exercere, illo scil. ordine & modo quo conuenit: externus est capere pisces. Ad eundem modū finis internus politiæ ecclesiasticæ est, hoc agere vt omnia in ecclesia procedant ordine decenti, vt monet apostolus 1. *Cor.* 14. *v.* 40.

Finis externus politiæ ecclesiasticæ.

III. Finis externus politiæ ecclesiasticæ est constituere & restituere regnum Christi in his terris per politiam seu administrationem ecclesię visibilis.

Ad hunc enim finem, tanquam vlteriorem, dirigitur finis ille internus: quia non oportet oculos defigere in externam illam administrationem, quæ est tanquam cortex: sed oculo irretorto oportet respicere constitutionem, administrationem & propagationem regni Christi inter homines: de quo regno vide cap. seq.

CAP. II.

De subiecto politiæ ecclesiasticæ.

PRÆCEPTA.

Subiectum politiæ ecclesiasticæ est triplex; informationis, tractationis & operationis; seu curæ, doctrinæ, & vsus.

Subiectum informationis est intellectus practicus concionatoris.

Subiectum tractationis est modus constituendi & retinendi ordinem externum in ecclesia.

Subiectum operationis est proximum, vel remotum. Illud est ecclesia visibilis, hoc ecclesia Catholica siue regnum Christi.

REGVI

REGVLÆ.

I. Politia ecclesiastica occupare debet intellectum practicum, adeoque voluntatem & affectum ecclesiastæ.

Ecclesiasta quomodo debeat occupari circa politiam ecclesiæ.

Sapientia est duplex: vna contẽplatrix, altera effectrix. Illa etiam theorica, hæc practica dicitur. Hæc posterior proposita est omnibus illis artibus & facultatibus, quæ non terminantur cognitione veri, sed actione boni. Sic enim v.g. philosophia moralis & ciuilis hoc sibi habet propositum, vt intellectus practicus imbuatur cognitione præceptorum ethicorum & politicorum, qui porro moueat & veluti tingat voluntatem & affectum, vt sapientia siue cognitio fiat practica, affectiua, & effectiua. Eundem in modum politia ecclesiastica informat intellectum hominis ecclesiastice, non theoricum illum, qui contentus est nuda rei cognitione, sed practicũ, qui voluntatem & affectus secum rapit, non torrentis instar, qui rapidissimo fertur motu, sed tanquam magnes, qui suauiter & efficaciter trahit ferrum.

II. Modus constituendi & retinendi ordinem externum in ecclesia visibili, reciprocatur cum politia ecclesiastica.

Quidnam tractet politia ecclesiastica?

Quemadmodum finis artis est internus & externus: ita & subiectum illius se habet. Itaq; subjectum internum politiæ ecclesiasticæ, h.e. reciprocum, proprium & adæquatum, est ipse modus constituendi & retinendi διπτύχιον ἐκκλησιαστικὸν, non aliter atq; Politicæ i.e. philosophię ciuilis finis est modus constituendi & administrandi remp. Nam omnia, quæ in politia ecclesiastica traduntur, ab hoc modo tanquam à cardine dependent. Subjectum externum explicatur canone proxime sequenti.

III. Politia ecclesiastica occupatur circa regnum Christi duobus modis, proxime & remote.

Quomodo politia ecclesiastica versetur circa regnum Christi?

Regnum Christi est subjectum externum & commune politiæ ecclesiasticæ. Neque enim politia ecclesiastica tantum versatur circa hoc regnum, sed etiam reliquæ partes theologiæ. Quid vero est regnum Christi? Est ecclesia, quæ partim in cœlis triumphat, partim in terris adhuc militat. Illa soleat appellari regnum gloriæ, hæc regnum gratiæ. Posterior significatus hoc loco attenditur, ita vt regnum Dei, regnum Christi, & regnum cœlorum significent ecclesiam in his terris militantem. Porro administratio istius ecclesiæ alia est interna & invisibilis, quæ fit à Christo tanquam capite per

occultam Spiritus S. operationem: alia externa & visibilis, quæ fit à Christo tanquam capite per ministerium verbi. Vnde ecclesia militans diuiditur in inuisibilem & visibilem. Politia ecclesiastica occupatur circa ecclesiam visibilem proxime, circa inuisibilem remote. Nam homo Dei primo audit verbum Dei, & adhibet sacramenta, & obedientiam præstat ministerio verbi, deinde per ista media à Sp. S. vegetata & animata efficaciter vocatur in ecclesiam visibilem. Primo itaq; politia ecclesiastica respicit regimen ecclesiæ visibilis, vltimo regimen ecclesiæ inuisibilis, vt nempe hoc per illud promoueatur, conseruetur, amplificetur & instauretur. Quod vt magis fiat manifestum, breuiter videamus quid sit regnum Christi, quæq; ejus in his terris sit communio & administratio. Hic autem primo se offerunt nomina, quibus illud appellatur in S. literis. Nomina, inquam, imposita à Spiritu S. qui vt appellandis rebus alijs, ita etiam nominando regno suo adhibuit nomina maxime propria, diserta & significantia. Legimus autem, regnum hoc vocari regnum Dei, regnum Christi, & regnum cœlorum. Jam vero nouimus *regnum* dici administrationem populi aut ciuitatis, quam vnus, & is quidem qui cæteris omni sapientia & virtute præstat, sic administrat, & quæcunq; salutaria ciuib. sunt, ita procurat, ne quid omnino illis desit, vt à puero quisq; ad omnem virtutem, beatamq; viuendi rationem, solidamq; felicitatem formetur atq; perducatur. Hæc vero cum sit natura & vis regni cujusq;, quod vere regnum dici possit, cogitemus, cum legimus, regnum, de quo agimus, vocari *regnum Dei*, quæcunq; omnis regni propria bona sunt, ea in hoc regno existere exhiberiq; tanto plenius atq; perfectius, quam in vllo vnquam humano regno existere exhiberiq; potuerint: quanto Deus superat omnes homines, cum sapientia bene gubernandi, tum volũtate in omne genus humanum beneficia. Imo cum solus Deus bonus sit, solus sapiens, solus potens, in ejus tantum regno, ea quæ à regia administratione præstanda sunt, percipi plene possunt. Deinde regnum hoc appellatur *regnum Christi*; quia ille est hujus regni caput & fundamentum mirabili prorsus ratione. Nam ille in regnum suũ missus à Patre, inaniuit se ipsum, & forma serui accepta, vnum se ex vulgo hominem præbuit, nullis instructus copijs aut ministerijs mundi, sed extremæ obnoxius paupertati, variisque odijs, injurijs, contumelijs, & ipsa denique morte crucis affectus. Porro ministros sibi selegit rex noster, mũdi judicio omnino contemtos, rudes, infirmos, rerum imperitos homines, qui & ipsi propter eum in infima sorte inter homines numerabantur, imo indigni habebantur qui in hominibus tolerarentur. Nam tanquam morti addicti, fame, siti, & injurijs cœli plerunque grauiter affligebantur; colaphis cædebantur, conuitijs & blasphemijs incessebantur, tecto excludebantur, omninoq; pro piaculis mũdi adhibebantur. Quãquam vero tanta mundus

Nomina regni Christi.

mundus crudelitate & immanitate, ſumma regis noſtri beneficia, quæ cũ per ſe, tum per miniſtros ſuos quotidie in gentem ſuam, (Judæos intelli-ge,) cumulabat, compenſaret: tamen omnibus ille ſeſe ſubjecit, & miniſtrum ſalutis ſeſe exhibuit vſque in mortem: ac benefaciendo omnibus, verbo, facto, opere & miraculis longe maximis & plurimis, vincere illorũ malitiam ſtuduit. Porro in tam alta & profunda humilitate ſuique dejectione, Dominus & ſoſpitator noſter, in extrema iſta inopia apud mundũ, contemtu, odio, & longe crudeliſſima inſectatione, vere tamen regnauit, & imperium exercuit, mirifica potentia, in res, corpora & animas hominum. Quos enim Pater ei donaſſet, veros regni ſui ciues: hos verbo permouit & Spiritu ſuo, vt illico & cupidiſſime ipſum ſequerentur, relictis parentibus, domibus, ac rebus omnibus: & ſequerentur eum, ſicut in omnem paupertatem, ignominiam in hoc ſeculo, & mortem ipſam, ita ad omnem quoque ſanctimoniam, pietatem & juſtitiam. Hoſtes vero ſuos ad necem ſui inflammatiſſimos, nutu coercuit, flagello expulit è templo, verbo in terram proſtrauit. Dæmones, mare, ventos, atque vniuerſas creaturas habuit, quoties voluit, imperio ſuo obtemperantes. Quid? Poteſtatem acceperat à Patre omnem, in cœlo & terra. Eam tamen poteſtatem exercebat verbo tantum & ſpiritu: nullis omnino adminiculis, inſtrumẽtis aut armis mundi. Atque ad eundem modum, regnum ſuum orbi patefecit & reſtituit per Apoſtolos & miniſtros ſuos: nec alia, vllo vnquam tempore, ratione apud homines regnauit, nec regnabit, in hoc quidem ſeculo: ita vt vita Chriſti, quam in his terris agit, ſit lucidiſſimum ſpeculum ſpiritualis regiminis Eccleſiæ. Quod ipſum etiam innuit tertia hujus regni appellatio, qua *regnum cœlorum* vocatur. Sic enim docemur, regnũ Chriſti non eſſe de hoc mundo, ſed eſſe de cœlo, & ita adminiſtrari in hoc mũdo, vt nihilominus noſtrum πολίτευμα ſit in cœlis, vbi Rex noſter ſedet ad dextram Patris, & inſtaurat quæ ſunt in cœlo & in terra omnia per Euangelium & Spiritum Sanctum. Porro quo euidentius perſpici queat, quæ ſit natura & vis regni CHRISTI, & quæ ad ejus apud nos reſtitutionem ſint neceſſaria, conferamus inter ſe, quæ ſint huic regno & regnis mundi communia, quæ etiam vtrique propria. Sunt autem octo capita hujus cõuenientiæ & differentiæ. *Primum.* Conuenit hoc inter regna mundi & regnum Chriſti, vt penes vnum ſit ſumma gubernationis poteſtas. Interest autem, quod reges mundi, cum non poſſint vbique præſto eſſe, nec etiam ſoli quæ ad ſalutem reip. pertinent videre & procurare, neceſſe habent conſtituere varijs in locis, pro regnorum ſuorum amplitudine, proreges, vicarios, & præfectos, tum etiam penes ſe habere viros prudentia & ſapientia excellentes quorum conſilio in adminiſtratione regia vtantur. Noſter vero Rex cœleſtis, Jeſus Chriſtus, juxta ſuam promiſſionem nobis

Collatio regni Chriſti cum regnis mundi.

cum est vsque ad consummationem seculi, & ipse videt, instituit, atque perficit omnia, quæ ad salutem suorum pertinet. Quocirca nullis ille vicarijs opus habet, qui locum suum subeant, aut obeant vicem. Ministris quidem certis vtitur in administranda salute sua: verum nō ex necessitate, sed ex mera bonitate & libertate sua, & quidem ita, vt illorum opera sit inanis, nisi illorum plantationi & rigationi ipse incrementum adijciat. *Secundum.* Administratio regnorum mundi & Christi hoc habet cōmune, quod reges mundi æque ac Christus omnia sua eo dirigere & instituere debeant, quo ciues suos efficiant pios & justos, qui Deum recte agnoscant & colant, sintque proximis suis in omnibus actionibus suis vere salutares. Quanquam vero omnem curam suam reges mundi huc intendant, ne quidquam quod ad hanc rem pertineat prætermittant: tamen animos hominum ab innata impietate & injustitia purgare ipsi non possunt, atque ideo nec vera pietate & justitia imbuere. Excindere possunt de agro Domino, hoc est de populo sibi credito, inutiles arbores, sentes, vepres & zizania, oppressa scilicet perditorum hominum impietate & injustitia: possunt agrum, id est, sanabilem populi partem, bonis legibus proscindere & pastinare, & ad percipiendum Dei semen quodammodo præparare. Vt fructum autem hic ager ferat pietatis & justitiæ, hoc non ante expectandum est quam cum Rex noster Christus, sparso in eo Euangelij semini suum adspirauerit incrementum. *Tertium.* Regnis mundi & regno Christi competit, quod vtrorumq; administratio malos, dum latent, ferre inter bonos debeat: dum autem suam impietatem & injustitiam palam fecerint, nec correcti eam deponere sustineant, è republica tollere. Differt autem hoc inter administrationem regnorum mundi & regni Christi, quod reges mundi, ad emendandum vitiosos, & è rep. exturbandū deploratos ciues, vtuntur ex Dei mandato mulctis, plagis, carcere, exilio, varijsque mortis supplicijs. Christus autem in regno suo vtitur verbo & Spiritu, itemque cruce multiplici: dum scilicet per vinculum pœnitentiæ, id est potestatem clauium, in viam salutis reducit, qui ab ea deflexerunt, si quidem sint sanabiles; præfractos autem pro ethnicis & publicanis habere jubet: Deinde varijs morbis, calamitatibus & mortis generibus, quandoq; per dæmones immissis, partim filios suos corripit & corrigit, partim impios è medio tollit. *Quartum.* Inter regna mundi & Christi conuenit, quod sicut reges mundi volent, ita & Rex noster Christus velit, ciues suos externis certis pactis & sacramentis in regnum suum recipi & obsignari, in suos quoque cogi cœtus, & suos habere conuentus, suisq; regi ministerijs. Noster autem Rex ciues suos per sacramenta & similia media purgat etiam, pro arcano æternæ electionis suæ consilio, à peccatis, & vitæ cœlestis nouitate donat; quorum nihil possunt reges mundi. *Quintum.*

Admini-

Administratio regnorum mundi & Christi hoc habet commune, quod vtrobique homines inde à puero diriguntur ad finem reipub. & salutem ipsius procurandam. Vnde pueri & juuenes in artibus discendis, viri in officijs suis peragendis, omnes status in suis munijs obeundis occupantur ex præscripto regis. Verum hoc interest, quod Christus potenter & sufficienter, verbo & spiritu suo, efficit, vt quisque suorum vitæ illud genus, ad quod ab eo vocatur, tum religiose ineat, tum constanter & fructuose colat: præterea quemlibet suorum conuenienti loco collocat, distinguendo rempub. suam in certas classes & tribus, & singulas conuenientibus donis instruendo, vt in quibus ille regnat, hi non suam priuatam vtilitatẽ, sed bonum totius corporis mystici vnice quærant. Porro nullus subditorũ in regno Christi conflictatur cum egestate spirituali, sed abundat & circumfluit diuitijs cœlestibus. Denique Christus Jesus veræ charitatis ac patientiæ largitor, mentes suorum ad hãc salutarem communionem, itemq; ad crucis tolerantiam, non vi externa, sed verbo & spiritu suo reddit quam promtissimas & perfectissimas. Horum vero nihil est in regnis mundi. Quanquam enim regum est officium, ciues suos in certos ordines distribuere, ipsisque prospicere de rebus necessarijs: multiplex tamen hic cernitur imperfectio. *Sextum.* Regnis mundi & Christi est commune, quod perpetuo vtrisque dimicandum est cum malis hominibus & spiritibus. Propria sunt, quod regna mundi vtuntur armis carnalibus contra malos homines: regnum vero Christi armis tantum spiritualibus pugnat, contra hostes tam carnales quam spirituales. *Septimum.* Conuenit inter regna mundi & regnum Christi, quod ἀντιστροφὴ seu reciproca ibi est subjectio. Nam vt regna mundi regno Christi, ita etiam regnum Christi suo modo subijcitur regnis mundi, sc. quantum ad externam & ciuilem vitam. Quemadmodum enim ipse, cum in hoc mundo versaretur, potestatibus, quibus gladium ipse commiserat, subditus fuit: ita vult suos quoq; seruos principibus secularibus, etiam injustis, subesse. Cæterum sicut regnum Christi regnis mundi se subijcit: Sic omne regnum hujus mundi regno Christi se subijcere debet, vt in Dauide, Hiskia, Josia, Constãtino, Jouiniano, Theodosio, & alijs principibus Christianis videre est. Quãuis autem regna tyrannica oderint vt oppugnent regnum Christi: tamen sceptrum virtutis ejus emittit Deus, dominariq; facit in medio inimicorum suorum, & tãdem abolet omnem potestatem sibi aduersariam. Atq; hoc proprium sibi habet regnum Christi: Quis enim vnquam fuit regnum hujus mundi, qui in medio inimicorum suorum potentissime & gloriosissime regnare potuerit, omnesq; suos hostes sibi tandem subijcere? Hoc est solius Christi, qui Ecclesiam inde ab initio vsque ad finem seculi colligit inter hostes suos, & in cordibus electorum suorum gloriosissime regnat.

Octa-

Octauum. Commune est regnis mundi & Christi, quod non semper æquabili cursu administrantur. Est enim tempus, cum Rex noster, Jesus Christus, ad declarandam virtutem suam in infirmitate suorum ciuium, & ad illustrandam illorum fidem, permittat Satanæ, vt totum mundum contra illos commoueat. Est item tempus, cum Rex noster suis externam quoque quietem comparat, & hominum gratiam comparat, etiam sub tyrannis. Est denique tempus, quo Ecclesiæ suæ dat pios reges, vti fecit sub Constantino Magno. Etsi autem cursus administrationis Ecclesiæ ita variet: semper tamen illa durat, quod præregnis hujus mundi habet peculiare. Illa enim habent suos ortus & occasus. Atque hæc in antecessum tenenda sunt de regno Christi, vt solide intelligatur qualis debeat esse politia Ecclesiastica, talis nempe, quæ regno Christi sit analoga, ideoque cum politia ciuili multa habeat communia, plurima vero propria & singularia. Qua quidem in re consistit fundamentum totius politiæ Ecclesiasticæ.

CAP. III.

De personis Ecclesiasticis.

PRÆCEPTA.

Media, per quæ finis politiæ Ecclesiasticæ obtinetur, adeoque in subiectum introducitur, alia pertinent ad constitutionem, alia ad restitutionem politiæ Sacræ.

Constitutio politiæ Sacræ est, qua illa accipit esse & bene esse.

Estque fundatio, conseruatio & amplificatio.

Fundatio politiæ Ecclesiasticæ est, qua illa incipit esse.

In ea spectatur efficiens, materia & forma.

Efficiens complectitur personas Ecclesiasticas, à quibus pendet politia Sacra.

Personæ Ecclesiasticæ pendent ab institutione diuina, Apostolica vel humana. Illæ sunt primæ classis & supremi gradus, istæ secundæ classis & gradus medij, ac tertiæ classis, & gradus infimi.

Personæ pendentes ab institutione diuina sunt pastores, in quibus spectatur vocatio ad munus, & præsentatio vocatorum.

Personæ pendentes ab institutione Apostolica, sunt seniores seu presbyteri, & diaconi seu eleemosynarij: quorum vocatio hic est consideranda.

Personæ pendentes ab institutione humana, sunt œconomus bonorum Ecclesiasticorum, cantor, & adituus seu janitor.

REGVLÆ.

Quot modis perficiatur politia Ecclesia?

I. Quatuor in vniuersum sunt media, quibus perficitur politia Ecclesiastica: videlicet fundatio, conseruatio, amplificatio & curatio ipsius.

Marti-

Martinus Bucerus lib. 1. de regno Christi c. 5. tradit tres partes sacri ministerij seu politiæ Ecclesiasticæ: videlicet doctrinam sacram, dispensationem sacramentorum, & disciplinæ administrationem: *& cap. 1.* ait tres esse partes disciplinæ Ecclesiæ, puta disciplinam vitæ & morum, disciplinam pœnitentiæ si quis grauius deliquerit, & disciplinam sacrarum ceremoniarū. *Wilhelmus Zepperus in politia Ecclesiastica* totam illam rationem reuocat ad tria capita, nempe ad res, circa quas Ecclesiæ administratio versatur, vt sunt doctrina & vita: ad officia Ecclesiastica, quæ partitur in prophetiam seu doctrinam, & ministerium: denique ad gubernationem Ecclesiasticam, quæ consistit in conuentibus & visitationibus. Conuentus porro diuidit in quatuor species: presbyteria, conuentus classicos, Synodos particulares, & Synodos nationales. Visitationes Ecclesiasticas diuidit in domesticas, speciales & generales. Nos existimamus commodissimam esse methodum, si in Politiæ Ecclesiasticæ ratione tradenda consideretur illius constitutio & restitutio. Ibi est fundatio, qua politia Ecclesiastica incipit esse: hic est conseruatio & amplificatio, qua pergit esse & bene esse. Restitutio est, qua Politia Ecclesiastica turbata restituitur in integrum & instar corporis morbidi sanatur: Quæ quidem methodus est naturalis in omni societate, siue illa sit familia, siue Schola, siue Politia, siue Ecclesia. Cæterum ad fundationem alicuius societatis hæc tria requiruntur; causa efficiens, materiale & formale. Nam efficiens in materiam introducit formam, adeoque rem perducit ad finem, quem cap. 1. prægnouimus. Si velis, dic fundationem politiæ absolui personis & rebus: quibus accedunt actiones seu officia personarum quantum ad conseruationem, amplificationem, & curationem politiæ.

II. Tres gradus personarum Ecclesiasticarum ad quamlibet Politiæ Sacræ rationem requiruntur.

Tres gradus seu classes personarum Politiæ Ecclesiasticæ.

Personæ, quæ requiruntur ad aliquam societatem constituendam, sunt necessariæ vel honorariæ. Illis carere non potest societas, his potest. Quod attinet ad Politiam Ecclesiasticam, ipsius fundatio requirit personas triplicis classis. In prima classe sunt illi, qui docent verbum Dei, & dispensant sacramenta. In secunda classe sunt partim illi, qui vitam auditorum obseruant, adeoque pastoribus sunt adjumento, & visitate vocantur presbyteri; partim illi, qui pauperum curam gerunt. In tertia classe sunt illi, qui bona Ecclesiastica administrant, templi curam gerunt, & cantum Ecclesiasticum moderantur. De hac distributione paucis hæc accipe. *Prima* differentia personarum pertinentium ad Politiam Ecclesiæ sumitur a causa efficiente seu instituente. Hinc itaque personæ istæ sunt institutionis diuinæ, Ecclesiasticæ & humanæ. In primo ordine sunt doctores verbi.

Hos enim Deus ipse instituit *Matth.ca 28.* & ipsos in certam hierarchiæ formam redegit *Ephes.c.4.* vbi recitantur quinque genera doctorum, hoc ordine. 1. Apostoli, quorum vocatio fuit immediata, & functio nulli certo loco adstricta. 2. Prophetæ, non illi qui vaticinantur, (hoc enim munus sustinuerunt Apostoli,) sed qui scripturam interpretentur. 3. Euangelistæ, non quatuor illi, quos vulgo sic appellamus κατ' ἐξοχὴν, sed Apostolorum comites & parastatæ, qui Ecclesias ab Apostolis plantatas fouebant & cõseruabant: quales fuerunt Timotheus *2. Timoth. 4 v. 5.* Titus *Tit. 1. vers. 5.* Philippus *Actor. 21. v. 8. 9.* Doctores, qui erudiunt eos, qui vel ad Ecclesiam recens accedunt, vel ad ministerium verbi in Ecclesia sunt adhibendi. 5. Pastores, qui diligenter docent verbum & sacramenta in Ecclesia; qui etiam ipsi dicuntur Episcopi. Ex his quinque ordinibus alij sunt temporarij, puta Apostoli & Euangelistæ, itemque Prophetæ, quatenus quidem habebant extraordinarium donum interpretandi scripturas: alij perpetui, videlicet doctores & pastores, qui hactenus sunt Prophetæ quatenus donum Prophetiæ, id est interpretationis scripturarum commune habent cum Prophetis illis extraordinario interpretationis dono præditis. Atque hæ sunt personæ, quas Deus ipse instituit, quando prædicandi & baptizandi officium Apostolis suis injunxit. Illorum quippe successores sunt doctores & pastores verbi, quantum ad ordinariam Ecclesiæ gubernationem. In secundo ordine sunt seniores & diaconi, qui ab Apostolis sunt instituti: illi quidem, vt censuræ morum, exercendæ disciplinæ, & corrigendis vitijs cum Episcopis seu pastoribus præessent; hi vero, vt pauperum curam haberent, pastorum vtrinque consilio & opera adhibitis. In tertio ordine sunt personæ, quæ ab hominibus in Ecclesia pio consilio sunt institutæ: puta œconomi bonorum Ecclesiasticorum, cantores & æditui. Vbi Diaconi etiam possunt sustinere personam œconomorum Ecclesiæ, & pastores fungi possunt vicem cantorum, si res Ecclesiæ aliter non ferat. *Secunda* differentia sumitur ab objecto & officio, quod partitur Apostolus *Rom. 12. v. 6. 7 8.* in prophetiam & ministerium. Prophetia vertitur in docendo & interpretando scripturas: ministerium consistit in distribuendo, miserendo & regendo. Duo priora pertinent ad diaconos; quia duo sunt illorum genera, puta distribuentes, qui eleemosynas administrant & erogant; & miserentes; qui pauperibus & ægrotis visitandis sese dedicant, quale tunc temporis fuit collegium viduarum *1. Timoth. 5. v. 9.* Tertium officium, quod Apostolus vocat præesse, pertinet ad presbyteros siue seniores, qui censuræ morem & disciplinæ Ecclesiæ vna cum Episcopis, id est pastoribus verbi Dei, præsunt. Hic memineris presbyteros duplices constitui ab Apostolo, alios in verbo laborantes, siue docentes, qui constituunt senatum Ecclesiasticum; alios seniores de plebe delectos

delectos, ex plis, grauibus & sanctis viris, qui disciplinæ Ecclesiasticæ ita præerant, vt publice tamen non docerent. *1. Timoth. cap. 5. vers. 19.* Cæterum ad ministerium Ecclesiæ referuntur etiam æditui, cantores, & œconomi bonorum Ecclesiasticorum, quatenus quidem hi à diaconis distinctam sustinent personam. Atque hi sunt gradus fundamentales hierarchiæ Ecclesiasticæ, qui subdiuiduntur in gradus honorarios pro necessitate & diuersitate singularum Ecclesiarum. Sic exempli gratia in primitiua Ecclesia pastores vocati fuerunt presbyteri: qui ex suo numero in singulis ciuitatibus vnum deligebant, quem Episcopi titulo peculiari et insigniebant, cujus authoritate vnanimis presbyterorum consensus retineretur. Quod si amplior esset ager, qui sub vnius Episcopatu erat, quam vt sufficere omnibus vbique munijs Episcopi posset, per ipsum agrum certis locis designabantur ex presbyteris *Chorepiscopi*, qui in minoribus negotijs vices Episcopi obirent, & per ipsam prouinciam Episcopum repræsentarent. Et hi quidem tum Episcopi, tum Chorepiscopi non erant superiores reliquis presbyteris dignitate, honore vel dominio, sed tantum ordine politiæ. In singulis quoque prouincijs inter Episcopos *Archiepiscopus* fuit constitutus: vt si quid in Ecclesia qualibet incideret, quod ab Episcopo non satis recte expediri posset, ad Archiepiscopum referretur, perque illum in Synodo decideretur. Alicubi etiam *Patriarchæ* fuerunt constituti, qui Archiepiscopis non quidem honore, (ita enim pares sunt omnes doctores verbi,) sed tamen ordine & authoritate superiores erant & res maximi momenti, quarum difficultas ab Archiepiscopis superari non poterat, in Synodo proponebant, atque ita dijudicabant, vt ab ijs non esset prouocatio, nisi ad vniuersale concilium. Porro cum temporis progressu, & Ecclesiæ ita crescerent, vt presbyterorum in verbo laborantium, id est pastorum numerus non sufficeret, & dissidia atque schismata magis magisque orirentur, presbyteris quoque, qui disciplinæ præerant, & diaconis, qui pauperum curam gerebant, prædicandi munus commissum fuit. Porro *clericorum* nullæ erant partes in administratione Ecclesiastica, sed exercitia & progymnasmata sua habebant in collegijs tanquam seminarijs, vt ad functiones Ecclesiasticas paulatim præpararentur. Vnde illis vtcunque jam imbutis sacræ doctrinæ fundamentis primo cura aperiendi & claudendi templa fuit commissa, vnde appellati fuerunt *Ostiarij*. Postea vocabant *Acoluthos*, qui Episcopos comitarentur: dehinc *Lectores*, qui publice in suggestu caput Biblicum legerent: deinque *Hypodiaconos*, qui suam operam impenderent *Diaconis*, quorum officium erat oblationes & collectas fidelium quotidianas, & annuos Ecclesiarum prouentus recipere & in vsus destinatos conferre;

Episcopi tamen arbitrio, cui œconomiæ suæ rationes quotannis reddebant: vnde canones Episcopum faciunt bonorum Ecclesiæ dispensatorem, non quod ipse hanc solicitudinem per se gereret, sed quia ipsius erat præscribere diaconis rationem dispensationis, & inspectionem hujus rei habere. His itaque diaconis attributi fuerunt *hypodiaconi*, vt eorum opera circa pauperes terentur. *Archidiaconi* autem tũc creari cœperunt, cum facultatem Ecclesiasticarum amplitudo nouam & exactiorem administrandi rationem postularet. Erat enim penes eos summa reditnum, possessionum, suppellectilis, & quotidianarum oblationum procuratio. Euangelij quoque lectio, item homiliarum siue concionum ex Patribus prælectio, exhortatio ad precandum, & porrectio calicis in Sacra Cœna, Archidiaconis istis fuit imposita, quod presentibus Ecclesijs ministri verbi soli ad hoc muneris non sufficerent. Vnde colligere est, cur hodie Diaconi, Hypodiaconi, & Archidiaconi vocentur ij, qui pastoribus adjunguntur in prædicatione verbi. Cæterum de gradibus istis honorarijs vide *Ruffinum lib. 1. hist. Eccles. cap. 6. Sozomen. lib. 4. cap. 15. canon. 13. Concilij Neocæsariensis canon. 13. Concilij Antyrani, Origen. hom. 1. in Psal. 37. can. 4. Concilij Vasensis can. 23. Concilij Constantinopol. I. Cyprian. l. 3. Epist. 22. l. 2, Epist. 5. canon. 4. Apostolorum canon. 25. Concilij Antiocheni.* Et hactenus quidem gradus isti honorarij possunt in Ecclesijs probari. Si vero fictitia, superstitiosa & histrionica Papistarum hierarchia inde stabiliri videatur, simplicitas Ecclesiæ N.T. subnixa institutione diuina & Apostolica vanitatem institutionis humanæ tanquam nubem dissipabit.

Pastoris vocatio & ordinatio.

III. Pastor Ecclesiæ legitime est vocandus, & solenniter ordinandus siue præsentandus.

Vocatio legitima est, qua Ecclesia Pastorem sufficientibus donis instructum vocat vel per magistratum, vel per presbyteros, vel denique per ordinarium pastorem, cui magistratus, aut presbyterium dat vocandi facultatem. Dona, quæ requiruntur in fido pastore, pertinent ad virtutem viri & officij: qua de re supra in Rhetorica Ecclesiastica. *Ordinatio solennis* est, qua Pastor legitime vocatus; & prævio examine, aut collatione, aut concione, communi totius Ecclesiæ suffragio approbatus, publice in conspectum Ecclesiæ producitur, & pathetice præsentatur; ita nimirum, vt formula præsentationis complectatur breuem sciagraphiam officij pastoris erga Ecclesiam, quod consistit in prædicatione verbi, sacramentorum administratione, adiaphororum recta observatione, vitæ integritate, disciplinæ Ecclesiasticæ recto exercitio, & cura pau-

pauperum; & vicissim officij eccl siæ erga pastorem, quod absolvitur honore, precibus pro ministerio, obedientia, solutione stipendij, & officiis humanitatis. Formulæ isti statim post commemorationem officij pastoris inserenda est publica & solennis stipulatio ministri, qui inauguratur: ita nempe, vt interrogetur, an omnes & singulas officij sui partes, prout illas commemorari audiuit, implere velit; & postea verbis atque manu hoc polliceatur. Cui stipulationi confirmatio & inauguratio ad officium solennis subiungitur, cum impositione manuum, vel sine vlla, hac fere formula: *Quod ergo felix fauſtumque ſit, ſic eccleſiæ huius paſtorem nuncupo, deſigno, creo, hancque eccleſiam tuæ curæ & fidei commendo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.*

IV. In electione presbyterorum siue seniorum & diaconorum spectanda sunt duo: videlicet penes quos debeat esse electio & quales sint eligendi. *Vocatio seniorum & diaconorum.*

Principio quod attinet ad *presbyteros*, illi vocabuntur seu eligentur à pastore & presbyterio, si quidem eccleſia jam habeat presbyterium constitutum. Si vero nondum institutum sit presbyterium, pastor eccleſiæ, diaconi pauperum, œconomi seu ædiles eccleſiaſtici, & præcipui ex ordine senatorum, scabinorum & incolarum loci, præsente & suffragante inspectore, jus habebunt eligendi presbyteros. Vocandi autem & eligendi tales erunt, qui religionem intelligant, & illius sint amantes & studioſi; qui piæ & inculpatæ vitæ testimonium habeant, nulliusque sceleris suspicione laborent; qui præterea *ſapientia* quadam, citra auræ popularis captationem, præditi sint, ita tamen vt iuxta impetuoſi non sint, sed cum discretione spirituali quosuis tractare norint; qui insuper non sint exoſi, sed bonis juxta & malis chari; qui non sint pleni rimarum; qui sint benefici & misericordes; denique qui per occupationes priuatas domo sæpe non cogantur abesse. Porro presbyteri electi publice nominabuntur & significabuntur eccleſiæ, atque solenniter confirmabuntur & inaugurabuntur. Confirmari, nisi euidens quædam necessitas vel vtilitas eccleſiæ postulet, non facile alternabuntur, inprimis si officium faciant. Ad *diaconos* quod attinet, in singulis eccleſiis eligenter viri pij, religionis intelligentes & amantes, fraudum, mendaciorum, & auaritiæ expertes: idque à pastore, senioribus, prætore, & optimis quibusdam è senatu vel populo. Solennem illorum electionem & confirmationem, ab apostolis profectam, vide *Actor. 6.*

Electio œconomi bonorum ecclesiasticorum, cæteris & ædituo.

V. In electione œconomorum bonorum ecclesiasticorum, cantorum & ædituorum, eadem sunt spectanda, quæ in electione presbyterorum & diaconorum. à quibus videl. sint vocandi, & quales esse debeant.

Principio *œconomi seu procuratores bonorum ecclesiasticorum*, aut sunt ipsi diaconi, aut ab iis diuersi, qui specialiter appellantur ædiles fabricarum. Hi eligentur à pastore & senioribus ecclesiæ, præsente prætore loci, & aliis viris grauibus & piis. Eligentur, inquam, ex piis, honestis, prudentibus, & integræ famæ hominibus. *Cantores* eliget pastor vna cum senioribus, & dispiciet, num duabus illis notis sint insignes, qui hic vel inprimis requiruntur, puta humilitate & peritia. Denique *æditui seu ianitores*, qui gustum veræ doctrinæ habeant, literas legere & pingere queant, pietatis sint amantes, honestæ & integræ vitæ & famæ testimonium habeant, à pastore & senioribus eligentur.

CAP. IV.

De rebus politiæ ecclesiasticæ.

PRÆCEPTA.

Materia politiæ ecclesiasticæ sunt res politiæ ecclesiasticæ, quarum tria sunt genera, videl. templa, vasa sacra, & bona ecclesiastica.

Templa sunt ædes sacræ, in quibus populus Christianus ad auditum verbi Dei, sacramentorum administrationem preces publicas, & similia cultus diuini exercitia conuenit ordinis & decori causa.

Vasa sacra sunt, quorum vsus est in administratione sacramentorum.

Bona ecclesiastica sunt necessaria adminicula, sine quibus ecclesia in hac humana infirmitate administrari non potest.

REGVLÆ.

Quæ sint obseruanda circa templa Christianorum.

I. Circa templa Christianorum tria sunt obseruanda, necessitas, modus & partes.

Templa non sunt præcise necessaria ad cultum Dei: quia videmus ante templum Salomonis, quod vnicum fuit in Judæa, nul-

lum

lum fuisse templorum vsum; & vero Deus in templis manufactis non habitat, nisi recte à nobis consecrentur & sanctificentur. Sunt tamen necessaria meliorisordinis & decoris causa. Vnde videmus post ducentesimum à Christo nato annum Christianos templa & oratoria condere primum cœpisse, testante *Eusebio libr. 8. histor. ecclesiast. capite primo*, quo nempe tempore Deus halcyonia quædam concessit suis. Sed hæc templa Diocletianus euertit, promulgatis hac de re violentissimis per vniuersum Romanum imperium edictis. Constantino autem Magno ad imperium promoto, quod factum est anno Christi 310. Christiani cœperunt vbiuis locorum, vel templa gentium in vsum suum conuertere, vel noua ex fundamentis magnificentissime extruere, idque Constantini Magni jussu & liberalitate. Ab illo iraque tempore ad hanc vsque ætatem vsus templorum fuit in ecclesia, sed & multiplex abusus. Et vsus quidem in eo, quod pij studuerunt ornare templa ista prædicatione & auditu verbi diuini, sacramentorum administratione, precibus publicis, & similibus cultus diuini exercitiis: adeoque effecerunt vt ipsi essent viua templa, & viuæ imagines Dei & Christi, vnde templis ligneis & lapideis summa fieret ornatus accessio. Abusus autem multiplex & infinitus fuit in eo, quod templa variis ritibus superstitiosis, idololatricis & ridiculis, deambulationibus & collocutionibus partim profanis, partim ciuilibus, imaginibus denique idololatricis prorsus fuerunt dehonestata. Quo accedit opinio sanctitatis, quam templis inesse credidit vanitas hominum. Sed videamus, quis modus in extruendis & ornandis templis sit adhibendus. Et primo quidem templa citra manifestatem non sunt multiplicanda, ne ecclesiæ ærarium sumtibus non necessariis exhauriatur, aut Christiani grauentur: denique ne ansa præbeatur idololatriæ, qua fit vt templa in honorem sanctorum extruantur. Deinde templis non est impendendus superfluus & immodicus ornatus, seu potius luxus, ne vel resp. vel ecclesia his ædificiorum sumtibus, vel exhauriatur, aut saltem grauetur, vel contra Christianæ religionis simplicitatem & humilitatem aliquid committatur. Quo de luxu suo etiam tempore conquestus est *Hieronymus epist. ad Nepotianum, & epist. ad Demetriadem.* Nimirum Christiani hic nihil dabunt pompæ, sed ornatui conuenienti, qui templum Dei distinguat partim ab hara, partim à palatio secularis principis. Non impendent id templis lapideis, quod impendendum est pauperibus piis & humilibus, viuis illis viui Dei templis. Ad extremum *partes templorum* sunt instrumenta sacris

muniis

muniis obeundis destinata : cujusmodi sunt suggestum, baptisterium, mensa sacra, sedilia varia, campanæ, loculi eleemosynarij, & feretra pro defunctis. Hæc omnia templis debent esse analoga, ne luxui vel superstitioni fenestra aperiatur.

Quid observandum de vasis sacris?

II. Vasa sacra conuenire debent numero & simplicitati sacrarum ceremoniarum.

Ceremoniæ istæ, quæ quidem requirunt vasa ad sui administrationem, sunt sacramenta noui testamenti, numero duo, & simplicitate insigni à Christo instituta & ab apostolis atque primitiua ecclesia administrata. Nihil itaque hic opus est, temere multiplicare vasa, vel de ipsorum materia præstanti & forma certa anxie vel etiam superstitiose laborare. Satis est, si tot habeamus vasa, quot requirit administratio sacramentorum; & tali materia, quæ non arguat luxum; tali denique forma, quæ non oleat vel alat superstitionem.

Quid observandum circa bona ecclesiastica?

III. Bonorum ecclesiasticorum videnda est necessitas & varietas.

Necessitas illorum demonstratur ex perpetua praxi ecclesiæ, cujus hoc est fundamentum, quod sine alimentis necessariis, neque vita prorogari, neque ecclesia administrari possit, sed necesse sit omnia in ecclesia corruere, quæ de personis & illarum officiis hactenus dicta sunt & deinceps dicentur. Atque hæc causa fuit, quod Deus constituta politia Mosaica tribui Leuiticæ abunde prospexerit de necessariis vitæ subsidiis. Hæc quoque causa fuit, quod Christus pecunias & marsupium habuit ex piorum & opulentorum hominum liberalitate. Hæc eadem causa fuit, quod ecclesia apostolica, post ascensionem Christi, Hierosolymis, propter præsentem necessitatem & persecutionum metum atque injurias, omnia sua in commune æratium, ad communem omnium fidelium vsum contulit. *Actor. 2. vers. 44. 45. cap. 4. versiculo* 32. aliæ autem ecclesiæ, hanc communionem non amplexæ, publica sua ærara habuerint, in quæ viritim, pro sua quisque facultate in publicis cœtibus contulerunt. 1. *Corinth. 16. vers.* 1. 2. *Corinth. 8. versiculo 4. cap. 9. vers.* 2. 1. *Timoth. 5. vers.* 16. Hæc denique causa fuit, quod nullo non tempore ecclesia solicita fuit de hujusmodi bonis: quibus magna sane accessio facta est sub Christianissimis imperatoribus, adeo quidem, vt, quod in hujusmodi rebus fieri solet, successu temporis homines de ecclesia superbire, luxui & splendori

frœna

frœna laxare, equis, canibus, venationibus, aliisque mundi vanitatibus operam dare, aulas regias extruere, genio indulgere, religionem, literas & studia post se rejicere, pietati, humilitati, continentiæ & pudicitiæ nuntium mittere, teterrimosque errores, idololatriam, superstitiones, & corruptelas in ecclesiam introducere cœperint; adeo quidem, vt longa hujus rei experientia prouerbio locum dederit: *Religio peperit diuitias, & filia deuorauit matrem.* Tametsi vero tantus bonorum ecclesiasticorum vsus in regno antichristi inualuit: ille tamen non potest aut debet tollere legitimum vsum, qui manifestus euadet, si partitionem bonorum ecclesiasticorum, quæ vsitate ex Gregorij Magni sanctione allegatur, in medium adferamus, & breuiter illustremus. Diuidit autem Gregorius bona ecclesiastica non inconcinne in quatuor portiones, vt vna pars ministris verbi, altera clericis, tertia pauperibus, quarta ædibus sacris parandis aut reparandis cedat. Sub pastoribus ecclesiæ comprehenduntur etiam doctores, itemque pœdagogi scholarum, quæ ecclesiis sunt incorporatæ. His igitur deberi è publico & bonis ecclesiasticis stipendia, vnde se & familias suas honeste, sine luxu tamen, alant, constat ex praxi ecclesiæ veteris & noui testamenti vt nihil dicam de consuetudine ipsis etiam gentilibus recepta & probata. Clerici, quibus secunda pars bonorum ecclesiasticorum de jure canonico cedit, sunt omnes illi, qui se suamque operam ecclesiæ addixerunt & consecrarunt. Hi alio nomine dicuntur stipendiarij & beneficiarij ecclesiæ, quos primitiua ecclesia ex bonæ indolis & spei adolescentibus delegit, & ad munus ecclesiasticum præparauit. Hoc ipsum hodieque fieri debet, ita vt eligantur pauperes & ingenioſi adolescentes, quibus deputentur stipendia minora & majora, vt distribuantur pro ratione progressus. Conferri autem debent hujusmodi stipendia nonnisi iis, qui theologiæ se addicunt sub certis ephoris studiorum & vitæ. Tertia bonorum ecclesiasticorum portio, secundum antiquos ecclesiæ canones, pauperibus cedit gratis: cum prima portio detur pastoribus tanquam merces, secunda clericis tanquam stimulus piæ doctrinæ, quam illi aliquando probare debent ecclesiæ illi, cui se obligant.

Quarta denique & vltima pars bonorum ecclesiasticorum impendenda est templis extruendis & reparandis.

CAP. V.

De forma politiæ ecclesiasticæ.

PRÆCEPTA.

Forma politiæ ecclesiastica est ordo, quo personæ ecclesiasticæ inter se deuinciuntur vinculo triplici.

Primum vinculum est vnitas finis, quo fit vt omnes tendant ad vnum finem, qui est illustratio gloriæ Dei per pacem in ecclesia.

Secundum vinculum est vnitas regiminis, quo fit vt ecclesia regatur monarchice, ab eo scil. quem tota ecclesia constituit pastorem.

Tertium vinculum est vnitas spiritus, quo fit vt omnes idem sentiant, velint, & egant, sub summo monarcha Jesu Christo, qui solus est caput ecclesiæ catholicæ.

REGVLÆ.

Ordo qualis sit in politia ecclesiastica spectandus.

I. Ordo in politia ecclesiastica spectandus est duplex, vnus internus, alter externus.

Quemadmodum ordo est anima vniuersi: sic & cujuslibet societatis. Rursus quemadmodum mundus est totum collectiuum, in quo spectatur ordo partim externus, partim internus: ita & societas est totum collectiuum, in quo duplex ille ordo est attendendus. Ordo itaque internus in politia ecclesiastica est harmonia & connexio rerum, personarum & actionum politiæ istius. Quamdiu harmonia ista illæsa conseruatur, politia ecclesiastica bene valere censetur, non aliter atque in corpore humano recta valetudo æstimatur ex proportione seu harmonia membrorum & humorum. Deinde ordo internus politiæ ecclesiasticæ est vnio in virtute spirituali, seu in vnitate fidei, spei & charitatis. Hæc enim est anima, quæ in corpore harmonice affecto principatum obtinet. Atque hæc vtraque forma debet esse proposita ecclesiastæ, presbyteris, diaconis, & reliquis personis ministrantibus & administrantibus in politia ecclesiastica. Ita enim comparatum est, vt forma rei diuerso respectu habeat rationem finis.

Quale sit ecclesiæ regimē?

II. Ecclesia tum catholica, tum particularis regitur monarchice.

Trita est distinctio, qua tres formæ rerumpubl. siue politiarum recenseu-

censentur, videlicet monarchia, aristocratia, democratia. Ex his citra controuersiam monarchia apud sapientes primatum dignitatis obtinet. Quæ causa est, quod Christus mediator sit vnicum caput ecclesiæ suæ, adeoque verus monarcha, qui vitam influit in omnia sua membra, & illa dirigit ad optimum finem. Et hoc quidem est regimen ecclesiæ catholicæ. Sed quæritur, quale sit regimen ecclesiæ particularis. Vbi distincte est respondendum. Nam si considerentur omnes ecclesiæ particulares, quæ integrant systema & corpus ecclesiæ catholicæ, necesse est vt fateantur illas regi aristocratice: quod ita patet. Solus Christus præsidet ecclesiæ catholicæ tanquam monarcha, & proinde omnes ecclesiæ particulares ab illo reguntur monarchice, non aliter atque monarcha, qui plura habet regna, omnibus præsidet monarchice. Atque hoc sensu dicimus, Deum regere mundum & ecclesiam gubernatione monarchica. Sed quia Christus apostolos suos misit in vniuersum mundum, non vero vnum ex illis præfecit summæ rerum, nemo non videt, ecclesias particulares aristocratice gubernari per varios pastores, quorum princeps est Christus. Diuerso itaque respectu ecclesiæ particulares gubernantur tum monarchice à Christo, qui solus influit virtutem, & dirigit sua membra ad perfectionem huius corporis: tum aristocratice à variis pastoribus, qui sunt in Europa, Asia, & reliquis mundi partibus. Rursus ecclesia particularis, extra systema & compagem istam sola & per se considerata, monarchice regitur à suo pastore, cui tota ecclesia resignauit potestatem regiminis, non aliter atque in rep. populus potestatem resignat principi. Hactenus itaque quiuis pastor est monarcha, quatenus penes ipsum est inspectio & regimen ecclesiæ sibi concreditæ. Neque vero existimandum est, quod pastor ideo non possit dici monarcha, quia ecclesia particularis suum habet magistratum politicum, cui subest. Hoc enim nihil pertinet ad regimen ecclesiæ, quatenus illud est spirituale. Quæ res vt fiat manifesta, hoc loco conuenientia magistratus & ministerii ecclesiastici, in rebus ad politiam & gubernationem ecclesiasticam pertinentibus, itemque differentia, tradenda fuerit. Atque, vt hinc ordiamur, vterque status est à Deo: vterque præfixum sibi habere debet vnum scopum, puta gloriam Dei & æternam hominum salutem: vterque prouidere debet, ne ecclesia capiat detrimentum, idque exemplo tum prophetarum & apostolorum, tum Mosis, Josuæ, Gedeonis, Dauidis, Salomonis, Josaphati, Joasi, Ezechiæ, Josiæ, Jehu, Darij, Constantini Magni, & aliorum Christianissimorum

Conuenientia magistratus & ministerii ecclesiastici.

rum principum. Porro vterque ſtatus verbo Dei ſubiicitur, tanquam norma & regulæ fidei, vitæ & vocationis. Vterque etiam mutuam & reciprocam agnoſcit ſubjectionem. Nam pius magiſtratus paret paſtori ſubjectione ſpirituali, quatenus ille eſt inter auditores verbi, hic inter diſpenſatores myſteriorum Dei. Rurſus paſtor bonus paret magiſtratui ſubjectione ciuili, quatenus eſt membrum reipublicæ. Diſcrimen poſitum eſt in hiſce. *Principio* magiſtratus & miniſterium eccleſiaſticum differunt objectis. Nam magiſtratus occupatur circa hominem externum, paſtor circa hominem internum. Proinde ille politicum in eccleſia officium exercet, conſtituendo & defendendo miniſterium eccleſiæ, tanquam nutricius eccleſiæ, & defenſor fidei: miniſterium vero eccleſiaſticum ipſe non obit, ſed paſtori relinquit. Vnde jam emergit *ſecundum diſcrimen*, quod poſitum eſt in actionibus officij. Nam magiſtratus Chriſtianus omnia, quæcunque ad externam eccleſiæ politiam & adminiſtrationem pertinent, videlicet de vera doctrina prædicanda, ſacramentis juxta Chriſti inſtitutionem diſpenſandis, aphoriſmis omnibus ad ἐυαγγελιαν καὶ ἐυσέβειαν, verbo Dei in genere conformem, componendis; de catechiſationibus, ſcholis, diſciplina eccleſiaſtica, vocationibus paſtorum, diaconia pauperum, bonis eccleſiaſticis diſpenſandis & adminiſtrandis, nuptiis, ſepulturis, & ſimilibus ad politiam eccleſiaſticam neceſſariis: hæc, inquam, omnia & ſingula magiſtratus conſtitutionibus & edictis recte & prudenter conceptis in ditione ſua ſancit & promulgat, certamque horum omnium & ſingulorum rationem, modum & ordinem, verbo Dei reſpondentem, præſcribit: manus vero actionibus iſtis non applicat, ſed miniſtris verbi relinquit. Neque enim docet in eccleſia, vel adminiſtrat ſacramenta, vel in presbyterio ſedet, vel catechiſationi vacat: ſed ordinis eccleſiaſtici cuſtos eſt & vindex.

Differentia magiſtratus & miniſterii.

Porro magiſtratus & miniſterium eccleſiaſticum differunt præmiis & pœnis. Nam miniſterium pœnitentibus & in viis Domini ambulantibus, promittit benedictionem æternam & temporalem: magiſtratus pietatem, obedientiam & fidelitatem muneribus, locupletationibus, dignitatibus, aliiſque præmiis corporalibus remuneratur. Viciſſim miniſterium impœnitentibus & ſcandalorum in eccleſia authoribus, per fulmen legis & diſciplinæ eccleſiaſticæ imminet, non adhibendo gladium corporalem, ſed ſpiritualem, quem vibrat ſuſpendendo à ſacra cœna, vel excommunicando. At magiſtratus vtitur brachio ſeculari, & in hæreticos, qui ſunt authores apoſtaſiæ, in blaſphemos, maleficos, homicidas, adulteros,

ros, fures, periuros, alioſque facinoroſos, corporaliter animaduertit: in quibus ſæpenumero accidit, vt magiſtratus miniſtrum verbi conſulat, in cauſis etiam criminalibus, vt colligere eſt ex *Deuter. cap. 17. verſ. 8.* Verum miniſter verbi hic non irrumpit in alienum officium, ſed tantum de jure reſpondet in theſi factique præſentis examinationem & applicationem ad hypotheſin dijudicationemque magiſtratui relinquit in ſolidum. *Quarto* magiſtratus in repub. fert varias leges: miniſterium leges nullas ferre poteſt quantum ad cultum Dei internum. Has enim à Chriſto accipit. Quod attinet ad externam Eccleſiæ politiam, magiſtratus ſancit canones Eccleſiaſticos, non abſque conſenſu miniſterij. *Quinto* in diſciplinæ praxi ſiue exercitio cernitur differentia. Nam magiſtratus contentus eſt externa obedientia & gubernatione locomotiuæ: ſed miniſterium illa non eſt contentum, ſed occupatur circa conſcientias, & internis cordium motibus inſiſtit, & vt illi ſint conformes legi & Euangelio, quantum in ſe eſt procurat. Vnde porro conſequitur, quod eos qui peccarunt, non diuulgit, aut ad magiſtratum defert, ſed quantum poteſt & debet ipſorum delicta occultat, & reſipiſcentiam, quanto poteſt ſtudio, per Dei gratiam procurat adhibendo certos gradus admonitionum & præmonitionum, denique veram pœnitentiam teſtatos in gratiam tandem recipit. Magiſtratus vero, ſi quid ſcelerati ſuboderatur, nullas adhibet præmonitiones præuias, neque reſipiſcentiæ facinoroſorum vllam rationem habet: ſed ſcelerum propalationem, pacem publicam, & juſtitiæ executionem ſibi propoſitam habet. *Deuter. cap. 17. verſ. 13.* Sic pœnam contra latronem magiſtratus exequitur, eumque è politia ſua excludit, etiamſi reſipiſcens à Chriſto reciperetur. Similiter Eccleſiaſticum miniſterij judicium locum inuenit, vbi politicum ceſſat: vt cum Eccleſia è cœtu ſuo impœnitentes ejectos, pro membris ſuis amplius non agnoſcit, quos magiſtratus tamen ciuiliter tolerat. Quemadmodum è contrario ſæpe politia ejicit, quos Eccleſia recipit: vt cum magiſtratus adulteros, latrones, fures, capitali pœna plectit quos tamen Eccleſia pœnitentiam agentes in ſinum ſuum recipit. *Sexto* magiſtratus Chriſtianus poteſtatem & jus habet Synodos indicendi & conuocandi: indictam quoque Synodum moderatur, & edictis ſuis decreta Synodica ſancit; denique deliberatiuam vocem in concilijs habet, quemadmodum paſtores & laici, vt vocant, qui concilio interſunt. Vox definitiua eſt ſolius verbi Dei: quod interpretantur paſtores in concilio juxta analogiam fidei. Quo pertinet, quod in omnibus veteribus concilijs Euangelia in medium proferri & poni ſolita fuerunt. Et Paralipomena Vtipergenſi addita, de Johanne Dalburgio, qui anno Chriſti 1503. mortuus eſt, commemorant, quod dicere ſit ſolitus, quatuor eſſe judices minime ſuſpectos, concilio præficiendos,

Biblia nimirum Hebræa, Græca, Latina, & Germanica. *Septimo* differentia posita est in eo, quod magistratus quidem ministerio subest subjectione spirituali, non aliter atque quiuis auditor Ecclesiæ, quantum ad dispensationem verbi & sacramentorum: ministerium vero subjacet magistratui non spirituali, sed corporali seu ciuili subjectione. *Denique* differunt potestate exauthorationis, seu depositionis ab officio. Nam magistratus potest pastores non recte docentes, in officio negligentes, aut enormiter delinquentes, in ordinem cogere, & non tantum increpare, cumque illis durius expostulare, aut stipendij parte ad tempus priuare, sed etiam omnino, si opus sit, remouere ab officio & exauthorare: vt colligere licet ex *Exod. cap. 32. vers. 21. 2. Reg. c. 12. vers. 7. 1. Reg. cap. 2. vers. 27. & c. 1. vers. 7.* Ita Justinianus Imperator Syluerium, Romanum Episcopum, quem proditionis suspectum habuit per Bellisarium remouit, substituto in ejus locum Vigilio. Ministri vero Ecclesiæ non possunt magistratum idololatram, impium & tyrannicum loco mouere: vt Petrus docet *1. Petr. c. 2. vers. 18.* & exemplo Christi *Johan. c. 17. vers. 11.* itemque Johannis Baptistæ *Matth. c. 14. vers. 4.* monemur. Ambrosius quidem, & alij doctores Ecclesiæ, imperatores & principes excommunicarunt: sed vltrius non sunt progressi.

CAP. VI.

De officio pastorum circa conseruationem Politiæ Sacræ.

PRÆCEPTA.

Fundatio Politiæ Ecclesiasticæ fuit in personis, rebus & vnione personarum & rerum: sequitur ipsius conseruatio per officia personarum.

Officia ista sunt primæ, secundæ, vel tertiæ classis, pro numero trium graduum, in quos distinguuntur personæ hujus politiæ.

Officia primæ classis concernunt pastores, qui sic studebunt conseruationi Politiæ Ecclesiasticæ, vt gradus officij Ecclesiastici sartos tectos conserent, verbum Dei recte prædicent, sacramenta intemerate dispensent, ceremonias tum necessarias tum adiaphoras prudenter adhibeant, denique recte se gerant erga presbyteros, Diaconos, œconomos bonorum Ecclesiasticorum, cantores, adituos, & erga vniuersam Ecclesiam.

REGVLÆ.

Officia Ecclesiastica sunt triplicia.

I. Officia Ecclesiastica pertinent vel ad conuersationem, vel ad

vel ad amplificationem, vel denique ad curationem Politiæ Ecclesiasticæ.

Posteaquam enim Politiæ certa ratio est constituta, oportet dispicere, quomodo illa possit conseruari & amplificari; & si forte sit collapsa, vel aliqua sui parte viciata, quomodo possit & debeat in integrum restituti. Hinc videre est, partes officiorum distinctas esse circa conseruationem, amplificationem & restitutionem Politiæ sacræ; ita nempe vt aliud sit pastoris officium circa conseruationem Politiæ, aliud circa amplificationem, &c. Quod diligenter obseruare oportet, ne quis existimet hoc loco tradi omne pastoris officium circa Politicam Ecclesiasticam.

II. Primum pastoris officium est, gradus officiorum Ecclesiasticorum intemeratos conseruare.

Gradus officij Ecclesiastici debent manere intemerati.

Quinque constituimus partes officij pastoris: è quibus prima in eo est posita, vt studeat distinctos conseruare gradus officiorum Ecclesiasticorum: ne scilicet prima classis confundatur cum secunda vel tertia, & vna in alterius possessionem inuolet atque irrumpat. In prima classe diximus esse ipsos pastores, in secunda presbyteros & Diaconos, in tertia œconomos bonorum Ecclesiasticorum, cantores & ædituos. Prima igitur cura pastoris esto, vt harmonicam hanc triadem illibatam conseruet: ne forte conuulsis his gradibus idem accidat Politiæ sacræ, quod corpori, in quo pes velit occupare locum capitis, & domui, in qua fenestra cupiat ascendere in locum tecti. Deinde in singulis quoque classibus distincti debent esse gradus. Et primo quidem quantum attinet ad munus pastorale, illud non per saltum, sed per gradum est capessendum, ita nimirum, vt tyronibus non committatur Ecclesiæ gubernatio, sed ijs, qui aliquam sibi experientiam & praxin ministerij Ecclesiastici comparauerunt, ita vt vel peregrinando lustrauerint varias Ecclesias, vel operam suam impenderint alijs Ecclesijs, in quibus vel ipsi fuerint pastores, vel pastorum collegæ.

Deinde inter pastores debent esse gradus, non jurisdictionis, authoritatis & imperij alicujus, sed boni ordinis, qui sit ratione ætatis, donorum, vocationis antiquioris, & consuetudinis rationabilis: vt nempe seniores præferantur junioribus cæteris paribus; doctiores minus doctis, vetera in nouitiolis, qui diutius inseruierunt Ecclesiæ ijs qui recens accedũt, denique illi, q præsunt Ecclesijs illustrioribus ijs qui præsunt cœtibus minus illustribus.

Denique

Denique inter presbyteros, Diaconos, & reliquas personas ministerij Politiæ sacræ distinctos gradus esse potest, pro varietate donorum, diuersitate ætatis, & consuetudine laudabili alicujus loci.

Quomodo pastor debeat prædicare verbum Dei.

III. Pastor Ecclesiæ debet verbum Dei prædicare orthodoxe, plene, pathetice & discrete.

Orthodoxe prædicabit, si Scripturas sacras recitet illasque solas interpretur juxta analogiam fidei. *Plene* prædicabit, si doceat legem & Euangelium, dogmata fidei explicet & confirmet, aduersarios refutet, admonitionibus & correptionibus studeat, integros Scripturæ libros enarret, denique totum hominem spiritualem sibi formandum proponat, idque tum publice, tum priuatim quantum ad neogamos, conjugij sui denuntiationem Ecclesiasticam petentibus; & patres, infantum suorum baptismum flagitantes; & ægrotos, captiuos, tentatos; denique in visitationibus inter vias & itinera, in conuiuijs, & priuatis colloquijs cum pueris, senibus, maribus, fœminis, &c. *Pathetice* prædicabit, si doctrinam verbi Dei studeat ingerere auribus, cerebro, cordi & manibus; si mandata, promissiones & comminationes beneficia item & judicia Dei sedulo inculcet; si attentionem & benevolentiam auditorum legitimis modis captet; si historiam præcipuorum Dei operum sæpe retexat; si exemplis & similitudinibus studeat; si auditores & colloquia & collationes de rebus sacris in priuata conuersatione traducat; si illo assuefaciat, vt in dubijs & casibus conscientiæ ipsum libentes adeant; si auditores commendationibus & præconijs extimulet; si doctrinam semper ad praxin pietatis & pœnitentiæ transferat; denique si spirituali vtatur παῤῥησίᾳ, Christianæque simplicitati inter concionandum & conuersandum studeat. *Discrete* prædicabit, si doctrinam attemperet ad captum rudiorũ, atq; distinguat auditores indociles & dociles, simplices & malitiosos seu obstinatos cõfessores veritatis & hostes veritatis. Quod attinet ad rudes, studebit perspicuitati in docendo, & nonnisi fundamentũ salutis breuiter vrgebit. Illis, qui jam habent αἰσθητήρια γεγυμνασμένα, cibum solidum proponet, & interdum difficultates quasdam illis objiciet, vt ne forte sibi placeant in sua cognitione, sed discant studere humiliati. Simplices tractabit tanquã filios obsequiosos; obstinatis acuet legem. Confessores veritatis animabit exhortando & consolando: hostes veritatis ira tractabit. 1. Si nolint audire concliones sacras, inuitandi sunt ad priuata colloquia, vel saltem occasio capranda est, qua possint ædificari hujusmodi colloquijs. 2. Pastor vtetur precibus & diligentia in officio: integritati & grauitati vitæ studebit: vocationem & stipulationem suam in mentem reuocabit auditoribus

istis

istis contumacibus: quantum sit peccatum, falsum dare testimonium, & innocentes damnare, illis suggeret: docebit illos, qui audire nolunt conciones sacras, Spiritui sancto fores & fenestras obstruere, & præceptum esse, vt omnia probemus: protestabitur, nihil præter æternam ipsorum salutem quæri: deplorabit vim, quæ per calumnias Deo & veritati infertur: ostendet, nihil nouum esse calumnias contra veritatem euomere, illasque deplorare causæ indicium esse, & fructum diaboli, non vero Spiritus Sancti: monebit, vt zelum habeant, qui sit secundum scientiam: instabit docendo, ita vt sæpius inculcet doctrinam de controuersijs, similitudinibus appositis vtatur, doctrinæ veræ vtilitatem & facilitatem demonstret, doctrinæ falsæ absurda & inconuenientia ob oculos ponat: porro promittet obsequium citra pudorem, si certiora monstrentur: abstinebit ab altercationibus & vehementia ad vulgus: personalia & odiosa omittet: per vtrinque concessa & indubitata constringet auditores; inque illos retorquebit argumenta & calumnias aduersariorum, quorum partes illi sequuntur: non confundet illos, quibus cum agitur: ad preces & Scripturæ lectionem ipsos remittet: ad vtilium librorum lectionem eosdem inuitabit: beneuolentia & beneficentia illos demerebitur: cum præfractioribus etiam patientia & mansuetudine certabit, neque refragantes statim deuouebit, aut Satanæ tradet, sed ex affectu paterno & commiseratione quædam cum illis aget: denique auditores dociles monebit, ne ora comprimant, sed reliquos suos fratres conuertere ac lucrari studeant.

IV. Pastor sacramenta dispensare debet plene, & religiosè.

Quomodo Pastor debeat dispensare sacramenta?

Plene dispensabit, si duo sacramenta à Christo instituta sic administret, vt illis nihil addat vel demat. *Religiosè* dispensabit, si vtrumque sacramentũ administret tanquam minister Dei sanctus & inculpatus: nec administret illa, nisi ijs, quos secundum verbum Domini debet pro sanctis & inculpatis habere. Baptismate enim homines debent peccatis ablui, regigni, & innouari ad vitam æternam; Christo Domino incorporari, eoque indui *Actor. cap. 21. 1. Corinth. 12. Galat 3.* quæ omnia non sunt nisi sanctorum: quales censentur liberi Christianorum, & adulti, qui profitentur se agnoscere Christum Seruatorem, & in illum credere. Ita constare etiam oportet fidelibus Christi ministris, ex fructibus, de eorum, quibus Eucharistiam præbeant, vera peccatorum pœnitentia, & solida in Christum Dominum fide. Quod pie perpendens *S. Chrysostomus homil. 83. in Matth.* dixit, animam suam prius se traditurum, quam indigni is Dominicum corpus; & pati suum potius effundi sanguinem, quam sanctissimum Domini

sanguinem alijs quam dignis præberi. Hinc in primitiua Ecclesia Diaconi per iemplum deambulantes, diligenter obseruabant, ne quis indignus ad Domini mensam accederet, vt idem Chrysostomus testatur. Deinde cum his sacramentis remissio peccatorũ, & beata Christi cõmunio impertitur, fœdusq; æternæ salutis obsignatur & confirmatur: necesse est, vt hæc mysteria, partim toti Ecclesiæ, partim ijs qui sumturi sunt sacramenta, explicentur quam clarissime, & quam sanctissime celebrentur. Ad vtriusq; itaq; sacramenti administrationem recitandæ sunt congruentes sacrarum scripturarum lectiones, atque explicandæ quam religiosissime, indeq; populus ad dignam sacramentorum sumtionem quam grauissime exhortãdus. Adjungi quoque debent ardentissimæ preces ad Dominum, & gratiarum actiones: tum etiam piæ oblationes à diuitibus. Nam cum his sacramentis homines summa Dei beneficia percipiant, remissionem peccatorum & vitam æternam, certe vacui in conspectu Dei ipsi apparere non debent.

Quodnam sit pastoris officium circa ceremonias?

V. Pastor ceremonias diuinitus institutas non mutabit & ceremonias boni ordinis prudenter temporabit.

Ceremoniæ Sacræ sunt actiones & ritus solennes, quibus ingenuo humani desultoria & volatica vanitas in officio diuinæ meditationis continetur. Vnde Deus omni tempore in Ecclesia sua voluit hujusmodi ritus extare, quibus infirmitas hominum, ceu fulcris quibusdam, sustentaretur. Sunt autem hæ ceremoniæ duplicis generis. Nam aliæ sunt diuinitus institutæ, vt sunt ceremoniæ baptismi & S. Cœnæ, quas Christus adhibuit, vel adhibere jussit; quales sunt in baptismo immersio vel aspersio, in S. Cœna actio, & similes: aliæ sunt boni ordinis, quæ alias Adiaphora vocantur, itemq; res mediæ & indifferentes. *De ceremonijs primi generis sunt hæ regulæ.* 1. Ceremoniæ diuinitus institutæ sunt pars necessarij cultus Dei: & proinde illis humana authoritate nihil debet addi vel adimi. 2. Abusus, qui circa ceremonias diuinitus institutas incidit, est tollendus, retento vero & legitimo vsu. 3. In ceremonijs externis non est hærendum, sed illarum vis & significatio est spectanda. *De ceremonijs boni ordinis in genere sunt hæ regulæ.* 1. Adiaphora non sunt pars cultus diuini necessarij: adeoq; naturam suam amittunt, si necessitatis, cultus, aut meriti opinio ipsis affingatur. Nam cum sint pars ordinis politici in Ecclesia, nonnisi ex illa hypothesi obseruari debent, quatenus faciunt ad commodiorem & decentiorem cultus externi administrationem. 2. Adiaphora debent esse Deo conformia & ad Ecclesiæ ædificationẽ directa. 3. Ecclesia adiaphoris onerari non debet, sed in ijs modera io est adhibenda. 4. Si abusus incidat in adiaphoris, non amplius toleranda sunt, sed abusus juxta & vsus est tollendus & abrogandus. 5. Adiaphora non sunt vrgenda cum offensione & scandalo infirmorum, aut

schisma-

chismate Ecclesiæ. 6. Diuersitas adiaphorum in diuersis Ecclesijs, eandem religionem profitentib. neminem offendere debet, neq; diuersæ religionis suspicionem parere. Nimirum Ecclesijs Christi sua libertas est permittenda in his rebus, quo vnaquæq; eum præfiniat modum & rationem sacrarum lectionum, Catechisationum, administrationis sacramentorum, precum, psalmorũ, potestatis clauium, & similium rerum; quã possit quelibet Ecclesia suis populis maxime eo conducturam, vt ex his actionib. ad veram viuamq; pœnitentiam commoueantur, & in fide Christi confirmẽtur atq; prouehantur. Quæ tamen in eadem gente vel regno sunt Ecclesiæ: cum ibi hominũ ingenia non tantopere varient, non pulchrum modo, verum ad augendam sacrorũ Christi existimationem, pleriſq; admodum cõmodũ est, vt quantam possint, in his rebus obseruent conformitatem. 7. In ceremoniarum correctionib. non ab executione, sed ab institutione & doctrina est incipiendum, & superstitio prius ex cordib. quam oculis eijcienda. Porro ceremoniæ adiaphoræ sunt duplicis generis. Aliæ enim sunt circumstantiæ sacramentorũ, aliæ sunt accessoria externi cultus & politiæ. De ceremonijs, quæ pertinent ad circumstantiam baptismi & sacræ Cœnæ, duabus continentur regulis. *I. Circa baptismum & illius administrationẽ hæc obseruentur.* Baptismus non est diu differendus: quia hæc res arguit contẽtum sacramenti. Quod si infanti in lucem edito immineat periculum vitæ, & parentes baptismum anticipari velint, extraordinarie, in loco tamen publico, si fieri possit, præsentibus aliquot testibus baptismus ille conferetur, adhibita breui commonefactione & precatione, ne ex sacramentis faciamus mutuas ceremonias. Porro pater petet ipse infantis sui baptismum apud pastorem, & si necesse sit, examinetur, vel moneatur officij sui. Pater quoq; infantis sui baptismo interesse debet, suasq; preces pro illo coram facie totius Ecclesiæ Deo offerre. Patrini non admittentur, qui non intelligunt mysterium baptismi, quales sunt paruuli: neq; illi, qui diuersam à nobis profitentur religionem. Non etiam erunt multi patrini, sed vnus atq; alter adhibebitur pro more priscæ Ecclesiæ, in qua nonnisi vnus testis adhibebatur. Adhæc Pastor habebit indicem seu catalogũ baptizatorum, vt inde possit ætas contrahentium conjugium addisci, & literæ formatæ, vt olim vocabantur, consignari, si legitimi tori testimonium sit dãdum ijs qui petunt. Deniq; liberũ est & indifferens adhibere baptisteria, itemq; totalẽ immersionẽ vel aspersionẽ. *II. Circa S. Cœnã & illius administrationẽ hæc obseruẽtur.* Liberũ est S. Cœnã celebrare die Dominico vel alio quouis; tẽpore diurno vel nocturno; quotidie semel, vel singulis septimanis mẽsib. bimestrib. aut trimestrib. semel vel sæpius. Pulcherrimũ hic est spectaculũ, si tota Ecclesia cõmunicet. Quo die S. Cœna Ecclesiæ denũtiatur, presbyterij cõuẽtus agetur. Catechumeni, qui S. Cœnæ primũ cõmunicant, diligẽter sunt

examinandi & instituendi. Pridie communionis Eucharistiæ concio præparatoria est habenda. Vestitus ministrorum in celebratione Eucharistiæ non erit alius quam est in suggestu. Quando communio Eucharistica publice denuntiatur, pastor significet, vt qui occultis forte conscientiæ scrupulis & tentationibus laborant, vnde ipsi se exsoluere nequeant, nequaquam hoc nomine à S. Cœna abstineant, ne à diabolo præoccupati circumueniantur: sed in sinum pastoris sui deponant, & consolationem Spiritus S. precibus à Deo impetrent. Denique quod attinet ad communionem ægrotantium, illa duabus hisce cautelis regenda est: ne videlicet petatur vel administretur cum opinione operis operati, tanquam viaticum quoddam morientium: deinde ne peragatur in angulo aliquo & nullis præsentibus, sed vt in Ecclesiolæ cujusdam, quæ ex domesticis & vicinis constet, præsentia celebretur, ita vt quidam ex his ipsis, qui adsunt, hoc sacramentum vnionis nostri cum Christo & Ecclesia simul participent. *Ceremoniæ, qui dicuntur accessoria cultus & politiæ Ecclesiasticæ, respiciunt tempus & locum sacrum, conjugium, & sepulturam, juxta has regulas.*

1 Non tantum dies Dominicus, quem Apostoli instituerunt, est dicandus cultui Dei & solenni congregationi, sed etiam alij dies huic rei sunt impendendi, & ordinarie quidem duo vel tres singulis septimanis, extraordinarie etiam plures, quandocunque vrgens quædam Ecclesiæ necessitas publicam supplicationem, aut singulare quoddam Dei beneficium solennem gratiarum actionem postulat. Dies festi sanctorum sunt abrogandi: quia soli Deo debetur hic honos. Mercatus publicos, conuiuia anniuersaria, & similes vanitates die Dominico non oportet ferre. Dies enim non potest, quantopere Deus detestetur, nos in diebus nomini suo consecratis propriam facere voluntatem & carnis sectari studia, vt inter alia legere est apud Esaiam *cap. 1. & 48.* Denique consentaneum est pietati Christianæ, vt diem Natiuitatis Christi, circumcisionis, Paschæ, Ascensionis, & Pentecostes peculiariter sanctificemus, vt in ijs præcipua Dei opera celebremus. Hic incidit quæstio de obseruatione quadragesimæ, an illa sit necessaria? Sunt enim qui iam, qui Apostolis institutam credunt. Verum ex scriptis veterum manifestum est, eam obseruantiam non omnes pariter Ecclesias seruasse: sed alias vnum duntaxat diem ante Pascha, alias septem, alias plures, aliàs pauciores jejunasse. Quas Ecclesias tamen, aliæ quæ quadragesimam obseruabant, ob id non condemnarunt: cum nec ex suis hominibus quenquam ad jejunandum compulerũt, sed pijs tantum exhortationib. ad jejunandum inuitarũt. Singulis quoq; septimanis vno die, aliæ quinto, aliæ septimo, jejunium remittebant. Cæteris quidem diebus ad vnã diei horã, h. e. sub vesperam, verbũ Dei & sacramenta administrabant: post quæ sacra, ij qui jejunabant, cibũ primũ sumebant. Interim tamen S. Patres

lauda-

laudabant & eos, qui cum propter corporis imbecillitatẽ cibum antea sumerent, nihilominus ad sacrum cœtum venirent, & verbum Dei audirent. Antichristianum itaque est, jejunium Christianis, tanquam ad salutem per se necessarium, indicere. Dominus enim & apostoli, quanquam jejunij ceremoniam magnopere commendarunt, liberam tamen ejus obseruationem Christianis reliquerunt: sicut nec pie præstari jejunium potest, nisi vltroneo spiritu suscipiatur. Attamen, cum jejunia Dominus ipse, & apostoli tantopere ecclesiis commendarunt: de Christi certe spiritu & regno iniustra gloriantur, qui omnino nulla seruant jejunia, maxime si aliqua ecclesiam vrgeat calamitas, si qui in ecclesia prolapsi sint in grauiora flagitia, aut si grande aliquod negotium veniat ecclesiis ad Dei gloriam suscipiendum. II. Templa religioni deputata, nullis aliis vsibus, nisi summa cogat necessitas, patere debent. Quod Dominus suo exemplo nos docuit *Matth.* 21. Quamobrem priscæ ecclesiæ, templa semper clausa tenuerunt, quando nulla in eis publica religionis actio exhibebatur; nisi aliud postulasset aliqua Christiani populi necessitas. Quinetiam sacrum cleri ordinem ostiariorum in hunc vsum instituerunt. Horum enim munus erat, temporibus quibus sacra publice peragebantur, cauere, ne vel indigni se sacro cœtui admiscerent: neve quisquam aliquid non consentaneum religioni Christi in sacro cœtu faceret. Hi post publicam administrati euangelij doctrinam, priusquam sacra Domini cœna inciperet administrari, primum catechumenos, deinde & agentes pœnitentiam, iussos per diaconum discedere, templis educebant: eaque, dum mysteria peragerentur, claudebant. Tanta nimirum seueritate & cura templa sacra, quæ in scripturis appellantur domus Dei, & domus precationis, veteres Christiani à profano vulgi abusu vindicabant. Qui hodie vsque adeo inualuit, vt templa habeantur pro deambulacris, locisque tam profanis, vt in illis quæuis impura & profana tractentur, idque nonnunquam etiam, cum sacra Christi in iis administrantur. Similis impietas est in templis collocare imagines cultus aut ornatus causa: cum Deus hunc cultum dissertis verbis prohibuerit, & templorum noui testamenti cultus non debeat esse Leuiticus. Ad hanc impietatem accedit & illa, quod lingua ignota adhibetur in sacris; nimirum latina, contra præceptum apostoli 1. *Corinth.* 14. Porro ad templorum sanctificationem pertinet musica, eaque tum vocalis, tum instrumentalis. Et illa quidem cernitur in psalmodia ecclesiastica, quæ ad orthodoxiam & grauitatem fidei Christianæ congruere debet: hæc vero indifferens est, & potest iis in locis adhiberi, vbi organa musica sunt reliqua ex Papatu. Noua enim fabricari nihil est necesse. 3. Le-

ges de matrimonio contrahendo, quatenus quidem illud ad politiam ecclesiasticam pertinet, his partibus continentur. Principio necesse est, vt neogami publicam denuntiationem seu proclamationem conjugij initi, à pastore petant, vt is de ætate contrahentium & vtriusque partis consensu; an consanguinitate vel affinitate quapiam, quæ conjugium impediat, sese contingant; an vtrinque sint liberi, nec vllis clandestinis desponsationibus aliis sint deuincti; an parentes consentiant, inquirat: profectum ipsorum in capitibus doctrinæ Christianæ exploret: officij eos sui admoneat, eorumque nomina in peculiarem librum, huic rei destinatum, consignet, & conjugium ipsorum initum coram tota ecclesia significet. Quod diximus de consensu contrahentium, is debet esse prorsus liber, minime coactus, extortus, vel emendicatus: adeo vt parentes nullo prætextu debeant liberos ad conjugia cogere. Similiter liberi citra parentum authoritatem & consilium nihil hic debent moliri. Quod si illi consensum suum nolint adijcere, potest is per superiores extorqueri, vel per amicos & cognatos emendicari. De gradibus prohibitis & illicitis tum in consanguinitate, tum in affinitate solicite quoque cogitabit pastor, ne hic aliquid contra verbum Dei, jus ciuile, honestatem, consuetudinem rationalem, & canones ecclesiasticos admittatur. Admonebit enim parentes & neogamos, ne post sponsalia diu protrahant nuptias: quia facile fieri potest, vt vel neogami ante publicas nuptiarum solennitates consuetudine nondum licita inter se mutuo jungantur, vel diabolus, conjugij hostis ἀνταγωνιστὴς, per sua instrumenta & flabella amorem coniugalem inter neogamos extinguat, & amicitiam inter vtriusque partis propinquos aquosam reddat. Porro nuptiæ quouis tempore celebrari possunt, excepto die Dominico, & iis temporibus, quibus grauis impendet calamitas. Denique si sponsus vel sponsa extra diœcesin suam vel regionem conjugium ineant, dimissorium, vt vocant, hoc est, testimonium pacis vitæ, quodque nemo intercedat matrimonio inito, à pastore suo petent. III. De morte & sepultura sunt hæ leges, quæ quidem pertinent ad politiam ecclesiasticam. Superstitio, fastus & luxus in exequiis mortuorum euelli debet: vti sunt faces & luminaria, crux lignea, monumenta magnifica, insignia sumtuosa, & similia. Deinde funus honeste debet deduci, pro consuetudine loci. Quod si more sit receptum, vt habeantur conciones funebres, illæ non erunt encomiasticæ, panegyricæ, aut etiam Philippicæ, sed consolatoriæ & exhortatoriæ. Porro cœmeteria recte extra vrbes & pagos constituentur: quod inde ab omni antiquitate obseruatum legimus. *Genes. 25. vers. 9. Luc. 7. vers. 12. Iob. 11.*

12 Johannis, versiculo 31. cap. 19. versiculo 41. Cuius rei ratio est, quod non deceat Christianos inter mortuos versari: vt nihil dicam de eo, quod aer hoc modo inficitur, præsertim si tempore pestis plures mortui humentur in ciuitate. Ideo canones quorundam conciliorum præcipiunt, ne corpora defunctorum in ciuitate tumulentur, sed fiant omnes sepulturæ extra ciuitatem. Et Adrianus imperator, pœnam quadraginta aureorum in eos statuit, qui in ciuitate sepulchrum fecissent, quam fisco inferri jussit, & eadem pœna etiam magistratum mulctari voluit, qui id passus esset: quin & locum publicari iussit, & cadauer inde transferri. Postquam vero, crescente superstitione, sacra pro defunctis sub Gregorio Magno fieri cœperunt, monachi cœmeteria templis vicina fecerunt, vt sacra illa facilius obire, & quæstum majorem facere possent. Quo fine etiam ossuaria in templis extruxerunt: quæ merito abolentur, vt & si licernia seu conuiuia exequialia, quæ etiam dicuntur funeralia & sepulchralia. Postremo, si coniugati defuncti viduos vel viduas post se superstites relinquant, hique bona conscientia se extra conjugium viuere non posse sentiant, sequantur præceptum apostoli 1. Timoth. 5. vers. 14. & ad secunda vota transeant, veruntamen hac lege, vt tempus justum & maturum præstolentur; & viri quidem in reuerentiam prioris matrimonii expectent ad minimum semestre, septimestre aut octimestre spatium; fœminæ autem obseruent tempus luctus, quod leges ciuiles præscribunt annuum, idque propterea ne proles dubia & incerta reddatur, si statim ad secundas vel tertias nuptias progrediantur. Potest tamen mulieribus, exactis sex post mariti obitum mensibus, aliud conjugium permitti.

Quodnam sit officium pastoris erga presbyteros, & reliquas personas ministerii ecclesiastici.

VI. Officium pastoris erga presbyteros & reliquas ministerij ecclesiastici personas consistit in eo, vt grauitatem tempore Christiana siue potius pastorali humanitate atque æquanimitate, illarum conatus pios & laudabiles probet, laudet atque defendat, concordiam inter ipsas foueat, denique illis sit adiumento in omnibus partibus officii.

Primum itaq; officium pastoris erga presbyteros, diaconos, procuratores bonorum ecclesiasticorum, cantores & æduos est; episcopalē grauitatem præ se ferre, vt illi contineantur intra metas officij sui, neq; extra illas diffluant adducti leuitate aut negligentia sui episcopi seu pastoris.

Secundum officium est, temperare istam grauitatem singulari humanitate, quæ est condimentum omnium virtutum.

Tertio ex humanitate tanquam scaturigine prodit æquanimitas, quę infirmita-

firmitates presbyterorum & reliquarum personarum pertinentium ad ministerium ecclesiasticum tegit, dictaque & facta ipsorum in meliorem partem interpretatur. *Quarto* pastoris est, pios & laudabiles conatus presbyterorum & reliquorum probare, laudare, & à cauillis & sinistris vulgi promiscui judiciis vindicare. *Quinto* requiritur à pastore, vt non solum ipse philesychiam cum presbyteris & reliquis colat, sed etiam illam inter ipsosmet procuret atque foueat. *Denique* necesse est, vt pastor manum auxiliarem præbeat presbyteris, diaconis, œconomis bonorum ecclesiasticorum, cantoribus & ædituis, semperque cogitet se esse Atlantem & primum mobile politiæ ecclesiasticæ.

CAP. VII.

De officio presbyterorum & diaconorum circa conseruationem politiæ ecclesiasticæ.

PRÆCEPTA.

Officia secundæ classis circa conseruationem politiæ ecclesiasticæ concernunt presbyteros & diaconos.

Officium presbyterorum aliud est erga pastores, aliud erga se inuicem, aliud erga totum ecclesiæ cœtum.

Officium diaconorum aliud est erga pastores, aliud erga se inuicem, aliud erga pauperes.

REGVLÆ.

Officiũ presbyterorũ circa conseruationem politiæ ecclesiasticæ.

I. Presbyterorum est, diligenter expendere momenta rationum quæ illos ad officium sedulo faciendum debent impellere, gnauiter se componere ad officii sui rectam administrationem, prudenter denique & alacriter istud officium facere.

Principio presbyteros ad officium sedulo faciendum impellent ista: quod semper in populo Dei V. & N. T. fuerint aliqui, quibus cordi fuerit hæc disciplinæ ecclesiasticæ pars: quod fideli administratione huius officij delectentur angeli in cœlo, *Luc.* 15. *v.* 17. 10. imo Deus ipse *Matth.* 18. *v.* 14. quod hac ratione tollatur barbaries & ignorantia hominum circa verbum cultumque Dei: quod insidiæ & tyrannis diaboli in seducendis hominibus frangantur: quod iuuentutis contumacia & petulantia edometur, illiusque seductiones præcaueantur: quod corruptissi-

ruptissimo nouissimorum horum temporum statui medicina fiat: quod scandalis obuiam eatur: quod totius ecclesiæ infectio prohibeatur: quod ira Dei in totas familias, vrbes & regiones exundans mitigetur vel auertatur: quod ministrorum conciones non ita feriant & percellant, atque correptiones & correctiones presbyterorum: quod ipsi pastores consilio & exhortationibus sæpe indigeant: quod maxima hujus muneris sit excellentia & honorifica, quippe quo fit, vt homines lucrifiant Christo, erepti ex faucibus lupi infernalis: quod magna pars charitatis Christianæ consistat in fraterna admonitione, correptione, correctione, & in viam reductione: quod certissima Dei benedictio & remuneratio presbyteris sit expectanda: quod Sinonianis proximi delationibus, adeoque incendiariis illis & tubis discordiarum inter conciues ejusdem ecclesiæ, per hoc officium obex ponatur. Quæ quidem omnia & singula, illisque similia longe plura, presbyteros extimulare debent, vt nihil faciant reliqui ad summam in suo officio diligentiam, insuper habitis siniſtris imperitæ & miscellæ turbæ judiciis.

Secundo necesse est vt presbyteri sciant, qua ratione & modo ad officij sui rectam administrationem componere atque præparare se debeant. Id autem fiet juxta has leges. 1. A precibus incipiant. 2. Officij sui necessitatem, vtilitatem & dignitatem perpendant. 3. Disciplinæ initium à seipsis & domesticis suis faciant. 4. Delinquentes non foueant, sed corripiant absque prosopolepsia. 5. Ita corripiant delinquentes, vt illi intelligant correptiones nonnisi ex dilectione fraterna & spiritu mansuetudinis proficisci. 6. Prudentia & discretio spiritualis adhibeatur, ita vt in correptionibus discernantur personæ, tempora & loca. 7. In priuatis offensis multa dissimulentur & condonentur. 8. Quorumcunque delationibus, stulta quadam credulitate, fides temere ne adhibeatur. 9. In casibus dubiis & incertis præmonitiones fiant caute, ne animi exulcerentur. 10. Ad malorum conchos, minas & injurias præsenti & inuicto oportet esse animo, illasque potius deuorare quam curare. 11. Non oportet respicere in amicitiam & gratiam hujus mundi, sed Dei. 12. Pro discrimine peccatorum discrimen correptionum obseruetur. 13. Presbyteri abstineant ab arbitrariis inter controuertentes judiciis: nisi forte discordantes in ipsorum sententia acquiescere certi sint. 14. Presbyteri ne attingant illa, quæ in foro pendent, ne falcem suam videantur mittere in alienam messem. 15. Si is sit ecclesiæ cujuspiam status, vt vnum vel plura scelera totam illam occupauerint & inundauerint, cum quibus frustra se hactenus conflictatos vident presbyteri, imo impios, irritatos cor-

reptionibus, deteriores etiam fieri & tumultuari videant; nequaquam Donatistico & Anabaptistico more stationem suam & simul ecclesiam illam deserent: sed infirmo isti corpori opem & operam suam omnium maxime impendent, secuti bonos medicos, qui ægros pessime affectos diligentissime curant, item homines illos, qui membra nævis quibusdam affecta quam solicitissime ornant. 16. Presbyteri in conspectu habeant catalogum potissimorum peccatorum & scelerum, in quæ animaduertere tenentur, juxta decalogi seriem contextum. Quod consilium Carolus Magnus presbyteris dedisse legitur apud *Ansegisum libro primo de legibus Francorum cap.* 154. Sequitur vt *tertio loco* videamus officium presbyterorum erga pastorem, se inuicem, & reliquas politiæ ecclesiasticæ personas. Hoc autem versatur circa doctrinam & vitam. *Circa doctrinam* 1. prouidebunt, ne ministri docendo, catechisando, sacramenta administrando, ægrotosque visitando, itemque præceptores officio suo desint. 2. suggerent ministris, si ecclesia in doctrina, aut quapiam illius parte aliquid desideret: si peculiaria quædam vitia & scandala oboriantur aut grassentur, contra quæ gladium verbi diuini mature in publicis concionibus stringi oporteat: si publicarum & præsentium calamitatum in precibus publicis commonefacienda sit ecclesia, de quibus nihil constet ministris, aut ipsi de his minus cogitauerint: si propter incidentes casus vel causas accelerandis sit vsus cœnæ Dominicæ. 3. vicinis ecclesiis sint adjumento, & cum illis pacem colant. 4. ministerij honorem & existimationem contra maleuolorum & irrisorum calumnias tueantur. 5. partes priuatæ institutionis sibi sumant apud rudiores & agrestiores. *Circa vitam* 1. obseruabunt ministrorum, sympresbyterorum & totius cœtus mores atque conuersationem. 2. lapsos & dissolute viuentes monebuntque, illosque ad meliorem frugem adhortabuntur. 3. si opus sit, de his ad presbyterium referent, vt coram hoc ecclesiæ senatu admoneantur. 4. si quid simulatum, dissidiorum & controuersiarum inter pastores, præceptores, aut ipsos etiam seniores incidat, operam dabunt, vt illa, quantum omnino fieri potest, amice, placide & clam ita componantur, ne ad forensia tribunalia, magno ipsorum cum dedecore existimationisque jactura, & ecclesiæ scandalo, malorum denique cachinnis recurrere sit opus. 5. prouidebunt, ne pauperes, pupilli, & viduæ in ministerio diaconorum negligantur. In summa: Seniores cum pastoribus sunt quidam senatus ecclesiæ, seu ecclesia repræsentatiua, cujus authoritatem contemnere sacrilegium putatur.

Officium diaconorum circa conseruationem politiæ ecclesiasticæ.

II. Officium diaconorum tribus partibus circũscribitur.

Primo

Primo ab illis requiritur, vt diligentissime inquirant, quinam reuera egeant. & egestatem suam non possint ipsi à se depellere.

Altera pars officij diaconorum est, reditus gazophylaciorum & eleemosynas cæteras diligenter colligere: idque diebus Dominicis in cœtibus ecclesiasticis, in nuptiarum solennibus, sub concionibus funebribus, in diuersoriis publicis à peregrinis ditioribus, in contractibus emtionum & locationum, tempore messis & vindemiæ ex decimis, ex granariis publicis, ostiatim denique à ditioribus.

Tertia pars huius muneris est, eleemosynas recte distribuere, & rationem de illis reddere. Quidam addunt quartam partem: videl. prouentus ecclesiasticos colligere. Sed hoc pertinet ad œconomum bonorum ecclesiasticorum: quod quidem officium est distinctum ab munere diaconi, nihilominus tamen cum illo interdum recte conjungitur. Sed penitius inspiciamus rationem muneris diaconalis. Diaconus itaque 1. habebit catalogum verè pauperum, qui sunt partim peregrini & exules, habentes testimonia non suspecta; partim inquilini & domestici. 2. validis & ἀπείροις mendicantibus non distribuet eleemosynas, ne verè pauperes defraudentur. 3. indigenas, qui impie viuunt, & eleemosynis abutuntur, illis priuabit, ad resipiscentiam vsque. 4. pauperes domatim visitabit, ipsorum liberos ad labores & opificia manuaria traducet, ipsis aliquid pensitabit ad vitandum otium, hortabitur denique ad pietatem & laborem. 5. in distribuendis eleemosynis habebit rationem conditionis, sexus, ætatis, valetudinis, aliarumque circumstantiarum. Ideo senio confectis, numerosam sobolem habentibus, morboque diuturno exhaustis, liberalius erogabit: hyberno item tempore largius quam æstiuo: similiter tempore sterilitatis & pestis. 6. pauperibus prodigis & incuriis non pecuniam, sed victum & amictum suppeditabit. 7. non vociatim aut nummatim in singulos dies, sed ad certum temporis spacium eleemosynas erogabit. 8. iis, qui ad paupertatem subito sunt redacti, largius conferet, vt illi rursus emergant. 9. si illi, qui erga pauperes fuerunt prolixè liberales, aut ipsorum liberi ad paupertatem redigantur, largius illis distribuet. 10. quos paupertatis pudet, clam alet. 11. reditus ecclesiasticos non elocabit in sortes, nisi forte quotannis aliquid redundet post diligentem pauperum curam. 12. peregrinos pauperes domesticis interdum præferet, si nempe illi quidem in maxima vertentur angustia, hi verò vtcunque sustentare se possint. 13. reparabit xenodochia & nosocomia. 14. eleemosynas spontaneo corde, & ex sincera charitate, citra prosopolepsian conferet. 15. non faciet pauperes ex eleemosynis debitores, neq; durius illos tractabit. 16. cõmunicato cũ suis collegis, itẽ cũ presbyteris & pastoribꝰ, cõsilio sẽper aget. 17. si eleemosynæ

mosynæ pauperibus non sufficiant, temporius admonebit presbyterium ejus rei. 18. ecclesiæ pecunias in arca publica occlusas seruabit, cujus alteram clauem ecclesiæ pastor penes se habeat. 19. acceptorum & expensorum rationem reddet. In summa: Diaconus siue eleemosynarius fidem in toto officio præstabit, diligenter colligendo, & fideliter asseruando, & prudenter distribuendo eleemosynas. Quod si ecclesia diaconissas habeat, illarum officium iisdem metis & cancellis circumscribitur.

CAP. VIII.

De officio œconomi bonorum ecclesiasticorum, cantoris & adituum, circa conseruationem politiæ ecclesiasticæ.

PRÆCEPTA.

Officia tertiæ classis circa conseruationem politiæ ecclesiasticæ concernunt œconomum bonorum ecclesiasticorum, cantorem & adituum.

Officium œconomi bonorum ecclesiasticorum continetur fidelitate & diligentia.

Officium cantoris circumscribitur humili diligentia, & deuotione.

Officium adituum continetur humilitate & diligentia.

REGULÆ.

Officium œconomi ecclesiastici.

I. Oeconomus siue procurator bonorum ecclesiasticorum has leges obseruabit.

1. Omnium bonorum & redituum ecclesiæ curam habebit; ne iis distrahatur pastor. 2. Bona locastica senis aut duodenis annis, aut prout vniuscujusque loci consuetudo fert, denuo locabit. 3. Subinde bona immobilia ecclesiæ & hypothecas inspiciet. 4. Controuersias, quæ mouentur bonis ecclesiasticis, diligenter tractabit. 5. Breuia, indices & instrumenta bonorum ecclesiasticorum, siue proprietaria illa sint siue censita, in arca publica custodiet. 6. Omnes reditus diligenter colliget, vt semper pro incidentibus negotiis aliquid in promtu & numerato habeat. 7. Ædes templorum, scholarum & pastorum sartas tectas conseruabit. 8. Reditus ecclesiarum, quibus illi debentur, tempestiue, plene ac fideliter erogabit. 9. In rebus momentosis sine consilio pastoris & presbyterij nihil aget. 10. Acceptorum & expensorum rationem reddet.

II. Can-

II. Cantoris Ecclesiastici est obseruare has leges. *Officium Cantoris Ecclesiastici.*

1. Cogitabit, psalmodiam Ecclesiasticam esse partem cultus diuini, nominatim precationis: & proinde fugiet lebitatem & negligentiam. 2. Callebit melodiam psalmorum ad vnguem, & præditus erit voce sonora, firmisque lateribus. 3. Pueros recte instituet & prudenter moderabitur. 4. Judicio pastoris vtetur in eligendis & canendis psalmis, vtilli quadrent præsenti loco, tempori & concioni.

III. Æditui officium his continetur legibus. *Officium janitoris Ecclesiastici.*

1. Fores templorum tempestiue aperire & claudere. 2. Signum campanæ ijs temporibus dare, quibus oportet. 3. Mensam sacram instruere, aquam, panem & vinum ad sacri baptismi & S. Cœnæ administrationem, in medium proferre. 4. Templa & cœmeteria munda seruare. 5. Subsidiariam operam pastoribus præstare in catechizandis pueris. 6. Sacra vasa & arcas publicas Ecclesiæ custodire. 7. Horologij rationem & curam accuratam habere. 8. Ministris verbi, presbyteris & diaconis circa ministerium suum occupatis famulari.

CAP. IX.

De amplificatione Politiæ Ecclesiasticæ.

PRÆCEPTA.

Sequitur amplificatio Politiæ Ecclesiasticæ, qua illa redditur amplior per scholarum institutionem, catechisationem, & illustriorem Ecclesiæ gubernationem.

Institutio scholarum hactenus pertinet ad Politiam Ecclesiasticam, quatenus illæ sunt vernaculæ, & Ecclesijs adjunctæ.

Catechisatio est, qua juuentus in Ecclesia examinatur in capitibus Catecheticis.

Illustrior Ecclesiæ gubernatio cernitur in conuentibus & visitationibus Ecclesiasticis.

Conuentus Ecclesiastici sunt presbyteria & Synodi.

Visitationes Ecclesiasticæ sunt domesticæ & publicæ.

REGVLÆ.

I. Scholæ vernaculæ institui debent juxta has leges. *Schola vernacula quomodo instituenda?*

1. In Scholis vernaculis pueris & puellæ discent literas legere & pingere, catechesin, & bonos mores. 2. In vrbibus distinctæ sint scholæ puerorum

rorum & puellarum: in pagis distincta sint subsellia, ne pueri & puellæ promiscue sedeant. 3. In pagis æditui possunt præfici scholis, ad parcendum sumtibus. Ministris vero verbi non imponetur hoc onus. 4. Ciues & rustici ne grauentur didactro immoderato. Profuerit itaque ex reditibus Ecclesiasticis assignare stipendium præceptoribus scholarum vernacularum, vt ciues & rusticos vel nihil, vel parum ad illorum sustentationem conferre sit necesse. 5. Pastor Ecclesiæ supremus inspector & scholarcha esto, & hoc agito, vt præceptores paternum erga discipulos suos animum induant, ad ingenia & captum puerorum se accommodent, in castigando modum non excedant, remissionem à laboribus scholasticis quandoque concedant: denique scholas subinde visitato & solennia examina instituito.

Ratio Catechizandi iuuentutem.

II. Catechizatio his gubernatur legibus.

1. Catechisatio sit conformis primitiuæ Ecclesiæ instituto antiquissimo illi & laudatissimo: hoc est, fiat frequenter, diligenter, prudenter, & simpliciter. *Frequenter*, hoc est, tum publice in templo, præsertim diebus Dominicis, tum priuatim: & quidem ita, vt non interpolentur catechisationes, sed per totum annum continuentur. *Diligenter*, hoc est, non obiter & fallendi temporis causa, sed fundamentaliter & in timore Domini. *Prudenter*, h. e. ita, vt habeatur delectus ingeniorum, & pectus muniatur patientia. *Simpliciter*, hoc est, ita, vt studeatur perspicuitati sermonis & facilitati rerum. 2. Catechumeni primo omnium addiscant nuda capita Catechetica. Deinde proponatur illis Catechesis recepta, in qua nihil immutetur. Tertio omnia referantur ad illam Catechesin. 3. Catechumeni pro ratione & diuersitate profectus in certas classes digerantur. 4. Catechumeni prouectiores erudiant cæteros. 5. Catechisationes, quæ habentur in Ecclesia, fiant clara voce, & velut adhibito celeusmate. 6. Pastores discipiant, vt parentes, tutores, curatores, propinqui & patrini diligenter faciant officium suum circa Catechisationes suorum.

Presbyterij actiones, ordo & leges.

III. In conuentu presbyterorum oportet spectare locum, tempus, actiones & leges.

Locus erit publicus, in templo. *Tempus* erit ordinarium & extraordinarium. Tempus ordinarium est singulis septimanis, die Dominico post concionem, vel singulis mensibus, peculiari die his conuentibus deputato. Extraordinarium presbyterium conuocabitur, quoties necessitas Ecclesia postulat, taliaq; incidunt negotia, quæ non ferant moram, donec ordinarium tempus appropinquet. *Actiones* conuentuum presbyteralium sunt septem. 1. Preces; à quibus conuentum incipiet & claudet præses, qui erit

erit ipse pastor. 2. Protocollum; in quod omnia acta consignentur à præside. 3. Reu sio Protocolli. 4. Collatio mutua de doctrina. 5. Cēsura morum, tum Ecclesiæ totius, tum etiam presbyterorum inter sese. 6. Pauperum inuestigatio & cura. 7. Consultatio de quibuscunq; impedimentis & grauaminibus Ecclesiastic is. *Leges* hæ sunto. 1. Conuentus presbyterales habeantur sacrosancti. 2. Dicta & facta sympresbyterorum accipiantur candide & juxta legem charitatis. 2. In censura tum doctrinæ, tum morum, nullus locus detur affectibus & dissimulationibus. 4. Discordiæ in presbyterio exortæ, ibidem componantur, neque manent in vulgus. 5. Nihil foras eliminetur, sed arcana presbyterij prudenter reticeantur. 6. Nemini sine venia à conuentu isto liceat abesse. 7. Nullus sine graui causa ex collegio presbyterali ejiciatur, aut dimittatur. 8. Omnes sine exceptione, censuris, judicio & legibus presbyterij sunto subjecti.

IV. Synodi sunt aliæ particulares, eæque tum classicæ, tum prouinciales: alij generales, siue nationales: quarum authoritas & leges sunt videndæ, eæque tum generales, tum speciales. *Synodorum ratio.*

Authoritas Synodorum humana est, & errori aut periculo erroris obnoxia. Tyrannica igitur censenda sunt illa concilia, quæ sententiam definitiuam & virgulam censoriam sibi sumunt in negotio religionis: cum sola Scriptura sit judex, cujus sententia est definitiua in articulis fidei. Vtiles tamen & necessariæ sunt Synodi, si ad cōcordiam & consensum in doctrina vel ostendendum, vel sanciendum, vel postliminio restituendum, aut ad corruptelam morum tollendam instituantur, idq; juxta has leges generales: quarum aliæ sunt de personarū Synodicarum delectu, aliæ de cōditionibus & requisitis Synodi. 1. Personæ idoneæ nō sunt, nisi quas commēdat puritas intellectus, voluntatis & effectus. In mente siue intellectu requiritur sacrarum rerum intelligentia, aut intelligendi saltem capacitas, quæ præjudicium tanquam mentis aliquod fascinum procul habet. In voluntate requiritur amor veritatis, & non sciendi tantum, sed & virtutis probitatisque exercendæ studium: quæ duo negligentiam, pertinaciam, & confidentiam excludunt. In affectu requiritur mansuetudo, lenitas, humilitas, commiseratio & [illegible], quę morbos omnes in facultate concupiscibili & irascibili positos quam longissime submouēt. Hujusmodi autē conditiones & qualitates, cū non tantū in clericis, vt vocant, sed in laicis quoq; reperiantur, nihil est causæ, cur hos minus quā illos, si id cupiant & sit ex vsu Ecclesiæ, ad Synodum admittamus. 2. Sex sunt generales conditiones, quæ requiruntur ad quamlibet Synodū recte atq; vtiliter habendā. *Prima* est, vt nonnisi ex cōsensu & approbatione Christiani magistratus cogatur:

ne or-

ne ordo publicus impie violetur. *Secunda* est, vt nullum prorsus præjudicium aut præconcepta opinio domo adferatur, sed sola tantum veri inueniendi, & boni publici promouendi cupido. *Tertia* est, vt ad solam scripturam S. omnia fidei dogmata & negotia examinentur ad legem vero charitatis & prudentiæ solam, si quæ orta fuerint dissidia, componantur. Sicut enim sola Scriptura est regula, quæ dicitur esse index sui & obliqui: ita lex charitatis & prudentiæ plurimarum controuersiarum est directrix & mensura. *Quarta* est, vt communis & rationabilis consensus expectetur, & absque illo nihil ratum habeatur. *Quinta* est, vt media eruendæ veritatis diligenter ante omnia adhibeantur, cujusmodi sunt collationes & disputationes, in quibus non authoritate vel pluralitate votorum, sed sola ratione stetur. *Sexta* est, vt libertas dicendi sententiam sua cuique sarta tecta maneat, nulloque modo astringatur & ligetur, vel sententia præcedente, vel confessione aut juramento antegresso: nedum, vt vlla cuique sit noxia, aut male cedat. Quæ Synodus hisce conditionibus, vel aliqua harum destruitur, non potest censeri legitima, qualiscunq; tandem color ipsi prætexatur. *Leges Synodi classicæ*, siue diœcesianæ, in qua conueniunt pastores vnius classis seu diœceseos, hæ sunt. 1. Tempus istorum conuentum est ordinarium vel extraordinarium. Ordinarium non potest præscribi certum; sed hic Ecclesiarum ratio & status in consilium adhiberi debet: an videlicet in flore, vel æstu persecutionum; in infantia, vel maturitate sint constitutæ: an tyrones, vel veteranos habeant pastores: an magnis itineribus sint dissitæ, vel propius conjunctæ vnius classis Ecclesiæ. Alicubi singulis semestribus, alicubi singulis annis, alicubi singulis trimestribus seu anni quadrantibus, hi conuentus habentur. Extraordinarie vero, quotiescunque necessitas postulat, cogendi sunt. 2. Synodi classicæ circulari quodam totius classis ambitu seu periodo alternentur: quia hoc potius facit ad Ecclesiæ ædificationem, quam si ex quorundam conciliorum decretis vnum & fixum habeant locum, vbi videlicet Episcopus vel metropolitanus residet. 3. Pastor, apud quem conuentus habetur, sit hospes simul & præses Synodi. 4. Præses Synodi sit ille, quem ordo tangit. 5. Actiones Synodicæ sunt publicæ & priuatæ. Publicæ: vt concio, quæ habeatur à præside: Catechisatio seu examen catechumenorum, instituti à pastore vno atque altero: conuentus presbyterij, in quo exploretur status Ecclesiæ, quantum ad pastorē, presbyteros, diaconos, & reliquas personas Politiæ Ecclesiasticæ. Hic obseruetur regula, *Quæ in Synodis inferioribus decidi possunt, ne remittantur ad superiores.* Actiones priuatæ sunt; censura concionis habitæ, collatio de aliquo loco communi vel libro Scripturæ, censura denique morum & vitæ singulorum ministrorum. 6. Quælibet classis habeat suum notarium, & peculiares leges, quas qui violauerit, mul-

mulctam numeret fisco inferēdam. 7. Omnibus peractis definiatur locus & tempus ad proximam Synodum. 8. Præses Synodi frugali mēsa exhilaret fratres Synodicos. Quam ad rem Symbolam quisq; suam conferunto, vel sumtus ex fisco aut aliunde, citra pauperum defraudationem, sumunto. *De Synodis prouincialib.* sunt hæ leges. 1. Tempus Synodorū particularium prouincialium pendet à consuetudine & necessitate Ecclesiarum alicujus prouinciæ. Quibusdā in locis singulæ Synodi prouinciales singulis habētur annis: hac tamen lege, vt si vrgens quædam Ecclesiarum in regione aliqua necessitas accelari conuentum postulet, magistratus ejus admonitus, extraordinarie tempus statum anticiperur. 2. Locus Synodi prouincialis commodissimus est, vbi princeps, vel magistratus regionis supremus aulā habet. Ita enim, si opus sit, magistratus ipse interesse, vel ad illum de singulis facile referri potest. 3. Præses singulis conuentibus alius, judicio Synodi eligetur. Ipsius vero munus erit, preces concipere, vota colligere, decreta & acta Synodica in ordinem redigere, de singulis ad magistratum referre. 4. De grauaminibus Ecclesiasticis consultatio instituetur. 5. In casibus difficilioribus aliarum Ecclesiarum judicium & consilium requiretur. 6. Duo erunt notarij: vnus ex parte magistratus, alter ex medio ministrorum. 7. Magistratus non habet aliam vocem, nisi deliberatiuam, non vero decisiuam, quemadmodum & pastores. 8. Recessus Synodici, hoc est, decreta totius Synodi, scriptis mandentur, & singulorum subscriptionibus roborata, perque notarios descripta singulis fratribus Synodicis tradantur, vt illi omnia ad suas classes, à quibus deputati sunt, referāt, & prout in Synodo conuenit, in suis Ecclesijs cuncta instituant. 9. Sumtus istarum Synodorum vel singulæ classes contribuent, vel magistratus & resperoget, quomodo Constātinus fecit in Synodo Nicæa. *Leges Synodorum nationalium* hæ sunt. 1. Synodus nationalis, siue sit œcumenica, siue non, cogatur illo tempore, quo res Ecclesiæ postulat: & illo in loco, qui omnibus vnitarum Ecclesiarum prouincijs, omnium maxime commodus & tutus videbitur. 2. Cogatur authoritate principis & magistratus Christiani. 3. Ad Synodum istam mittantur personæ Ecclesiasticæ & Politicæ. 4. Duo eligantur præsides, vnus Politicus, alter Ecclesiasticus. 5. Officium præsidis Ecclesiastici est, literas fiduciales, quas credētiæ vocant, à singulis exigere, easq; resignatas per scribam Synodi clare recitari curare: tum grauamina singularum Ecclesiarum proponere: dehinc vota singulorū requirere: decreta & canones Synodicos adhibitis assessorib. concipere, totiusq; Synodi judicio submittere: deniq; Synodum precibus gratiarum actione & exhortatione claudere. 6. Præsidis politici officium est, curare ea, quæ pertinent ad politicam moderationem & defensionem Synodi, vt illi bene sit; deq; singulis referre ad principem suum. 7. Leges hujus Synodi sunt partim generales,

quas in omnibus Synodis obseruandas esse diximus; partim communes cum legibus presbyterorum & nationalium Synodorum; partim denique speciales, quæ ab Ecclesijs hanc societatem Synodicam ingressis, communi calculo condunt.

Visitationū Ecclesiasticarum ratio.

V. Visitationes Ecclesiasticæ sunt priuatæ seu domesticæ; vel publicæ, eæque tum speciales, tum generales, juxta has leges.

Communis omnium visitationum Ecclesiasticarū lex est, vt illis adhibeantur homines in sacris literis bene instituti, integritate vitæ conspicui & authoritate quadam, dignitateq; præditi: deniq; qui sint frugalitatis amantes. Nam si visitatores lautius viuant, fiet vt à seria officij sui cura auocentur, & Ecclesiæ partim scandalizentur, partim sumptibus grauentur. *De visitationibus domesticis hæ sunt leges.* 1. Ministri, diuisis inter se operis, Ecclesias suas quotannis semel ad minimum visitent, & quidem hyberno tempore, quo major est familiarum, in pagis præcipue, copia. 2. Scisciatio de doctrina & vita fiat per singulas familias. 3. Parentes semota familia corripiantur, si non faciant officium. E contrario, si recte fungantur suo munere, laudentur prolixe coram domesticis. 4. Ad varias suspiciones & calumnias euitandas, minister Ecclesiæ non solus, sed seniore quopiam comitatus, ædes atque familias frequentabit. *De visitationibus specialibus & generalibus sunt eadem leges.* Neq; enim inter has & illas aliud est discrimē, quam quod Inspector alicujus classis cum officiario politico illius territorij visitationes speciales per omnes & singulas Ecclesias suæ classis peragit; generales vero ab aliquot ex Synodo prouinciali deputatis Inspectoribus, & consiliarijs aulicis peraguntur. Leges vtrarumque visitationum hę sunt. 1. Visitationis vis tota in inquisitionibus & explorationibus consist t. 2. Inquisitio duplex esto, publica & priuata. 3. Publicæ visitationis actiones sunt: audire concionem pastoris, instituere catechisationem, rogare judicium totius Ecclesiæ de pastoribus, presbyteris, diaconis, œconomis bonorum Ecclesiasticorum, cantoribus & præceptoribus, deniq; de ædituis. Imo etiam de officiarijs politicis ratio ab Ecclesia exigetur, an ita se gerant, vt illos decet, qui sunt loco magistratus politici. 4. Priuatæ visitationis actiones sunt: à pastoribus, senioribus, diaconis, œconomis bonorum Ecclesiasticorum, cantoribus, ædituis & officiarijs seorsim inquirere de doctrina, vita & moribus singulorum. 5. Scholæ quoq; sunt visitandæ quam diligentissime. 6. In visitationibus dominabitur grauitas temperata lenitate, mansuetudine & æquanimitate: quibus omnibus tanquam regina præsidebit prudentia.

CAP.

CAP. X.

De Politiæ Eccleſiaſticæ reſtitutione in integrum.

PRÆCEPTA.

Hactenus fuerunt media, quæ pertinent ad conſtitutionem Politiæ Eccleſiaſticæ: ſuperſunt media, quæ pertinent ad illius reſtitutionem in integrum.

Suntque numero duo, Reformatio & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ adminiſtratio.

Reformatio eſt doctrinæ, vel ceremoniarum.

Diſciplinæ adminiſtratio eſt cenſura priuata, vel publica; & hæc eſt preſbyterialis ſeu conſiſtorialis, vel Eccleſiaſtica, eaque tum ſuſpenſio ab vſu ſacræ Cœnæ, tum excommunicatio.

REGVLÆ.

I. Reformatio doctrinæ fiat fundamentaliter & prudenter.

Reformatio doctrinæ quomodo inſtituenda?

Quemadmodũ in corpore humano morbi varij infeſtant ſymmetriam humorum, & in ſocietate politica varij morbi ciuiles, hoc eſt vitia, turbant vnionem & communionem politicam: ita in politia Eccleſiaſtica vſuenire videmus, vt illa multis modis labefactetur. Rurſus quemadmodum medici cogitant de ſanandis morbis corporis: ita oportet in qualibet ſocietate circumſpicere, quibus illa mediis in integrum poſſit reſtitui. Hujuſmodi autem media ſunt numero tria in Politiæ Eccleſiaſticæ curatione. Primum eſt reformatio doctrinæ, quam volumus eſſe fundamentalẽ & prudentem. Fundamentalis erit, ſi ſolum Dei verbum populo explicetur, miſſis traditionibus: & ex eo oſtendatur, ſolum Jeſum Chriſtum eſſe fundamentum ſalutis: denique ſi capita Catechetica ſedulo inculcentur. Prudentia conſiſtit in his regulis. 1. Regnum Chriſti pijs potius perſuaſionibus & Euangelij accurata prædicatione, quam edictis reſtituatur. 2. Scholæ ita reformentur, vt præficiantur ijs præceptores veritatem cœleſtem docti, illiuſque ſtudioſi, & fundamentum ſalutis ex capitibus Catecheticis teneræ juuentuti inſtilletur. 3. Pij & docti paſtores præficiantur Eccleſiijs, qui ſint præditi ſpiritu manſuetudinis & prudentiæ, ita vt non ſint contentioſi aut impetuoſi, ſed veritatem cœleſtem ſine bile & inſectatione perſonarum proponant, & omnibus fiant omnia, vt infirmos lucrentur, & præfractos lenitate Spiritus vincant.

Reformatio ceremoniarū quomodo instituenda?

II. Reformatio ceremoniarum ſuſcipiatur prudenter, tempeſtiue & ſucceſſiue.

Prudenter, h.e. ita, vt diſtinctio inter ceremonias impias itemq; ſuperſtitioſas & indifferentes obſeruetur. Nam illæ ſunt continuo tollendæ, hæ tolerandæ vel probandæ. *Tempeſtiue*, hoc eſt ita, vt prius informentur & reformentur corda quam templa, & occaſio commoda obſeruetur. *Succeſſiue*, hoc eſt ita, ne ſemel & ſimul tententur omnium ceremoniarum mutatio vel abrogatio. Hic autem eſt perneceſſarium, vrgere ſimplicitatem ceremoniarum ſacramentalium. Nam ita fiet, vt nemo non videat oleum & Sal, aquam luſtralem, cereos credentes, exorciſmum, interrogatoria ad infantes, & ſputum non recte adhiberi in baptiſmo: ſimiliter altaria lapidea, hoſtias ſeu panes numularios, ciboria, eleuationem hoſtiæ, pulſum tintinnabuli, ſubtractionem calicis, & alia hujus generis non conuenire cum ſimplicitate ſacræ Cœnæ, quam Chriſtus celebrauit.

Diſciplina Eccleſiaſtica quomodo adminiſtranda?

III. Diſciplinæ Eccleſiaſticæ adminiſtratio certis gradibus perfici debet.

Neceſſitas diſciplinæ Eccleſiaſticæ inde eſt manifeſta, quod ſemper in Eccleſia locum habuit. Nam ejectio primorum parentum ex paradiſo fuit grauiſſima excommunicatio, vt ait Auguſtinus *Gen. 3.* & ejectio Caini à facie Dei, eſt anathematis horrendi exemplum. *Geneſ. 4.* Conſtituta poſtea politia Judaica varij ritus ſeparationis & purgationis immundorum fuerunt teſtimonia hujus diſciplinæ *Leuit. 6. v. 2. 3. &c. Num. 15. v. 30. c. 19. v 13. 20. 2. Paral. 30. v. 17. 18.* Porro Chriſtus diſciplinæ iſt us adminiſtrationem ſtabiliuit *Matth. 18. & Iohan. 20.* & praxis Eccleſiæ perpetua illam cõfirmat. *1. Corinth. 5. 1. Timoth. 1.* Vide paſſim Patres & hiſtoriam Eccleſiaſticam. Cæterum quia multiplex eſt diſcrimen peccatorum, neceſſe eſt vt diſtincti quoque ſint gradus hujus diſciplinæ, idque hunc in modum. Peccata ſunt occulta, vel manifeſta. *Peccata occulta* ſunt, non quæ nemini prorſus ſed vni atque alteri, vel paucis tantum ſunt cognita, ita vt ſcandalum publicum non ſit datum. *Manifeſta* ſunt, quæ atrociora ſunt, & publicum dederunt ſcandalum. Ea ſunt vel delicta, quæ fiunt ex infirmitate; vel ſcelera, quæ animo obfirmato committuntur. Vbi obſeruandum eſt, poſſe fieri vt peccatum occultum fiat manifeſtum ſeu publicum, quando contemtis priuatis admonitionibus ad cenſuram conſiſtorialem, & iſta etiam contemta ad ſuſpenſionem vel etiam excommunicationem venire oportet. Quod attinet ad occulta peccata, *duo* ibi ſunt *gradus admonitionum* ex præſcripto CHRISTI *Matth. cap. 18.* Primus gradus eſt admonitio, correptio, argutio, ſeu correctio priuata & ſo-

& ſolitaria, qua is qui occulte peccauit à ſolo conſcio arguitur. Quod ſi hac priuata & ſolitaria correctione non procedat, ad alterum gradum Chriſtus venire jubet, vt videlicet in præſentia vnius atque alterius, ſeu duorum aut trium teſtium, eadem correptio iteretur. Atque hic multum refert, quales illi ſint, qui adhibentur teſtes: tales videl. quos corripiendus minime exoſos habeat, ſed quos ferre, vel monitores, vel teſtes queat, & ſibi non poſſit non optima de illis polliceri. Peccata manifeſta, quæ videlicet vel ipſa ſpecie facti ſunt publica, vel contemtu admonitionis priuatæ facta ſunt publica: hæc, inquam, peccata incurrunt cenſuram vel conſiſtorialem totius presbyterij, vel eccleſiaſticã totius cœtus. *Cenſura presbyterialis* faciet diſcrimen inter peccatores, & illos qui ex infirmitate humana in aliquod ſcelus inciderunt, tractabit humanius, & non tam rigide atque ſeuere excipiet, quam conſolationibus eriget: contumaces autem reſeruabit cenſuræ eccleſiaſticæ, cuius prima pars eſt *ſuſpenſio à ſacra cœna*, qua peccator contumax excluditur communione cœnæ Dominicæ, donec pœnitentiam agat. Quod ſi ne hoc quidem modo ad frugem perduci poſſit, exemplo bonorum medicorum adhibendum eſt VRE-SECA, hoc eſt, ad excommunicationem eſt veniendum, idque hoc modo. Principio neceſſe eſt, vt cauſa excommunicationis ſit certa, juſta & neceſſaria. Deinde judicium presbyterij, totius eccleſiæ, conuentus claſſici, & vicinarum eccleſiarum eſt requirendum. Tertio ſi pro excommunicatione maturo judicio concluſum ſit, paſtor tribus ex ordine diebus Dominicis, publice coram eccleſia, ſine tamen nomine rei, vel ſceleris patrati expreſſa indicatione, in genere tantum admonebit. Si vero nondum poſſit adduci vt ſe humiliet, perſonam rei, & ſcelus commiſſum publice nominabit, ſine tamen adhuc excommunicationis ſententia. Omnibus vero his fruſtra ſuſceptis, ipſa excommunicationis ſententia publice promulgabitur. Homo ita excommunicatus ſi pœnitentiam agat, ſolenniter eſt recipiendus in gremium eccleſiæ. Interea vero temporis, dum eſt in ſuo, vt ita dicam, exilio, nemo illi ſe addicet arctiori familiaritate, aut priuatis officiis: precibus tamen ad Deum priuatis & publicis, atque admonitionibus crebris dilectio erga eum exercebitur; neque committendum vt excommunicatus à publicis cœtibus arceatur, quia in iis admonitiones ad reſipiſcentiam frequenter, & ſæpe ex profeſſo fieri ſolent.

CAP. XI.

De politia ecclesiastica speciali.

PRÆCEPTA.

Restat politia ecclesiastica specialis, qua tradit modum ordinis in hac vel illa ecclesia.

Ea partim historica partim practica. Illa considerat Agenda siue politias insigniorum ecclesiarum, inprimis illarum quæ nobis sunt vicinæ: hæc consignat observationes practicas pertinentes ad politiam ecclesiæ, in qua degimus.

REGVLÆ.

Vtilitas politiæ ecclesiasticæ specialis.

I. Politia ecclesiastica specialis insigniter facit ad praxin ecclesiasticam.

Politia ecclesiastica generalis facit generalia fundamenta praxeos ecclesiasticæ: sed specialis occupatur circa singularia, & illis prudenter applicat præcepta generalia, illa limitando, vel ampliando, illis addendo vel demendo pro exigentia variarum circumstantiarum. Velimus itaque ecclesiasten vel inprimis in id incumbere, vt hanc politiæ ecclesiasticæ partem excolat. Id quod fiet duobus modis. Primo ex historia ecclesiastica cognoscet Agenda, vt vocant, siue politias præcipuarum ecclesiarum: deinde ex praxi ecclesiastica & conuersatione quotidiana ipse hauriet notas siue observationes practicas, quarum vsus sit in omnibus casibus incidentibus.

Politia insigniorum ecclesiasticum.

II. Politiæ insigniorum ecclesiarum sunt tum veteris, tum noui testamenti.

Politias ecclesiarum veteris testamenti hoc modo considerabit ecclesiastes. *Sub potestate patria* politia ecclesiæ fuit circumscripta priuatis familiis, in quibus vigebat institutio Cabbalistica, qua doctrina sacra de manu in manum tradebatur, & pueris vna cum lacte materno instillabatur, adhibitis sacrificiis & disciplina multiplici. *Sub potestate ducali & iudiciaria* cœpit politia Mosaica, in qua quantum ad cultum Dei oportet discernere moralia à ceremonialibus. *Sub potestate regia* politia ecclesiæ viguit tempore Dauidis & Salomonis, instaurata fuit à piis regibus, nimirum Iosia & Ezechia, illorumque similibus, fallata fuit sub impiis regibus tum in Juda, tum in Israel. *Sub potestate pontificali* fuit instaurata ab Esdra & Nehemia, sed deinceps multimodam eclipsin & varios paroxysmos sustinuit vsque ad tempus noui testamenti, quod partimur in quinque intertualla. *Primum* est à prædicatione Johannis

Baptistæ

Baptistæ & Christi seruatoris, qui duo jecerunt fundamenta politiæ ecclesiasticæ noui testamenti annuntiando euangelium, instituendo sacramenta, & mittendo apostolos in totum terrarum orbem. *Secundum* est ab excessu apostolorum vsque ad concilium Nicenum : quo tempore politia eccl siæ fere contenta, fuit simplicitate apostolica. *Tertium* est à concilio Niceno vsque ad annum Christi sexcentesimum : quo tempore multæ accessiones sunt factæ ad simplicitatem apostolicam. *Quartum* est ab anno Christi sexcentesimo vsque ad reuelationem Antichristi: quo toto tempore innumeræ ceremoniæ, partim impiæ & superstitiosæ, partim ridiculæ & histrionicæ tanquam diluuio quodam inundarunt, ita vt ecclesia instar arcæ Noe variis fluctibus fuerit jactata. *Quintum* est à reuelatione Antichristi ad hanc nostram ætatem: quod interuallum jam est integri seculi, quod feracissimum fuit insignium virorum, qui ecclesias passim reformarunt à fermento traditionum impiarum.

TYPVS POLITIÆ ECCLESIASTICÆ.

Politia Ecclesiastica est

- *Genera lis; de*
  - *Fine cap. 1.*
  - *Subjecto. c. 2.*
  - *Medijs pertinentibus ad Politiæ sacræ*
    - *Constitutionem quæ cernitur in*
      - *Fundatione vbi est*
        - *Efficiens c. 3.*
        - *Materia c. 4.*
        - *Forma cap. 5.*
      - *Conseruatione per officia classis*
        - *Primæ ca. 6.*
        - *Secundæ c. 7.*
        - *Tertiæ cap. 8.*
      - *Amplificatione. c. 9.*
    - *Restitutione in integrum cap. 10.*
- *Specialis. cap. 11.*

PERORARIO POLITIÆ ECCLESIASTICÆ.

Politiam sacrã ædificij spiritualis, quod est ecclesia, delineauimus. Hoc jam superest, vt omnes omnium ordinum homines in ecclesia aduigilẽt, vt tota hæc administrationis ratio semel recte constituta, conseruetur; id quod fiet per preces ad Deum, concordiam magistratus & pastorum, zelum pium magistratus & ipsius consiliariorum, diligentem prudentiam pastoris, rectam constitutionem presbyterii, fundationem scholarum, institutionem iuuentutis domesticam & deniq; piam vitam in singulis statibus.

FINIS THEOLOGIÆ PROPHETICÆ.

THEO-

THEOLOGIA ACROAMATICA.

CAPVT I.

De fine theologiæ Acroamaticæ.

PRÆCEPTA.

THeologia acroamatica est prudentia spiritualis de officio auditoris ecclesiæ.

Est q3 generalis, vel specialis.

Acroamatica generalis agit de officio auditoris in genere, tradendo finem, subiectum & media.

Finis acroamaticæ est internus, vel externus.

Finis internus est tradere modum ædificandi regnum Christi per officium auditorum ecclesiæ.

Finis externus est gloria Dei & ædificatio regni Christi, adeoq; destructio regni Satanæ.

REGVLÆ.

Acroamaticæ theologiæ necessitas.

I. Theologia acroamatica, cũ tractet de officio auditoris in ecclesia, æque est necessaria atq; theologia prophetica.

Acroamaticum Græcis dicitur, quod ad auditionẽ pertinet, siue quod in auditione consistit. q.d. Auditorius, Auscultatorius, vt διδασκαλίαι ἀκροαματικαί. Theologia itaq; acroamatica est, quæ tractat officium auditoris theologi, sicut prophetica præcipit de officio auditoris prophetæ. Vnde patet vtramq; istam theologiæ partem æque necessariam esse. Cum enim doctor & auditor ecclesiæ sint correlatiua, quomodo in politica magistratus & subditus, in schola præceptor & discipulus: necesse est, vtriusq; officium certis cancellis & limitibus circumscribi.

Finis quis debeat esse propositus auditori ecclesiæ.

II. Duplex finis debet esse propositus auditori ecclesiæ.

Primus est, vt cognoscat præcepta de suo officio, prout illa hic exhibentur. *Alter* est vt illa præcepta ad praxin transferat, procurando ea, quę pertinent

tinent ad ædificationem regni Christi & demolitionem regni Satanæ, vt ita gloria Dei illustretur, & salus animarum promoueatur.

CAPVT II.

De subiecto theologiæ Acroamaticæ.

PRÆCEPTA.

Subiectum theologiæ acroamaticæ est triplex; informationis, tractationis, & operationis.

Subiectum informationis est τὸ λογικὸν, ἐπιθυμητικὸν καὶ θυμικὸν *auditoris ecclesiæ.*

Subiectum tractationis est modus faciendi officiũ auditoris boni in ecclesia.

Subiectum operationis est qualibet societas ecclesiastica.

REGVLÆ.

I. Theologia acroamatica hoc conatur efficere, vt sit summa harmonia inter tres facultates animæ quantum ad officium auditoris ecclesiastici. *Quid informet theologia acroamatica?*

Harmonia ista obtinebitur, si pars λογικὴ magnificiat verbum Dei & regnum Christi; & pars ἐπιθυμητικὴ incredibili amore gloriæ Dei, salutis animarum, verbi Dei, conuentuum sacrorum & politiæ ecclesiasticæ flagret; & pars θυμικὴ prædita sit zelo pio, qui conetur instar ignis consumere spinas illas, quę suffocant semen verbi Dei, quod in ecclesia seritur.

II. Theologia acroamatica tractare debet omnia, quæ pertinent ad officium auditoris ecclesiæ tum in genere, tum in specie. *Quid tractet theologia acroamatica?*

Nam quia modus bene audiendi conciones, & procurandi ea quæ pertinent ad politiam ecclesiasticam, pertinet ad auditores partim communiter, partim singulariter, oportet vtrumque istum modum circumscribere, adeoque virtutem officij quam vocant, auditori ob oculos ponere. Dico virtutem officii: quia virtus viri siue Christiani pertinet ad omnia Christi membra, vt sunt fides, spes & charitas. Hinc jam patet, quod quęuis societas ecclesiastica sit subjectum operationis, cui modus ille debet applicari. Nam modus generalis accommodari potest omnibus ecclesiis: specialis accommodari debet certis ecclesiis.

Vtrobique lex charitatis & prudentiæ primas tenet.

CAP. III.

De officio auditoris respectu concionum.

PRÆCEPTA.

Media, per quæ finis in subiectum introducitur, sunt ratione rhetoricæ eccle-siasticæ, & politiæ ecclesiasticæ.

Ratione rhetoricæ ecclesiasticæ officium auditoris tres habet partes: videlic. ante concionem, in concione, & post concionem.

Ante concionem requiritur præparatio sive sanctificatio auditoris; quæ consistit in cogitatione finis, remotione impedimentorum, & comparatione mediorū.

In concione requiritur deuotio, attentio, & inspectio. Illa facit, vt religioso animo corde: ista vt cogitationes defigamus in verbum Dei: hæc vt alii alios obser-uent, num sint satis deuoti & attenti in sacro cœtu.

Post concionem requiritur examen concionis, & ejus translatio ad praxin fidei ac vitæ.

REGVLÆ.

Duo summa capita officii auditorum.

I. Duo sunt summa capita officii auditorum: vnum respectu doctrinæ sacræ seu rhetoricæ ecclesiasticæ, alterum respectu politiæ sacræ in ecclesia.

Quia docere verbum Dei & illud audire, correlatiue se habent: idcirco quemadmodum doctor verbi Dei in ecclesia debet hæc duo agere, vt sit œconomus verbi diligens, & politiæ sacræ administrator prudens; ita auditor verbi Dei in ecclesia officiis suis debet respondere officio pastoris, ideoque debet verbum Dei recte audire, & pro sua virili procurare ea, quæ ab ipso proficisci possunt erga politiam ecclesiæ, quantum ad fundationem, conseruationem, amplificationem & curationem siue restitutionem ejus.

Officium auditoris ante concionem.

II. Officium auditoris ante concionem, his continetur regulis.

1. *Auditor meminerit, valde necessarium esse, vt se præparet atque sanctificet ad recte audiendum verbum Dei.* Si enim ethnici sacra sua idololatrica tam reuerenter & illibate habebant, vt illotis illa manibus tractare nefas esset; vnde illis natum est prouerbium, ἀνίπτοις χερσί: quanto magis nos Christianos decet, vt nos summa, qua fieri potest, religione, reuerentia & deuotione animorum ad res tam diuinas & sanctas præparemus & componamus. Omnia siquidem hic sunt sancta. Sanctus est Deus, sancta ecclesia, sanctum verbum Dei, sanctum tempus

pus ſabbati, ſancti angeli qui interſunt his cœtibus, ſanctus mediator, ſancti homines qui adſunt, ſancta ſacramenta, ſanctæ ſunt actiones. Quoties igitur inſtituimus aggredi res tam ſanctas, & ingredi domum tam ſanctam, ſoliciti ſimus de noſtri ſanctificatione. 2. *Sanctificatio auditoris conſiſtit in diligenti præparatione, qua animus & totus homo ſegregatur à rebus hanc animalem vitam concernentibus ad ſacrum vſum adeoque ad res illas, qua vitam ſpiritualem concernunt.* 3. *Præparatio conſiſtit in diligenti meditatione finis, remotione impedimentorum, & vſurpatione mediorum.* 4. *Auditor ſerio cogitet, verbum Dei prædicari propter nominis diuini gloriam & hominis ſalutem tum æternam, tum temporalem.* Primus itaque ſcopus ipſi propoſitus debet eſſe gloria Dei, videl. gloria omnipotentiæ, ſapientiæ, juſtitiæ & miſericordiæ: qua quidem re nihil prius, nihil antiquius eſſe debet pio auditori, quomodo videmus frugi filios vnice delectari laude parentum. Secundus ſcopus eſt ſalus animæ: quia ſcriptura, in primis recte prædicata in ſolennibus cœtibus, nos ſapientes reddit ad ſalutem, vtpote quæ vtilis eſt ad doctrinam, redargutionem, inſtitutionem, correctionem & conſolationem, vt perfectus ſit homo Dei ad omne bonum opus perfecte inſtructus. 2. *Tim.* 3. Tertius ſcopus eſt ſalus & felicitas temporalis. Nam quia ſcriptura accendit & fouet pietatẽ, & vero pietas eſt ad omnia vtilis, vt quæ habeat promiſſionem hujus & futuræ vitæ 1. *Tim.* 4. fieri non poteſt, vt ex fonte æternitatis non ſcaturiat riuulus tẽporalis felicitatis. In primis auditor debet ſibi præſtituere ſpecialem ſcopũ, vt nempe liberetur ſcrupulo conſcientiæ, vel diſcat hoc aut illud melius intelligere, vel excitetur ad vitæ ſanctimoniam, in hac vel illa concione. 5. *Auditor remouebit impedimenta ſanctificationis.* Talia ſunt crapula pridiana orta ex conuiuiis & compotationibus intemperantiorib. & diuturnioribus: cura hujus mundi nimia, puta agrorum, hortorum, pecoris: continuatus labor in mediam noctem: mercatus pridianus: ſingularis ſcientiæ perſuaſio: priuata lectio Poſtillæ euangelii, aut Bibliorum: delectus miniſtrorum partialis & ſchiſmaticus: odium miniſtrorum & miniſterij: amplitudo parochialium eccleſiarum, adeoq; itineris moleſta longinquitas: ſecuritas carnalis & Lucinianica: coctura: deniq; contemtus auditorum aliorum, qui videtur viliores, quam vt vna cum illis audiamus verbum Dei. 6. *Auditor impedimẽta tollet, & hæc remedia adhibebit.* Primo fundet domi ſuæ preces tũ pro ſeipſo, tum pro miniſtro verbi, tum deniq; pro vniuerſo cœtu. Deinde textum in eccleſia enarrandum domi prius leget ac ruminabit. Tertio inuitabit alios ad audiendum verbum Dei, puta vicinus vicinum, amicus amicum. Quarto illos, quos habet in poteſtate ſua, cõpellet intrare: puta paterfamilias ſuos domeſticos, præceptor diſcipulos, magiſtratus ſubditos. Quinto in tempore accedet ad templum.

Officium auditoris inter conciones.

III. Officium auditoris sub ipsa concione, his continetur regulis.

1. *Conciones attente audiantur.* Id autem consequemur hoc modo. Qui legere possunt, Biblia habeant in promtu. Somnus, confabulationes, præjudicium & curiositas faceſſant. Cogitationes ne vagentur, sed contineantur in officio meditatione præsentiæ & majestatis Dei, & præstantiæ atque vtilitatis verbi ejus. Libri ne legantur sub concione. Qui possunt scribere, adnotent insigniora. Locus commodus eligatur. In summa, animus discendi cupidus adferatur. 2. *Vnice laboretur in eo, vt audita intelligantur.* Hanc ad rem tria requiruntur: videl. preces seu gemitus in principio, medio & fine concionis: collatio concionis cum capitibus Catecheticis: denique meditatio rerum, verborum & ordinis in concione. 3. *Tertius labor in concione vertitur in eo, vt cor afficiatur iis, quæ intelleximus.* Hanc ad rem facit solida intelligentia, & abnegatio sui ipsius, qua fit vt abyssus miseriæ nostræ imploret abyssum misericordiæ Dei, & verbum ejus habeat pro cibo & potu animæ. 4. *Quartus labor est habere propositum præxeos in tota vita.* Frustra enim est, audire verbum Dei, auditum intelligere & intellecto affici, nisi accedat serium propositum sanctæ vitæ juxta hanc normam instituendæ. Atque hæc est scala complexa quatuor gradus, per quos ascendere debet bonus auditor verbi Dei, dum versatur in sacro cœtu.

Officium auditoris post concionem.

IV. Officium auditoris post concionem, his continetur legibus.

1. *Oportet integro actui ministerii publici interesse*; adeoque precibus, administrationi baptismi, celebrationi sacræ cœnæ, catechisationibus puerorum, benedictioni ecclesiasticæ & psalmodiæ finali. 2. *Conciones domi diligenter sunt ruminandæ.* Nobile huius rei exemplum est *Act.* 17. *v.* 11. 3. *Patres familias & præceptores exigent conciones à suis.* 4. *Colloquia & collationes de concionibus instituentur.* 5. *Conciones aliis etiam, qui eis non interfuerunt, communicentur.* 6. *Diebus Dominicis post conciones nulla profana negotia tractentur:* nisi forte necessitas ineuitabilis & charitas Christiana contrarium imperet. 7. *De obscuris & non intellectis minister verbi aut etiã alii, nobis peritiores, consulãtur.* 8. *Censura nostri ipsorum juxta conciones auditas instituatur.* Similiter delicta inferiorum ex concionibus corrigantur. 9. *Ineuarrabiles gemitus fundantur ad Deum, vt ille per Spiritum suum concionetur in cordibus nostris, & semen verbi sui animet, foueat, & deniq; arboreſcere & fructificare faciat.* Ita enim fiet, vt in nobis existat gaudium vel tristitia secundum Deum, & de fidei um perfectionis & illius incrementum.

CAP.

CAP. IV.

De officio auditoris respectu Politiæ Ecclesiasticæ.

PRÆCEPTA.

Officium auditoris respectu Politiæ Ecclesiasticæ est ratione doctrinæ, ceremoniarum, gubernationis & disciplinæ.

Ratione doctrinæ requiritur, vt doctrinam verbi Dei ipse propaget.

Ratione ceremoniarum requiritur discretio inter necessaria & adiaphora, & obseruatio religiosa necessariarum.

Ratione gubernationis officium auditoris spectatur quantum ad ministros verbi presbyteros, diaconos, œconomos bonorum Ecclesiasticorum, cantores, adituos, Synodos & visitationes.

Ratione disciplinæ requiritur obedientia Ecclesiastica, adeoque emendatio vitæ.

REGVLÆ.

I. Auditor propagabit verbum Dei his modis. *Officium auditoris ratione doctrinæ.*

Principio informabit liberos suos à primis incunabulis in religionis Christianæ capitibus. *Deinde* operam dabit, vt liberi frequentes inter sint catechisationi. *Tertio* liberos mittet in scholam. *Quarto* instituet alios, quoties fert occasio: puta in conuiuijs, itineribus, colloquijs priuatis. *Quinto* paratus sit discere ab omnibus. *Sexto* promoueat pios conatus illorum, qui parati sunt docere aut discere verbum Dei.

II. Auditor procurabit διατάξιων καὶ σχημοσιων ceremoniarum his modis. *Officium auditoris ratione ceremoniarum.*

Principio ceremonias diuinitus institutas religiosè obseruabit, nihil eis addẽdo, vel demẽdo. *Deinde* ceremonias diuinitus institutas non carnaliter, sed spiritualiter judicabit, illasq; magnifaciet. *Tertio* ceremonias impias & superstitiosas non habebit pro parte cultus Dei vel interni & spiritualis, vel externi & corporalis. *Quarto* ceremonias adiaphoras non habebit pro parte cultus Dei interni, sed tantũ pro parte cultus externi, cujus anima est cultus internus. *Quinto* sanctificabit loca & tempora sacra eo, quo par est modo. *Sexto* circa conjugium & sepulturam ita se geret, vt consuetudo loci requirit.

III. Auditor promouebit gubernationis Ecclesiasticæ cursum & facilitatem his modis. *Officium auditoris ratione gubernationis Ecclesiasticæ.*

Principio erga pastorem ita se geret, vt ipsi exhibeat honorem & reuerentiam, probetque suam illi obedientiam & omnia humanitatis & pietatis officia, stipendium ipsi soluat libenter & tempestiue, næuos ipsius tegat vel etiam toleret. *Deinde* presbyterio probabit debitam reuerentiam, obedientiam & subjectionem. *Tertio* diaconorum diligentiam acuet liberali contributione eleemosynarum. *Quarto* œconomos seu procuratores bonorum Ecclesiasticorum juuabit promta sua diligentia in reparandis ædibus sacris & domibus parochialibus, in conseruandis & amplificandis bonis Ecclesiasticis, in colligendis denique & persoluendis reditibus Ecclesiasticis. *Quinto* cantorem Ecclesiæ juuabit canendo. *Sexto* æditiuo persoluet lubens, quod ipsi debetur. *Septimo* de Synodicis conuentibus honorifice sentiet, illis libenter intererit: decretis Synodicis legitimis stabit cadetque, denique si opus sit sumtus conferet ad hujusmodi conuentuum celebrationem & sustentationem. *Octauo* honorifice sentiet de visitationibus; illis libenter intererit; denique libere, prudenter & fraterne defectus aliorum indicabit.

Auditoris officium ratione disciplinæ Ecclesiasticæ.

IV. Quantum attinet ad disciplinam Ecclesiasticam, auditor ita se geret.

Principio circa priuatam correptionem hæc sunt tenenda. 1. Disciplina inter omnes & singulos Christianos exerceri debet priuatim. 2. Disciplina priuata in occultis potissimum peccatis locum habeat. 3. Priuatæ fratrum correptiones ab omnibus promiscue Christianis vsurpabuntur, obseruato tamen discrimine personarum quæ peccant. 4. Qui priuatas correptiones negligunt, & ipsi corripientur. 5. Priuatas fratrum correptiones quilibet reuerenter suscipiet. 6. Priuatæ correptiones non sunt euulgandæ, sed occultandæ. 7. Priuatarum correptionum contemtores presbyterio indicabuntur. *Deinde* censura presbyterialis æquo animo est ferenda, & id manibus pedibusque agendum, vt seriam resipiscentiam certis signis reddamus conteſtatam. *Tertio* suspensionem à sacra Cœna non oportet contemnere tanquam inane terriculamentum, sed id dare operam, vt quantocyus in gratiam redeamus cum Ecclesia. Suspensus quoque caueb't, ne temere se ingerat. *Quarto* legitima excommunicatio non est contemnenda, sed pro fulmine Christi habenda juxta ipsius vocem *Matth. 18.* Excommunicatus non est arcendus à Sacris cœtibus, neq; humanitatis officia ipsi sunt deneganda. Quod si in gratiam redire cupiat cum Ecclesia primo vocabitur ad presbyterium, deinde publice cum Ecclesia offensa reconciliabitur, denique ad sacram Cœnam iterum admittetur, postquam scilicet pœnitentiæ Ecclesiasticæ legibus satisfecit

CAP.

CAP. V.

De Theologia Acroamatica speciali.

PRÆCEPTA.

Acroamatica specialis tractat de officio auditoris in specie.

Officium istud est varium pro varietate statuum: videlicet magistratus summi, consiliariorum, subditorum, præceptorum in scholis, typographorum, mercatorum, agricolarum, & similium; quorum omnium est vnam ædificare Trojam in Politia Ecclesiastica.

REGVLÆ.

I. Singuli auditores in specie considerabunt partes officij sui circa conciones sacras & Politiam Ecclesiasticam. *Officium auditorum in specie circa conciones sacras & Politiam Ecclesiasticã.*

Sic verbi gratia magistratus incumbet in id, vt idonei pastores Ecclesijs præficiantur. vt verbum Dei & sacramenta incorrupte disponantur, vt bona Ecclesiastica constituantur & jam constituta maneant sartatecta, vt subditi diligenter frequentent cœtus sacros & ministerio honorem habeant, &c. Consiliarij & officiarij magistratus commendabunt diligentiam piorum pastorum, instillabunt principi amorem religionis, suo exemplo præibunt subditis quantum ad verbi auditionem, sacramentorum administrationem, eleemosynarum erogationem, &c. Typographi ditiores subleuabunt inopiam pastorum, præceptorum, & pauperculorum discipulorum, donando libros sacros, vel aliquid remittendo de pretio, &c.

II. Auditorum prudentia erit directa & obliqua. *Prudentia auditorum qualis esse debeat?*

Directa prudentia in eo est posita, vt se accommodent circumstantijs locorum, temporum & personarum, inprimis circa res indifferentes. *Prudentia obliqua* facit, vt multa simulent & dissimulent, sæpeque vtantur strategematis Ecclesiasticis in admonendo & corripiendo.

TYPVS

TYPVS THEOLOGIÆ ACROAMATICÆ.

Theologia Acroamatica est	Generalis de,	Fine cap. 1.	Rhetoricæ Ecclesiasticæ seu concionum, cap. 3.
		Subjecto cap. 2.	
		Mediis; quæ sunt ratione	Politiæ Ecclesiasticæ. ca. 4.
	Specialis. cap. 5.		

PERORATIO THEOLOGIÆ ACROAMATICÆ.

ATQVE hæc etiam est Theologia Acroamatica de officio auditorum alicujus Ecclesiæ, tum erga concionem, tum erga politiam Sacram. Officium istud præcipue continetur concordia magistratus & ministerij, itemque ministerij & auditorum. Hæc si adsit, horologium Ecclesiæ reuera erit automatum, h.e. singulæ rotæ perpetuo & concinno motu ferentur ad fines suos, indicando horam gratiæ & sonando laudes Dei nostri, qui nobis faciat hanc gratiam, vt hic in Ecclesia militante libenter & frequenter audiamus ministros & legatos, quos ad nos mittit, donec aliquando in Ecclesia triumphante audiamus principem pastorum Jesum Christum, fundentem verba vitæ glorioſæ. Huic Seruatori nostro vna cum Patre & Spiritu sancto sit laus, honor & gloria in omnes seculorum sempiternitates, Amen.

PERORATIO THEOLOGIÆ Vniuersæ.

CVM Deo ad finem perduximus totum sacrosanctæ Theologiæ corpus: in quo *Præcognita* tractant de natura & studio hujus augustissimæ facultatis: *Theologia naturalis* suppeditat gradus ascensionis mentis è notitia creaturarum ad Deum creatorem: *Theologia Catechetica* explicat fundamenta Christianismi: *Theologia didactica* locos communes enarrat: *Theologia polemica* controuersias explicat: *Theologia casuum* cõscientiam in tranquillo ponit: *Theologia Prophetica* docet modum ædificandi populum Christianum: *Theologia* denique *Acroamatica* populum Christianum instruit, vt recte se gerat quantum ad conciones & politiam sacram. In quibus partibus tradendis ita versati sumus, vt hæc tria nobis habuerimus proposita. Primo conati sumus lumen methodi præferre ingenijs methodicis. Deinde studuimus plene tradere illa, quæ pertinent ad eruditionem Theologicam. Denique studium pietatis accẽdere & fouere vnice nobis proposuimus. Quod restat, Deum oramus, vt veritatem doctrinæ suæ illibatam apud nos conseruet, nobisque det currere bonum illum cursum fidei & bonæ conscientiæ, vt discamus ea in his terris, quorum scientia nobis perseueret in cœlis, & ea agamus in hac militia, quorum corona nos expectet in patria, vbi erit scientia sine disciplina, triumphus sine bello, lætitia sine gestu, & omnia in omnibus, non ab omnibus, sed ab vno, qui est ante omnia, in omnibus, post omnia, totus, vnus, ipse, cui sit laus, honor & gloria in omne æuum,

Amen.

GRATIAS TIBI DOMINE IESV.

INDEX RERVM ATQVE VERBORVM IN THEOLOGIA PROPHETICA contentorum.

A.

ABBA quotidie clamare debemus 756
Abba cur clamemus. 822
Abitus Christi ex mundo quid sit 755
Abitum suum quomodo Christus adhibuerit ad Patrem 753
Abraham recte fecit quod fame pressus ex Canaan migrauit in Ægyptum. 362. ejus peregrinatio cujus sit typus ibi.
Abraham Christi diem cupiuit videre 739
Abyssus beneplaciti Dei nobis est adoranda 612
Accessus ad prælectionem textus 65 ad concionem. 65 Votum. ibid. ad tractationem textus. 39. an semper sit necessarius. ibid.
Acroamatica Theologia typus & peroratio 962
Acroamatica Theologia quid sit 954
Acta Apostolorum quid contineant 763
Actio Dei sit sine peccato 275
Actio Christi sit nostra institutio 803
Actiones Dei quæ sint 264
Adam purus homo fuit. 244. imaginem Dei amisit 360
Adam & Christus quomodo inter se conferantur 775
Adiaphora quæ sint 781
Adminicula memoriæ 82
Admiratio propriæ sapientiæ est maxima stultitia 925
Adoratio licita est illicita 455
Aduentus Christi qualis fuerit 630
Aduentus & præsentiæ Christi duo testimonia. 727. est quadruplex. ibid.
Adulti quomodo ad baptismum admitti debeant. 768 quomodo infantes ib.
Adulterium Danidis displicuit Deo 433
Adulterium est prohibitum 184 quomodo Deus puniat. 190

Ad-

Aduocatus noſter quomodo ſit Chriſtus 748
Aduentus Domini quid nos conſoletur 835
Aduentus Chriſti ad quid proſit 154
Æditui Eccleſiaſtici electio 920
Ægypti plagarum conſideratio qualis 378
Aeris conſideratio 109. quid ſit 112
Ætas virilis Chriſti ſpectatur in ipſius officio 587
Æterna Felicitas ſanctorum quid contineat. 640. varijs nominibus depingitur 748
Affectuum mouendorum loca præcipua quæ ſint 21
Afflictiones contriſtant pios 830
Afflictiones piorum quid operẽtur 792
Agar cujus ſit typus 363
Agenda Eccleſiaſtica vbi ſit 788
Ager quotuplex ſit in quem ſemen jacitur 696
Agni Paſchalis mactationem quare Deus inſtituerit 379
Agnitio Dei vera quomodo probetur 837
Agnitio veritatis qualis 814
Agnus Paſchalis dicitur tranſitus Iehoua 319
Agricultura natura ſpiritualis 697
Aharonis eleuatio manus cujus ſignũ fuerit 394
Aharonis virga quid notauerit 389
Ahaſueri conuiuium nuptiale 633. ejus inſtructiſſimum conuiuium cujus ſit typus 455
Alexander Magnus quare noluerit filiam Darij coram ſe ſiſtere 194
Altitudo miſericordiæ Dei 245
Amare Deum quid ſit 173
Amicus mundi eſt inimicus Dei 828
Amor Dei eſt ſummus theſaurus in hoc mundo 300
Amor verbi Dei 689
Amor reciprocus inter parentes & liberos qualis 187
Amor parentum in filios eſt naturalis 185
Amoris Dei quo nos proſequitur proprietates & fructus 732
Amoris ſunt quinq; indicia 762
Amoris Chriſti erga peccatores pœnitentes ſunt quatuor gradus 708
Amorũ liber appellatur Chriſtus 761
Amos prophetia qualis 563
Angeli quomodo latentur 831
Angelico in colloquio quæ notanda 587
Angelorum conſideratio 124
Angelorum bonorum natura quæritur. 266. 267. 268. an ſint, quid & quot ſint. ibid. quis ſit ordo inter angelos. 266. quas proprietates & virtutes habeant ib. officium illorũ 266
Angelorum malorum lapſus, proprietas & ſtudium 267
Angelorum præſentiam ſcriptura acommendat 371
Angelorum nomenclatura conſideratur 268
Angeli à quo ſint creati 266
Angeli boni ſunt nobis inſtar Saluæ guardiæ 265
Angelus qui apparuit Moſi fuit Chriſtus 377
Anima noſtra quomodo deſponde atur Chriſto 633
Animæ rationalis conſideratio 120
Animalium mundorum & immundorum quatuor ſunt cauſæ diſcriminis 395

Anna mater Samuelis est idea piæ matronæ 426
Annona caritas 662
Annus nouus quid nobis in memoriam reuocaretur debeat 699
Antichristus Romanus adumbratur duabus bestijs 846
Antichristus tempore Johannis venire cœpit 838
Antichristi sunt multi 837
Antichristi idololatræ imago est Sanherib 537
Antistites quando mereantur justam reprehensionem 573
Antistitis Ecclesiæ dona qualia esse debeant 5
Apocalypsis Joannis quid habeat 842
Apocryphi libri non sunt in canone 580
Apostatæ nunquam vere fuerunt conuersi 835
Apostoli fuerunt præfigurati per patriarchas. 627. *per duodecim fontes in deserto.* 627. *acceperunt a Christo geminam institutionem* 609 *sunt duodecim uiri Reip. Christianæ* 609
Apostolorũ vocatio & obedientia. 597 *contentio de primatu* 719
Apostoli quomodo ediderint miracula 766
Apparitio Domini mirabilis 724
Apparitio SS. Trinitatis 592
Applicatio propositionis Ecclesiasticæ 52
Applicatio concionatoris quid 40. *ejus utilitas & impedimenta ibid. per prolepsin quomodo formetur.* 61. *Ejus media* ibid.
Aquarum consideratio 106
Aquila volans est Christus 326
Arbor scientiæ boni & mali 317
Arbor vitæ & vitis quæ sit 822
Arbor vitæ ferens fructus duodecim est symbolum Christi 863
Arbor vitæ quomodo sit Christus 667
Arca fœderis adumbrat fidem in Christum 414
Arca Noe est typus Ecclesiæ 361
Arcæ fœderis descriptio 389
Argumentandi modus ex Bibliis 25. *e topicis Theologicis* 27. *e postillarealibus* 28
Argumentandi modus ex tribus causarum generibus philosophicis 28. *ex quinque generibus concionum* 31. *in concione didactica.* ib.
Argumenta quomodo sumantur ex capitibus Catecheticis 23
Armatura Dei describitur 478
Ars summa Christianorum est gaudere in Domino 466
Articulus primus Symboli Apostolici declaratur 134. *Vsus hujus articuli* 138
Articulus de vita æterna est colophon reliquorum articulorum. 861
Artificium explicandi 16. *probandi* ib. *amplificationis* ib.
Asa est idea boni Principis. 449
Ascensionis Christi multiplex utilitas 668. *ejus circumstantiæ & fructus, ibidem ejus duplex forma* 664
Ascensionis Christi descriptio 151
Ascensio Christi describitur typice 484
Ascensionis Scalæ in Deum ex consideratione hominis 91. *mundi* 96. *terræ* 101. *aquarum.* 106. *aeris* 109

Ascen-

Ascensio mentis in Deum per scalas rerum creatarum 90
Asina Bileami quid significet 404
Asyla non debent esse receptacula nequitiæ 418
Atrium extra templum prohibetur metiri 852
Auaritia impedit charitatem 844
Auaritiæ & impiæ solicitudinis descriptio 600
Auaritiæ dehortatio 601
Auditores frugi sunt sigillum ministerii Ecclesiastici. 786
Auditori Ecclesiæ quis finis debeat esse propositus 955
Auditoris officium respectu concionũ 956. 281 *ante concionem ibid inter conciones* 958. *post concionem ibid. ratione doctrinæ & ceremoniarum* 959. *ratione gubernationis Ecclesiasticæ & disciplinæ.* 960
Auditoris in Ecclesia speculum 807
Auditoribus quid precandum 33
Auditorum est gemino honore afficere doctores suos 186
Auditorum officium in specie circa cõciones & politiam Ecclesiasticam 961. *horum prudentia qualis esse debeat* 962
Auditorum & pastorum officium 594
Auxilii Dei sunt quatuor gradus 489

B.

Babylonis nouæ seu Pontificia excidium describitur 864
Baptisma Ioannis differebat à baptismate Christi 770
Baptismatica concio 209
Baptismus est antitypus diluuii 832
Baptismus & S. Cœna est Crucifixum crucifixorum 216
Baptismus est ablutio peccatorum 771
Baptismi collatio cum aqua diluuii 322. *cum circumcisione ibid. cum transitu per Iordanem & cum ablutione Naeman* 323. *cũ mari æneo Salomonis ibid cum piscina probatina & cum aliis ibid.*
Baptismi doctrina & vsus 320. 322
eius vsus est triplex 321
Baptismi Christiana meditatio 212
Baptismi dignitas 210. *necessitas & vtilitas ibid.*
Baptismi Christi mysterium 592. *& apparitio SS. Trinitatis ibid.*
Baptismi Institutionis genuinus sensus 209
Baptizatus cur sit Christus 593
Barbari seruis Dei quid præstent 772
Baruchi liber quid complectatur 583
Basiliſco sunt similes, qui per solũ aspectum enecant hominem 188
Beatitudo æterna cur dicatur vita 167
Beatitudo cœlestis significatur per brauium 334
Beatitudo piorum & illius effectus apud impios describitur 508
Bella quando Deus mittit, quid agnoscere debeamus 553
Bella inconsulto Deo cœpta infeliciter cedunt 403
Belli locus communis 384
Bellicæ in calamitatibus oportet implorare auxilium Dei 489
Benedictio Dei est vita creaturarũ 632
Benedictio spiritualis quid sit 797
Benedictio Dei 514
Beneficentia erga pauperes quid faciat 793
Beneficia Dei sunt multa & illustria 676

Beneficiorum Dei catalogus 490
Beneficiorum Dei narratio historica 498
Beneficiorum Dei in regno potentia & gratia tres gradus describũtur 473
Beneficiorũ Dei erga pios catalog⁹ 471
Bethlehem quid significet 676
Boni pastoris proprietates 741
Boni operis bona merces erit 863
Bona opera quid praliciant 524
Bona opera cur faciẽda 299. *sũt veluti lux* 299. *quomodo Deo placeãt ib.*
Bonitatis Dei consideratio 479
Bonorum Ecclesiasticorum est videnda necessitas & varietas 922
Bonorum operum necessitas 636. *summa capita* 299
Bonorum temporalium vsus legitimus in quibus consistat 709
Bonum quod oritur ex Christo 686
Brauium quibus detur 334
Brauium cœleste non potest esse splendidissimum 785

C.

CAdauer vbi est ibi aquilæ, &c. de sensus 75
Cain & alii quomodo Deum non timeant 174
Cain fratricida est explicatio sexti præcepti 187
Cain quare sororem suam duxerit vxorem 360
Calamitatum narratio 503
Calamitas Ecclesiæ describitur 49
Calebus fuit typus Christi 412
Calamitatis pathetica narratio 499
Calumniatorum natura & pœna 485
Canticum Canticorum quid introducat 529
Cantoris Ecclesiastici officium 943
Cantoris & aeditui Ecclesiastici electio 910
Captiuitas hominis est quadruplex 799
Caput Ecclesiæ est Christus 805
Carmen Epithalamium connubii Salomonis cum filia Pharaonis 482
Caro & sanguis non potest consequi hæreditatem regni Dei 790
Casus fortuiti atrocium exemplorum quid sint 703
Castigatio Dei consumit pulchritudinem & formam hominis 480
Catechesis cur sit in pretio habẽda, & quomodo discẽda atq; vsurpãda 132
Catecheticæ conciones quid sint, earumq; methodus plena 128
Catecheticarum concionum monstratur alia methodus 216
Catechizandi iuuentutem ratio 944
Catena Euangelica describitur 747
Catholica vnitas & catholicorum communitas est credenda 159
Census populi quid fuerit 401
Centurionis fit mentio 604
Ceremoniæ legales cuius fuerint vmbræ 806
Ceremoniarum Leuiticarum duæ sunt regulæ 395
Ceremoniarum reformatio quomodo instituenda 949
Ceremoniæ sacræ quid sint 932
Charitas est impletio legis 781
Charitas quid sit 173. 636. *quid operiat* 842
Charitas Dei quid sit 838
Christus quomodo apparuerit Patriarchis 364
Christus est finis legis 779
Christus abnegatur duob. modis 841 *quomodo nobis sit vsui in vita & in morte* 684. *quomodo sit lapis angularis*

laris 261. est fundamentum totius Ecclesiæ ib est lapis offensionis ibid. appellatur leo & Diabolus 596
Christi & solis collatio 415
Christus cur cadaueri se comparet 574
Christus quam glorioſe resurrexerit 666. quam amice se manifestauerit 666. quomodo sit arbor vitæ 667
Christi applicatio quomodo fiat 261
Christus quid sit 257. eius officium 258 beneficia & meritum ibid.
Christus resurrexit die dominico 184
Christi duæ naturæ explicantur 259. 260
Christus cum esset diues, propter nos est pauper factus 577. quomodo ad nos venerit 629
Christi & Christianorũ descriptio 831
Christus fabrilem artem exercuit 660 cur sit baptizatus 593
Christi nomen quid significet 141
Christi persona & officium ex variis nominibus doceri potest 259
Christus vbi sit quærendus 806
Christianos se esse multi dicunt, sed mentiuntur 845
Christianis non potest esse sine hostibus 475. tria quotidie meditari debet 604
Christiani boni ad quid tendere debeant 819. quomodo sint milites 810
Christianismus in quibus cõsistat 827
Christianismi summa proponitur 808
Christianæ patientiæ quod sit fundamentum 457
Christianismi tria sunt impedimenta 805
Chronicorum liber primus in quibus occupetur 445. huius Genealogiæ triplex instituitur ratio 445. liber secundus quid describat 447
Chronologia Veteris Testam. 341. Exodi & reliquorum librorum Moysi 342. Iosuæ, Iudicum & Ruthæ ib. librorum Samuelis, Regum & Chronicorum 343. libri Esdræ, Nehemiæ & Esthere 345. librorũ Poeticorum 346. librorum propheticorum ibid. librorum Apocryphorum 347. regum tertiæ Monarchiæ 348 regum Syriæ seu Assyriæ ibid.
Chronologia librorum N.T. & primo quatuor Euangeliorum & Actorum apostolorum 349. Epistolarum ibid.
Chronologiæ N.T. tabula 350
Cibus corporis legitime est quærendus 736 animæ ante omnia est quærendus 736
Ciborum delectus quæ sit nota 782
Circumcisio Christi quid sit 681
Circumcisionis sacramentum 319
Ciues regni Dei quomodo Dauid describat 470
Ciuium veræ & falsæ Ecclesiæ descriptio 474
Ciuitates refugij sex sunt typus passionis Christi 405. typus Messiæ 409
Ciuitatis Dei descriptio 483
Clerus Domini est totus Ecclesiæ cœtus 833
Classis tertia concionum locorum communium 218
Classis exhibens conciones de libro naturæ 89
Claues cœlorũ ad quẽ pertineant 620
Clausula votiua est stata & solẽnis 65
Clausula votiua ad concionem 65
Cæci sanatio 714

(cæci-

Cœcitatis Christus arguit suos discipulos 722
Cœli consideratio 116
Cœlum nobis est apertum 777
Cœnæ magnæ descriptio 705
Cœna S. Institutio 212. eius modus ib. quid 214
Cœna sacra quid sit 323. eius quadruplex vsus 327
Cœna S. & Baptismus est crucifixum crucifixorum 216
Cœtus sacri diligenter frequentandi 688
Cœtus piorum recte vocatur Ecclesia 816
Cognitio Dei quid sit 228. cognitionis scala quatuor gradibus constat 228
Cognitio Dei est prima pars Theologiæ 224
Cognitionem Dei discimus in schola naturæ, gratiæ & gloriæ 230
Cognitio historica Christi etiam cadit in Dæmones 689
Cognitio Dei hauritur ex quatuor libris 229
Cognitio nostri ipsorum est duplex 597
Cognitio salutaris Dei vnde sit petenda 730
Colloquium Christi cum Iohanne 594
Commentariorum lectio & imitatio quales habeat vtilitates 34
Commercia non necessaria cum impostoribus sunt vitanda 840
Commercia qualia sint prohibita 537
Communio sanctorum cum Christo in quibus consistat 664
Communio sanctorum quid 328. gratiæ & gloriæ ibid.
Communio sanctorum vbi sit 160
Communitas catholica est credenda 159
Concilii œcumenici idea 769
Conceptus Sp. S. explicatio 142
Concio sacra quid sit 8. concionis cuiusuis tripartitus finis ibid.
Concio Eucharistica 212
Concio non debet nimis excrescere 12
Concio præliminaris in N.T. 586
Conciones catechetica quid sint 128
Conciones pertinentes ad Theologiam naturalem, siue ad lectionem libri naturæ 87
Conciones per totum scripturæ corpus 335. textuales 337. præliminares in S. biblia ibid.
Conciones in Genesin 351
Conciones piorum pastorum debent constare duabus partibus 863
Conciones de libro naturæ 89
Concionis sacræ dignitas & difficultas 10. eius virtutes 11
Concionis exordium quid 41. quotuplex ibid. peroratio quid 62
Concionis promulgatio 82
Concionum obiectum quod sit 33. adiunctum ibid.
Concionum promptuarium quale debeat esse 88
Concionum propositio qualis 47
Concionum Theologiæ naturalis methodus 88
Concionum Catecheticarum monstratur methodus alia 216
Concionator se accommodare debet ad auditorum mores 19
Concionatori duplex finis debet esse propositus in epilogo 62
Concionatori necessaria est firmitudo memoriæ 81

Concionatorem quomodo informet Rhetorica Ecclesiastica 10
Concionatoris sermo qualis 83
Concionatoris veri speculum 611
Concionatoris triplex officium 13
Concionatoris quadrigæ quæ 51
Concordia est vtilis in thoro, choro & foro 221
Concupiscentia quomodo sit peccatum 827
Concupiscentiæ vxoris proximi & bonorum prohibitio 194
Confessio peccati quæ sit bona 829
Coniugium quid sit 190.826
Coniugium est primus status à Deo institutus 185. *est fons è quo reliqui status veluti profluunt* ibid.
Coniugium Christi & Ecclesiæ 639
Coniugium Est heræ cum profano rege est singulare exemplum idq; typicum 455
Coniugii institutio describitur 356
Coniugii dignitas 728
Conjugii vinculum arctissimum 622
Coniugia sunt fatalia 424
Coniugia illegitime contracta sunt dissoluenda 452
Coniugum officium in quo positum 281
Coniugium sterilitas vnde sit 370. *fœcunditas* ib.
Consilium Dei arcanum est annuntiandum 364
Consilium Dei irritum fieri non potest 538
Consolatio hominis afflicti triplex 778
Consolatio aduersus consilium Satanæ est triplex 720
Consolatio transferri debet ad vsum in precatione 58
Consolationis quatuor fundamenta 503.467
Consortes diuinæ naturæ nos Deus facit 834
Constãtinus Magnus Roma transtulit αξιωμα Imperii Cõstantinopolin 852
Contemtus Dei in vno præcepto est totius legis violatio 827
Contemptus quinti præcepti Decalogi secum trahit contemptum totius secundæ tabulæ 187
Contentio apostolorum de primatu 719
Contritionis gradus sunt tres 485
Contumelia Dei est duplex 840
Conuersatio Christi gratiosa cum peccatoribus pœnitentibus 708
Conuersatio cum idololatris est periculosa 430
Conuersationis Christi quatuor loca 592
Conuersio nostri ad Deum qualis esse debeat 545
Conuiuari Christianis non est illicitum 841
Cooperarij debent esse Christiani 840
Cor nostrum est solium & augustale Christi 200
Cordis afflicti gaudium & consolatio 759
Corda Regum Deus habet in sua manu 525
Cornelii historia quid confirmet 768
Coronatio regis Christi quæ completatur 482
Corpora nostra quomodo sint resurrectura 788
Corpus Christi quomodo non fuerit in sepulchro 667
Corpus Christi quando non fuerit in sepulchro 724
Corpora nostra sunt templa Spiritus 190.785

Clerus Romanis graphice depingitur 851. *creatio est actio Dei* 264
Creationis tempus est hexameron 265
Creationis opus enarratur 504
Creationis duo tempora 264
Creatorem cœli & Terræ sensus 139
Creationis modus primus 265
Crucem Christi portare quid sit 707
Crucis & lucis concio 745
Crucem quæ nobis mitigant sunt quinq; 755
Crucem leniendi sunt tria media 466
Crucis concio absoluitur tribus partibus 754
Crucis Christi descriptio 832
Crucis remedium quod sit 608
Crucifixus cur Christus sit 146
Crux Christi quomodo considerari debeat 654
Crux seu malum quod sequitur Christum 686
Cryptica dispositio est vtilis 38
Cucurbita reficiebat Ionam vmbra sua opaca 567
Cultus adorationis qualis sit 364
Cultus Dei in quibus consistat 475
Cultus ceremonialis sub lege qualis fuerit 824
Cultus Dei documenta 688
Cultibus humanis Deus non juuatur 459
Curiositati non sũt frena relaxãda 763

D.

Dæmones norunt Christum 606
Dæmones nõ sũt creati mali 841
Daniel est typus Christi 557
Danielis prophetia quid contineat 556
Dauid fuit vir secundũ cor Dei 769 *fuit typus Christi* 428. *eius monomachia cuius sit typus* 419
Dauidi maledicere præcepit Deus Semeio 433
Dauidis historica descriptio 429 *eius comparatio cum Christo ibid. eius amicitia cum Ionathane* 430
Debita nostra vocantur peccata tribus de causis 203
Debora quid significet 420. *quomodo fuerit typus Christi* 631
Decalogi præfatio 169. *cur Deus præmiserit* 170
Decalogi declaratio 171. *& seq.*
Decalogi explicatio quibus contineatur regulis 386
Decalogum quot argumenta commẽdent 171
Decalogi præceptum primum 171. *& seqq.*
Decalogus diuiditur in duas tabulas 171
Decalogus est virtus virtutum 216
Decimæ sunt ceremoniales vel morales 399
Decreta Dei quomodo considerentur 264. *quid sint* 264
Defectio seu apostasia Protoplastorum 356
Deitas Christi quibus argumentis à Iohanne asseratur 726
Deitas Christi multis argumentis astruitur 843
Demonstratio Spiritus in concione 83
Deploratio miseriæ nostræ 65
Deprauatio cultus Dei à quibus sit introducta 524
Desiderium Dei in quo consistat 490
Descensus Christi ad inferos & ipsius resur-

resurrectio ex mortuis 149
Deuota precatio quid requirat 602
Deus cur in Decalogo ferme adhibuerit formulas interdictorum 172
Deus est vbiq; præsens 576
Deus explicatur 232. *essentia Dei quid* ibid. *qualis sit* ibid.
Deus totus est oculus 819
Deus in exequēdis suis iudiciis vtitur quatuor Angelis 849. *quomodo exequatur iudicia* 850. *nō est causa peccati* 466. *quorum sit clypeus & merces* 363
Deuteronomii partes sunt tres 406
Diaboli pugna est triplex 856
Diabolus vnde nomen habeat 701 *non consulendus* 172. *amice delectatur idololatria* 841
Diabolus, mundus & mors præfigurantur per Philistæos 426
Diabolus duabus notis insignire solet sua mancipia 616. *nihil juris habet in creaturas Dei* 654
Diaconorum officium circa conseruationem politiæ Ecclesiasticæ 938. 941
Diaconorum & seniorum vocatio 919
Dies Dominica est traditio apostolica 844
Dichotomia necessaria traditur 811
Difficultas concionis sacræ 10. *virtutes* 11
Digamia Abrahami veniam habere potest 363
Digamia Hebræorum fuit facti non iuris 409
Dignitas concionis sacræ 10. *difficultas* ibid.
Dilectio Dei in quibus cernatur 225. *proximi* ibid.
Dilectionis proximi causa 838
Dilectio Christi erga suos electos quamdiu duret 747
Diluuium afflictionum quid non extinguat 793
Diluuium fuit typus diluui spiritualis 360
Dimensio terræ Canaan est adumbratio Euangelii & Ecclesiæ 417
Diotrephes est imago Antichristi Romani 840
Disciplina Ecclesiastica quatuor gradus 316. *eius requisita* ibid. *eius scala* ibid.
Disciplina Ecclesiastica an sit exercenda 317. *quomodo administranda* 950
Disciplina militaris & iura belli sunt juris diuini 409
Discipuli sunt filii præceptorum 816
Discipulorum officium 281
Discrimen V. & N.T. in quibus sit 773
Discrimen animalium mundorum & immundorum 360
Dispensatoris Dei officium 708
Dispositio exordiorum 46
Dispositio Ecclesiastica debet esse adæquata 37. *quæ dicatur rotunda* ib. *eius species* ibid.
Dispositionis dogmaticæ prærogatiua 38
Dispositio epilogi 62
Dispositio mixta est omnium vsitatissima 38
Dispositio cryptica est vtilis 38
Dispositionis textualis quot sint partes 41
Dispositionis textualis exemplum 75. *dogmatica* 71

Dispositiones locorum communiũ 221
Dispositionum Ecclesiasticarum affectiones 36
Diuites quales sint 20
Diuitis epulonis vita 710. *mors & damnatio* ibid.
Diuitiæ quid sint 811. *sunt spinæ* 623
Diuitiarum quæ per se non damnant, tractatur locus communis 829
Diuitum officium in quib. positum 812
Diuortia qnatenus fuerint permissa 622
Diuortium non est faciendum 785
Diuortiorum sanctio qualis fuerit 664
Doctores Ecclesiæ debent gignere filios spirituales 186
Doctorum Ecclesiæ officium quod sit 770
Doeg prodidit Abimelechum 193
Dominum nostrum quid significet in symbolo apostolico 142
Dona spiritualia sunt varia 787
Dona quæ Deus distribuit qualia sint 800
Dona quæ requirantur in antistite Ecclesiæ 5
Donatio mediatoris quid 224
Donum bonum est à Deo 827
Donum Sp. S. quam præstans sit 751
Duces & iudices Hebræorum qui sint 343

E.

Ecclesia catholica quid sit 313. *quotuplex ib. militans & triumphans ib particularis* 314. *quid vocetur in scripturis* 314. *à quibus pendeat* ibid.
Ecclesia est tentorium 470. *est palmæ similis* 376
Ecclesia N.T. habet quatuor periodos 857
Ecclesia triumphans est sancta ciuitas 860
Ecclesia V.T. fuit vinea corrupta 717
Ecclesia primogenitorum est Ecclesia Catholica 826
Ecclesiæ fundamentum 491. *ornamẽtum* 499
Ecclesiæ Christi imago illustris 555
Ecclesiæ militantis illustris imago 855 *triumphantis status* 847
Ecclesiæ calamitates quomodo eueniant 496. 562
Ecclesiæ regimen quale sit 924
Ecclesiæ debent esse candelabra 844
Ecclesiam quomodo Deus corripiat 547
Ecclesia quis recte vocetur 816
Ecclesiastes quid doceat 526
Ecclesiastæ gestus qualis 84. *officium* 85
Ecclesiastæ libertas circa delectum propositionis 46
Ecclesiastæ precatio est necessaria 33
Ecclesiastæ necessaria est firmitudo memoriæ 81
Ecclesiastis munus quam difficile sit 7
Ecclesiastica officia sunt triplicia 930
Effusio Sp. S. super apostolos 765
Egenis & ingratis mutuare Christus inbet 690
Eheteuffel 267
Eheieh nomen Dei quid sit 377
Ehudi factum quale sit 420
Electionem & vocationem nostrã quomodo

modo efficiamus firmam 834
Eleemosynam quomodo Deus metiatur 665
Eleemosynas quomodo Deus æstimet 718
Eleemosynæ ex rapinis vel male partis non sunt acceptæ Deo 409
Eleemosynæ Pharisæorum quales fuerint 602
Electi dicuntur scripti in libro vitæ 845
Electi in hac vita sunt instar feræ 471
Electio nostri quatenus non possit à nobis cognosci 830
Electionis & reprobationis causa quæ sit 579
Electos à reprobis secreuit Deus ab æterno 841
Elias est typus Christi & Johannis Baptistæ 440
Eliæ collatio cum Johanne 441
Elim loci amœnissimi consideratio 383
Elisa significat salutem Dei 442
Elisæus resuscitauit mortuum 442
Elisæi miraculum cujus sit speculum 601
Elohim quid denotet 353
Elocutio seu exornatio Ecclesiastica quæ sit 79
Elocutionis necessitas 79. *qualis esse debeat* ibi.
Elocutionis Ecclesiasticæ necessitas 79
Elocutionis Ecclesiasticæ formulæ 81
Eloquentia commendat pastorem Ecclesiæ 772
Enochi translatio in cœlum consideratur 361
Epilogus orationis Dominicæ. 208. *ejus vsus* ibi.
Epilogi scopus. 62. *leges & dispositio* ibi.
Episcopi nomen commune quibus fuerit 802
Epistolæ ad Titum dispositio 814
Epocha N.T. est triplex 612
Epulonis diuitis vita 710. *mors & damnatio* ibi.
Esaiæ Prophetia qualis sit 531
Esau quærens benedictionem à patre quid non potuerit efficere 826
Esaui conjugium 366
Esdræ liber quid describat 451
Essentia Dei quid. 234. *latitudo ejus posita est in tribus* ibi. *ejus longitudo quid.* 235. *altitudo occurrit ejus triplex.* ibid *profunditas ejus est quintuplex* 235
Esus sanguinis prohibetur ob triplicem causam à Deo 361
Esther a est typus Ecclesiæ 455
Esther æ liber quid describat 454
Esther æ adjectiones quatuor capitibus constant 585
Ethica specialis de officijs senum, adolescentum, &c. 814
Euangelium quid sit 224. 534. 703. *quid non aboleat.* 635. *prædicare quale sit officium.* 698. *prædicatum quid sit.* 774. *docet duo de Christo.* 636. *est nouum canticum.* 481. *auditum est simile potui.* 818. *non conuellit leges ciuiles* 816
Euangelij doctrina est antiquissima 831
Euangelij verus sensus & vsus 635
Euangelij finis est pax cum Deo 656
Eucharistica concio 212
Exauditio precum quæ sit 487
Excidium Hierosolymitanum quid 716
Excidium Sodomæ quid doceat 364

Exilia piorum quid sint 770
Exodus quid describat 375
Exordium seu narratio concionis 65
Exordium concionis quid sit 41. *ejus tres fines* 42
Exordiorũ leges 43. *loca exordiorum quot sint* 44
Exornatio Ecclesiastica qua sit 79
Expiationis festum describitur 397
Expostulatio cum Deo 493
Ezechielis prophetia quibus absoluatur 549

F.

FAbrilem artem Christus exercuit 660
Facies Mosis splendicans quid commonuerit 390
Facinora inhumana aut nefanda 546
Facinorosi in Ecclesia non sunt tolerandi 784
Falsum testimonium prohibetur 193
Fama & vita pari ambulant passu 193
Fames Christi duplex fuit 631
Fames & pestis habent causas naturales 434
Felicitas eterna sanctorum confertur cum Paradiso. 721. *confertur cum Cœna magna* 706
Felicitas vera vnde pendeat 407
Fermentum & mel ordinarijs oblationibus misceri prohibuit Deus 393
Fermentum phariſaorum quid notet 663
Festum expiationis describitur 397
Fides justificans quid sit 289
Fides saluifica qua sit 286 *ejus proprietates ibid. per charitatem est efficax.* 287. *ejus fructus ibid. quid impetret* 659
Fides justificans quomodo accedat ad Deum 799
Fides nostra confertur cum annulo quatuor de causis 291
Fides vera nunquam deficit. 614. *quomodo perficiatur* 828
Fides est anima precum. fidei 827. *quid pugnet cum natura fidei* ibi.
Fides & baptismus adultis sunt de necessitate salutis 667
Fides & spes electorum sunt infallibiles 823
Fides dicitur nostra victoria. 288. *ex se parit fiduciam ibid quibus detur* 834
Fides sanctis semel datur 841. *quibus nitatur.* 488. *vera quã pulchra sit imago Dei.* 174. *nostra quid respiciat* 75. *vincit mundum* 839. *nostra non est absque lucta.* 775. *cum quibus luctetur* 663
Fidei adjuncta & effecta. 287 *forma ibid. ejus gradus.* 288. *effecta. ibid. signa. ibid. fundamenta qua* 173. *proba ibi. proprietates qua sint* 605. *septem proprietates describuntur* 712
Fideles pastores quid curare debeant 769
Fideles non possunt penitus abijcere fiduciam 825
Fiducia quid sit 173
Fiduciæ confirmatio per varia argumenta 503
Fiduciæ nostræ fundamentum 476 *tres columnæ* 474

Figulus potestatem habet in lutum 779
Figurarum Rhetoricarum vsus 81
Finis Rhetoricæ Ecclesiasticæ 7. Theologiæ Propheticæ. 1
Filij Dei quomodo simus 837
Filij Dei promiscuerunt se filiabus hominum 361
Filij tres Noe sunt ethnarchæ τῆς οἰκουμένης 361
Filius non portabit iniquitatem patris 176
Filium ejus vnigenitum, sensus 141
Fœcunditas conjugum vnde sit 370
Fœdus gratiæ quid sit 313.363
Fœderis gratuiti doctrina 823
Fœdera cum impijs & idololatris damnantur 439
Fœminarum est eadem natura quæ senum 19
Forma hominis quanto sit nobilior 93
Formulæ connexionis in recessu à concione 64
Formulæ præambuli solennes, 39. Variantes 40
Formula efferendi vsum textus sacri 53
Fratricida Cain est explicatio sexti præcepti 187
Fuga Christi & ipsius reditus describitur 591
Functio spectatur in doctrina & vita 658
Furti genera quot sint 192
Furti prohibitio sequitur prohibitionem homicidij 191
Futura annunciare cujus sit 537

G.

Gabaonita adumbrant peccatores pœnitentiam agentes 414
Galatæ sunt speculum inconstantiæ humanæ. 795
Gaudium electorum quale debeat esse. 521. *filiorum Dei ex quibus fluat* 466
Gaudij sunt quinque argumenta 755
Gaudij spiritualis modus in quibus consistat 484
Gedeon quid significet 420. *est typus Christi* ibi.
Geitzteuffel 267
Geometria passionis Christi 651
Genealogiarum vsus est triplex 371
Genera causarum quam habeant vtilitatem 14
Geneseos quid enarret 351
Geodæsiæ recensio quid sit 556
Gergeseni sunt speculum hujus ingrati mundi 606
Gestus Christi precantis 757
Gestus Ecclesiastæ qualis 84
Gloria Dei Patris describitur 846
Gloria Ecclesiæ N. Testam. qualis sit 533
Gog & Magog Prophetia quid notet 554
Granum tritici quomodo sit Christus 746
Gratia Dei excidere non possumus 837
Gratia adoptionis quibus non sit alligata 374
Gratia Dei salutifera quibus illuxerit 814
Gratia & favor Dei quid sanet 487
Gratia Dei septem constat gradibus 248

Gratiarum actio in S. Cœna 212
Gratiarum actio & precatio 468

H.

H*Abacuc Prophetia quibus absoluatur* 571
Habitatio sanctorum vbi 333
Hæreditas cœlestis describitur 830
Hæreses sunt necessariæ 787
Haggæi Prophetia quid cõtineat 573
Hamanis & Mardochæi historia cuius sit exemplum 455
Hanna de Christo testatur 686
Haußengel 266. Ehe oder Haußteuffel 267
Heptazodion creationis quid 354
Heri & serui idea 801
Heri & heræ officium quod 281
Heri debent seruos tractare prudenter & mansuete 186
Herodes omnes fuerunt persecutores Ecclesiæ 768
Herodiadis matris animus est sanguinarius 617
Hexameron quid complectatur 353. *quid sit* 354
Hexameron est tempus creationis 265
Hierarchia primitiuæ Ecclesiæ vnde constiterit. 771
Hierarchia Ecclesiastica describitur 316
Hierosolyma literaliter est ciuitas Salem 416
Hierosolymæ nouæ descriptio 861
Hierosolymorum desolatio corporalis & spiritualis 637
Hierusalem noua quomodo ædificetur & desoletur 638
Hiskiæ regis mirabilis sanatio 606
Historica non omnia sunt relata in canonem 762
Hoffartßteufel 267
Homicidium Danidis displicuit Deo 433
Homicidium Nabothi est explicatio sexti præcepti 187
Homicidij septem genera prohibentur 187
Homilia super institutionem baptismi 209
Homo moribundus quibus muniendus sit 800
Homo consideratur secundum quatuor status. 269. *electus quid meditari debeat* 270
Homo sua natura est Pelagianus 276
in hac vita quale sit templum 753
quæ quotidie meditari debeat 621
solis cursum inhibuit 415
Hominis consideratio 91
Hominis summa miseria & beatitudo quæ sit 270
Homines tres Christus excitauit a mortuis 694
Hominum vbi sit magna prærogatiua præ angelis 575
Honor quem liberi parentibus deferunt qualis sit 187
Honestas ciuilis probari debet in Ecclesia 787
Horebi petra percussa à Mose est typus Christi 385
Hoseæ prophetia qualis sit 559
Hostes Ecclesiæ sunt draco, id est, Diabolus. 854. *Ecclesiam opprimere molientes nihil proficiunt* 384 *nostri sunt crudeles instar leonum* 488

Hostes Ecclesiæ inebriant se sanguine. justorum 577
Humilitati coram Deo cur studendum 173
Hypocrisis quid sit 702
Hypocritæ pœnis non corripiuntur. 441. *plures sunt in Ecclesia vocatorum.* 659. *in periculis quid quærant.* 544. *latantur auditione Euangelij.* 659. *multi sunt in Ecclesia.* 837
Hypocritarum theatrum & speculum traditur 636
Hypocritarum preces Deus quandoque exaudit. 443. *pœnitentiam compensat Deus.* 440

I.

IAcob seruiuit Labano. 369. *loco mercedis accepit oues ibid. fuit binomius. ibid. osculatus est parentem suum.* 367. *aliquoties mentiendo patri non vacat culpa. ibid. est typus Christi.* 369. *quale habuerit somnium* 367
Iacobi epistola duas habet partes 826
Iacobus Patriarcha Deo tribuit honores 191
Ianitoris Ecclesiastici officium 943
Idea locorum communium est duplex 217
Idolum cur non faciendum 172
Idolis qui seruiunt, ad desperationem rediguntur 535
Idololatria est spiritualis scortatio 360
Idololatria Diabolus amice delectatur 841
Idololatria externa & occulta quæ sit 172
Idololatriæ instrumenta tollenda sunt 450
Idololatriæ & falsæ religionis comparatio 537
Idolorum multitudo est imago Diaboli 177
Ieiunium est quadruplex 595
Ieiunium Christi quale fuerit 689
Ieiunium Domini & conflictus ipsius cum Satana 595
Ieremiæ Prophetia qualis sit 542
Ieroboam est typus Antichristi Romani 439
Iesus nomen quomodo sit vnicum & æternum clinodium 680. *quid significet* 140
Iesu parentes quomodo cultum diuinum peregerint. 687. *quomodo filium suum amiserint & inuenerint* 687
Ignis consideratio 113
Ignis sit triplex mentio in Scriptura 614
Ignorantia Dei est fons omnium malorum & peccatorum 543
Illusoribus Dei non remittuntur peccata 535
Imago Dei in quibus consistat 177
Imago Dei quomodo per singula præcepta instauretur 172
Imago Diaboli quam turpis sit 174
Immanuel nomen soli Deo competit 766
Impatientia quam deformis imago sit Diaboli 175
Impij illudentes Deo & Ecclesiæ, quid tandem experiantur 427
Impiorum descriptio. 479. *securitatis disser-*

dissertatio 484
Imploratio misericordiæ Dei ad concionem 65. precatio ib.
Impositio manuum quale fuerit Symbolum 623
Impostores Deus seducit 552
Impudicitiam Deus prohibet 189
Incolæ mundi qui sint 224
Incolæ qua sunt pisces, &c. 265
Incredulitas est limus & cœnum 620
Index locorum communium 218
Indicatio scopi 65
Indulgentiæ ubi & quomodo emendæ 641
Induratio Pharaonis tria notat 379
Infantiæ Christi descriptio 685
Infanticidium Herodis 592
Infirmitas nostra non est simulanda 760
Ingenium & indoles sapientia traditur 828
Ingenij proprij meditatio qualis 34
Ingratitudo est imago Diaboli 179
Ingratitudo hominum 633
Inhabitationis Dei in nobis sunt tres testes 750
Injurias Deus prohibuit 193
Insidiæ antiqui serpentis 704
Insigniorum Ecclesiæ Politiæ 952
Institutio S. Cœnæ 212
Institutionis baptismi genuini sensus 209
Invitatio peccatorum ad Christum 611
Inventio argumentosa quid sit 15. quotuplex ibid.
Inventio argumentorum specialis 23
Inventio thematis 12. reductio ejus est necessaria 13
Inventionis Ecclesiasticæ praxis 33
Inventionis pathetica modus 20
Ira, quæ Deo in scripturis tribuitur, tria significat 570
Isaac est typus filiorum Dei 364. quomodo sit typus Christi 365
Ismael est typus hypocrytarum 364
Job precibus suis affectus humanos admiscuit 458
Jobi liber continet dialogum & epilogum 456
Joelis oraculum quid pronuncius 765
Joelis Prophetia absolvitur tribus concionibus 562
Johannis quæstio & responsio 611
Johannis inauguratio per baptismum 594
Johannis collatio cum Elia 441
Johannes Baptista fuit præcursor Christi 259
Johannis nativitatis quinque circumstantiæ 673
Johannes Evangelista quid describat 725
Jonas fuit typus mortis & resurrectionis Christi 566
Jonæ Prophetia quid describat 565. ejus missio ad Ninivitas ibi.
Jordan significat hujus vitæ miserias 412. lumen judicij ibidem. est imago baptismi Christi ibidem
Josaphat est typus Christi ratione nominis & ominis 449
Josephi historia 352
Josephus est typus Christi 372. ejus

jus historia describitur 372. quid nobis suppeditet 373
Iosias octennis puer capessit regnum 687
Iosua est typus Christi 412. cur jubeatur calceamenta deponere 413
Iosuæ liber tria ordine explicat 411
Irrisoribus religionis Christianæ non debemus infirmari 842
Israelitæ deficientes a Deo cujus sint speculum 420. transgressi mare rubrum vagati sunt per eremum 381
Israelitis Deus apparuit sub forma nubis & ignis 380
Iubilæi Christiani typus erat annus Iubilæus 621
Iubilæi sunt triplices 399
Iudas Christum prodidit 251 fuit malus quæstor & thesaurarius 746. fuit Christo datus electione ad Apostolatum, non ad vitam æternam 758
Iudæi mittunt legationem ad Iohannem 728
Iudæi erant liberi seu filij Dei 661
Iudæi fuerunt rami inserti in oleam Ecclesiæ 780
Iudæorum conuersio est mysterium 780
Iudicij vltimi signa 718
Iudicium festucarium quid 604
Iudicium vertitur in absynthium 564
Iudicia sua in hoc seculo quomodo Deus temperet 833
Iudicia quomodo Deus exequatur 850
Iudicij ordo modus & processus 641
Iudiciorum diuinorum geminus est vsus 536
Iudicij diem quando Christus ignorauerit 665
Iudicis majestas, ordo & processus vltimi judicij 635
Iudicum liber quid describat 418
Iudith liber quid describat 581
Iure politico vti licitum est Christianis 771
Iuramenta necessaria per nomen Dei sola sunt licita 364
Iuramenta legitima non damnantur 829
Iurandum per quid sit 180
Iurare per solius Dei nomen debent Christiani 823
Iurare Christianis quando sit licitum 778
Iuramentum ad quid sit inuentum 180
Ius regis est duplex 427
Iusti lætantur pœnis impiorum 488
Iustificamur fide absque operibus legis 774
Iustificatio quid 224. 289
Iustificatio nostri ad quid referatur 291
Iustitia Dei in scripturis accipitur quatuor modis 248. ejus longitudo in quibus sit posita, & in quibus altitudo cernatur 249
Iustitia vera est præstantior justitia Pharisæorum 595. ejus fructus ibid.
Iustitia vniuersalis est ipsa charitas 279

Iustificationis causæ & effecta considerantur. 291. proprietates 292
Iuuentutis officium in quo consistat. 281

K.

Kirchen-Engel *qui sint* 266
Kirchenteuffel 267

L.

Labia Christi sunt plena gratiæ 482
Lachrymarum sunt duo genera. 296. necessitas lachrymarum demonstratur ibi. fontes vnde promanent. ibid. fructus. ibid.
Lachrymarum sunt quinque genera 296
Lachrymæ Christi 716
Lætitia Christi in sanctis suis 611
Lamentationum causa qualis esse debeat 548
Lapsus sanctorum non sunt imitandi 373
Laudatio Dei 501
Laudis Dei sunt quinque proprietates 520
Laudis argumenta 506
Lazari morbus. 744. ejus sororis legatio ad Christum 744
Lazari vita, mors & æterna salus 710
Lea quid significet 369
Lectio Scripturæ omnibus Christianis est licita 770
Lectio commentariorum quales vtilitates habeat 34
Legatus Domini præparaturus viam ejus, erat Ioannes Baptista 580
Legem Dei nemo potest perfecte implere 279
Leges Exordiorum. 43. Dispositio. 46
Leges singulorum vsuum 57
Leges generales pronunciationis. 84. de voce ibi.
Leges epilogi 62
Leges Hebræorum qui sint 344
Legis finis est Christus 779
Legis verus sensus & vsus 635
Legis & Euangelij summa 532
Legis varietas & vtilitas 278
Legum forensium regulæ generales 387
Lenitatis Christianæ descriptio 481
Leo appellatur Christus & Diabolus 596
Leprosi fit mentio 604
Leprosi quomodo auxilium Christi implorauerint 711
Leuiticus de quibus agat 391
Lex quid 224. quod accusat. 778. Quid ostendat. 398. quid doceat. ibid. quando sit facilis. 410. cur sit seruanda 636
Lex iudicialis siue forensis quæ sit. 278. ceremonialis ibi.
Lex & Euangelium. 679. sunt duo mariti 776
Lex ad salutem est omnibus necessaria. 171. obligat omnes homines 278
Lex vetans abnuere filias hæredes, duo nos docet 405
Liber amorum appellatur Christus 761
Liber vitæ duo habet sigilla 813
Liberi sanctorum quomodo sint sancti 780

Liberi ex Christiano nati sunt sancti 785
Liberorum officium 281
Libertas Christiana quid 297. *debet nobis esse chara* ibid. *eius gradus* ib. *eius usus est quadruplex* ibid. *est posita in sex capitibus* ibid.
Libertas propria No. Testam. quid sit 298
Libertas & seruitus hominis quae sit maxima 277
Libertas ecclesiastica circa delectum propositionis 46
Liberum arbitrium consideratur in quatuor statibus hominis 277
Liberi canonici V. T. quales sint 339 *apocryphi quales* 340. *Noui Testamenti quales* ib.
Libri apocryphi non sunt in canone 580
Librorum Bibliorum singulorũ summa 902
Libros dedicandi usus antiquissimus 671
Ligatio quantum habeat pondus 216
Lilium dicitur regina florum 731
Lingua mendax quid possit 193
Lingua possumus accidere 188
Lingua locus communis tractatur 828
Loca praecipuorum affectuum monẽdorum quae sint 21
Loci argumentorum ethicorum seu conciliantium qui sint 17. *reales quibus contineantur regulis* 18
Locorum Communium dispositiones concionum sunt duplices 217. *sunt breuissimae* 221
Locorum communium conciones 217
Lothi lapsus refertur 364
Lotio manuum ad quid pertineat 661
Lotio pedum quomodo à Christo fuerit peracta 747
Lucas describit vitam & mortem Christi 670
Luctus Abrahae 365
Luctus Christianus & Ethnicus discrepare debent 807
Luctus moderatus pro mortuis non dedecet Christianos 746
Lugentes de peccatis quibus gaudere debeant 804
Lydius lapis quis sit 173

M.

Maccabaeorum liber I. quid describat & quid II. 584
Magi Ægyptiorum quid conati sint 602
Magistratus officium quid sit 186. 281 *quid subditorum* ibid.
Magistratus boni officium 458
Magistratus & ministerij Ecclesiastici conuenientia 925. *differentia* ibid.
Magistratus & subditorum consideratio 634
Magistratus ciuilis Deum habet authorem 781
Magistratus politici fundamentum & officium 472
Magistratus quomodo officium suum faciat 78
Magnificat Maria complectitur nouẽ beneficia Dei 673
Magnificentia regni Christi 592
Magorum consideratio 589

Magorum nuncium turbat Herodem 590
Majestas Christi vnde cognoscatur 768
Maiestates regum & principum quare non blasphemanda 834
Malachiæ prophetia habet objurgationem & consolationem 578
Malum culpæ quid sit 849
Mammona terrena est fallax, cœlestis & æterna 709
Mammonæ cultus quid 607
Manassitæ non potuerunt expellere Chananæos 418
Mandata Dei quomodo non sint grauia 838
Manducatio corporis Christi necessaria est in S. Cœna 327. *eius fundamenta ibid.*
Manna quid fuerit 383
Mannæ historia consideratur 382
Marcus Euangelista quid describat 657
Mare verborum gutta rerum 79
Margarita culmen omnium rerum preciosarum tenet 615
Mariæ visitatio & ipsius gaudiũ 673
Maria Magdalena est speculum veræ pœnitentiæ 695
Mariti boni & vxoris bonæ descriptio 832
Martha est exemplum fidei 745
Martyres veri qualem habeant spem 802
Martyrij corona & gloria 846
Martyrum gloria quæ sit 816
Matrimoniales casus deciduntur 785
Matthatiæ historia 584
Matthæus describit puerilem & virilẽ ætatem Christi 587
Matthæi vocatio ad apostolatum 609
Mediator solus est Christus 810
Mediator N.T. est Christus 823
Medium spirituale quid 607. *corporale ib.*
Medicinæ quinq; in apologia Domini præscribuntur 701
Medicus mirabilis est Christus 746
Mediis non est nitendum aut fidendum 421
Meditatio proprij ingenij 34
Meditationes priuatæ quomodo in chartam consignandæ 35
Melancholicus psalmus 495
Melchisedech quomodo sit typus Christi 362
Membra quæ nos scandalizãt, amputare debemus 622
Memoriæ firmitudo necessaria est Ecclesiastæ 81
Memoriæ adminicula 82
Mendax est Pelagius 837
Mensæ politia in quibus consistat 662
Menschen Engell 266
Meretrix magna est Ecclesia defectrix 863
Messias verus est Christus 739
Messias quid debuerit implere 630
Messiæ notæ Characteristicæ 610
Messis quid sit 607. *eius præstantia ib.*
Meteora quomodo generentur 460
Methodus concionum Theologiæ naturalis 88
Methodus prudentiæ debet dominari in dispositione Ecclesiastica 36
Michæ prophetia quid complectatur 568
Microcosmus est homo 551
Militia triplex disseritur 831

Militis Christiani officium 814. 844
Minister verbi quid loqui debeat 698
Ministerium verbi quid sit 551
Ministerium Ecclesiæ in quibus consistat 402
Ministerium Ecclesiasticum quid sit 315.
Ministerium Euangelij in quibus consistat 807
Ministerium Ecclesiæ quomodo sit conseruandum 387
Ministerij sacri Institutio 758
Ministerij necessitas 314
Ministerii dignitas in quo consistat 768
Ministerij duæ partes describuntur 694
Ministerij & magistratus conuenientia 925. *differentia ibid.*
Ministri quid seruare debeant 811
Ministrorum vocatio & officium 314 315
Miracula vera quomodo à falsis differant 378
Miraculum Christi 661. *eius quatuor sunt fructus* 661
Miraculum triplici nomine est insigne 682
Miraculum Elisæi 601
Miraculorum donum erat extraordinarium 766
Miraculorum Christi finis quis 744
Miseria magna hominis & verus medicus 660
Miseriæ hominis speculum 633
Miseria & gratiæ status describitur 815
Misericordes semper debemus esse 790
Misericordia Dei quid sit 251. *eius longitudo quid* 252
Misericordia Dei ad quæ nos debeat inuitare 177
Misericordia & electio est vniuersalis 780
Misericordiæ Dei altitudo 245 *profunditas* 246
Misericordiæ Dei speculum 633. *in quo cernatur* 637
Misericordiæ Christi speculum 604
Misericordiæ Christi sunt duo documenta 662
Misericordiæ fructus qui sint 691
Misericordiam faciens proximo experietur à Deo misericordiam 527
Missam quid prosternat 824
Mixtio multiplex vsuum textus sacri 54
Mnemonica tabula super vniuersa biblia 864
Modestia cui non deroget 371
Modi deductionis in singulis vsib. 56
Modus argumentandi in concione didactica 31. *in concione elenctica ib. in concione institutiua ibid. in concione correctiua* 32
Modus argumentandi ex Bibliis 25
Modus inuentionis ethicæ 17
Monarchiæ tertiæ successio 348
Monarchiæ quatuor in statu Nebucadnezaris 557
Monomachia Dauidis & Goliathi cuius sit typus 429
Monumenta historica quomodo liceat ponere 413
Mora reditus ad judicium nulla est 835
Morbi & afflictiones quare immittãtur à Deo 364
Moribundis negotium non leue facessit desiderium mundi 707

Moriendi

Moriendi ars docetur 857
Mors Christi quando cœperit 651
Mors æterna non potest in hac vita cogitatione comprehendi 335
Mors piorum est somnus 746.558
Mors naturalis describitur 528
Mors tum corporis tum animæ vnde sit 357. *cur diligenter sit meditanda* 436 *quid sit piis* 711 *non est sequela naturæ* 775
Mors Herodis est speculum tyrannorum 591
Mortem Christi duo sequuntur 639
Mortem Domini commemorare est vsus sacræ Cœnæ 787
Mortis Christi fructus 145
Mortis meditatio 790
Mortis & vitæ æternæ descriptio 331. 335
Mortis metum quæ nobis eximere debeant 802. *moriendi ars* 802
Mortuis tria debentur 374
Mosen quare Deus sepeliuerit 410
Moses fuit dux populi Israelitici 385
Moses percutiendo Ægyptum non peccauit 376. *quomodo sit typus Christi* ibid.
Mosis parentes quomodo filiolum suũ exposuerint 376
Mosis facies splendicans quid commonuerit 390
Mulier seruatur perinde vt vir 810
Mulier meretricia quid significet 524
Mulieris dolorosa parturitio quid significet 854
Mundus quid sit 224
Mundus diuiditur in partes continentes & contentas 265. *totus disparatur in duas hominum classes* 631 *est contra electos Dei* 778
Mundum vniuersum Christus disparat in duas Classes 758
Mundi consideratio 96
Mundi vanitas per vrbem Nain figuratur 693
Mundi partitio sit in cœlum & terrã 265
Mundi status circa finem seculi 639
Munus Ecclesiastis quam difficile sit 7
Munus sacerdotale quibus verbis exprimatur 541
Munus Christi triplex explicatur 818
Musica est triplex 382
Mysterium baptismi Christi 592

N.

NAbothi homicidium est explicatio sexti præcepti 187
Nahum prophetia concionatur de interitu Assyriorum 570
Natiuitas Christi variis similitudinibus fuit adumbrata 538
Natiuitas Christi describitur plene 674
Natiuitatis Christi Dies quid sit 674
Natiuitatis Christi triplex meditatio, triplex gaudium & tria miracula 675
Natiuitatis Iohannis quinq; circumstantiæ 673
Nauigatio spiritualis Christianorum quæ 605
Nauigium quid sit 605
Nazaræus fuit typus Christi 423
Nehemias quid a Deo petierit 417
Nehemiæ liber quid describat 457
Nicodemitæ sunt multi 730
Nineuitæ sunt speculum peccatoris resipiscentis 567
Noah quomodo fuerit iustus coram Deo 361 *quo-*

quomodo fuerit typus Christi 360
Noachi benedictio vbi describatur 352
Noe tres filij sunt ethnarchæ 361
Noe in aquis diluuij fuit consecratus per arcam 211
Nobiles sunt honorum appetentes 20
Nomen Dei est ipse Deus 178
Nomina nostra quomodo sint scripta in nomine Jesu 682
Nomina schismatica inter Christianos non sunt ferenda 783
Notæ characteristicæ tres sunt falsæ Ecclesiæ 767
Notitia Dei salutaris extra verbum non est quærenda 378
Nouissimi hujus temporis descriptio 811. 813
Nouus annus quid nobis in memoriã reuocare debeat 679
Nuditas est triplex 356
Numerorũ liber quid contineat 400
Nuptiæ secundæ viduis sunt concessæ 785
Nuptiæ secundæ non minori errore damnantur quam primæ 366
Nuptiæ gratiæ & gloriæ 632

O.

OBadiæ vnico capite tria continẽtur 564
Obedientia Christi est nostra justitia 148
Oblatio primogenitorum habuit triplicem vsum 380
Obsessionem diaboli quare homo sibi accersat 701
Obtrectatores fratrum quales sese constituant 829
Occultatio humanæ sapientiæ in promulgatione concionis 83
Oeconomi bonorum Ecclesiasticorum electio 920
Oeconomi Ecclesiastici officium 942
Oeconomi speculum est Nebucadnezar 708
Oeconomia & veluti catena SS. Bibliorum 339
Odium proximi quid sit 838
Officia Ecclesiastica sunt triplicia 929
Officium hominis Christiani describitur 812
Officium omnium Christianorum est triplex 761
Officium Ecclesiastæ post Concionem 85. *quam necessarium sit* 86. *eius sunt quinq; partes ib.*
Omnipotentia Christi quomodo debeat metiri 735
Omnipotentiæ & misericordiæ Dei speculum 442
Onera ciuilia sunt subditis ferenda in corpore 781
Opera bona cur facienda 299
Opera Dei in tempore quid 224. *ante tempora ibid. post tempora ibid.*
Opera misericordiæ non violant sabbatum 706
Opera quatuor misericordiæ 692
Operarij boni Ecclesiæ qualem mercedem accipiant 784
Operis nostri Deus non obliuiscetur 822
Operum Dei causæ & proprietates 262. *quotuplicia sint* 263
Operum meritũ quid sint 803
Opum affluentia duplex 827
Opus redemptionis enarratur 505. *creationis* 504
Orandum est pro hostibus 400
Orare recte quid sit 756

Orare oportet semper 713
Orare est licitum contra impios 439
Oratio Dominica quid sit 700
Oratio psaltis & Dei 500
Oratio pathetica laudis 491
Orationis Dominicæ præfatio 196. *explicatio ibid. & seqq. eius vsus* 197. *ejus tres causæ impulsiuæ ibid.*
Oratio Dominica est litania litaniarũ 216
Ordinis politici Deus est author & defensor 472
Ordinum vitæ humanæ consideratio 279
Ordo qualis sit in politia Ecclesiastica seruandus 924
Ornatus verus templorum quis sit 573
Ossa Elisæi resuscitabant defunctum virtute Dei 442
Ostium cordis nostri quomodo Christus pulset 846
Oues suas Christus tantum mercatus est 834
Ouium & boni pastoris proprietates 741
Ouiculam Christus portat humeris suis 707
Ouicularum Christi nota 742

P.

PÆdagogia legis ceremonialis quæ fuerit in V. T. 279
Panes facierum seu propositionis quid denotauerint 399
Panis quotuplex sit 202
Panis vitæ quis sit 737
Panis Eucharisticus appellatur corpus Christi 319
Panis nomine in oratione Dominica quid intelligatur 202
Papa Romanus plane excidit ex Ecclesia 851
Papalis regni ruina describitur 860
Paradisi & Christi collatio 680
Paradisi locus, fluuij & arbores 356
Paradisi topographia 356
Paralytici cura 606
Parentum vitia magis transeunt in liberos quam virtutes 370
Parentum officium quid sit 281
Parentum nomine qui intelligantur 186
Parentum piorum est vacare cultui Dei & educationi liberorum 687
Parentum piorum officium 374
Paruuli comparatio cũ homine Christiano 620
Pascha est triplex 785
Passio Christi est speculum nostræ crucis 473 *quomodo debeat considerari* 832. *diuiditur in quatuor actus* 640
Passionem Christi quomodo nos debeamus deflere 712
Passionis Christi prædictio 714. *epitomen & mysteria* 641. *geometria* 651. *profunditas ibid. theoria & praxis* 654
Passionis Christi quatuor loca considerantur 636. *ejus quadruplex cõsideratio* 637. *eius antecedentia, concomitantia & consequentia* 638 *eius sunt quatuor actus* 639
Passionis Christi vaticinia 539
Passionis & mortis Christi fructus 145
Pastorale Paulinum 810
Pastor quomodo administrare debeat sacramenta 931. *eius officium circa ceremonias* 932
Pastor quomodo prædicare debeat verbum Dei 929

quid prædicare debeat 814
Pastor magnus animarum nostrarum quis 742
Pastoris officium circa presbyteros & reliquas personas ministerij Ecclesiastici 937
Pastoris vocatio & ordinatio 918
Pastorum officium 281. *bonorum* 833. 554. *piorum officium quodnam sit* 579
Pastorum Ecclesiæ vocatio disseritur 741
Pastorale Paulinum 810
Pastores sunt legati Dei 844
Pastores Ecclesiæ sunt piscatores hominum duobus modis 597
Pastores Ecclesiæ quomodo remittant peccata 690
Pater quomodo sit maior Christo 749
Patheticæ inuentionis modus 20
Patientiâ sequitur ex humilitate 175
Patientia est constanter expectare Dominum 481
Patientiæ cur studendum 173. *quomodo ad illam pertingamus* 173
Patientiæ Christianæ quod sit fundamentum 457
Patientiæ septem fundamenta 480
gradus ibid.
Patrem & matrem quare Deus coniungat 185
Patriarchæ ad fontes sibi desponderunt vxores 365
Patriarchæ vnice desiderarunt videre diem Messiæ 367
Patriarchæ prophetæ Apostoli & martyres quare tot molestiis fuerint perfuncti 75
Pauli circumcidentis Timotheum factum non incurrit in decretum Synodicum 770
Paulus quomodo dicat pati se pro Ecclesia 805
Pauper quare Christus factus sit 606
Pauperes amici quomodo dicantur nos recipere in æterna tabernacula 709
Paupertas duplex disseritur 827
Pax Christi quid sit 748
Pax vbi non possit consistere 443
Peccata & morbi quomodo se habeant 605
Peccata hominum quando septenarium numerum impleant 563
Peccata quando Deus remittat 824. *occulta non sunt reprehendenda* 58 *quomodo taxanda* 32. *vocantur debita tribus de causis* 203
Peccati grauitas quanta 256
Peccati fœditatem & noxam quare oporteat cognoscere 275
Peccati sunt tres gradus 276
Peccati Deus non est causa 466
Peccator quomodo fiat saluus 614
Peccatum diuidit Deum & nos 778
Peccatum est pœna ipsius 273. *quæ circa peccatum cõsiderare oporteat ib. eius antecedentia quæ ibid. quæ consequentia* 274
Peccatum in Spiritum Sanctum quid 613
Peccatũ abolebitur in vita æterna 169
Peccatum ad mortem quale sit peccatum 839
Peccatum actuale tres habet gradus 276
Pelagiana perfectio nulla est 828
Pentateuchi cõpendium est LXXVII. psalmus 495

Pentecoste V.T. confertur cum pentecoste N.T. 385
Pentecoste est triplex 765
Pentecostale gaudium quodnam debeat esse Christianorum 749. fructus ibid. ornatus ibid.
Peroratio concionis quid 62
Peroratio Theologiæ vniuersæ 962
Persecutio Ecclesiæ est quadruplex 487
Persecutiones Ecclesiæ 752
Persecutionis locus 494
Persecutiones Ecclesiæ describũtur 752
Persecutiones piorum quam sint variæ 751
Persecutionum regni Christi sunt tres gradus 465
Persecutorum Ecclesiæ sunt quatuor notæ 488
Persecutorum Ecclesiæ natura, pœna & euentus describitur 488
Perseuerantiæ quodnam sit fundamẽtum 173. quod sit corona omniũ virtutum ib. quomodo ad illam perueniatur ibid.
Persona & officium Christi 259
Personæ Ecclesiasticæ 914
Personarum politiæ Ecclesiasticæ sunt tres gradus siue classes 915
Pestis & fames habent causas naturales 434
Petra quid sit 526
Petra Horebi à Mose percussa est typus Christi 385
Petra percussa à Mose qualem Israelitis præbuerit potum 384
Petrus habet orationem patheticam 765
Petrus vocatur ad munus apostolicũ 761. ad crucem ibid.
Petrus fuit sym presbyter 833
Petrus in ordine Apostolorum quare primus sit 609
Petrum Christus ter jubet pascere agnos & oues 762
Petrum fides non defecit in corde 665
Pharao submersus est in mari rubro 381
Pharaonis cor quare Deus induraverit 377
Pharisei sunt iustitiarij 771
Pharisei committunt turpem elenchũ 740
Phialæ excandescentiæ Dei septem cõmemorantur 858
Φιλανθρωπία Dei per partes describitur 704
Phrases sacramentales 319
Pij non abiiciunt ſpem vitæ æternæ 458 ad quid sint positi 807
Pii & impii illustris antithesis 544. 469
Pij non habent in his terris iudicem 471. quare sint obnoxii morbis & morti cum impiis 745
Piorum perfectio in quibus consistat 803
Piorum finis quis sit 465
Pilato potestas judiciaria erat ſuperne data 758
Pinehæ zelus quare laudetur 404
Piscatores hominum sunt pastores Ecclesiæ 597
Piscatura spiritualis 689
Pisces sunt incolæ aquæ 265
Plagarum Ægypti consideratio historica & allegorica 378
Plantatio in mundo cernitur triplex 618
Poculum benedictionis est communio sanguinis Christi 787

Poculum Eucharisticum appellatur Sanguis Christi 319
Pœnitentia vera est vera precatio 714
Pœnitentia Christiana seu ordinaria, seu Ecclesiastica & extraordinaria 295
Pœnitentia peccatoris absoluendi qualis esse debeat 215
Pœnitentia seria semper impetrat aliquid à Deo 467
Pœnitentiam agentes sunt absoluendi 792
Pœnitentiæ tres partes ordine proponũtur 485
Pœnitentiæ proprietates siue gradus sunt quinque 708
Pœnitentiæ signa 295
Pœnitentialis Psalmus 519
Πολίτευμα *nostrum vbi sit* 804
Politia Ecclesiastica quid tradat 907. *ejus vox explicata ibi. ejus finis internus & externus* 908. *ejus subjectum ibid.*
Politia Ecclesiæ quot modis perficiatur 914
Politia mensæ in quibus punctis consistat 662
Politiæ Ecclesiasticæ specialis vtilitas 952. *typus & peroratio* 963. *restitutio in integrum* 949
Politiæ Ecclesiasticæ forma 924. *res* 920
Politiæ insigniorum Ecclesiæ 952
Pollutio est triplex 661
Pontifex magnus Ecclesiæ est solus Christus 819
Potentes potenter peccant 20
Potentia & sapientia Christi 704
Potentia Dei 236. *ejus latitudo & longitudo ibid. altitudo & profunditas* 237
Potentiæ Dei celebratio mirabilis 483
Potestas ciuilis habet Deum authorem 781
Potestas Clauium quid 214. 225. *est duplex ibid.*
Præambuli solennes formulæ 39. *variantes* 40
Præceptores debent discipulos suos amare tanquam filios 186
Præceptorum & discipulorum officium 281
Præceptum de honorandis parentibus 171
Præcones verbi quid debeant accipere ex manu Christi 851
Præcones Euangelij ex Euangelio viuere debent 786
Præconis verbi Dei nota Characteristica 610
Prædestinatio à priori & posteriori spectata quid sit 283. *ad salutem est latissima* 284
Prædicatio verbi Dei quomodo fieri debeat 832
Præfatio decalogi 169. *cur Deus præmiserit* 170
Prælectio textus 65
Præparatio ad mortem in quibus consistat 308
Praxis Inuentionis Ecclesiastica 33
Præsagia futurarum calamitatum Ecclesiæ fideles non deijcere debent 843
Præsentia Christi sex testibus comprobatur 839
Precatio quid sit 466. *est pars imaginis Dei* 179. *debet esse Alpha & Omega omnium nostrarum actionum* 300. *est clauis cœli* 829. *pia multum valet.* 486

Precatio pro tribus ſtatibus vitæ humanæ 498
Precationis quatuor proprietates 715
Precatio in receſſu a concione qualis 64
Precatio eſt neceſſaria Eccleſiaſtæ 33
Precationis victorioſæ typus 385
Preces fidelium ſemper exaudiuntur 839
Preces noſtras quam prompte Deus exaudiat 756
Preces multorum quare non exaudiantur 828
Precibus piorum flectitur Deus 444
Prædeſtinationis myſterium 282
Preſbyteri & Epiſcopi quales ſint 833
Preſbyterij actiones, ordo & leges 944
Preſbyterorum officium circa conſeruationem Politiæ Eccleſiaſticæ 938
Preſbyterorum & Epiſcoporum proſopographia Paulina 804
Pretium preciorum eſt ſanguis Chriſti 831
Primitiarum oblatio diuinitus fuit imperata Iſraelitis 409
Primogenitus dicitur Chriſtus 843
Princeps Synagogæ conſideratur 608
Principes non temere debent animaduertere in ſcelera potentiorum 432
Principium Sapientiæ eſt timor Domini 527
Principibus & regibus eſt bene precandum 374
Priuatis non licet interficere tyrannum 432
Priuilegia noſtra conſtanter vita & voce tueri debemus 298
Probare Spiritus quibus conueniat 838
Profanatio Sabbathi eſt multiplex 182
Profanatio templi a gentibus qualis ſit Prophetia 852
Prohibitio concupiſcentiæ 194
Promptuarium concionum quale debeat eſſe 88
Promulgatio concionis 82
Promiſſiones Euangelij ſunt vniuerſales 540
Pronunciationis leges 84
Prophetæ quibus adminiſtrauerint gratiam 831
Prophetarum falſarum characteres 603. *notæ ſunt numero quatuor* ibid.
Prophetica Theologia quid ſit 1
Propoſitio concionis eſt duplex 48
Propoſitio concionum quid ſit 47. *hujus leges* 47
Propoſitio ſeu diſtributio narrationis 65
Propoſitionis Eccleſiaſticæ vſus 52. *applicatio* ibi.
Propria laus ſordet 460
Proſopographia Paulina preſbyterorũ & Epiſcoporum quid ſit 814
Proſapolepſia damnatur 827
Protector noſter eſt ſolus Deus 488
Protoctiſio diuiditur in hexameron 265
Protoplaſtorum defectio 356
Prouerbia Salomonis quid contineant 523
Prouidentia Dei quid ſit 224. 271. 518 *ejus modus in quibus cernatur* ibi. *hujus praxis quæ* 272
Prouidentia Dei non excludit media ſed includit 272
Prouidentiæ Dei ſpeculum 702

Prouidentia Dei quid 224
Prudentia spiritualis ceruitur in duobus 909
Prudentia auditorum qualis esse debeat in Ecclesia 962
Psalmus Melancholicus 495
Psalmi primi sunt tres partes 464
Psalmi sunt simplices vel mixti, 463. *disparantur in classes duodecim* ibid.
Psalmi octaui mystica & allegorica expositio traditur 818
Psalterij concio praliminaris 464
Psaltes precatur Deum contra hostes 488
Pseudo Ecclesiastici quales sint vel fuerint 544
Pseudoprophetas Deus decipit 552
Publicani officium quodnam fuerit 609
Pugnandum quomodo sit in Satanam 782
Purgationis peccatorum doctrina 837

Q.

Quadrigæ Concionatoris quæ 51
Quæstus magnus quis sit 811
Querelæ piorum de sensu iræ Dei quid arguant 480

R.

Rahab meretrix recepta est in castra Israelitarum 414
Rationem quomodo Deus nobiscum conferat 622. *quomodo nos debeamus cum proximo conferre* ibi.
Rebellio quam graue sit peccatum 634
Recessus à tractatione textus quid 64 *à concione debet esse breuis* 64 *ejus formulæ connexionis à concione* ibi. *precatio in recessu à concione qualis* 64
Reditus Christi ad extremum judicium doctrina 842
Refocillationis spiritualis desiderium 481
Reformatio doctrinæ quomodo instituenda 949. *ceremoniarum quomodo* ibid.
Regeneratio quid sit 485. 830
Regenerationis quatuor proponuntur capita 730. *est triplex* 731
Regeniti opus habent nutrimento 831
Regenten Engel 266
Regenten Teufel 267
Reges Israel seu decem tribuum in Samaria fuerunt nouendecim 345
Reges & principes quando non impune peccent 449
Reges & principes fideles à quibus sibi cauere debeant 443
Regimen Ecclesiæ quale sit 924
Regina Saba fuit typus Ecclesiæ 438
Regis officium 503
Regnum potentiæ & gratiæ describitur 467
Regnum potentiæ & gloriæ vbi sit 607
Regni Christi nomina 910. *hujus collatio cum regnis mundi* 911
Regnum Christi quomodo sit plenum scandalis 611
Regnum Dei est triplex 199. *quomodo veniat* 200
Regnum cœlorum cum ciuitate confertur vndecim ob causas 862
Regnum Diaboli quid sit 200. *est mendacium & homicidium* 488. *ejus tres sunt proprietates* 634
Regulæ vitæ quo ordine proponantur 479

Regu-

Regulæ XXVI. in lectione Sacrarum literarum obseruandæ 338
Reguli colloquium cum Christo 733. *cum seruis suis* ibid.
Regum corda Deus habet in sua manu 525
Regum liber primus quid contineat 435. *quid secundus* 449
Religio falsa non disputat sed amputat 720
Religio falsa est crudelis & sanguinaria 612
Religiosus quis sit 827
Reliquiæ sanctorum 177
Remedia contra tentationem 595
Remißio peccatorum num sit 161. *quomodo fiat* ibi.
Remissionem peccatorum quare petamus à Deo 205
Remissionis fructus quid sit 622
Renati quid sentiant 776
Renati ex Deo non peccant 838
Renati in hac vita quid maneant 797
Repetitio & explanatio verbi Dei est necessaria 407
Repudia & diuortia non fuerunt præcepti 409
Rerum creatarum consideratio 90
Restitutio in integrum Politiæ Ecclesiasticæ 949
Resurrectio carnis quod & quomodo sit futura 165. 330. *ejus fundamenta sunt quatuor* 331
Resurrectio & vita quomodo sit Christus 745
Resurrectionis Christi fructus 723. 758. 759. *gloria in quibus cernatur.* 656
Resurrectionis festum qui celebrent 667
Resurrectionis modus quomodo considereturr 789
Rhetorica Ecclesiastica an detur, an sit necessaria & vtilis 8. *quomodo informet concionatorem* 10
Rhetorica Ecclesiastica p:roratio 906 *finis* 7. *subjectum* 9
Rex quomodo sit exhilarandus 568
Regni pacifici & florẽtis officium 472
Ros in Gedeonis vellere cujus sit mysterium 420
Rubi ardentis visio quid sit 377. *cujus typus* ibid.
Ruina regni papalis describitur 860
Ruth libri duæ sunt partes 424

S.

SAba Regina fuit typus Ecclesiæ 438
Sabbatum quid fuerit 354
Sabbati sanctificatio quid non tollat 659
Sabbati sanctificatio & profanatio 612
Sabbathi violatio est multiplex 182
Sacerdotes V.T. pro suis etiam peccatis offerebant 393
Sacerdos Vet. Test. fuit typus Christi 724
Sacra Cœna succesit in locum Paschæ 328
Sacram Cœnam quis instituerit 323. *ejus nomina* 324. *substantia & fructus* ibid. *præparatio ad S. Cœnam in quibus consistat* 325. *crebro est vsurpanda* 326. *conferenda cum agno Paschali* ibid.
Sacræ Cœnæ Institutio 212. *ejus modus* ibid. *quadruplex vsus* 327
Sacramenta quid 225
Sacramenta V.T. quid sint 319

Sacra-

Sacramentorum dignitas, neceſſitas & vtilitas deſcribitur 317. cauſa efficiens & materia ibid. forma 318
Sacramentorum contemptus prouocat iram Dei non priuatio 378
Sacramentorum natura 327
Sacramentum circumciſionis quatenus referri debeat ad Iudæos 319
Sacramentum extra legitimum vſum quid ſit 774
Sacramenta extra vſum legitimum non ſunt ſacramenta 553
Sacramenta quomodo Paſtor debeat adminiſtrare 731
Sacramentales phraſes 319
Sacrificium Euchariſticum Noachi quid ſit 360
Sacrificia deſcribuntur 391. ſunt à Deo præcepta 392. ſunt multiplicia ibid. quatenus placuerunt Deo 393
Sacrificia à quibus Deus voluerit offerri 397
Sacrilegium eſt de pietate principis diſputare 459
Sadducæi ſunt homines athei 771
Salomon eſt typus Chriſti, 436. ejus collatio cum Chriſto 437. ejus templum eſt typus Chriſti 437
Saltationes impudicæ 382
Salus animarum quid ſit 831
Salus animarum noſtrarum quomodo promoueatur & impediatur 695
Salutis fundamentum deſcribitur 731 fons ibid.
Salutis noſtræ initium, medium & finis deſcribitur 815
Saluandos à damnandis Deus ab æterno ſecreuit 841
Salutationis Angelicæ deſcriptio 672
Saluæ Guardiæ inſtar nobis ſunt Angeli boni 265
Samſon quomodo ſit typus Chriſti 421
Samuelis liber primus quid deſcribat 425
Samuelis liber II. quid deſcribat 431
Sancti ſunt digni incedere cum Chriſto 845
Sancti etiam habent ſuos errores 768
Sanctificatio Sabbati quid non tollat 658
Sanctificatio Aharonis & filiorum ejus fuit typus officij Chriſti 394
Sanctificationis modus & fructus 292 pœnitentia quid ſit 293. ejus affectus, profectus, defectus & effectus 293. 294
Sanctimonia vera in quo ſit poſita 781
Sanctitas Eccleſiæ credenda 159
Sanguis Jeſu Chriſti purgat conſcientias noſtras dupliciter 824
Sanguis taurorum & hircorum non potuit auferre peccata 825
Sanctorum æterna felicitas 860
Sanherib eſt imago Antichriſti idololatræ 537
Sapientia Dei theorica quid 238. ejus latitudo quomodo cognoſcatur ibi. ejus longitudo & altitudo 239. profunditas ſapientiæ theoricæ 240
Sapientia ciuilis quid ſit 436
Sapientia ſolida in quibus conſiſtat 660
Sapientiæ ingenium & indoles traditur 828

Sapientia liber est tripartitus 581
Sapientia Dei practica quid 241. *ejus altitudo* 243
Sara & Agar concordes manent in eadem domo 363
Sarae mors describitur 365
Satan quare colaphizet sanctos 794
Satan est Spiritus inobediens & contumax 187
Satan petit jugulum Ecclesiae 835
Satanas quousquo progrediatur in seducendis electis 820
Sauffteufel 267
Saul Davidem persecutus est clam & palam 595
Scandala necessario eveniunt 711
Scholae vernaculae quomodo instituendae 943
Sciagraphia Rhetorica Ecclesiastica 905
Scopus epilogi 62
Scortatio impedit preces 190
Scortatores puniuntur aeterno exitio 190
Scriptura quomodo non sit obscura 835
Scriptura S. quid sit 230. *ejus consideratio & utilitas est duplex* 230. *interpretatio unde petenda* 231. *ejus varia nomina ibi. usus* 232
Scriptura quomodo Deus utatur 782
Scriptura encomium 813
Sculptile non faciendum 176
Secreta principum sunt legenda 264
Securitas mundi quid sit 713
Seditiones populares ex quibus nascantur 421
Seductoribus signa edentibus non est cedendum neque credendum 408
Semejo Deus praecepit Davidi maledicere 433
Semen bonum Deus in prima creatione seminaverat 613
Semen quomodo sit verbum Dei 696
Senatores Romani quando gestaverint candidas togas 299
Senes sunt timidi 19
Seniores septuaginta fuerunt typus LXX. discipulorum Christi 402
Seniorum & diaconorum vocatio 919
Sepeliri quare voluerit Dominus 147
Sepultura nostra pompa in quibus consistat 789
Sermo Concionatoris qualis 83
Serpentis antiqui insidiae 704
Serpentis aenei quomodo Christus sit typus 732
Servi quid debeant dominis 186
Servorum & ancillarum officium 281
Sessio Christi in coelo quomodo intelligenda 152
Sichemitarum fortuna qui digni sint 371
Signa ultimi judicij 718
Signum quando liceat à Deo petere 729
Simeon describit mortem 684. *confertur cum Jacobo* 685 *quid vaticinetur* ibid.
Simon magus est speculum Hypocritarum 767
Simplicitas Christi docentis in templo quam pulchra fuerit. 177
Simsonis collatio cum Christo 423
Sirachi libri quid contineat 583
Societas cum idololatris est periculosa 430
Solennitates Ecclesiastica 65

Solicitudo officij 702
Sol justitiæ est Christus 590
Solis & Christi collatio 415
Solis cursum homo inhibuit 415
Solium Sapphirinum quid notet 551
Somnium quale habuerit Iacob 367 in lapide dormiens quid significet ibi.
Somnus vnde sit 558. qualis 559
Sophoniæ Prophetia complectitur tres conciones 572
Sortes sunt triplices 417
Sophismata militaria sunt juris diuini 414
Spes quid sit 173. 300. ejus proprietates ibi.
Spes in ipsa cœlorum adyta penetrat 823
Spei nostræ beatæ fundamenta & modus 300
Spiritus Sanctus quid sit 261. de persona & officio Sp. S. disseritur 262. 843. ejus proprietas personalis ibi. vnctio ibi septem dona ibid.
Spiritus S. quousque progrediatur in hypocritis 820 quousque in renatis ibi.
Spiritus S. persona declaratur 156. officium ibi & 764
Spiritum S. nos habere ex quibus colligere possimus 156
Spiritus Iehouæ quomodo requiescat super Christum 534
Spiritus S. quomodo testetur de Christo 751
Spiritus demonstratio in concione 83
Spiritus probare quibus conueniat 838
Spiritum S. quomodo impetremus 156
Spolia in justo bello sunt licita 417
Sponsa Christi parit ipsi liberos per fidem 483
Sponsaliorum actus tres sunt 529
Statura & sapientia Christus profecit 687
Status Ecclesiasticus 281. Scholasticus 281. Politicus quis 281. œconomicus 280
Status vitæ humanæ quatuor considerantur 279
Status mundi circa finem seculi 639
Status hominis extra Christum qualis sit 832
Status Ecclesiæ præterita & præsens historia 482
Sterilitas conjugum vnde sit 370
Stigmata Christi qui fuerint 797
Strategemata bellica sunt juris diuini 414
Strena nostra quomodo sit Saluator 681
Stultitia germanissima quæ sit 486. quæ sit ipsius origo & fructus ibid.
Subditorum officium 281.
Subditos habere pios interest reipubl. 412
Subjectum Rhetoricæ Ecclesiasticæ 9. Theologiæ Propheticæ 5
Sudaria Pauli habuerunt in se virtutem sanatricem 770
Summa singulorum librorum Biblicorum 902
Superbi non possunt recte orare 714
Superbia quam fœda imago sit Diaboli 174
Suspendium in lege erat interdictum 409
Symbolum est eruditio eruditionũ 216

Symboli Apostoli articulus primus declaratur 134
Symboli Apostolici articulus secundus declaratur 139. *tertius* 142. *quartus* 145. *quintus* 149. *sextus* 151. *Septimus* 153. *octauus* 156. *nonus* 159. *decimus* 161. *vndecimus* 163 *duodecimus* 166
Sympresbyter fuit Petrus 833
Synedrium Ecclesiasticum describitur 316
Synodus Ecclesiastica quomodo instituti debeat 316
Synodi recessus quis sit 947

T.

TAbula Chronologia Nou. Test. 350
Tabula Mnemonica super vniuersa Biblia 864
Taurorum & hircorum sanguis non potuit auferre peccata 825
Templa an sint necessaria 921
Templum quale debeat esse 664
Templum Salomonis est typus Christi & Ecclesiæ 437
Templorum verus ornatus quis sit 573
Temporalia bona profluunto ex aeternis 627
Tepus creationis est hexaemeron 265
Tempus N.T. quid sit 792
Temulentia quos dedeceat 526
Tentamur à Deo duobus modis 827
Tentatio est duplex 206. *est triplex in scripturis* 619
Tentatio probationis Deo adscribitur 825
Tentationes sunt tres 595. 617
Tentationes Christi in genere & in specie 595
Tentationibus quibus non debeamus letari 826
Terra Canaan cujus sit adumbratio 417
Terræ consideratio 101
Terræmotus horrendus cujus sit signum 386
Terror Dei hostes continet, quo minus ladant pios 371
Testamenti vtriusque eadem sunt bona 824
Testamenti similitudo explicatur 824
Testes falsi quantopere noceant 721
Testes aduersus Antichristum prophetantes qui sint 852
Testimonium Dei quale sit 839
Teuffelische Namen 266. 267
Textus sacri quotuplex sit vsus 53
Textus prælectio 65
Thematis character facit ad oppositam inuentionem argumentorum 14
Theologia Prophetica quid sit, 1. *ejus finis ibid. cur sic dicta ibid. an detur talis.* 2. *qua methodo sit tradenda* 3. *quis finis sit ei propositus ibid. ejus subjectum* 5. *quid tradat* 6
Theologia Acroamatica quid sit 954 *ejus necessitas ibid. ejus subjectum* 955. *quid informet ibid.*
Theologia Acroamatica specialis 961
Theologia quid sit 223. *ejus dispositio ibi.*
Theologia dici potest pharmaceutica 226
Theologia partes sunt duæ 225. *de quibus agat & tractet ibid.*

Theo-

Theologiæ naturalis methodus concionum 88
Theologia prima pars est cognitio Dei 224
Theologia altera pars quid sit 224
Theologiæ natura & studium 226. *impedimenta* 227
Thesaurus noster quid sit 702
Thesaurus quid significet 615
Threni seu lamentationes Jeremiæ quid contineant 547
Thronus Christi vbi sit 482
Thummim quid significet 389
Thuribulum suum quomodo Christus impleat 850
Timere Deum quid sit 173
Timor Dei seruilis imago est Diaboli 174
Timor Domini habendus pro initio sapientiæ 300
Timor communis est piis & impiis 371
Timor Dei qualis esse debeat 465
Tischordnung *in quibus consistat* 662
Tobiæ liber prosequitur vitam & mortem senioris Tobiæ 582
Toleratia crucis tractatur 825
Topicum Theologicum quid sit 27
Topographia paradisi 356
Tractatio propositionis argumentosa 50 *est duplex* ibid.
Traditiones humanæ non sunt cultus Dei 661
Traditiones adiaphoræ nõ sunt cultus Dei 618
Traditiones humanæ quid sint 845
Transfiguratio Christi 619
Transformatio Christi in monte quid non fuerit 663
Trinitas diuinarum personarum probatur 233
Deus dicitur magnus 233
Trinitas personarum quomodo consideretur 257
Trinitatis & beneficiorum ipsius speculum 593
Trinitatis SS. consideratio 729
Tritici granum quomodo sit Christus 746
Triticum nouũ sumus in Christo 613
Tritici duodecim fructus 723
Turris Babylonica est typus regni Christi 361
Tyrannum non licet interficere priuatos 432
Tyranni simulant amicitiam cum piis 430
Tyranni ebrii fortuna & successibus fiunt superbi 455
Tyrannorum Ecclesia & filiorum Dei speculum 376

V.

VAcca ruffa quæ immolabatur extra castra denotabat Christum 403
Vanitatis mundi descriptio 537
Vasa sacra quomodo conuenire debeant 922
Vasa misericordiæ qui sint 779
Vasthi reginæ superbia 455. *typus ibi.*
Velaminis Mosis allegoria 792
Verba Institutionis quid in se habeant 209
Verbum Dei confertur cũ argento 618
Verbum Dei quomodo Pastor prædicare debeat 930
Verbum Dei quomodo audiendũ 690
Versus memoriales de numero & ordine librorum biblicorum 339
Versus memoriales de regibus Juda 345

Vestitus Adami pelliceus est typus Messiæ promissi 357
Vetus error non excusat errantes 770
Victoria Christi timorem mortis nobis adimere debet 824
Victoriæ Dei descriptio 483
Viduæ officium 281
Viduæ piæ speculum proponitur 811
Viles & parui in Ecclesia non sunt cõtemnendi 816
Vinea à Deo plantata est Ecclesia 625
Vini vsus quis 811
Violatio sabbathi est multiplex 182
Vir visus ille Iosuæ in agro Hierichuntino fuit filius Dei 413
Virilis ætas est mediæ naturæ inter adolescentiam & senectutem 19
Virtus sanatrix non ex veste Christi exiit 697
Virtus sanandi à quo exierit 660
Virtus num sit pulchra Imago Dei 180
Virtutes sex Deus a nobis requirit 190
Virtutes tres sunt quæ Deo vehementer placent 711
Visio noui templi quid historice promittat 554
Visionis Ezechiæ scopus quis sit 549 *eius duæ sunt partes* 550
Visitatio Mariæ & ipsius gaudiũ 673
Visitationum Ecclesiasticarum ratio 948
Vita cur dicatur beatitudo æterna 167
Vita æterna quid sit 775. *est plenissimũ gaudium* 333. *confertur cum cœna magna* 334. *in quibus consistat* 757 *appellatur paradisus* 332 *erunt decem ascensiones mentis in vitam æternam ibid. confertur cum domo ibid. quam ingens sit bonum* 167 *confertur cum denario diurno* 627
Vita æterna quomodo cõsequatur 698
Vita nostra quid esse debeat 205
Vita Christi debet esse regula regularum 306
Vita nostra tota debet esse Dei laus 477
Vita bestialis causatur mortẽ bestialem 484
Vitæ regulæ quo ordine proponantur 479
Vitæ & mortis æternæ descriptio 331
Vitæ & mortis triplex consideratio 734
Vitæ Christianæ fundamenta 776
Vitia parentum magis transeunt in liberos quam virtutes 370.
Viuos & mortuos quomodo Christus sit judicaturus 154
Vnio sacramentalis quæ fit per fidem pendet a Dei promissione 318
Vnzuchtteuffel 267
Vocatio quid 224
Vocatio apostolorum & illorum obedientia 597
Vocatio Ministorum 314. *quotuplex* 315
Vocatio diuinitus facta habet promissionem 427
Vocatio ad salutem qualis 285 *cuius fructus sunt duo ibid.*
Vocationem diuinam cur libenter sequi debeamus 625
Vocationis nostræ labor 689
Voluntas Dei quæ sit 177
Voluntas Dei in oratione Dominica quid sit 201. *consistit in quatuor capitibus* 201
Volũtati Dei nemo resistere potest 778
Vota sunt triplicia 399

Votum Iephte fuit temerarium 421
Votum ad concionem 65
Votum laudis & gratiarum actionis 493
Vox Dei triplex inter se confertur 475
Vltimum iudicium describitur 329. *de hoc sunt tria tenenda* 329 *huius modus & forma in quibus consistat. ib. quo modo nos ad hoc præparare debeamus* 329. *eius antecedentia, connexa & consequētia* 330
Vltimum seculum describitur 835
Vnctio Spiritus S. quid 262
Vnctio Apostolica nitebatur Christi promissione & mandato 829
Vnctio apostolorum. quale fuerit symbolum 660
Vnctionis opus quomodo placuerit Christo 746
Vuio non tollit naturam vnitorum 667
Vnionis sacramentalis fundamentum 665
Vrbis sanctæ excidium 716
Vra exemplum quid doceat 432
Vrim quid significet 389
Vsus textus sacri quotuplex 53
Vsuum modus inueniendi formulas 58
Vsuum textus sacri multiplex mixtio 54. *modi dedactionis in singulis vsibus* 56
Vsuum singulorum leges 57
Vxoris boni & mariti boni descriptio 832

Z.

Zacharias & Elisabeth sunt speculum pii coniugij 671
Zachariæ prophetia quibus absoluatur 573
Zacheus est typus peccatorum 716
Zachæi desiderium videndi Christum 716
Zelotypia est duplex 793
Zelus Phinehæ quare laudetur 404
Zelus est verus vel ardens 779
Zipporæ circumcidentis filium suum, exemplum 378
Zizania quomodo serat hostis 613. *quomodo eradicentur ibid.*
Zizania sumus in Adamo 613

FINIS INDICIS RERVM ET VERBORVM.